Digitized by Google

8
26/1 K
4

Digitized by Google

8. 26. K. 4

BREVIARIVM IVXTA RITVM SACRI ORDINIS PRAEDICATORVM S.P.N. DOMINICI.

Sub Reuerendiſſimo P. Fr. Hieronymo Xauierre Cæſaraugustano, totius præfati Ordinis Generali Magiſtro recognitum & emendatum & auctoritate Apoſtolica approbatum & confirmatum.

ROMÆ,

Ex Typographia Alfonſi Ciacconi;

Apud Carolum Vullietum.

MDCVII.

SVPERIORVM PERMISSV.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

2.26.h.4

Digitized by Google

CLEMENS PAPA VIII.

DILECTE fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. *Cum, ſicut accepimus, in Capitulo Generali tui Ordinis Fratrum Prædicatorum Anno proxime præterito M. DCI. in Vrbe celebrato, reſolutum fuerit, vt libri Chorales, Miſſale, Breuiarium, Diurnum, & reliqui, quibus Religioſi dicti Ordinis vtuntur, ad normam et præſcriptum Miſſalis, Breuiarij, & Diurni Romani; prout nos cupere ex relatione dilecti filij noſtri Cæſaris Tituli Sanctorum Nerei & Achillei Presbyteri Cardinalis Baronij nuncupati, in eodem Capitulo Generali Apoſtolici Præſidentis, eidem Capitulo ſignificatum fuerat; præcipue quoad Epiſtolarum & Euangeliorum ſeriem, ſeruato tamen antiquo prædicti Ordinis ritu, quàm maxime conformarentur: ac negotium huiuſmodi tibi per te executioni demandari commiſſum extiterit, tuq. ea de cauſa nonnullos eiuſdem Ordinis Religioſos viros doctos ad tale opus conficiendum aptos accerſiueris, vt ipſi impreſſioni dictorum librorum in Romana Curia faciendæ quàm accuratiſſime operam nauarent. Cumque, ſicut eadem expoſitio ſubiungebat, eorundem Religioſorum ad hoc deputatorum diligentia effectum ſit, vt iam impreſſioni prædictæ per dilectum filium Alfonſum Ciacconum manus appoſita fuerit: Nos vt libri Chorales huiuſmodi ad præſcriptum Miſſalis, Breuiarij, ac Diurni Romani, vt prædictum eſt, conformati, in tota Religione prædicta recipiantur, & in Choro & extra publice ac priuatim in vſum admittantur, prouidere; ſimulque eorum qui huiuſmodi impreſſionis curam ſuſceperunt, aut in futurum ſuſcipient, indemnitati proſpicere cupientes: teque ac vniuerſum Ordinem prædictum ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, ſupplicationibus tuo nomine nobis ſuper hoc porrectis inclinati, reformationem Miſſalis, Breuiarij, & Diurni, ac aliorum librorum Choralium tui Ordinis Prædicatorum, ad ſupradictam normam factam, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuo approbamus & confirmamus: Volumuſq. & eadem auctoritate præcipimus, vt poſthac libri prædicti, tam pro particulari Fratrum, & Sororum dicti Ordinis, quàm pro communi Chori vſu iuxta reformationem et conformationem prædictas, poſtquam euulgati fuerint, aliter imprimi non debeant: quòdq. à forma nouæ impreſſionis huiuſmodi recedi, vel quidquam de ea mutari, aut deinceps procurari, vel permitti; quòd in dictis libris ſic reformatis aliquid mutetur, minuatur, vel addatur etiam prætextu particularium aliquarum Feſtiuitatum, quæ in certis Prouincijs, aut Ciuitatibus conſueuerunt celebrari, nec quavis alia occaſione, niſi iuxta prædicti Ordinis inſtituta per Capitulum Generale de noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum*

Digitized by Google

ſpeciali licentia, ac ſine alicuius præiudicio aliter conſtitutum fuerit, minime poſſit. Præterea tibi ac dilectis filijs Prouincialibus, & alijs quibuſcumque Superioribus, & Religioſis vtriuſque ſexus totius Ordinis prædicti, diſtricte præcipiendo in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis maioris pœna mandamus, vt deinceps publice ac priuatim in Choro & extra, iuxta formam Miſſalis, & Breuiarij, & reliquorum librorum Choralium ſic reformatorum, ac Romæ tantum impreſſorum, precari, celebrare, & pſallere teneamini. Porro ne dictus Alfonſus, vel eius heredes, aut alij ab eo cauſam habentes, quibus tu libros huiuſmodi imprimendi curam dediſti, quique magnos ſumptus pro huiuſmodi editione iam fecerunt, & deinceps facturi ſunt, laborum ſuorum fructu fruſtrentur, prouidere volentes; Vniuerſis & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus: præſertim vero Typographis, Impreſſoribus, & Bibliopolis vbique terrarum & locorum exiſtentibus ſub excommunicationis maioris ſententia; perſonis vero noſtræ temporalis iuriſdictionis, & amiſſionis Typorum ac librorum omnium, & quingentorum ducatorum auri de Camera pro vna Cameræ Apoſtolicæ, pro alia accuſatori, & pro reliqua tertijs partibus ipſi Alfonſo, vel eius heredibus, aut ab eo cauſam habentibus applicandis eo ipſo abſque alia declaratione incurrendis pœnis, inhibemus; ne infra viginti annos à die quo Miſſale, & Breuiarium, Diurnum, Martyrologium, Rubricarium, Proceſſionale, Pſalmiſta, Officium Beatæ Mariæ Virginis, & Kalendarium perpetuum, & reliqui libri Chorales, quibus Religioſi vtriuſque ſexus dicti Ordinis vtuntur, in lucem editi fuerint, illos vel eorum aliquem ſine dicti Alfonſi, vel eius heredum, aut ab eo cauſam habentium expreſſa, et in ſcriptis obtenta licentia aliunde imprimere, aut ab alijs impreſſos venales habere, vel tenere quoquo modo audeant, vel præſumant. Mandantes vniuerſis & ſingulis venerabilibus Fratribus noſtris, Patriarchis, Archiepiſcopis, & alijs locorum Ordinarijs, eorumque Vicarijs ſeu Officialibus in ſpiritualibus generalibus, & alijs quibuſuis in quacumque Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, vt quando, & quoties per te vel nomine dicti Ordinis, ſeu per dictum Alfonſum, per eius heredes, aut ab eo, vel ab eis cauſam habentes fuerint requiſiti, præmiſſa contra inobedientes exequantur, & obſeruari faciant, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio Brachij ſæcularis. Non obſtante fel. rec. Iulij Papæ III. prædeceſſ. noſtri, & alijs noſtris ſuper librorum Choralium veſtri Ordinis impreſſione, ac alijs conſtitutionibus Apoſtolicis, ac præmiſſis: necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſuis perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, eorum tenores, ac ſi ad verbum infererentur præ-

ſenti-

Digitized by Google

ſentibus, pro ſufficienter expreſsis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter,
expreſſe derogamus, ceteriſq. contrarijs quibuſcumque; Volumuſque, & Apoſt-
lica auctoritate decernimus, quòd poſt horum librorum publicationem, qui in
Romana Curia ſunt præſentes prædicti Ordinis Fratres aut Sorores, ſtatim la-
pſo menſe: reliqui vero qui citra montes, ſex menſibus, qui vltra montes vbiq
locorum intra annum, vel cum primum venalium huiuſmodi librorum facu-
tatem habuerint, ad precandum, celebrandum, & pſallendum iuxta illorum
ritum, tam in Choro quàm extra illum, maneant obligati. Harum autem li-
terarum exempla etiam in ipſis libris impreſſa, vel extra quomodocumque ma-
nu Notarij publici ſubſcripta, & alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica con-
ſtitutæ ſigillo munita, eandem vbique fidem in iudicio, & extra faciant, quam
ipſæ præſentes facerent, ſi fuiſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apu
Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 2. Aprilis 1602. Pontificatus no
ſtri Anno vndecimo.

M. Veſtrius Barbianus.

A tergo
Dilecto filio Fr. Hieronymo Xauierre totius Ordinis Prædicatorum Magiſtro Generali.

DE ANNO ET EIVS PARTIBVS.

ANnus menſes habet duodecim, Hebdomadas duas & quinquaginta, & diem vnum. Dies ve-ro trecentos ſexagintaquinque, & fere ſex horas: tanto enim temporis interuallo Sol Zodiacum perluſtrat. Quater autem ſex horæ ſingulis quaternis annis diem conſtituunt: hinc annus ille intercalaris, Biſſextus, vel Biſſextilis dicitur.

QVATVOR TEMPORA.

QVatuor tempora celebrantur quarta & ſexta Feria, ac Sabbato poſt tertiam Dominicam Aduentus, poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, poſt Pentecoſtes, poſt Feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis.

NVPTIAE QVANDO CELEBRARI NON POSSVNT,
iuxta Decretum Concilij Tridentini.

A Dominica prima Aduentus vſque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum vſque in Octauam Paſchatis incluſiue, ſancta Synodus ſolemnitates Nuptiarum prohibet. In alijs vero temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit.

Digitized by Google

FRATER HIERONYMVS
XAVIERRE
CÆSARAVGVSTANVS

Sacræ Theologiæ profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Generalis Magiſter & ſeruus. Omnibus eiuſdem Ordinis Fratribus ſalutem in Domino.

QVamprimum ad ſupremam hanc totius ſacri Ordinis noſtri Præfecturam diuina fauente clementia, meritis licet imparibus, aſſumpti ſumus, in eum ſcopum omnes noſtras cogitationes, ſtudia, atque conatus direximus, vt integritati, ac puritati diuini Officij quo Deus potiſſimum laudatur & colitur, modis omnibus conſuleremus. Nam quamuis in hac re à venerabilis memoriæ prædeceſſoribus noſtris Magiſtris Ordinis omnem operam adhibitam fuiſſe non ignoremus: tamen cum temporum iniuria, Typographorum incuria, alijſque caſibus in Miſſali, Breuiario, ac Martyrologio Ordinis noſtri, quibus præcipue ritus ac formula diuini Officij continetur, plurimi illapſi deprehenſi fuerint errores; ac tum Scriptura ſacra, tum in Lectionibus Patrum, in Sanctorum vitis, & in Rubricis multa immutata, deprauata, atque etiam plura inter ſe diuerſa inueniantur, ac plane eiuſmodi quæ nullo pacto tolerari poſſe viderentur; in eam ſedulo curam incumbendum duximus, vt omnia quam exactiſſime ad omnem veritatis & integritatis normam, quantum pro humana imbecillitate licuiſſet, reſtituerentur. Adhibitis igitur aliquot pijs & doctis viris, inſpectis antiquiſſimis & fideliſſimis exemplaribus, varijs de hac re habitis conſultationibus, expectatis auditiſque omnium ferme Prouinciarum ſententijs, quarum Prouinciales, vt ipſis eruditorum Fratrnm opera vſi, ad nos notatu digna perſcriberent, opportune litteris præmonuimus: collatis in vnum omnium ſtudijs, meliora & grauiora maturo conſilio, vt in re tanti momenti fieri par erat, diligentes, impenſius curauimus vt Breuiarium, Miſſale, ac Martyrologium noſtri Ordinis emendatiſsime recognita, ac denuo cuſa prodirent in lucem. In Miſſali quidem, quod Sanctiſs. Domino N. Clementi VIII. gratum eſſe cognouimus, quodque votis fere omnium expetebatur, Euangelia, Epiſtolaſque ad vſum S. Romanæ Eccleſiæ conformauimus. Idem in Homilijs Breuiarij præſtitimus. Homilias vero & Sermones non niſi ex Sanctiſsimis Catholicæ Eccleſiæ Patribus, atque ex certis genuiniſque eorumdem operibus,

bus,

Digitized by Google

bus, excerpſimus. Quo in genere ſpuria nonnulla, nec ſatis idoneorum Auctorum, quæ antea legebantur, abiecimus. In Vitis Sanctorum ac in Martyrologio, quoniam multa irrepſerant apocrypha, incerta, ac fide nutantia: certiſſima dumtaxat, omnique veritate conſpicua, & eruditorum conſenſu probata vel ex Sanctis Patribus, vel ex præſtantibus Auctoribus, vel ex ſinceris Sanctorum conſcriptis Actis accepta, reponi iuſsimus. In reliquis omnibus antiqui noſtri ritus formam & inſtitutum, priſcamque à Patribus nobis traditam diuinarum Precum rationem, integram inuiolatamque manere volumus: ac etiam approbatas recitandi Officij conſuetudines vt antea conſeruari: vt hac in parte, præter ea quæ in hac noua editione expreſſa fuerint, nihil de priſtino vſitato more perſoluendi diuinum Officium, mutatum omnes intelligant. Quæ omnia auctoritate Apoſtolica à Sanctiſsimo Domino noſtro Clemente VIII. nobis benigne conceſſa, ac etiam Capituli noſtri Generalis, qua fungimur, & noſtra quoque non ſine ingenti labore confecta, decernimus ab omnibus noſtri Ordinis Fratribus ac Sororibus inuiolabiliter debere recipi, & obſeruari. Nec eis licere aliis, vel ex alia editione vti deinceps Breuiarijs (nimirum, mox vt eorum copiam nacti fuerint) quàm iſtis à nobis nunc emendari iuſsis, ac editis Romæ in Officina Alfonſi Ciacconi, prout in Apoſtolico Diplomate bic affixo plenius continetur. Præcipientes eiſdem in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ obedientiæ, & ſub formali præcepto, vt nulla deinceps Breuiaria, Miſſalia, Martyrologia, vel alios libros ad diuinum Officium pertinentes emant, niſi ex hac noua editione Romana apud Alfonſum Ciacconum. Datis Romæ in Conuentu noſtro S. Mariæ ſuper Mineruam die xviij. Februarij anno M D C I I I.

Fr. Hieronymus Xauierre. *qui ſupra.*

Aſſumptionis noſtræ anno ij.

Fr. Ludouicus Iſtella Magiſter & Prouincialis Terræ Sanctæ.

Digitized by Google

DE CYCLO DECENNOVENNALI AVREI NVMERI.

CYclus Decennouennalis Aurei numeri eſt reuolutio numeri 19. annorum ab 1. vſq. ad 19. qua reuolutione peracta, iterum ad vnitatem redditur. Verbi gratia. Anno 1577. numerus cycli decennouennalis, qui dicitur Aureus, eſt 1. anno ſequenti 1578. eſt 2. & ita deinceps in ſequentibus annis, vno ſemper amplius, vſq. ad 19. qui Aureus numerus cadet in annum 1595. poſt quem iterum ad vnitatem redeundum eſt, ita vt anno 1596. Aureus numerus ſit rurſus 1. & anno 1597. ſit 2. &c.

Igitur vt Aureus numerus quolibet anno propoſito inueniatur, compoſita eſt ſequens tabella Aureorum numerorum, cuius vſus incipit ab anno correctionis 1582. incluſiue, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cuiuslibet anni poſt annum 1582. reperietur hoc modo.

6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 16.
17. 18. 19. 1. 2. 3. 4. 5.

Anno 1582. tribuatur primus numerus tabellæ, qui eſt 6. ſecundus autem, qui eſt 7. ſequenti anno 1583. & ita deinceps in infinitum, donec ad annum, cuius Aureum numerum quæris, perueniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotieſcumque eam percurreris. Nam numerus, in quem annus propoſitus cadit, dabit Aureum numerum quæſitum.

DE EPACTIS, ET NOVILVNIIS.

EPacta nihil aliud eſt, quàm numerus dierũ, quibus annus Solaris cõmunis dierũ 365. annum communem Lunarem 354. ſuperat: ita vt Epacta primi anni ſit 11. cum hoc numero annus Solaris communis, Lunarem annum communem excedat: atque adeo ſequenti anno Nouilunia contingant 11. diebus prius, quàm anno primo. Ex quo fit, Epactam ſecundi anni eſſe 22. cum eo anno rurſum annus Solaris Lunarem annum ſuperet 11. diebus, qui additi ad 11. dies primi anni efficiunt 22. ac proinde, finito hoc anno, Nouilunia contingere 22. diebus prius, quam primo anno: Epactam autem tertij anni eſſe 3. quia ſi rurſus 11. dies ad 22. adijciantur, efficietur numerus 33. à quo ſi reijciantur 30. dies, qui vnam Lunationem Emboliſmalem cõſtituunt, relinquetur 3. atq. ita deinceps. Progrediuntur enim Epactæ omnes per continuum augmentũ 11. dierum, abiectis tamen 30. quando reijci poſſunt. Solũ quãdo peruentũ erit ad vltimã Epactã Aureo numero 19. reſpondentem quæ eſt 29. adduntur 12. vt abiectis 30. ex compoſito numero 41. habeatur rurſus Epacta 11. vt in principio. Quod ideo fit, vt vltima lunatio Emboliſmica, currente Aureo numero 19. ſit tantum 29. dierum. Si enim 30. dies contineret, vt aliæ ſex Lunationes Emboliſmicæ, non redirent. Nouilunia poſt 19. annos Solares ad eoſdem dies, ſed verſus calcem menſium prolaberentur, contingerentque vno die tardius, quàm ante 19. annos. De qua re plura inuenies in libro nouæ rationis reſtituendi Kalendarij Romani. Sunt autem nouemdecim Epactę, quot & Aurei numeri, reſpondebantque ipſis Aureis numeris ante Kalendarij correctionem eo modo, quo in hac tabella diſpoſitæ ſunt.

Tabella Epact. reſpondentium Aureis numeris ante Kalend. correctionem.

Aureũ nu.	1	2	3	4	5	6	7
Epactæ.	vj.	xxij.	iij.	xiv.	xiv.	vj.	xvij.
	8.	9.	10.	11.	12.	13.	
	xxviij.	ix.	xx.	j.	xij.	xxiij.	
	14.	15.	16.	17.	18.	19.	
	iiij.	xv.	xxvj.	vij.	xviij.	xxix.	

QVia vero cyclus decennouennalis Aurei numeri imperfectus eſt, cum Nouilunia poſt 19. annos Solares non præciſe ad eadem loca redeant, vt dictum eſt, imperfectus etiam erit hic cyclus 19. Epactarum. Quamobrem ita emendatus eſt, vt in poſterum loco Aurei numeri, & dictarum 19. Epactarum vtimur 30. numeris Epactalibus ab 1. vſque ad 30. ordine progredientibus, quamuis vltima Epacta, ſiue quæ ordine eſt trigeſima, notata numero non ſit, ſed ſigno hoc, * propterea quòd nulla Epacta eſſe poſſit 30. Varijs autem temporibus ex his 30. Epactis reſpondent decem & nouem Aureis numeris variæ decem & nouem Epactæ, prout Solaris anni ac Lunaris æquatio expoſcit; quæ quidem decem & nouem Epactæ pro-

progrediuntur, vt olim, per eundem numerum 11. adduntur que ſemper 12. illi Epactæ, quæ reſpondet Aureo numero 19. vt habeatur ſequens Epacta reſpondens Aureo numero 1. ob rationem paulo ante dictam. Id quod ſequens tabella perſpicuũ faciet, quæ continet Aureos numeros, & Epactas inter ſe reſpondentes ab anno correctionis 1582. poſt detractionem x. dierum, vſque ad annum 1700. excluſiue.

Quamuis autem vulgares Epactæ mutentur in Martio, re ipſa tamen in principio anni mutandę ſunt, vnà cum Aureo numero, in cuius locum hæ noſtræ Epactæ ſuccedunt.

Tabella Epactarum reſpondentium Aureis numeris ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. detractis prius decem diebus, vſque ad annum 1700. excluſiue.

Aurei Nu.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	
Epactæ.	xxvj.	vij.	xviij.	xxix.	x.	xxj.	
	12.	13.	14.	15.	16.	17.	
	ij.	xiij.	xxiv.	v.	xvj.	xxvij.	
	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.
	viij.	xix.	j.	xij.	xxiij.	iiij.	xv.

ITaque ſi Epacta quocumque anno propoſito inuenienda ſit, quærendus eſt Aureus numerus illius anni in ſuperiori ordine illius tabellæ, quæ illi tempori, in quo propoſitus annus continetur, congruit. Mox enim ſub Aureo numero in inferiori ordine tabellæ, reperietur Epacta anni propoſiti, vel certe hoc ſignum *. Vbi ergo illa Epacta, vel ſignum * in Kalendario inuentum fuerit, eo die Nouilunium fiet. Inuenietur auté Aureus numerus, vel ex antecedente canone, vel ex Tabella Epactarum propoſito tempori congruente, tribuendo primum Aureum numerum illius tabellæ illi anno, à quo vſus tabellæ incipit, & ſecundum Aureum numerum ſequenti anno, &c. Eodem modo reperietur Epacta ſine Aureo numero, ſi prima Epacta tabellæ tribuatur illi anno, à quo eius vſus incipit, & ſecunda Epacta ſequenti anno, &c.

Exemplum Anno correctionis 1582. Aureus numerus eſt 6. nempe primus primæ tabellæ, cuius vſus incipit ab Idibus Octobr. dicti anni correctionis 1582. detractis prius x. diebus. Erit ergo tunc Epacta xxvj. quæ ſub Aureo numero 6. collocatur: fietque Nouilunium die 27. Octobris, & 26. Nouembr. & 25. Decembris. Item anno 1583. iam correcto, Aureus numerus eſt 7. cui in eadem tabella ſuppoſita eſt Epacta vij. quæ toto eo anno in Kalendario Nouilunia indicabit: vt in Ianuario die 24. in Februario die 22. In Martio die 24. &c.

Tabella litterarum Dominicaliũ ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. (detractis prius x. diebus (vſque ad annum 1700. excluſiue.

C B	A G	F E D	C B	A G F	E D	C B A	
G F	E D C	B A	G F E	D C	B A G	F E	D

VSus huius tabellæ hic eſt. Anno correctionis 1582. poſt Idus Octobris (detractis prius 10. diebus) tribuatur littera C, primæ cellulæ, & ſequenti anno 1583. littera B, ſecundæ, & anno 1584. dentur litteræ A, G, tertiæ cellulæ, & ſic deinceps alijs annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propoſitum peruẽtum ſit, redeundo ad principium tabellæ, quotieſcumq. eam percurreris. Nam cellula, in quã annus propoſitus cadit, dummodo minor ſit, quàm annus 1700. dabit litteram Dominicalem propoſiti anni. Quæ ſi vnica occurrerit, annus erit communis, ſi vero duplex, Biſſextilis, & túc ſuperior littera Dominicam diem oſtendet in Kalendario à principio anni vſque ad feſtum S. Matthiæ Apoſtoli, inferior autem ab hoc feſto vſque ad finem anni. Exempli grat ia. Sit inuenienda littera Dominicalis anno 1587. Numera ab anno 1482. quam tribue primæ litteræ C, vſque ad annum 1587. tribuendo ſingulis cellulis ſingulos annos, (computando geminas litteras quaſcunque, ſuperiorem & inferiorem, pro vna cellula) caderque annus 1587. in litteram D, quæ ſextum locum in tabella occupat. Eſt ergo toto eo anno littera Dominicalis D, annuſque communis eſt, cum littera ſimplex occurrat. Rurſus ſit inueſtiganda littera Dominicalis anno 1616. Numera ab anno 1582. vt dictũ eſt, vſque ad annum 1616. redeundo ad principium tabellæ, poſtquam eam percurreris, peruenieſq; ad duas haſce litteras C, B, ſeptimo loco poſitas. Eſt ergo annus ille Biſſextilis, cum duplex littera occurrat, ſuperiorque littera C, Dominicam diem indicabit à principio anni illius vſque ad feſtum S. Matthiæ, inferior autem B, in reliqua parte anni.

DE INDICTIONE.

INdictio eſt reuolutio 15. annorum ab 1. vſq. ad 15, qua reuolutione peracta, iterum reditur ad vnitatem, initiumq. ſumit quilibet annus huius cycli à Ianuario in Bullis Pontificijs. Et quoniam Indictionis frequens vſus eſt in Diplomatibus, & ſcripturis publicis, facile annum Indictionis currentem quolibet anno propoſito inueniemus ex ſequenti tabella, cuius

vſus

vſus perpetuus eſt: initium tamen ſumit ab anno correctionis 1582.

Tabella Indictionis ab anno correctionis 1582.

10.	11.	12.	13.	14	15.	1.	
2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9

Nam ſi anno 1582. tribuas primum numerũ, qui eſt 10. & ſequenti anno 1583. ſecundum numerum, qui eſt 11. & ſic deinceps vſque ad annum propoſitum, redeundo ad principium tabellæ, quoti ſcumque eam percurreris, cadet annus propoſitus in Indictionẽ, quæ quæritur.

DE FESTIS MOBILIBVS.

QVONIAM ex decreto ſacri Concilij Nicæni Paſcha, ex quo reliqua Feſta mobilia pendent, celebrari debet die Dominico, qui proxime ſuccedit xiiij Lunæ primi menſis, (is vero apud Hæbreos vocatur primus menſis, cuius xiiij. Luna vel cadit in diem verni æquinoctij, quod die 21. menſis Martij contingit, vel propius ipſum ſequitur) efficitur, vt ſi Epacta cuiuſuis anni inueniatur, & ab ea in Kalendario notata inter diem octauum Martij incluſiue, & quintum Aprilis incluſiue (huius enim Epactæ xiiij. Luna cadit vel in diem æquinoctij verni, ideſt, in diem 21. Martij, vel eum proprius ſequitur) numerentur incluſiue deorſum verſus dies quatuordecim, proximus dies Dominicus diem hunc xiiij. ſequens (ne cum Iudæis conueniamus, ſi forte dies xiiij. Lunæ caderet in diem Dominicum) ſit dies Paſchæ.

Exemplum, Anno 1605. Epacta eſt x. & littera Dominicalis B. Et quoniã inuenimus Epactam x. inter diem 8. Martij, & 5. Aprilis incluſiue poſitam eſſe è regione diei 21. Martij, à quo incluſiue ſi deorſum verſus numerentur 41. dies, inueniemus xiiij. Lunam die 3. Aprilis, quæ eſt Dominica, cum è regione illius ſit littera Dominicalis B. Ne igitur cum Iudæis conueniamus, qui Paſcha celebrant die xiiij. Lunæ, ſumenda eſt littera Dominicalis B. quæ ſequitur xiiij. Lunam, nempe ea quæ è regione diei 10. Aprilis collocatur: atque eo anno Paſcha celebrandum erit die 10. Aprilis. Item anno 1691. Epacta eſt xxix. & duplex littera Dominicalis D. C. cum annus ille ſit Biſſextilis. Si igitur ab Epacta xxix. quæ è regione diei 1. Aprilis ponitur inter diem 8. Martij, & 5. Aprilis incluſiue, numerentur dies 14. cadet xiiij. Luna in diem 14. Aprilis. Et quia tunc currit poſterior littera Dominicalis, nempe C. quæ poſt diem 14. Aprilis, ideſt, poſt xiiij. Lunam collocata eſt è regione diei 18. Aprilis, celebrabitur eo anno Paſcha die 18. Aprilis.

Ceterum vt facilius omnia Feſta mobilia inueniantur, compoſitæ ſunt duæ ſequentes tabulæ Paſchales, vna antiqua, & noua altera. Ex antiqua ita Feſta mobilia reperientur. In latere ſiniſtro tabulæ accipiatur Epacta currens, & in linea litterarum Dominicalium ſumatur littera Dominicalis currens, infra tamen Epactam currentem: ita vt ſi littera Dominicalis currens reperiatur è regione Epactæ currentis, aſſumenda ſit eadem littera Dominicalis proxime inferior. Nam è regione huius litteræ Dominicalis omnia Feſta mobilia continentur.

Exemplum. Anno 1606. Epacta eſt xxj. & littera Dñicalis A. Si igitur in tabula antiqua ſumatur littera Dñicalis A, quæ primo infra Epactã xxj. occurrit, reperietur è regione huius litterę Dñicalis Septuageſimę die 22. Ianuarij, dies Cinerũ 8. Febr. Paſcha 26 Martij, Aſcenſio Dñi 4. Maij, Pentecoſtes 14. Maij, & feſtum Corporis Chriſti 25. Maij. Dñicæ autem inter Pẽtecoſten & Aduentum eo anno erunt 28. & poſt Octa. Trinitatis 26. & Aduentus celebrabitur die 3. Decembris. Et ſic de ceteris. Item anno 1605. Epacta eſt x. & littera Dominicalis B. quæ in tabula reperitur è regione Epactæ x. Quare ſumenda eſt alia littera B, quæ proxime infra Epactã inuenitur, è regione cuius inuenies Septuageſimam die 6. Februarij, diem Cinerum 23. Februarij, Paſcha 10. Aprilis, &c.

Notandum autem eſt, quòd quemadmodum in anno communi, cadente littera Dominicali è regione Epactæ in tabula antiqua, ſumitur eadem littera proxima infra Epactam, vt diximus: ita quoque in anno Biſſextili, ſi alterutra duarum litterarum Dominicalium tunc currentiũ è regione Epactæ reperiatur, aſſumendæ ſunt aliæ duæ ſimiles litteræ proxime inferiores, vt Feſta mobilia inueniantur.

Ex tabula vero Paſchali noua ita eadem Feſta mobilia reperientur. In cellula litteræ Dominicalis currentis quæratur Epacta currens. Nam è directo omnia Feſta mobilia deprehendentur. Vt anno 1609. in cellula litteræ Dominicalis D, tunc currẽtis è regione Epactæ xxiiij. quæ eodem anno currit, habetur Septuageſima die 15. Eebruarij, dies Cinerum 4. Martij, Paſcha 19. Aprilis, &c.

Sed ſiue antiqua, ſiue noua tabula Paſchali vtamur, inuenienda ſunt omnia Feſta mobilia in annis Biſſextilibus per litteram Dominicalem poſteriorem, quæ nimirum currit poſt feſtum S. Matthiæ Apoſtoli, ne ſcilicet ambigamus, vtra duarum litterarum pro hoc, aut illo feſto indagando accipienda ſit: ita tamen, vt Septuageſimæ, & diei Cinerum inuentæ in Ianua-

nuario, aut Februario addatur vnus dies. Quod ideo fit, quia ante diem S. Matthiæ currit prior littera Dominicalis, quæ in Kalendario poſteriorem ſemper ſequitur. Poſt feſtum autem S. Matthiæ in Februario licet poſterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ita vt dies 24 Februarij dicatur 25. & dies 25. dicatur 26. &c. Quòd ſi dies Cinerum cadat in Martium; nihil addendum eſt, quia tunc & littera poſterior currit, & dies menſis proprijs numeris reſpondent, cum dies intercalaris Februario fit additus. Immo niſi per poſteriorem litteram inueſtigarentur, non inueniretur rectè Septuageſima in anno Biſſextili currente Epacta xxiiij. vel xxv. & littera Dominicali D, C. vt in ſecundo ac tertio exemplo perſpicuum fiet pro annis 4088. & 3783. Exempli gratia. Anno 2096. Biſſextili Epacta erit v. & litteræ Dominicales A, G Si igitur per poſteriorem litterã, quæ eſt G. Feſta mobilia inueſtigentur, reperietur Septuageſima die 11. Febr. & dies Cinerum 28. Februar. Si autem addatur vnus dies, cadet Septuageſima in diem 12. Febr. quæ eſt Dominica, & dies Cinerum in diem 29. Febr. quæ eſt Feria quarta, Paſcha autem, & reliqua feſta in eos dies cadent, qui in tabula expreſſi ſunt. Itẽ anno 4088. Biſſextili Epacta erit xxiiij. & litteræ Dominicales D, C; Si igitur per litteram C, quæ poſterior eſt, inquirantur Feſta mobilia, inuenietur Septuageſima die 21. Febr. & ſi additur vnus dies, cadet in diem 22. Febr. quæ eſt Dominica. Dies autem Cinerum cadet in diem 10. Martij: quare nihil additur, &c. Ruſus anno 3784. Biſſextili Epacta erit xxv. & litteræ Dominicales D, C. Ergo iterum per poſteriorem, C, reperietur Septuageſima die 21. Februarij, hoc eſt, addita 1. die 22. Quòd ſi priorem litteram D, in vtroque horum duorum annorum agendum eſſet, nihil efficeretur, cum infra Epactas xxiiij. & xxv. littera D, indicet Septuageſimam die 15. Februarij, quod falſum eſſet, cum eo anno poſterior littera C, Paſcha offerat die 25. April. ac proinde Septuageſima die 22. Febr. celebranda ſit, vt liquido conſtat, ſi à die Paſchæ, Dominicæ retro numerentur vſque ad Septuageſimam.

In priori porro tabula Paſchali antiqua reformata Epactis ad ſiniſtram præpoſuimus Aureos numeros eodem ordine, quo ante emendationem Kalendarij collocari ſolebant, vt ex ijs Feſta mobilia inuenirentur. Hoc autem idcirco à nobis factum eſt, vt Paſcha, ceteraq. Feſta mobilia, à Concilio Nicæno vſque ad annum 1582. quilibet indagare poſſit. Eodem autem prorſus artificio ex Aureis numeris ita diſtributis Feſta mobilia eruuntur, quó ex Epactis. Sit enim explorandum, exempli cauſa, quando feſta hæc celebrata fuerint anno 1450. Quoniam eo anno Aureus numerus fuit 7. & littera Dominicalis D, ſi Aureus numerus 7. in ſiniſtro latere accipiatur, & prima littera D, infra eum occurrens, reperietur è regione huius litteræ D, Septuageſima die 4. Februarij, dies Cinerum 18. Februarij, Paſcha die 5. Aprilis, &c.

Aduentus Domini celebratur ſemper die Dominico, qui propinquior eſt feſto S. Andreæ Apoſtoli, nempe à die 27. Nouembris incluſiue vſque ad diem 3. Decembris incluſiue: ita vt littera Dominicalis currens, quæ reperitur in Kalendario à die 27. Nouembris vſque ad diem 3. Decembris, indicet Dominicam Aduentus. Vt verbi gratia, ſi littera Dominicalis eſt G, Dominica Aduentus cadet in diem 2. Decembris; quia ibi eſt littera G, in Kalendario, &c.

A finem tandem tabularum Paſchalium appoſita eſt tabula temporaria multorum annorum, è regione quorum omnia Feſta mobilia inueniuntur: quæ quidem tabula ex tabulis Paſchalibus excepta eſt, ex quibus infinitæ aliæ erui poſſunt pro quibuſcumque annis.

TABV-

TABVLA PASCHALIS
antiqua reformata.

An.		Cyclus epacta.	L. D.	Septuag.	Dies Cinerum	Paſcha	Aſcenſio	Pentecoſtes	Corpus Christi	Dñicæ poſt Pent.	Prima Dñica Adv.
16				Ianu.	Febr.	Mar.	Apr.	Maij	Maij		
5		xxiij.	d	18	4	22	30	10	21	28	29.N
		xxij.	e	19	5	23	1.Maij	11	22	28	30
13		xxj	f	20	6	24	2	12	23	28	1. D.
2		xx	g	21	7	25	3	13	24	28	2
		xix	A	22	8	26	4	14	25	28	3
10		xviij	b	23	9	27	5	15	26	27	27.N.
		xvij	c	24	10	28	6	16	27	27	28
18		xvj	d	25	11	29	7	17	28	27	29
7		xv	e	26	12	30	8	18	29	27	30
		xiv	f	27	13	31	9	19	30	27	1. D.
15		xiij	g	28	14	1.Ap.	10	20	31	27	2
4		xij	A	29	15	2	11	21	1.Iun.	27	3
		xj	b	30	16	3	12	22	2	26	27.N.
12		x	c	31	17	4	13	23	3	26	28
1		ix	d	1.Feb	18	5	14	24	4	26	29
		viij	e	2	19	6	15	25	5	26	30
9		vij	f	3	20	7	16	26	6	26	1. D.
		vj	g	4	21	8	17	27	7	26	2
17		v	A	5	22	9	18	28	8	26	3
6		iv	b	6	23	10	19	29	9	25	27.N.
14		iij	c	7	24	11	20	30	10	25	28
		ij	d	8	25	12	21	31	11	25	29
3		j	e	9	26	13	22	1.Iun.	12	25	30
		xxix	f	10	27	14	23	2	13	25	1. D.
11			g	11	28	15	24	3	14	25	2
		xxviij	A	12	1.Mar	16	25	4	15	25	3
19	25.	xxvij xxvj.	b	13	2	17	26	5	16	24	27.N.
8	xxv	xxiv	c	14	3	18	27	6	17	24	28
			d	15	4	19	28	7	18	24	29
			e	16	5	20	29	8	19	24	30
			f	17	6	21	30	9	20	24	1. D.
			g	18	7	22	31	10	21	24	2
			A	19	8	23	1.Iun.	11	22	24	3
			b	20	9	24	2	12	23	23	27.N.
			c	21	10	25	3	13	24	23	28

TABV-

Digitized by Google

TABVLA PASCHALIS
noua reformata.

Litteræ Dñicales	Cyclus Epactarum.	Septuagesima	Dies Cinerum.
D	23.	18 Ian.	4 Februarij.
	22. 21. 20. 19. 18. 17. 16.	25 Ian.	11 Februarij.
	15. 14. 13. 12. 11. 10. 9.	1 Feb.	18 Februarij.
	8. 7. 6. 5. 4. 3. 2.	8 Feb.	25 Februarij.
	1. * 29. 28. 27. 26. 25. 25. 24.	15 Feb.	4 Martij.
E	23. 22.	19 Ian.	5 Februarij.
	21. 20. 19. 18. 17. 16. 15.	26 Ian.	12 Februarij.
	14. 13. 12. 11. 10. 9. 8.	2 Feb.	19 Februarij.
	7. 6. 5. 4. 3. 2. 1.	9 Feb.	26 Februarij.
	*. 29. 28. 27. 26. 25. 25. 24.	16 Feb.	5 Martij.
F	23. 22. 21.	20 Ian.	6 Februarij.
	20. 19. 18. 17. 16. 15. 14.	27 Ian.	13 Februarii.
	13. 12. 11. 10. 9. 8. 7.	3 Feb.	20 Februarij.
	6. 5. 4. 3. 2. 1. *	10 Feb.	27 Februarij.
	29. 28. 27. 26. 25. 25. 24.	17 Feb.	6 Martij.
G	23. 22. 21. 20.	21 Ian.	7 Februarij.
	19. 18. 17. 16. 15. 14. 13.	28 Ian.	14 Februarij.
	12. 11. 10. 9. 8. 7. 6.	4 Feb.	21 Februarij.
	5. 4. 3. 2. 1. * 29.	11 Feb.	28 Februarij.
	28. 27. 26. 25. 25. 24.	18 Feb.	7 Martij.
A	23. 22. 21. 20. 19.	22 Ian.	8 Februarij.
	18. 17. 16. 15. 14. 13. 12.	29 Ian.	15 Februarij.
	11. 10. 9. 8. 7. 6. 5.	5 Feb.	22 Februarij.
	4. 3. 2. 1. * 29. 28.	12 Feb.	1 Martij.
	27. 26. 25. 25. 24.	19 Feb.	8 Martij.
B	23. 22. 21. 20. 19. 18.	23 Ian.	9 Februarij.
	17. 16. 15. 14. 13. 12. 11.	30 Ian.	16 Februarij.
	10. 9. 8. 7. 6. 5. 4.	6 Feb.	23 Februarij.
	3. 2. 1. * 29. 28. 27.	13 Feb.	2 Martij.
	26. 25. 25. 24.	20 Feb.	9 Martij.
C	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17.	24 Ian.	10 Februarij.
	16. 15. 14. 13. 12. 11. 10.	31 Ian.	17 Februarij.
	9. 8. 7. 6. 5. 4. 3.	7 Feb.	24 Februarii.
	2. 1. * 29. 28. 27. 26. 25.	14 Feb.	3 Martij.
	25. 24.	21 Feb.	10 Martij.

TABV-

TABELLA TEMPORARIA
Feſtorum Mobilium.

Anni Dñi.	[illegible]	Penteco-ſte.	Corpus Chri.	Indictio.	Dñicæ poſt Pent.	Dñica j. Aduentus.
1604	27. Maij	6. Iunij	17. Iunij	2	22	28. Nouemb.
1605	19. Maij	29. Maij	9. Iunij	3	23	27. Nouemb.
1606	4. Maij	14 Maij	25. Maij	4	26	3. Decemb.
1607	24. Maij	3. Iunij	14. Iunij	5	23	2. Decemb.
1608	15. Maij	25. Maij	5. Iunij	6	24	30. Nouemb.
1609	28. Maij	7. Iunij	18. Iunij	7	22	29. Nouemb.
1610	20. Maij	30. Maij	10 Iunij	8	23	28. Nouemb.
1611	12. Maij	22. Maij	2. Iunij	9	24	27. Nouemb.
1612	31. Maij	16. Iunij	21. Iunij	10	22	2. Decemb.
1613	16. Maij	26. Maij	6. Iunij	11	24	1. Decemb.
1614	8. Maij	18. Maij	29 Maij	12	25	30. Nouemb.
1615	28. Maij	7. Iunij	18 Iunij	13	22	29. Nouemb.
1616	12. Maij	22. Maij	2. Iunij	14	24	27. Nouemb.
1617	4. Maij	14. Maij	25. Maij	15	26	3. Decemb.
1618	24. Maij	3 Iunij	14. Iunij	1	23	2. Decemb.
1619	9. Maij	19. Maij	30. Maij	2	25	1. Decemb.
1620	28. Maij	7. Iunij	18. Iunij	3	22	29. Nouemb.
1621	20. Maij	30. Maij	10. Iunij	4	23	28. Nouemb.
1622	5. Maij	15. Maij	26. Maij	5	25	27. Nouemb.
1623	25 Maij	4 Iunij	15. Iunij	6	23	3. Decemb.
1624	16. Maij	26. Maij	6 Iunij	7	24	1. Decemb.
1625	8. Maij	18. Maij	29. Maij	8	25	30. Nouemb.
1626	21. Maij	31. Maij	11. Iunij	9	23	29. Nouemb.
1627	13. Maij	23. Maij	3. Iunij	10	24	28. Nouemb.
1628	1. Iunij	11. Iunij	22. Iunij	11	22	3. Decemb.
1629	24. Maij	3. Iunij	14. Iunij	12	23	2. Decemb.
1630	9. Maij	19. Maij	30. Maij	13	25	1. Decemb.
1631	29. Maij	8. Iunij	19 Iunij	14	22	30. Nouemb.
1632	20 Maij	30. Maij	10. Iunij	15	23	28. Nouemb.
1633	5. Maij	15. Maij	26. Maij	1	25	27. Nouemb.
1634	25. Maij	4. Iunij	15. Iunij	2	23	3. Decemb.
1635	17. Maij	27. Maij	7. Iunij	3	24	2. Decemb.
1636	1. Maij	11. Maij	22 Maij	4	26	30. Nouemb.
1637	21. Maij	31. Maij	11. Iunij	5	23	29. Nouemb.
1638	13. Maij	23. Maij	3 Iunij	6	24	28. Nouemb.
1639	2. Iunij	12. Iunij	23. Iunij	7	21	27. Nouemb.
1640	17. Maij	27. Maij	7. Iunij	8	24	2. Decemb.

IANVA-

Digitized by Google

I A N V A R I V S.

Cyclus Epact.	Litte. Dom		D. M.	
*	A	Kal.	1	Circumciſio Domini. Duplex. 158.
xxix	b	iiij	2	Octau. Stephani Protomar. iii Lect. 587.
xxviii	c	iij	3	Octau. Ioannis Euangeliſtæ. iii. Lect. 589.
xxvii	d	Prid.	4	Octau. Innocentium. iii. Lect. 591.
xxvi	e	Non.	5	Vigilia. 162.
25. xxv	f	viij	6	Epiphania Domini. Totum Duplex. 164.
xxiiii	g	vij	7	Raymundi de Peñiafort. Totum Duplex. 593.
xxiii	A	vi	8	
xxii	b	v	9	
xxi	c	iiii	10	
xx	d	iii	11	
xix	e	Prid.	12	
xviii	f	Idib	13	Octau. Epiphaniæ. Simplex. 176.
xvii	g	xix	14	*Februarij.* Hilarij Epiſc. & conf. Duplex. 595. Octau. S. Raymundi. Memoria.
xvi	A	xviij	15	Mauri Abbatis. iii. Lect. 596.
xv	b	xvii	16	Marcelli Papæ & martyris. iii. Lect. 597.
xiiii	c	xvi	17	Antonij Abbatis. Totum Duplex. 597.
xiii	d	xv	18	Priſcæ virginis & martyris. iii. Lect. 598. Initium LXX.
xii	e	xiiii	19	Felicis presbyteri & martyris. iii. Lect. 599.
xi	f	xiii	20	Fabiani & Sebaſtiani martt. Totum Duplex. 599.
x	g	xii	21	Agnetis virginis & martyris. Totum Duplex. 601
ix	A	xi	22	Vincentij martyris. Totum Duplex. 604.
viii	b	x	23	Emerentianæ virginis & mart. iii. Lect. 609.
vii	c	ix	24	Timothei Epiſc. & mart. iii. Lect. 609.
vi	d	viii	25	Conuerſio S. Pauli Apoſt. Totum Duplex. 610.
v	e	vii	26	Polycarpi Epiſc. & mart. iii. Lect. 614.
iiii	f	vi	27	Ioannis Chriſoſtomi Epiſcopi & confeſſoris. Duplex. 615.
iii	g	v	28	Agnetis ſecundo. iii. Lect. 617.
ii	A	iiii	29	Pauli primi Eremitæ. iii. Lect. 617. Oct. Vincentij martyris. Memoria.
i	b	iii	30	
*	c	Prid.	31	Iuliani Epiſcopi & confeſſ. iii. Lect. 618.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.	D M	
xxix	d	Kal.	1	Ignatii Epiſc. & martyris. **Duplex. 618.**
xxviii	e	iiii	2	Purificatio S. Mariæ Virg. **Totum Dupl. 620.**
xxvii	f	iii	3	**Blaſii Epiſcopi & mart.** Simplex. **626.**
25. xxvi	g	Prid.	4	Anniuerſarium patrum & matrum. Ante non erit Cinis.
xxv. xxii.	A	Non.	5	Agathæ virginis & martyris. **Duplex. 627.**
xxiii	b	viii	6	Dorotheæ virginis & mart. **Duplex. 630.** **Vedaſti & Amandi confeſſoris.** Memoria **630.**
xxii	c	vii	7	Romualdi Abbatis. **Duplex. 631.**
xxi	d	vi	8	
xx	e	v	9	**Apolloniæ virginis & mart.** iii. Lect. **633.**
xix	f	iiii	10	**Scholaſticæ virginis.** iii. Lect. **633.**
xviii	g	iii	11	
xvii	A	Prid.	12	
xvi	b	Idib.	13	
xv	c	xvi	14	***Martÿ.* Valentini Martyris.** iii. Lect. **634.**
xiiii	d	xv	15	
xiii	e	xiiii	16	
xii	f	xiii	17	
xi	g	xii	18	
x	A	xi	19	
ix	b	x	20	
viii	c	ix	21	Septuageſima poſt non erit.
vii	d	viii	22	Cathedra Petri Apoſtoli. **Duplex. 634.** **Vigilia.**
vi	e	vii	23	
v	f	vi	24	Matthiæ Apoſtoli. **Totum Dupl. 637.** Locus biſſexti.
iiii	g	v	25	
iii	A	iiii	26	
ii	b	iii	27	
i	c	Prid.	28	

In anno Biſſextili Februarius eſt dierum **29.** & Feſtum S. Matthiæ celebratur **25.** Februarij, & bis dicitur, ſexto Kalendas, id eſt, die **24.** & die **25.** & littera Dñicalis, quæ aſſumpta fuit in menſe Ianuario, mutatur in præcedentẽ, Vt ſi in Ianua. litt. Dñicalis fuit **A.** mutetur in præcedẽtẽ, quæ eſt **G.** &c.

MAR-

Digitized by Google

MARTIVS.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
*	d	Kal.	1	Albini Epiſcopi & confeſſ. iii. Lect. 639.
xxix	e	vi	2	
xxviii	f	v	3	
xxvii	g	iiii	4	
xxvi	A	iii	5	
25. xxv	b	Prid.	6	
xxiiii	c	Non.	7	Thomæ de Aquino. **Totum Duplex.** 639.
xxiii	d	viii	8	
xxii	e	vii	9	Poſt non erit Cinis.
xxi	f	vi	10	
xx	g	v	11	Gregorii Papæ. **Totum Duplex.** 644.
xix	A	iiii	12	
xviii	b	iii	13	Octau. Thomæ Aquinatis. Memoria.
xvii	c	Prid.	14	
xvi	d	Idib.	15	*Aprilis.*
xv	e	xvii	16	
xiiii	f	xvi	17	
xiii	g	xv	18	
xii	A	xiiii	19	Ioſeph ſponſi B. Mariæ Virg. **Totum Duplex.** 644
xi	b	xiii	20	
x	c	xii	21	Benedicti Abbatis. **Duplex.** 647.
ix	d	xi	22	
viii	e	x	23	
vii	f	ix	24	
vi	g	viii	25	
v	A	vii	26	Annunciatio Dominica. **Totum Duplex.**
iiii	b	vi	27	
iii	c	v	28	
ii	d	iiii	29	
i	e	iii	30	
*	f	Prid.	31	

Digitized by Google

Cyclus Epact.	Litte Dom		D M	
xxix	g	Kal.	1	
xxviii	A	iiii	2	Franciſci de Paula confeſſoris. **Duplex. 653.**
xxvii	b	iii	3	
25. xxvi	c	Prid.	4	Ambroſij Epiſcopi. **Totum Duplex. 654.**
xxv. xxiiii	d	Non.	5	Vincentij confeſſoris Ordinis Prædicatorum. **Totum Duplex. 656.**
xxiii	e	viii	6	
xxii	f	vii	7	
xxi	g	vi	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iiii	10	
xviii	c	iii	11	
xvii	d	Prid.	12	**Oct. Vincentij confeſſoris.** Memoria.
xvi	e	Idib.	13	
xv	f	xviii	14	*Maij.* **Tiburtij, Valeriani, & Maximi martyrum. iii. Lect. 663.**
xiiii	g	xvii	15	
xiii	A	xvi	16	
xii	b	xv	17	
xi	c	xiiii	18	
x	d	xiii	19	
ix	e	xii	20	Agnetis de Monte Politiano virginis. **Duplex. 665.**
viii	f	xi	21	
vii	g	x	22	
vi	A	ix	23	Georgii martyris. Simplex. 666.
v	b	viii	24	Adalberti Epiſcopi & martyris. iii. Lect. 667.
iiii	c	vii	25	Marci Euangeliſtæ. **Totum Duplex. 667.** Vltimum Paſcha.
iii	d	vi	26	
ii	e	v	27	Oct. Agnetis de Monte Politiano. Memor.
i	f	iiii	28	Vitalis martyris. iii. Lect. 668.
*	g	iii	29	Petri martyris. **Totum Duplex. 668.**
xxix	A	Prid.	30	Ante non erit Aſcenſus.

MA-

Digitized by Google

M A I V S.

Cyclus Epact.	Litt. Dom.		D. M.	
xxviii	b	Kal	1	Philippi & Iacobi Apoſt. Totum Duplex. 671.
xxvii	c	vi	2	Antonini Archiepiſc. Florentini. Totũ Dupl. 672.
xxvi	d	v	3	Inuentio S. Crucis. Totum Duplex. 676.
				Alexandri, Euentij, & Theoduli mart. Mem. 678.
				Prima Dominica poſt Feſtum S. Crucis celebratur Feſtum S. Catharinæ de Senis. Tot. Dupl. 679.
25. xxv	e	iiii	4	
xxiiii	f	iii	5	Athanaſij Epiſcopi & confeſſoris. Duplex. 683.
xxiii	g	Prid.	6	Ioannis ante portam Latinam. Duplex. 684.
xxii	A	Non.	7	Coronæ Domini. Totum Duplex. 685.
xxi	b	viii	8	Apparitio Michaelis Archangeli. Tot. Dupl. 687.
xx	c	vii	9	Gregorij Nazianzeni. Duplex. 688.
xix	d	vi	10	Gordiani & Epimachi. mart. iii. Lect. 689.
				Ante non venit ignis.
xviii	e	v	11	Stanislai Epiſcopi & martyris. Duplex. 689.
xvii	f	iiii	12	Nerei, & Achillei, & Pãcratij martt. iij. Lect. 690.
xvi	g	iii	13	Seruatij confeſſoris. iii. Lect. 691.
xv	A	Prid.	14	
xiiii	b	Idib.	15	
xiii	c	xvii	16	*Iunij.*
xii	d	xvi	17	
xi	e	xv	18	
x	f	xiiii	19	Pudentianæ virginis. iii. Lect. 691.
ix	g	xiii	20	
viii	A	xii	21	
vii	b	xi	22	Ante non erit Corpus.
vi	c	x	23	
v	d	ix	24	Tranſlatio ſancti Patris noſtri Dominici. Totum Duplex. 692.
iiii	e	viii	25	Vrbani Papæ & martyris. iii. Lect. 693.
iii	f	vii	26	
ii	g	vi	27	
i	A	v	28	
*	b	iiii	29	
xxix	c	iii	30	
xxviii	d	Prid.	31	Petronillæ virginis. iii. Lect. 693.

** 3 IV-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
xxvij	e	Kal.	1	
25. xxvj	f	iiij	2	Marcellini & Petri mart. iij. Lect. 694.
				Poſt non erit Aſcenſus.
xxv. xxiiij	g	iij	3	
xxiij	A	Prid.	4	
xxij	b	Non.	5	
xxj	c	viij	6	
xx	d	vij	7	
xix	e	vi	8	Medardi Epiſcopi & conf. iij. Lect 694.
xviij	f	v	9	Primi & Feliciani martyrum. iij. Lect. 695.
xvij	g	iiii	10	
xvj	A	iii	11	Barnabæ Apoſtoli Totum Duplex. 695.
xv	b	Prid.	12	Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarij, Martyrr.
				iij. Lectiones. 696.
xiiij	c	Idib.	13	Antonij de Padua confeſſoris. Duplex. 697.
				Poſt non erit ignis.
xiij	d	xviij	14	Iulij Baſilij Epiſcopi & conf. Duplex. 698.
xij	e	xvii	15	Viti & Modeſti martyrum. iij. Lect. 700.
xj	f	xvi	16	Martialis Epiſcopi & conf. iij. Lect. 701.
				Quirici & Iulittæ mart. Memor. 701.
x	g	xv	17	
ix	A	xiiii	18	Marci & Marcelliani mart. iij. Lect. 701.
viij	b	xiii	19	Geruaſij & Protaſij martyrum. Simpl. 701.
vij	c	xii	20	
vj	d	xi	21	
v	e	x	22	Decem millium Martyrum. Duplex. 702.
iiij	f	ix	23	Vigilia. 703.
iij	g	viii	24	Natiuit. S. Ioannis Baptiſtæ. Tot. Dup. 704.
				Poſt non erit Corpus.
ii	A	vii	25	
j	b	vi	26	Ioannis & Pauli martyrum. Simplex. 709.
*	c	v	27	
xxix	d	iiii	28	Leonis Papæ. Memor. 712. Vigilia. 711.
xxviij	e	iii	29	Petri & Pauli Apoſt. Totum duplex. 712.
xxvij	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli Apoſt. Dupl. 717.

IV-

Digitized by Google

IVLIVS

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
xxvi	g	Kal.	1	Oct. Ioannis Baptiſtæ. Simplex. 721.
25. xxv.	A	vi	2	Viſitatio B. Mariæ Virg. Totum Dupl. 722.
xxiiii	b	v	3	Proceſſi & Martiniani mart. Mem. 727.
xxiii	c	iiii	4	
xxii	d	iii	5	
xxi	e	Prid.	6	Oct. Apoſt. Petri & Pauli. Simplex. 728.
xx	f	Non.	7	
xix	g	viii	8	
xviii	A	vii	9	Oct. Viſitation. B. Mariæ Virg. Simp. 730.
xvii	b	vi	10	Septem Fratrum mart. iij. Lect. 731.
xvi	c	v	11	Procopij Abbatis. iij. Lect. 731.
xv	d	iiii	12	Anniuerſarium ſepultorum in cœmeterijs noſtris.
xiiii	e	iii	13	
xiii	f	Prid.	14	Bonauenturæ Epiſ. & conf. Tot. Dup. 731.
xii	g	Idib.	15	
xi	A	xvii	16	*Auguſti.*
x	b	xvi	17	Alexij confeſſoris. iii. Lect. 732.
ix	c	xv	18	
viii	d	xiiii	19	
vii	e	xiii	20	Margaritæ virg. & mart. Simplex. 732.
vi	f	xii	21	Praxedis Virginis. iii Lect. 733.
v	g	xi	22	Mariæ Magdalenæ, Totum Duplex. 734.
iiii	A	x	23	Apollinaris Epiſc. & Martyr. Mem. 737.
iii	b	ix	24	Chriſtinæ virginis & martyr. Mem. Vigil. 738.
ii	c	viii	25	Iacobi Apoſtoli. Totum Duplex. 739. Chriſtophori & Cucuphatis martyrum. Memor. 741.
i	d	vii	26	Annæ matris S. Mariæ. Totum Dupl. 741.
*	e	vi	27	Marthæ Virginis. Simplex. 742.
xxix	f	v	28	Nazarii, Celſi, & Pantaleonis martyrum. Memor. 744.
xxviii	g	iiii	29	Oct. Mariæ Magdalenæ. Duplex. 744. Felicis, Simplicii, Fauſtini, & Beatricis martyrum. Memor. 745.
xxvii	A	iii	30	Abdon & Sennen martyrum. iii. Lect. 746.
25. xxvi	b	Prid.	31	Germani Epiſc. & confeſſ. iii. Lect. 746.

A V G V S T V S.

Cyclus Epact.	Littre. Dom.		D. M.	
xxv. xxiiii	c	Kal.	1	Ad Vincula Petri Apoſtoli. Simplex. 747.
[illegible]				SS. Machabæorum. Mem. 750.
xxiii	d	iiii	2	Stephani Papæ & mart. 750.
xxii	e	iii	3	Inuentio Stephani protomart. Simplex. 754.
xxi	f	Prid.	4	Dominici P. N. confeſſ. Totum Duplex. 755.
xx	g	Non.	5	S. Mariæ ad Niues. Totum Duplex. 760.
xix	A	viii	6	Transfigur. D.N. Ieſu Chriſti. Totum Dupl. 767.
				Xyſti, Felicisſ. & Agapiti martt. Mem. 766.
xviii	b	vii	7	Donati Epiſcopi & mart. Memor. 768.
xvii	c	vi	8	Cyriaci & ſociorum martt. Memor. 768.
xvi	d	v	9	Vigilia.
xv	e	iiii	10	Laurentij martyris. Totum Duplex. 769.
xiiii	f	iii	11	Oct. in. S. Dominici. Solemnis. 773.
				Tiburtij martyris. Memor. 773.
xiii	g	Prid.	12	
xii	A	Idib.	13	Hippolyti ſociorumq. eius. Duplex. 775.
xi	b	xix	14	*Septemb.* Vigilia. 775. & Euſeb. presb. Mem. 776.
x	c	xviii	15	Aſſumptio B.M. Virg. Totum Duplex. 776.
	d	xvii	16	Feſtũ S. Hyacinthi celebratur ſemper prima Do-
ix				minica poſt Aſſumpt. B.M. Totum Dupl. 781.
viii	e	xvi	17	Octaua Laurentij martyris. Simplex. 783.
vii	f	xv	18	Agapiti martyris. Memor. 785.
vi	g	xiiii	19	
v	A	xiii	20	Bernardi Abbatis. Duplex. 785.
iiii	b	xii	21	
iii	c	xi	22	Oct. Aſſumptionis B.M. Virg. Solemnis. 787.
				SS. Timothei & Symphoriani mart. Mem. 788
ii	d	x	23	Octaua Hyacinthi confeſſ. [illegible] Vigilia.
i	e	ix	24	Bartholomæi Apoſtoli. Totum Duplex. 788.
*	f	viii	25	Ludouici confeſſoris. Simplex. 790.
xxix	g	vii	26	
xxviii	A	vi	27	Rufi Epiſcopi & mart. [illegible] 791.
xxvii	b	v	28	Auguſtini Epiſcopi & confeſſ. Totum Dupl. 792.
xxvi	c	iiii	29	Decollatio Ioannis Baptiſtæ. Duplex. 798.
				Sabinæ martyris. Memor. 800.
25 xxv	d	iii	30	Felicis & Adaucti mart. Memor. 800.
xxiiii	e	Prid.	31	

SEPTEM-

SEPTEMBER.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
xxiii	f	Kal.	1	
xxii	g	iiii	2	
xxi	A	iii	3	
xx	b	Prid.	4	Octau. S. Auguſtini. Simplex. 801.
xix	c	Non.	5	Anniuerſarium familiarium & benefactorum Ordinis noſtri.
xviii	d	viii	6	Aegidij Abbatis. iij. Lect. 803.
xvii	e	vii	7	Marcelli martyris. iij. Lect. 803.
xvi	f	vi	8	Natiuitas S. Mariæ Virg. Totum Duplex. 803.
xv	g	v	9	Gorgonij martyris. Memor. 808.
xiiii	A	iiii	10	Nicolai de Tolentino. 808.
xiii	b	iii	11	Proti & Hyacinthi mar. Memor. 811.
xii	c	Prid.	12	
xi	d	Id. b.	13	
x	e	xviii	14	*Octobris.* Exaltatio Sanctæ Crucis. Tot. Dup. 811.
ix	f	xvii	15	Octau. S. Mariæ Virg. Simplex. 815. Nicomedis martyris. Memor. 817.
viii	g	xvi	16	Euphemiæ virg. & martyr. iij. Lect. 817.
vii	A	xv	17	Lamberti Epiſc. & mart. iij. Lect. 817.
vi	b	xiiii	18	Cornelij & Cypriani mart. Duplex. 818.
v	c	xiii	19	Ianuarij ſociorumque mart. Simplex. 819.
iiii	d	xii	20	Vigilia. 820.
iii	e	xi	21	Matthæi Apoſtol. & Euangel. Totum Dupl. 821.
ii	f	x	22	Mauritij ſociorumque eius. Simplex. 823.
i	g	ix	23	
*	A	viii	24	
xxix	b	vii	25	
xxviii	c	vi	26	
xxvii	d	v	27	Coſmæ & Damiani mart. Simplex. 824.
25 xxvi	e	iiii	28	Vuenceſlai martyris. iij. Lect. 825.
xxv. xxiiii	f	iii	29	Michaelis Archangeli. Totum Duplex. 825.
xxiii	g	Prid.	30	Hieronymi Presbyteri. Totum Duplex. 830.

OCTO-

O C T O B E R.

Cyclus Epact.	Litte. Dom.		D. M.	
xxii	A	Kal.	1	Prima Dominica Octobris celebratur Feſtum Beatæ Mariæ Virginis, ſub nomine S. Roſarii. Totum Duplex. 833.
xxi	b	vi	2	
xx	c	v	3	
xix	d	iiii	4	Franciſci confeſſoris. Totum Duplex. 836.
xviii	e	iii	5	Placidi ſociorumq. eius mart. Simpl. 837.
xvii	f	Prid.	6	Michaelis Archangeli. Simpl. 833.
xvi	g	Non.	7	Marci Papæ & confeſ. iii. Lect. 839.
				Sergii, Bacchi, & ſociorum mart. Mem. 839.
vx	A	viii	8	Remigii Epiſc. & conf. iii. Lect. 839.
xiiii	b	vii	9	Dionyſii ſociorumq. eius. Tot. Dupl. 840.
xiii	c	vi	10	Anniuerſarium omnium Fratrum noſtri Ord.
xii	d	v	11	Leodegarii Epiſc. & mart. iii. Lect. 842.
xi	e	iiii	12	
x	f	iii	13	Eduardi Regis & confeſſ. iii. Lect. 843.
ix	g	Prid.	14	Caliſti Papæ & mart. iii. Lect. 843.
viii	A	Idib.	15	
vii	b	xvii	16	*Nouembris.*
vi	c	xvi	17	
v	d	xv	18	Lucæ Euangeliſtæ. Totum Duplex. 844.
iiii	e	xiiii	19	
iii	f	xiii	20	
ii	g	xii	21	XI. millium Virg. mart. Tot. Dupl. 845.
i	A	xi	22	Hilarionis Abbatis. iii. Lect. 846.
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviii	d	viii	25	Criſpini & Criſpiniani mart. iii. Lect. 847.
xxvii	e	vii	26	
xxvi	f	vi	27	Vigilia.
25. xxv	g	v	28	Simonis & Iudæ Apoſt. Totum Dupl. 841.
xxiiii	A	iiii	29	
xxiii	b	iii	30	
xxii	c	Prid.	31	Quintini mart. Memor. Vigilia. 849.

NO-

Digitized by Google

N O V E M B E R.

Cyclus Epact.	Litter. Dom.		D. M.	
xxi	d	Kal.	1	Feſtum omnium Sanctorum. **Totũ Duplex. 849.**
xx	e	iiii	2	**Commemoratio omnium Fidelium Defunctorũ.** ix.Lect. **855.**
xix	f	iii	3	
xviii	g	Prid.	4	
xvii	A	Non.	5	
xvi	b	viii	6	
xv	c	vii	7	
xiiii	d	vi	8	Oct. **Omnium Sanctorum.** Solemnis. **860.**
xiii	e	v	9	**Theodori martyris.** iij. Lect. **863.**
xii	f	iiii	o	**Quatuor Coronatorum.** iij. Lect. **863.**
xi	g	iii	11	Martini Epiſ. & conf. **Totum Duplex. 863.** **Mennæ mart.** Memor. **867.**
x	A	Prid.	12	
ix	b	Idib.	13	**Britij Epiſcopi & conf.** Memor. **868.**
viii	c	xviii	14	*Decembris.*
vii	d	xvii	15	
vi	e	xvi	16	
v	f	xv	17	
iiii	g	xiiii	18	Octau. **Martini confeſſ.** Simplex. **870.**
iii	A	xiii	19	**Eliſabeth viduæ.** iij. Lect. **871.**
ii	b	xii	20	
i	c	xi	21	Præſentatio Virg. Mariæ. **Totum Duplex. 872.**
*	d	x	22	Cæciliæ virginis & martyris. **Duplex. 874.**
xxix	e	ix	23	Clementis Papæ & Martyris. **Duplex. 877.**
xxviii	f	viii	24	**Chryſogoni martyris.** iij. Lect. **879.**
xxvii	g	vii	25	Catharinæ virg. & mart. **Totum Duplex. 880.**
xxvi	A	vi	26	
25. xxiiii	b	v	27	**Vitalis & Agricolæ mart.** iij. Lect. **883.**
xxiii	c	iiii	28	
xxii	d	iii	26	**Saturnini Epiſc. & mart.** Memor. **Vigilia. 553.**
xxi	e	Prid.	30	Andreæ Apoſtoli. **Totum Duplex. 154.**

Aduentus Domini celebratur Dominica proximiori Feſto S. Andreæ, ſiue ante, ſiue poſt. Et ſi Feſtum illud venerit in Dominica, ipſa die celebrabitur. Non erit ante diē **27.** Nouembris, neque poſt **3.** Decembris.

DE

Digitized by Google

DECEMBER

Cyclus Epact.	Litte Dom		D M	
xx	f	Kal.	1	
xix	g	iiii	2	
xviii	A	iii	3	
xvii	b	Prid.	4	Barbaræ virginis & martyris. Duplex. 558.
xvi	c	Non	5	
xv	d	viii	6	Nicolai Epiſcopi & confeſſ. Totum Dupl. 550.
xiiii	e	vii	7	Ordinatio Ambroſij Epiſc. & confeſſ. Dupl. 562. Octaua Andreæ Apoſtoli. Memor. 562.
xiii	f	vi	8	Sanctificatio S. Mariæ Virg. Totum Dupl. 564.
xii	g	v	9	
xi	A	iiii	10	
x	b	iii	11	Damaſi Papæ & confeſſ. iii Lect. 566.
ix	c	Prid.	12	
viii	d	Idib.	13	Luciæ virginis & mart. Totum Dupl. 566.
vii	e	xix	14	*Ianuarij.*
vi	f	xviii	15	
v	g	xvii	15	
iiii	A	xvi	17	Antiphonæ Laudum propriæ 132.
iii	b	xv	18	Ad Veſperas, Antiph. O ſapientia. 132.
ii	c	xiii	19	
i	d	xiii	20	
*	e	xii	21	Thomæ Apoſtoli. Totum Duplex. 569.
xxix	f	xi	22	
xxviii	g	x	23	
xxvii	A	ix	24	Vigilia 145.
xxvi	b	viii	25	Natiuitas D.N.Ieſu Chriſti. Totum Dupl. 147.
25 xxv	c	vii	26	Stephani protomartyris. Totum Dupl. 571.
xxiiii	d	vi	27	Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ. Tot. Dupl. 575.
xxiii	e	v	28	Sanctorum Innocentium. Simplex. 579.
xxii	f	iiii	29	Thomæ Epiſcopi & martyris. Simplex. 583.
xxi	g	iii	30	
19 xx	A	Prid.	31	Silueſtri Papæ & confeſſ. Simplex. 585.

Hæc Epacta 19. nigra numquam eſt in vſu, niſi quando eodem anno concurrit cum Aureo numero xix.

INDEX

Digitized by Google

INDEX EPISTOLARVM, ET EVANGELIORVM TOTIVS ANNI.

DOMINICA I. ADVENTVS.
Scientes quia hora. *finis*, induimini Dominum Ieſum. *Rom.* 13.
Erunt ſigna in Sole. *finis*, non tranſibunt. *Lucæ* 21. *Dominica ij.*
Quæcumque ſcripta ſint. *finis*, veritate Spiritus ſancti. *Rom.* 15.
Cum audiſſet Ioannes. *finis*, tuam ante te. *Matth.* 11. *Dominica iij.*
Gaudete in Domino. *finis*, Domino noſtro. *Philip.* 4.
Miſerunt Iudæi. *finis*, Ioannes baptizans. *Ioan.* 1. *Feria iv. quatuor Temp.*
Pete tibi ſignum. *finis*, eligere bonum. *Iſa.* 7.
Miſſus eſt Angelus. *finis*, ſecundum verbum tuum. *Luca* 1. *Feria vi.*
Egredietur virga. *finis*, renum eius. *Iſa.* 11.
Exurgens Maria. *finis*, ſalutari meo. *Luca* 1. *Sabbato.*
Rogamus vos. *finis*, aduentus ſui, 2. *Theſſal.* 2.
Anno quintodecimo. *finis*, ſalutare Dei. *Lucæ* 3. *Dominica iv.*
Sic nos exiſtimet. *finis*, à Deo. 1. *Corint.* 4.
Anno quintodecimo. *finis*, ſalutare Dei. *Luca* 3. *In Vigil. Natiu. Domini.*
Paulus ſeruus *finis*, vos vocati. *Rom.* 1.
Cum eſſet deſponſata. *finis*, à peccatis eorum. *Matth* 1. *In nocte Natiu. Domini.*
Apparuit gratia *finis*, & exhortare. *Ad Tit.* 2.
Exijt edictum. *finis*, bonæ voluntatis. *Luca* 2. *In Aurora Natiuitatis.*
Apparuit benignitas. *finis*, vitæ æternæ. *Ad Titum* 3.
Paſtores. *finis*, ad illos. *Luca* 2. *In Miſſa maiori.*
Multifariam. *finis*, non deficient. *Hebræor.* 1.
In principio erat verbum. *finis*, plenum gratiæ & veritatis. *Ioan.* 1.
Dominica infra Octauas Natiuitatis.
Quanto tempore. *finis*, per Deum. *Galat.* 4.
Erat Ioſeph *finis*, in illo. *Luca* 2. *In Circũciſione.*
Apparuit gratia. *finis*, & exhortare. *Ad Tith* 2
Poſtquam conſummati. *finis*, conciperetur. *Luca* 2. *In Vigilia Epiphan.*
Quanto tempore. *finis*, per Deum. *Galat.* 4.
Defuncto Herode. *finis*, Nazaræus vocabitur. *Matth.* 2. *In Epiphania Domini.*
Surge illuminare. *finis*, Domino annunciantes. *Iſa.* 60.
Cum natus eſſet. *finis*, in regionem ſuam. *Matth.* 2. *Dominica infra Octa. Epiphan.*
Obſecro vos per. *finis*, alterius membra. *Rom.* 12.
Cum factus eſſet. *finis*, & homines. *Lucæ* 2. *In Octaua Epiphaniæ.*
Surge illuminare. *finis*, Domino annunciantes. *Iſaiæ* 60.
Vidit Ioannes. *finis*, Filius Dei. *Ioan.* 1. *Dominica i. poſt Octau. Epiphan.*
Habentes donationes. *finis*, conſentientes. *Rom.* 12.
Nuptiæ factæ ſunt. *finis*, diſcipuli eius. *Ioan.* 2. *Dominica ij.*
Nolite eſſe prudentes. *finis*, in bono malum. *Rom.* 12.
Cum deſcendiſſet. *finis*, in illa hora. *Matth.* 8. *Dominica iij.*
Nemini quidquam debeatis. *finis*, eſt dilectio. *Rom.* 13.
Aſcendente Ieſu. *finis*, obediunt ei. *Matth.* 8. *Dominica iv.*
Induite vos. *finis*, Patri per. *Coloſſ.* 3.
Homini, qui ſeminauit. *finis*, horreum meum. *Matth.* 13. *Dominica v.*
Gratias agimus. *finis*, ira ventura. 1. *Theſſa.* 1.
Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis. *finis*, à conſtitutione mundi. *Matth* 13. *Dominica Septuageſimæ.*
Neſcitis quòd ij *finis*, eſt Deo. 1. *Cor.* 9.
Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias qui exijt. *finis*, vero electi. *Matth.* 20. *Dominica Sexageſimæ.*
Libenter ſuffertis. *finis*, virtus Chriſti. 2. *Corinth.* 11. & 12.
Cum turba plurima. *finis*, afferunt in patientia. *Lucæ* 8. *Dominica Quinquageſimæ.*
Si linguis. *finis*, eſt charitas. 1. *Cor* 13.
Aſſumpſit Ieſus. *finis*, laudem Deo. *Lucæ* 18.
Feria

Feria iv. Cinerum.

Conuertimini ad me. *finis*, in Gentibus. *Ioel* 2.
Cum ieiunatis. *finis*, cor tuum. *Matth.* 8.

Feria v.

Ægrotauit Ezechias. *finis*, protegã eã. *Iſa.* 38.
Cũ introiſſet Ieſus. *finis*, in illa hora. *Matth.* 8.

Feria vi.

Clama, ne ceſſes. *finis*, miſericors ſum. *Iſaia* 58.
Audiſtis, quia dictum. *finis*, reddet tibi. *Matthei* 5. *Sabbato.*
Si abſtuleris. *finis*, locutus eſt. *Iſaia* 58.
Cum ſero eſſet. *finis*, ſalui fiebant. *Mar.* 6.

Dominica j. Quadrageſima.

Hortamur vos. *finis*. omnia poſſidentes. 2. *Corinth.* 6.
Ductus eſt Ieſus. *finis*, & miniſtrabant ei. *Math.* 4. *Feria ij.*
Ecce ego ipſe requiram. *finis*, in iudicio. *Ezechiel.* 34.
Cum venerit Filius hominis. *finis*, in vitam æternam. *Matth.* 25. *Feria iij.*
Quærite Dominum. *finis*, miſi illud. *Iſaiæ* 55.
Cum intraſſet Ieſus. *finis* ibique manſit. *Matth.* 21. *Feria iv.*
Venit Elias. *finis*, Dei Horeb. 3. *Regum* 19.
Acceſſerunt ad Ieſum. *finis*, & mater eſt. *Matth.* 12. *Feria v.*
Factus eſt ſermo Domini. *finis*, vita viuit. *Ezechiel.* 18.
Egreſſus Ieſus ſeceſſit. *finis*, ex illa hora. *Matth.* 15. *Feria vi.*
Anima quæ peccauerit. *finis*, non morietur. *Ezechiel.* 18.
Erat dies feſtus. *finis*, eum ſanum. *Ioan.* 5.

Sabbato.

Rogamus vos. *finis*, Chriſti ſeruetur. 1. *Theſſalon.* 5.
Aſſumpſit Ieſus. *finis*, à mortuis reſurgat. *Matth.* 17. *Dominica ij. Quadrageſima.*
Rogamus vos &c. *finis*, ſed in ſanctificationem. 1. *Theſſalon.* 4.
Aſſumpſit Ieſus. *finis*, à mortuis reſurgat. *Matth.* 17. *Feria ij.*
Orauit Daniel. *finis*, populum tuum. *Daniel.* 9.
Ego vado. *finis*, facio ſemper. Ioan. 8.

Feria iij.

Factus eſt ſermo Domini ad Eliam. *finis*, in manu Eliæ. 3. *Reg.* 17.
Super cathedram Moyſi. *finis*, exaltabitur. *Matth.* 23. *Feria iv.*
Orauit Mardochæus. *finis*, canentium te. *Eſther* 13.
Aſcendens Ieſus Ieroſolymam. *finis*, pro multis. *Matth.* 20. *Feria v.*
Maledictus homo. *finis*, adinuentionum ſuarum. *Ieremiæ* 17.
Homo quidam erat. *finis*, credent. *Lucæ* 16.

Feria vi.

Dixit Ioſeph fratribus ſuis. *finis*, patri ſuo. *Geneſ.* 37.
Homo erat paterfamilias. *finis*, eum habebant. *Matth.* 21. *Sabbato.*
Dixit Rebbecca. *finis*, benedictio tua. *Geneſ.* 27.
Homo quidam habuit duos filios. *finis*, inuentus eſt. *Lucæ* 15.

Dominica iij. Quadrageſima.

Eſtote imitatores. *finis*, & veritate. *Epheſ.* 5.
Erat Ieſus eijciens. *finis*, & cuſtodiunt illud. *Lucæ* 11. *Feria ij.*
Naaman princeps. *finis*, in Iſrael. 4. *Reg.* 5.
Vtique dicetis mihi. *finis*, illorum ibat. *Luca* 4. *Feria iij.*
Mulier quædam. *finis*, de reliquo. 4. *Reg.* 4.
Si peccauerit. *finis*, ſeptuagies ſepties. *Matth.* 18. *Feria iiij.*
Honora patrem tuum. *finis*, nominis mei. *Exod.* 20.
Quare diſcipuli tui transgrediuntur. *finis*, coinquinat hominem. *Matth.* 15.

Feria v.

Sta in porta. *finis*, vſque in ſæculum. *Ier.* 7.
Surgens Ieſus. *finis*, Galilææ. *Luca* 4.

Feria vi.

Conuenerunt. *finis*, in eis. *Numer.* 20.
Venit Ieſus in ciuitatẽ. *finis*, Saluator mundi. *Ioan.* 4. *Sabbato.*
Erat vir in Babylone. *finis*, in die illa. *Dan.* 13.
Perrexit Ieſus. *finis*, noli peccare. Ioan. 8.

Dominica iv. Quadrageſima.

Quoniã Abraham *finis*, nos liberauit. *Galat.* 4.
Abijt Ieſus tranſiens. *finis*, ipſe ſolus. Ioan. 6. *Feria ij.*
Venerunt duæ mulieres. *finis*, iudicium. 3. *Reg.* 3.
Prope erat Paſcha. *finis*, in homine. *Ioan.* 2.

Feria iij.

Deſcẽde de monte. *finis*, populo ſuo. *Exod.* 32.
Iam die feſto. *finis*, in eum. *Ioan.* 7.

Feria iv.

Lauamini mundi. *finis*, comedetis. *Iſa.* 1.
Prætериens Ieſus. *finis*, adorauit eum. *Ioan.* 9.

Feria v.

Venit mulier. *finis*, in Galgala. 4. Reg. 4.
Ibat Ieſus. *finis*, plebem ſuam. *Luc.* 7.

Feria vi.

Aegrotauit filius. *finis*, verum eſt. 3. *Reg.* 17.
Erat quidam languens. *finis*, in eum. *Ioan.* 11.

Sabbato.

In

In tempore placito, *finis*, obliuiſcar tui. *Iſaia.* 49.
Ego ſum lux mundi. *finis*, hora eius. *Ioan.* 8.

Dominica in Paſſione.

Chriſtus aſſiſtens. *finis*, æternæ hæreditatis. *Hebraeor.* 9.
Quis ex vobis arguet me. *finis*, exiuit de templo. *Ioan.* 8. *Feria ij.*
Surge & vade in Niniuen. *finis*, populo ſuo. *Iona* 3.
Miſerunt principes, *finis*, credentes in eum. *Ioan.* 7. *Feria iij.*
Congregati ſunt Babylonij. *finis*, de lacu leonum. *Daniel.* 14.
Ambulabat Ieſus in Galilæam. *finis*, metum Iudæorum. *Ioan.* 7. *Feria iv.*
Loquere ad vniuerſum. *finis*, meas cuſtodite. *Leuit.* 19.
Facta ſunt encænia. *finis*, ego in Patre. *Ioan.* 10.

Feria v.

Orauit Azarias *finis*, omnem terram. *Dan.* 3.
Rogabat Ieſum. *finis*, vade in pace. *Luca* 7.

Feria vi.

Domine omnes. *finis*, contere eos. *Ier.* 17.
Collegerunt Pontifices. *finis*, diſcipulis ſuis. *Ioan.* 11. *Sabbato.*
Venite cogitemus, *finis*, abutere eis. *Ierem.* 18.
Cogitauerunt principes. *finis*, ab eis. *Ioan.* 12.

Dominica in Ramis.

Hoc enim ſentite. *finis*, Dei Patris. *Philipp.* 2.
Cum appropinquaſſet. *finis*, in nomine Domini. *Matth.* 21.
Scitis quia poſt. *finis*, cum cuſtodibus. *Matth.* 26. & 27. *Feria ij.*
Dominus Deus aperuit. *finis*, Deum ſuum, &c. *Iſaiæ* 50.
Ante ſex dies Paſchæ. *finis*, à mortuis. *Ioan.* 12.

Feria iij.

Domine demonſtraſti. *finis*, cauſam meam, &c. *Ieremiæ* 11.
Erat Paſcha. *finis*, oſtium monumenti. *Marci* 14. & 14. *Feria iv.*
Domine, quis credidit. *finis*, rogauit. *Iſaia* 53.
Appropinquabat dies. *finis*, poſitus fuerat *Luca* 22. & 23. *Feria v. in Cœna Domini.*
Conuenientibus vobis. *finis*, damnemur. 1. *Cor.* 11.
Ante diem feſtum. *finis*, & vos faciatis. *Ioan.* 13.

Feria vi. in Paraſceue.

Menſis iſte. *finis*, tranſitus Domini. *Exod.* 12.
Egreſſus eſt Ieſus. *finis*, poſuerunt Ieſum. *Ioan.* 18. & 19. *Sabbato Sancto.*
Si conſurrexiſtis. *finis*, in gloria. *Col.* 3.
Veſpere autem. *finis*, prædixi vobis. *Matth.* 28.

In Die Paſchæ.

Expurgate vetus. *finis*, & veritatis. 1. *Cor.* 5.
Maria Magdalene. *finis*, dixit vobis. *Marc.* 16.

Feria ij.

Stans Petrus. *finis*, in eum. *Actor.* 10.
Duo ex diſcipulis. *finis*, fractione panis. *Luca* 24.

Feria iij.

Surgens Paulus *finis*, Chriſtum Dominum noſtrum. *Actor.* 13.
Stetit Ieſus. *finis*, in omnes gentes. *Luca* 24.

Feria iv.

Aperiens Petrus *finis*, peccata veſtra. *Actor.* 3.
Manifeſtauit ſe. *finis*, à mortuis. *Ioan.* 21.

Feria v.

Angelus Domini. *finis*, Ieſu Chriſti. *Actor.* 8.
Maria ſtabat. *finis*, dixit mihi. *Ioan.* 20.

Feria vi.

Chriſtus ſemel. *finis*, dextera Dei. 1. *Petri* 3.
Vndecim diſcipuli. *finis*, conſummationem ſæculi. *Matth.* 28. *Sabbato.*
Deponentes. *finis*, conſecuti. 1. *Petri* 2.
Vna Sabbati. *finis*, reſurgere. *Ioan.* 20.

Dominica in Octaua Paſchæ.

Omne quod natum. *finis*, Dei in ſe. 1. *Ioan.* 5.
Cum ſero eſſet. *finis*, in nomine eius. *Ioan.* 20.

Dominica 1. poſt Octa. Paſchæ.

Chriſtus paſſus. *finis*, animarum veſtrarum, &c. 1. *Petri* 2.
Ego ſum Paſtor bonus. *finis*, & vnus paſtor. *Ioan.* 10. *Dominica ij.*
Obſecro vos. *finis*, enim gratia. 1. *Petri* 2.
Modicum & iam. *finis*, tollet à vobis. *Ioan.* 16.

Dominica iij.

Omne datum. *finis*, animas veſtras. *Iacob* 1.
Vado ad eum. *finis*, annunciabit vobis. *Ioã.* 16.

Dominica iv.

Eſtote factores. *finis*, hoc ſæculo. *Iacobi* 1.
Si quid petieritis. *finis*, à Deo exiſti. *Ioan.* 16.

Feria ij. & iij. Rogationum.

Confitemini alterutrum. *finis*, peccatorum, &c. *Iacob.* 5.
Quis veſtrum habebit. *finis*, petentibus ſe, &c. *Luca* 11. *In Vigilia Aſcenſionis.*
Vnicuique noſtrum. *finis*, plenitudinis Chriſti. *Epheſior* 4.
Subleuatis oculis. *finis*, ad te venio. *Ioan.* 17.

In Aſcenſione Domini.

Primum quidem. *finis*, euntem in cælum, &c. *Actor.* 1.
Recumbentibus vndecim. *finis*, ſequentibus ſignis. *Marci* 16.

Dominica infra Octau. Aſcenſionis.

Eſtote prudentes. *finis*, honorificetur Deus. 1. *Petri* 4.

Cum

Cum venerit Paraclitus . *finis* , dixi vobis .
Ioan. 15. & 16. *In Vigilia Pentecoſtes* .
Cum Apollo. *finis* , regno Dei. *Act.* 19.
Si diligitis me. *finis*, me ipſum. *Ioan.* 14.
In die Pentecoſtes.
Dum cōplerentur. *finis*, magnalia Dei. *Actor.* 2.
Si quis diligit me. *finis*, ſic facio. *Ioan.* 14.
Feria ij.
Aperiens Petrus. *finis* , in nomine Domini. *Actor.* 10.
Sic Deus dilexit. *finis*, ſunt facta. *Ioan.* 3.
Feria iij.
Cum audiſſent Apoſtoli . *finis* , Spiritum ſanctum. *Act.* 8.
Qui non intrat per. *finis* , habeant. *Ioan.* 10.
Feria iv.
Per manus autem *finis* , omnes. *Act.* 5.
Nemo poteſt venire. *finis*, mundi vita. *Ioan.* 6.
Feria v.
Philippus deſcendens. *finis*, ciuitate. *Actor.* 8.
Conuocatis. *finis*, vbique . *Luca* 9.
Feria vi.
Exultate filiæ. *finis* , in æternum . *Ioelis* 2.
Factum eſt in vna. *finis*, mirabilia hodie. *Lucæ* 5.
Sabbato.
Iuſtificati. *finis* , datus eſt nobis . *Roman.* 5.
Surgens Ieſus. *finis*, Synagogis Galilææ. *Luca* 4.
In Feſto S. Trinitatis .
O altitudo. *finis* , Amen . *Rom.* 11.
Data eſt mihi. *finis*, ſæculi. *Matth.* 28.
In Feſto Corporis Chriſti .
Ego enim accepi . *finis*, corpus Domini. 1. *Corinth.* 11.
Caro mea vere. *finis*, in æternum . *Ioan.* 6.
Dominica infra Octa. Corporis Chriſti.
Nolite mirari *finis*, & veritate. 1. *Ioan.* 3.
Homo quidam fecit *finis*, cœnam meam . *Luca* 14. *Dominica i. poſt Octa. Trinitatis.*
Humiliamini. *finis* , Amen. 1. Petri 5.
Erant appropinquantes . *finis* , pœnitentiam agente . *Luca* 15. *Dominica ij.*
Exiſtimo quòd . *finis*, corporis noſtri. *Rom.* 8.
Cum turbæ irruerent . *finis*, ſunt eum. *Lucæ* 5.
Dominica iij.
Omnes vnanimes in . *finis*, cordibus veſtris. 1. *Petr.* 3.
Niſi abundauerit *finis*, munus tuum . *Matth.* 5.
Dominica iv.
Quicumque baptizati ſumus, *finis*, autem Deo. *Rom.* 6.
Cum turba multa eſſet . *finis* , dimiſit eos . *Marc.* 8. *Dominica v.*
Humanum dico. *finis* , vita æterna . *Rom.* 6.
Attendite à falſis . *finis* , regnum cælorum. *Matth.* 7. *Dominica vi.*
Debitores ſumus. *finis*, autem Chriſti. *Rom.* 8.
Homo quidam erat diues, qui habebat villicum. *finis*, tabernacula. *Lucæ* 16.
Dominica vij.
Non ſimus. *finis*, ſuſtinere. 1. *Cor.* 10.
Cum appropinquaret. *finis*, in templo. *Lucæ* 19.
Dominica viij.
Scitis quoniam. *finis*, prout vult. 1. *Corinth.* 12.
Dixit Ieſus ad quoſdam. *finis* , exaltabitur . *Lucæ* 18. *Dominica ix.*
Notum vobis. *finis*, non fuit. 1. *Cor.* 15.
Exiens Ieſus. *finis*, mutos loqui. *Marci* 7.
Dominica x.
Fiduciam talem. *finis*. in gloria . 2. *Corinth.* 3.
Beati oculi. *finis*, fac ſimiliter. *Lucæ* 10.
Dominica xi.
Abrahæ dictæ. *finis*, credentibus. *Galat* 3.
Cum iret Ieſus . *finis*, ſaluum fecit. *Luca* 17.
Dominica xij.
Spiritu ambulante. *finis*, concupiſcentijs . *Galat.* 5.
Nemo poteſt duobus. *finis*, adijcientur vobis. *Matth.* 6. *Dominica xiij.*
Si ſpiritu viuimus. *finis*, domeſticos fidei . *Galat.* 5. & 6.
Ibat Ieſus in ciuitatem. *finis*, plebem ſuam. *Luca* 7. *Dominica xiv.*
Obſecro vos, ne. *finis*, Amen. *Epheſ.* 3.
Cum intraret Ieſus. *finis*, exaltabitur. *Lucæ* 14. *Dominica xv.*
Obſecro vos ego. *finis*, nobis. *Epheſ.* 4.
Acceſſerunt ad Ieſum, *finis*, interrogare. *Matth.* 22. *Feria iv.*
Congregatus eſt omnis. *finis*, fortitudo noſtra. 2. *Eſdræ* 8.
Reſpondens vnus de turba . *finis* , & ieiunio. *Marc.* 9. *Feria vi.*
Conuertere Iſrael. *finis*, in eis . *Oſee* 14.
Rogabat Ieſum. *finis*, in pace. *Luca* 7.
Sabbato.
Tabernaculum. *finis* , inuenta. *Heb.* 9.
Arborem fici. *finis*, ab eo. *Luca* 13.
Dominica xvi.
Gratias ago, *finis*, aduentus Domini. 1. *Corinth.* 1.
Aſcendens Ieſus in nauiculam. *finis*, talem hominibus . *Matth.* 9.
Dominica xvij.
Renouamini *finis* , patienti. *Epheſ.* 4.
Homini regi, qui fecit nuptias. *finis* , vero electi. *Matth.* 22. *Dominica xviij.*
Videte quomodo. *finis* , in timore Chriſti . *Epheſ.* 5.

Erat

Erat quidam regulus. *finis*, eius tota. *Ioan.* 4.
Dominica xix.
Confortamini in Domiuo. *finis*, verbum Dei. *Epheſ.* 6.
Homini regi, qui voluit rationem. *finis*, de cordibus veſtris. *Matth.* 18.
Dominica xx.
Confidimus in Domino. *finis*, laudem Dei. *Philipp.* 1.
Abeuntes Phariſæi. *finis*, Dei, Deo. *Matth.* 22.
Dominica xxi.
Imitatores mei. *finis*, libro vitæ. *Philip.* 3. & 4.
Loquente Ieſu, ecce princeps. *finis*, terram illam. *Matth.* 9. *Dominica xxii.*
Non ceſſamus. *finis*, remiſsionem peccatorum. *Coloſſ.* 1.
Cum videritis abominationem. *finis*, non præteribunt. *Matth.* 24.
In Dedicatione, & Anniuerſario Dedicationis Eccleſiæ.
Vidi ciuitatem. *finis*, facio omnia. *Apocal.* 21.
Ingreſſus Ieſus perambulabat. *finis*, quod perierat. *Lucæ* 19.

INDEX.

EPISTOLARVM ET EVANGELIORVM

DE SANCTIS.

In Vigilia S. *Andreæ.*
Benedictio Domini. *finis*, coronam gloriæ. *Eccleſ.* 44. & 45.
Stabat Ioannes. *finis*, Filium hominis. *Ioan.* 1. *In die* S. *Andreæ Apoſtoli.*
Corde creditur. *finis*, verba eorum. *Rom.* 10.
Ambulans Ieſus. *finis*, ſecuti ſunt eum. *Matth.* 4.
December.
S. *Barbaræ virginis, & martyris.*
Qui gloriatur. *finis*, exhibere Chriſto. 1. *Corinth.* 10. & 11.
Theſauro abſcondito. *finis*, & vetera. *Matth*, 13.
S. Nicolai Epiſcopi, & confeſſoris.
Mementote præpoſitorum. *finis*, veſtris redditurі. *Hebræor.* 13.
Homo quidam peregre. *finis*, domini tui. *Matth.* 25.
In Ordinatione S. *Ambroſij.*
Teſtificor. *finis*, aduentum eius: 2. *Theſſal.* 4.
Vos eſtis ſal. *finis*, regno cælorum. *Matth.* 5.
In Sanctificatione B. Mariæ Virginis.
ut in eius Natiuitate.
S. *Damaſi Papæ, & confeſſoris.*
Plures facti. *finis*, ſe offerendo. *Hebr.* 7.
Vigilate, quia. *finis*, conſtituet eum. *Matth.* 24.
S. Luciæ virginis, & martyris.
ut in Feſto S. *Barbaræ.*
S. *Thomæ Apoſtoli.*
Iam non eſtis. *finis*, in Spiritu ſancto. *Epheſ.* 2.
Thomas vnus ex. *finis*, & crediderunt. *Ioan.* 20.
S. Stephani Protomart.
Stephanus plenus. *finis*, obdormiuit in Domino. *Actor.* 6. & 7.
Ecce ego mitto. *finis*, in nomine Domini. *Matth.* 23. *S. Ioannis Euangeliſtæ.*
Qui timet Deum. *finis*, hæreditabit illum. *Eccleſ.* 15.
Dixit Ieſus Petro: Sequere. *finis*, teſtimonium eius. *Ioan.* 21. *SS. Innocentium.*
Vidi ſupra montem. *finis*, ante thronum Dei. *Apocalyp.* 14.
Angelus Domini. *finis*, quia non ſunt. *Matth.* 2.
S. *Thomæ Epiſcopi, & martyris.*
Omnis Pontifex. *finis*, ordinem Melchiſedech. *Hebr.* 5.
Ego ſum paſtor. *finis*, & vnus paſtor. *Ioan.* 10.
S. Silueſtri Papæ, & confeſſoris.
Teſtificor. *finis*, aduentum eius. 2. *Tim.* 4.
Sint lumbi. *finis*, hominis veniet. *Luc.* 12.
Ianuarius.
S. *Raymundi confeſſoris.*
ut in feſto ſancti Thomæ de Aquino.
S. Hilarij Epiſc. & confeſſoris.
ut in Ordinatione S. Ambroſij.
S. *Mauri Abbatis.*
Dilectus Deo. *finis*, & diſciplinæ. *Eccleſ.* 45.

Ecce

Ecce nos relinquimus. *finis*, æternam poſsidebit. *Matth.* 19.

S. Marcelli Papæ & mart.

Benedictus Deus. *finis*, & conſolationis. *2. Corinth.* 1.

Si quis vult venire. *finis*, opera eius. *Matt.* 16.

S. Antonij Abbatis.

Dilectus Deo. *finis*, & diſciplinæ. *Eccleſ.* 45.

Sint lumbi. *finis*, hominis veniet. *Luca* 12.

S. Priſcæ virginis & martyris,
vt in Feſto S. Barbaræ.

S. Felicis martyris.

Mementote præpoſitorum. *finis*, veſtris reddituri. *Hebr.* 13.

Qui vos audit me. *finis*, in cælis. *Luc.* 10.

SS. Fabiani & Sebaſtiani mart.

Sancti per fidem. *finis*, inuenti ſunt. *Hebr.* 11.

Deſcendens Ieſus de monte. *finis*, eſt in cælo. *Luc.* 6.

S. Agnetis virginis & mart.

Confitebor tibi. *finis*, de manibus Gentium. *Eccleſ.* 51.

Decem virginibus. *finis*, neque horam. *Matth.* 25.

S. Vincentij martyris.

Beatus vir, qui in ſapientia. *finis*, hereditabit illum. *Eccleſ.* 14. & 15.

Niſi granum. *finis*, Pater meus. *Ioan.* 12. *vel* Cum audieritis prælia. *Luc.* 21.

S. Emerentianæ virg. & martyris.

Domine Deus exaltaſti. *finis*, nomini tuo. *Eccleſ.* 51.

Theſauro abſcondito. *finis*, & vetera. *Matth.* 13.

S. Timothei Epiſc. & mart.

Sectare iuſtitiam. *finis*, in ſempiternum. *1. Timoth.* 6.

Si quis venit ad me, & non odit. *finis*, eſſe diſcipulus. *Luc.* 14.

In Conuerſione S. Pauli Apoſt.

Saulus adhuc ſpirans, *finis*, hic eſt Chriſtus. *Actor.* 9.

Ecce nos reliquimus. *finis*, poſsidebit. *Matth.* 19.

S. Polycarpi Epiſcopi & mart.

Omnis, qui non eſt initiatus. *finis*, animas ponere. *1. Ioann.* 3.

Nihil opertum. *finis*, coram Patre meo. *Matth.* 10.

S. Ioannis Chryſoſtomi.

Teſtificor. *finis*, aduentum eius. *2. Timoth.* 4.

Vos eſtis ſal. *finis*, in regno cælorum. *Matt.* 5.

S. Agnetis ſecundo.

Qui gloriatur. *finis*, exhibere Chriſto. *2. Corinth.* 10. & 11.

Theſauro abſcondito. *finis*, noua & vetera. *Matth.* 13.

S. Pauli primi Eremitæ.

Quæ mihi fuerunt lucra. *finis*, comprehenſus ſum. *ad Philip.* 3.

Confiteor tibi. *finis*, meum leue. *Matt.* 11.

S. Iuliani Epiſcopi & confeſſoris.

Ecce Sacerdos magnus. *finis*, odorem ſuauitatis. *Eccleſ.* 44. & 45.

Sint lumbi. *finis*, hominis veniet. *Luca* 12.

Februarius.

S. Ignatij Epiſcopi & mart.

Quis nos ſeparabit. *finis*, Domino noſtro. *Rom.* 8.

Niſi granum frumenti. *finis*, Pater meus. *Ioan.* 12.

In Purificatione B. Mariæ Virginis.

Ecce ego mitto Angelum. *finis*, anni antiqui. *Malac.* 3.

Poſtquam impleti ſunt. *finis*, plebis tuæ Iſrael. *Luc.* 2.

S. Blaſij Epiſc. & mart.

Benedictus Deus. *finis*, & conſolationis. *2. Corinth.* 1.

Si quis vult venire poſt me. *finis*, ſecundum opera eius. *Matth.* 16.

S. Agathæ virg. & martyris.

Videte vocationem. *finis*, in Domino glorietur. *1. Corinth.* 1.

Si licet homini dimittere. *finis*, capere, capiat. *Matth.* 19.

S. Dorotheæ virginis & mart.

Domine Deus meus. *finis*, dicam nomini tuo. *Eccleſ.* 51.

Theſauro abſcondito. *finis*, noua & vetera. *Matth.* 13.

S. Romualdi Abbatis.
vt in feſto S. Mauri.

S. Apolloniæ virg. & mart.

Confitebor tibi. *finis*, de manibus gentium. *Eccleſ.* 51.

Decem virginibus. *finis*, neque horam. *Matth.* 25.

S. Scholaſticæ virginis.

Qui gloriatur. *finis*, exhibere Chriſto. *2. Corinth.* 10. & 11.

S. Valentini mart.

Iuſtum deduxit. *finis*, claritatem æternam. *Sapient.* 10.

Nolite arbitrari. *finis*, mercedem ſuam. *Matth.* 10.

Cathedra S. Petri Apoſtoli.

Petrus Apoſtolus. *finis*, in reuelatione. *1. Petri* 1.

Venit Ieſus in partes. *finis*, & in cælis. *Matth.* 16.

S. Matthiæ Apoſtoli.

Exurgens Petrus. *finis*, vndecim Apoſtolis. *Actor.* 1.

Confiteor tibi Pater. *finis*, meum leue. *Matth.* 11.

Martius.

S. Al-

S. Albini Epiſc. & confeſſoris.

Ecce Sacerdos. *finis*, odorem ſuauitatis. *Eccleſ.* 44 & 45.

Vigilate, quia. *finis*, conſtituet eum. *Matth.* 24.

S. Thomæ Aquinatis.

Optaui. *finis*, amicitiæ Dei. *Sap* 7.

Vos eſtis ſal. *finis*, in regno cælorum. *Matth.* 5.

S. Gregorij Papæ.

vt in Feſto S. Ioannis Chriſoſtomi.

S. Ioſeph Sponſi B. Mariæ.

Dilectus Deo. *finis*, & diſciplinæ. *Eccleſ.* 45.

Cum eſſet deſponſata. *finis*, à peccatis eorum. *Matth.* 1.

S. Benedicti Abbatis.

vt in Feſto S. Mauri.

In Annunciatione B. Mariæ.

Pete tibi ſignum. *finis*, eligere bonum. *Iſaiæ* 7.

Miſſus eſt Angelus. *finis*, verbum tuum.

S. Franciſci de Paula confeſſoris.

Speculum facti ſumus. *finis*, chariſſimos moneo. 1. *Corinth* 4.

Nolite timere puſillus. *finis*, veſtrum erit. *Lucæ* 11.

S. Ambroſij Epiſc. & confeſſ.

vt in Ordinatione eiuſdem.

S. Vincentij confeſſ.

Lucæ 1. *Aprilis.*

Vidi alterum Angelum. *finis*, & fontes aquarum. *Apocal.* 14.

Vos eſtis ſal. *finis*, in regno cælorum. *Matth.* 5.

SS. Tiburtij & Valeriani martt.

Stabunt iuſti. *finis*, ſors illorum eſt. *Sapient.* 5.

Ego ſum vitis vera. *finis*, & fiet vobis. *Ioan.* 15.

B. Agnetis de monte Politiano virg.

vt in Feſto S. Catharinæ Senenſis.

S. Georgij mart.

Memor eſto Dominum. *finis*, perſecutiones patiuntur. 2. *Timoth.* 2. & 3.

Ego ſum vitis vera. *finis*, & fiet vobis. *Ioan.* 15.

S. Adalberti Epiſc. & mart.

Beatus vir, qui in ſapientia. *finis*, hereditabit illum. *Eccleſ.* 44.

Facta eſt contentio. *finis*, tribus Iſrael. *Lucæ* 22. *S. Marci Euangel.*

Similitudo vultus. *finis*, fulguris coruſcantis. *Ezech.* 1.

Deſignauit Dominus. *finis*, regnum Dei. *Lucæ* 10. *S. Vitalis mart.*

vt in Feſto S. Georgij.

S. Petri martyris.

Nemo militans Deo. *finis*, gloria cæleſti. 1. *Timoth.* 2.

Si quis vult poſt me venire. *finis*, ſanctorum Angelorum. *Lucæ* 9. *Maius.*

SS. Apoſt. Philippi & Iacobi.

Stabunt iuſti. *finis*, ſors illorum eſt. *Sapient.* 5.

Non turbetur cor. *finis*, hoc faciam. *Ioan.* 14.

S. Antonini Archiepiſc. Florentini.

Ecce ſacerdos magnus. *finis*, odorem ſuauitatis. *Eccleſ.* 44. & 45.

Ego ſum paſtor bonus. *finis*, & vnus paſtor. *Ioan.* 10.

In Inuentione S. Crucis.

Hoc enim ſentite. *finis*, eſt Dei Patris. *Philipp.* 2.

Erat homo ex Phariſæis Nicodemus. *finis*, vitam æternam. *Ioan.* 3.

S. Catharinæ de Senis virginis.

Qui gloriatur. *finis*, exhibere Chriſto. 2. *Corinth.* 10. & 11.

Grano ſinapis. *finis*, à conſtitutione mundi. *Matth.* 13.

S. Athanaſij Epiſc. & confeſſ.

Non noſme ipſos prædicamus. *finis*, & conſtituet vobiſcum. 2. *Corinth.* 4.

Cum perſequentur vos. *finis*, in gehennam. *Matth.* 10.

S. Ioannis ante portam Latinam.

Stabunt iuſti. *finis*, ſors illorum eſt. *Sap.* 5.

Acceſſit ad Ieſum mater. *finis*, à Patre meo. *Matth.* 20. *S. Coronæ Domini.*

Lectulum Salomonis. *finis*, veni, coronaberis. *Cant.* 3. & 4.

Apprehendit Pilatus Ieſum. *finis*, purpureum veſtimentum. *Ioan.* 19.

In Apparitione S. Michaelis.

vt in alio Feſto ipſius.

S. Gregorij Nazianzeni.

Iuſtus cor ſuum tradet. *finis*, enunciabit Eccleſia. *Eccleſ.* 39.

Vos eſtis ſal terræ. *finis*, in regno cælorum. *Matt.* 5.

SS. Gordiani & Epimachi martyrum.

Poſt hæc ego Ioannes. *finis*, vocati ſunt. *Apocal.* 9.

Ego ſum vitis, vos palmites. *finis*, veſtrum impleatur. *Ioan.* 15.

S. Stanislai Epiſ. & mart.

Stabunt iuſti. *finis*, & ſors illorum eſt. *Sap.* 5.

Ego ſum vitis vera. *finis*, & fiet vobis. *Ioan.* 15.

SS. Nerei, Achillei, atque Pancratij, martyrum.

Stabunt iuſti. *vt in præced.*

Erat quidam regulus. *finis*, domus eius tota. *Ioan.* 4.

S. Seruatij Epiſcopi & confeſſoris.
vt in Feſto S. Medardi.
S. Pudentianæ virg.
vt in Feſto S. Scholaſticæ.
In Tranſlat. S. P. N. Dominici.
vt in præcipuo Feſto eiuſdem.
S. Vrbani Papæ & mart.
Benedictus Deus. *finis*, & conſolationis. *2. Corinth. 1.*
Homo quidam peregre. *finis*, domini tui. *Matth. 25.*
S. Petronillæ virginis.
De virginibus præceptum. *finis*, corpore, & ſpiritu. *1. Corinth. 7.*
Theſauro abſcondito. *finis*, noua, & vetera. *Matth. 13.*
Iunius.
SS. Marcellini & Petri mart.
Non ſunt condignæ. *finis*, corporis noſtri. *Roman. 8.*
Cum audieritis prælia. *finis*, animas veſtras. *Luc. 21.*
S. Medardi Epiſc. & confeſſ.
Ecce Sacerdos magnus. *finis*, odorem ſuauitatis. *Eccleſ. 44. & 45.*
Vigilate, quia. *finis*, conſtituet eum. *Matth. 24.*
SS. Primi & Feliciani martt.
Iuſti autem in perpetuum. *finis*, inexpugnabile æquitatem. *Sap. 5.*
Confiteor tibi Pater. *finis*, meum leue. *Matt. 11.*
S. Barnabæ Apoſtoli.
Multus numerus credentium. *finis*, dimiſerunt illos. *Act. 11.*
Ecce ego mitto vos ſicut oues. *finis*, hic ſaluus erit. *Matth. 10.*
SS. Baſilidis, & Cyrini, & ſociorum.
Rememoramini priſtinos. *finis*, ex fide viuit. *Hebr. 10.*
Sedente Ieſu ſuper montem Oliueti. *finis*, hic ſaluus erit. *Matth. 24.*
S. Antonij Patauini confeſſ.
Beatus vir qui inuentus. *finis*, Eccleſia Sanctorum. *Eccleſ. 31.*
Sint lumbi. *finis*, hominis veniet. *Luc. 12.*
S. Baſilij Epiſcopi & confeſſ.
Teſtificor. *finis*, aduentum eius. *2. Timoth. 4.*
Si quis venit ad me, & non odit. *finis*, audiendi audiat. *Luc. 14.*
SS. Viti, Modeſti, atque Creſcentiæ martt.
Iuſtificati ex fide. *finis*, datus eſt nobis. *Rom. 5.*
Qui vos audit, me audit. *finis*, ſcripta ſunt in cælis. *Luc. 10.*
S. Martialis Epiſcopi & confeſſ.
Ecce Sacerdos magnus. *finis*, odorem ſuauitatis. *Eccleſ. 44. & 45.*
Vigilate, quia. *finis*, conſtituet eum. *Matth. 24.*
SS. Marci & Marcelliani martt.
Iuſtorum animæ. *finis*, in perpetuum. *Sap. 3.*
Væ vobis, qui ædificatis. *finis*, ab hac generatione. *Luc. 11.*
SS. Geruaſij & Protaſij martt.
Communicantes Chriſti. *finis*, in benefactis. *1. Petri 4.*
Deſcendens Ieſus de monte. *finis*, eſt in cælo. *Luc 6.*
SS. Decem millium martt.
Sancti per fidem. *finis*, inuenti ſunt. *Hebr. 11.*
Cum audieritis prælia. *finis*, animas veſtras. *Luca 21.*
Vigilia S. Ioannis Baptiſtæ.
Priuſquàm te formarem. *finis*, & plantes. *Ierem. 1.*
Fuit in diebus Herodis. *finis*, plebem perfectam. *Luca 1.*
S. Ioannis Baptiſtæ.
Audite inſulæ. *finis*, elegit te. *Iſa. 49.*
Eliſabeth impletum. *finis*, plebis ſuæ. *Luc. 1.*
SS. Ioannis & Pauli martt.
Hi ſunt viri miſericordiæ. *finis*, Eccleſia ſanctorum. *Eccleſ. 44.*
Attendite à fermẽto. *finis*, Angelis Dei. *Luc. 12.*
Vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.
Petrus & Ioannes. *finis*, contigerat illi. *Actor. 3.*
Simon Ioannis diligis. *finis*, effet Deũ. *Ioan. 21.*
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.
Miſit Herodes. *finis*, plebis Iudæorum. *Act. 12.*
Venit Ieſus in partes. *finis*, & in cælis. *Matt. 16.*
Commemoratio S. Pauli Apoſtoli.
Notum vobis facio. *finis*, non mentior. *Galat. 1.*
Ecce ego mitto vos. *finis*, ſaluus erit. *Matth. 10.*
Iulius.
Viſitationis B. Mariæ Virg.
Ecce iſte venit. *finis*, tua decora. *Cantic. 2.*
Exurgens Maria. *finis*, ſalutari meo. *Luca 1.*
Octau. SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.
Hi ſunt viri miſericordiæ. *finis*, Eccleſia ſanctorum. *Eccleſ. 44.*
Iuſſit Ieſus diſcipulos. *finis*, Filius Dei es. *Matth. 14.*
SS. Septem Fratrum martt.
Mulierem fortem. *finis*, opera eius. *Prou. 31.*
Ecce mater eius, & fratres. *finis*, & mater eſt. *Matth. 12.*
S. Procopij Abbatis.
vt in Feſto S. Mauri.
S. Bonauenturæ. Epiſc. & confeſſ.
vt in Feſto S. Chryſoſtomi.
S. Alexij confeſſoris.
Eſt quæſtus magnus. *finis*, apprehende vitam. *1. Timoth. 6.*
Ecce nos reliquimus. *finis*, poſſidebit. Matt. 19.
S. Mar-

Digitized by Google

S. Margaritæ virg. & mart.
vt in Feſto S. Dorotheæ.
S. Praxedis virginis.
De virginibus præceptum. *finis*, corpore & ſpiritu. 1. *Cor.* 7.
Theſauro abſcondito. *finis*, noua & vetera. *Matt.* 13. *S. Mariæ Magdalenæ.*
Surgam & circuibo. *finis*, deſpiciet eam. *Cantic.* 3.
Rogabat Ieſum. *finis*, vade in pace. *Luc.* 7.
S. Iacobi Apoſtoli.
Puto quòd Deus. *finis*, vos genui. 1. *Cor.* 4.
Mater filiorum Zebedæi. *finis*, Patre meo. *Matt.* 20. *S. Annæ matris B. Virg. Mariæ.*
Mulierem fortem. *finis*, opera eius. *Prouerb.* 31.
Theſauro abſcondito. *finis*, & vetera. *Matt.* 13.
S. Marthæ virginis.
Qui gloriatur. *finis*, exhibere Chriſto. 2. *Cor.* 10. & 11.
Intrauit Ieſus in quoddam. *finis*, non auferetur ab ea. *Luc.* 10.
SS. Abdon & Sennen mart.
Exhibeamus nos. *finis*, omnia poſſidentes. 2. *Cor.* 6.
Videns Ieſus turbas. *finis*, copioſa eſt in cælis. *Matt.* 5.
S. Germani Epiſc. & confeſſ.
vt in Feſto S. Medardi.
Auguſtus.
Ad Vincula S. Petri Apoſtoli.
vt in alio Feſto ipſius.
S. Stephani Papæ & mart.
A Mileto Paulus. *finis*, & fidem in. *Actor.* 20.
Si quis vult. *finis*, opera eius. *Matt.* 16.
In Inuentione S. Stephani Protomart.
vt in alio Feſto ipſius.
S. P. N. *Dominici.*
Teſtificor. *finis*, aduentum eius. 2. *Timoth.* 4.
Vos eſtis ſal terræ. *finis*, in regno cælorum. *Matt.* 5. *In transfiguratione Domini.*
Non doctas fabulas. *finis*, cordibus veſtris. 2. *Petri* 1.
Aſſumpſit Ieſus Petrum. *finis*, à mortuis reſurgat. *Matt.* 17.
Vigilia S. Laurentij mart.
Confitebor tibi. *finis*, de manibus Gentium. *Eccleſ.* 51.
Si quis vult venire. *finis*, opera eius. *Matt.* 16.
S. Laurentij martyris.
Qui parce ſeminat. *finis*, iuſtitiæ veſtræ. 2. *Corinth.* 9.
Niſi granum frumenti. *finis*, Pater meus qui eſt. *Ioan.* 12. *SS. Hyppolit. & ſociorum mart.*
Sancti per fidem. *finis*, inuenti ſunt. *Heb.* 11.
B.P.
Attendite à fermẽto. *finis*, Angelis Dei. *Luc.* 12
Vigilia Aſſumptionis B. Mariæ Virg.
Ego quaſi vitis. *finis*, æternam habebunt. *Eccleſ.* 24.
Extollens vocem quædam. *finis*, & cuſtodiunt illud. *Luc.* 11.
Aſſumptionis B. Mariæ Virg.
In omnibus requiem. *finis*, ſuauitatem odoris. *Eccleſ.* 24.
Intrauit Ieſus in quoddam. *finis*, non auferetur ab ea. *Luc.* 10.
S. Hiacynthi confeſſoris.
Fiduciam habuimus in Deo. *finis*, facti eſtis. 1. *Theſſal.* 2.
Euntes prædicate. *finis*, cibo ſuo. *Matt.* 10.
S. Bernardi Abbatis.
Iuſtus cor ſuum. *finis*, enunciabit Eccleſia. *Eccleſ.* 39.
Ecce nos reliquimus. *finis*, æternam poſſidebit. *Matt.* 19.
S. Bartholomæi Apoſtoli.
Vos eſtis corpus Chriſti. *finis*, chariſmata meliora. 1. *Cor.* 12.
Exijt Ieſus in montem. *finis*, & ſanabat omnes. *Luc.* 6.
S. Ludouici Regis & confeſſoris.
Iuſtum deduxit. *finis*, claritatem æternam. *Sap.* 10.
Homo quidam nobilis abijt. *finis*, auferetur ab eo. *Luc.* 19.
S. Rufi Epiſcopi & martyris.
Beatus vir, qui inuentus. *finis*, omnis Eccleſia ſanctorum. *Eccleſ.* 31.
Nolite arbitrari. *finis*, mercedẽ ſuam. *Matt.* 10.
S. Auguſtini Epiſcopi & confeſſ.
vt in Feſto S. P. N. *Dominici.*
In Decollatione S. Ioannis Baptiſtæ.
Accinge lumbos tuos. *finis*, liberẽ te. *Ierem.* 1.
Miſit Herodes, ac tenuit. *finis*, in monumento. *Marc.* 6. *September.*
S. Aegidij Abbatis.
vt in Feſto S. Mauri Abbatis.
S. Marcellini martyris.
vt in Feſto S. Valentini mart.
In Natiuit. B. Mariæ Virginis.
Dominus poſſedit me. *finis*, ſalutem à Domino. *Prouerb.* 8.
Liber generationis. *finis*, qui vocatur Chriſtus. *Matt.* 1. *S. Nicolai Tolentinatis.*
Dilectus Deo. *finis*, & diſciplinæ. *Eccleſ.* 45.
Nolite timere puſillus. *finis*, veſtrũ erit. *Luc.* 12.
Exaltatio S. Crucis.
Chriſtus factus eſt. *finis*, eſt Dei Patris. *Philip.* 2.
Nunc iudiciũ eſt mũdi. *finis*, lucis ſitis. *Ioan.* 12.

S. *Euphemia Virg. & martyris.*
Confitebor tibi. *finis*, de manibus Gentium.
Eccleſ. 51.
Theſauro abſcondito. *finis*, noua & vetera.
Matth. 13. S. *Lamberti Epiſc. & mart.*
Beatus vir qui in ſapientia. *finis*, hereditabit illum. *Eccleſ.* 14. & 15.
Facta eſt contentio. *finis*, tribus Iſrael. *Luc.* 22.
SS. *Cornelij & Cypriani mart.*
Iuſtorum animæ. *finis*, in perpetuum. *Sap.* 3.
Cum audieritis prælia. *finis*, animas veſtras.
Luca 21. SS. *Ianuarij & ſociorum mart.*
Rememoramini priſtinos. *finis*, ex fide viuit.
Hebr. 10.
Sedente Ieſu ſuper montem. *finis*, hic ſaluus erit. *Matth.* 24.
Vigilia S. *Mathæi Apoſtoli.*
Benedictio Domini. *finis*, coronam gloriæ.
Eccleſ. 44. & 45.
Vidit Ieſus publicanum. *finis*, ad pœnitentiam. *Luca* 5. S. *Mathæi Apoſtoli.*
Similitudo vultus. *finis*, fulguris coruſcantis.
Ezechiel. 1.
Vidit Ieſus hominem ſedentem. *finis*, ſed peccatores. *Matth.* 9.
SS. *Mauritij & ſociorum mart.*
Reſpondit vnus. *finis*, ab oculis eorum. *Apoc.* 7.
Cum audieritis prælia. *finis*, animas veſtras.
Luca 21. SS. *Coſmæ & Damiani mart.*
Iuſti autem in perpetuum. *finis*, æquitatem.
Sapient. 5.
Deſcendens Ieſus de monte. *finis*, eſt in cælo.
Luc. 6. S. *Venceſlai mart.*
Beatus vir qui inuentus eſt. *finis*, Eccleſia ſanctorum. *Eccleſ.* 31.
Si quis vult venire poſt me. *finis*, opera eius.
Matth. 16. S. *Michaelis Archangeli.*
Significauit Deus. *finis*, ſanguine ſuo. *Apoc.* 1.
Quis putas, maior eſt. *finis*, qui eſt in cælis.
Matth. 18. S. *Hieronymi Presbyteri.*
vt in Feſto S. P. N. *Dominici.*
October.
vt in Feſto S. *Roſarij.*
vt in Natiuitate B. Mariæ Virginis.
S. *Franciſci confeſſ.*
Mihi autem abſit. *finis*, veſtro fratres. *Gal.* 6.
Confiteor. *vt in Feſto* S. *Matthiæ.*
SS. *Placidi & ſociorum mart.*
Iuſtorum animæ. *finis*, illorum in perpetuum.
Sapient. 3.
Cum audieritis prælia. *finis*, animas veſtras.
Luca 21.
S. *Marci Papæ & confeſſ.*
Plures facti ſunt. *finis*, ſe offerendo. *Hebr.* 7.

Vigilate. *finis*, conſtituet eum. *Matth.* 24.
S. *Remigij Epiſc. & confeſſ.*
Ecce Sacerdos. *finis*, odorem ſuauitatis.
Eccleſ. 44. & 45.
Homo quidam peregre. *finis*, gaudium domini tui. *Matth.* 25.
S. *Dioniſij & ſociorum mart.*
Stans Paulus in medio. *finis*, & alij cum eis.
Actor. 17.
Attendite à fermento. *finis*, Angelis Dei.
Luca 12. S. *Leodegarij Epiſc. & mart.*
vt in Feſto S. *Adalberti.*
S. *Eduardi Reg. & confeſſ.*
vt in Feſto S. *Ludouici Regis.*
S. *Calliſti Papæ & mart.*
Omnis Pontifex. *finis*, tanquã Aaron. *Hebr.* 5.
Nihil operum. *vt in* S. *Polycarpo.*
S. *Lucæ Euangel.*
Gratias ago Deo. *finis*, facie Eccleſiarum.
2. *Corinth.* 8.
Deſignauit Dominus. *finis*, in vos regnum Dei.
Luca 10.
SS. *Vndecim millium Virginum.*
vt in Feſto S. *Scholaſticæ.*
S. *Hilarionis Abbatis.*
vt in Feſto S. *Mauri.*
SS. *Criſpini & Criſpiniani mart.*
Iuſti autem in. *finis*, æquitatem. *Sapient.* 5.
Videns Ieſus turbas *finis*, eſt in cælis. *Matth.* 5.
Vigilia SS. *Apoſtol. Simonis & Iudæ.*
Spectaculum facti. *finis*, chariſſimos moneo.
1. *Corinth.* 4.
Ego ſum vitis vera. *finis*, & fiet vobis.
Ioan. 15.
SS. *Simonis & Iudæ Apoſtol.*
Vnicuique noſtrum. *finis*, plenitudinis Chriſti.
Epheſ. 4.
Hæc mando vobis. *finis*, me gratis. *Ioan.* 15.
Vigilia Omnium Sanctorum.
Ecce ego Ioannes vidi in medio. *finis*, & benedictionem. *Apocal.* 5.
Deſcendens Ieſus de monte. *finis*, eſt in cælis.
Luca 6. *Nouember.*
In Feſto Omnium Sanctorum.
Ecce ego Ioannes vidi alterum. *finis*, & fortitudo Deo noſtro. *Apoc.* 7.
Videns Ieſus turbas. *finis*, eſt in cælis.
Matth. 5.
In Die Animarum.
Ecce myſterium. *finis*, nobis victoriam.
1. *Corith.* 15.
Quia venit hora & nunc eſt. *finis*, reſurrectionem iudicij. *Ioan.* 5.
S. *Theodori mart.*

Bea-

Beatus homo, qui inuenit, *finis*, rore concreſcunt. *Prou.* 3.
Nihil opertum *vt in S. Polycarpo.*
SS. Quatuor Coronatorum.
Reddidit Deus iuſtis. *finis*, laudauerunt pariter. *Sap* 10.
Cum audieritis prælia. *vt in S. Placido.*
S. Martini Epiſcopi & confeſſ.
Ecce Sacerdos *vt in S. Remigio.*
Nemo accendit lucernam. *finis*, illuminabit te. *Luc.* 11. *S. Eliſabeth viduæ.*
Mulierem fortem. *vt in S. Anna.*
Reſpiciens Ieſus vidit eos. *finis*, habuit, miſit. *Luc.* 21.
In Præſentatione B. Mariæ Virg.
Ab initio & ante ſæcula. *finis*, detentio mea. *Eccleſ.* 24.
Extollens vocem quædam mulier. *finis*, & cuſtodiunt illud. *Luc.* 11.
S. Cæciliæ virg. & mart.
Domine Deus exaltaſti. *finis*, nomini tuo. *Eccleſ.* 51.
Decem virginibus. *vt in S. Catharina.*
S. Clementis Papæ & mart.
Imitatores mei eſtote. *finis*, in libro vitæ. *Phil.* 3. & 4.
Vigilate. *vt in S. Marco Papa.*
S. Chryſogoni mart.
Iuſtum deduxit. *vt in S. Ludouico.*
Nolite arbitrari. *vt in S. Ruffo.*
S. Catharinæ virg. & mart.
Confitebor. *finis*, de manibus Gentium. *Eccl.* 51.
Decem virginibus *finis*, neque horam. *Matt.* 25.
SS. Vitalis & Agricolæ mart.
Expectatio iuſtorum *finis*, exaltabitur ciuitas. *Prouerb.* 10. & 11.
Videns Ieſus turbas. *vt in die omnium Sanctorum.* *Miſſa votiua.*
De S. Trinitate.
Gaudete, perfecti. *finis*, omnibus vobis. 2. *Corinth.* 13.
Cum venerit Paraclytus, *finis*, dixi vobis. *Ioan.* 15. & 16.
De ſanctiſſimo Corpore Chriſti.
Ego enim accepi. *finis*, corpus Domini. 1. *Corinth.* 11.
Caro mea vere. *finis*, viuet in æternum. *Ioan.* 6.
De quinque Stigmatibus Domini.
Effundam ſuper domum. *finis*, diſpergentur oues. *Zach.* 12.
Sciens Ieſus quia omnia. *finis*, & verum eſt teſtimonium eius. *Ioan.* 19.
In honorem pœnarum D. N. Ieſu.
Domine quis credidit auditui. *finis*, & humiliatum. *Iſa.* 53.
Apprehendit Pilatus Ieſum. *finis*, medium autem Ieſum. *Ioan.* 19.
De S. Nomine Ieſu.
Petrus repletus Spiritu ſancto. *finis*, nos ſaluos fieri. *Actor.* 4.
Poſtquam conſummati ſunt. *finis*, in vtero conciperetur. *Luc.* 2. *De S. Cruce.*
Chriſtus factus eſt pro nobis obediens. *finis*, in gloria eſt Dei Patris. *Phil.* 3.
Aſſumpſit Ieſus. *finis*, & tertia die reſurget. *Matth.* 20. *De S. Spiritu.*
Cum audiſſent Apoſtoli. *finis*, & accipiebant Spiritum ſanctum. *Act.* 8.
Si quis diligit me. *finis*, ſic facio. *Ioan.* 14.
De B. Virgine per Aduentum.
Locutus eſt Dominus ad Achaz. *finis*, & eligere bonum. *Iſa* 7.
Miſſus eſt. *vt in Feſto Annunc.*
A Natiu. vſque ad Purificationem.
Apparuit benignitas. *finis*, ſpem vitæ æternæ. *Titum* 3.
Paſtores loquebantur. *finis*, ad illos. *Luc.* 2.
De Beata Virgine, à Purificatione, vſque ad Aduentum.
Ab initio. *finis*, detentio mea. *Eccl.* 24.
Extollens vocem. *finis*, & cuſtodiunt illud. *Luc.* 11. *Tempore Paſchali Euang.*
Stabat iuxta Crucem. *finis*, in ſua. *Ioan.* 19.
S. Roſarii per anni circulum.
Ego flos campi. *finis*, mel, & fauum. *Cant.* 2.
Iter faciebat Ieſus. *finis*, non intelligant. *Luc.* 8.
De S. Michaele Archangelo.
Factum eſt prælium magnum. *finis*, & qui habitatis in eis. *Apoc.* 12.
Reuerſi ſunt ſeptuaginta duo. *finis*, ſcripta ſunt in cælis. *Luc.* 10.
De S. Gabriele Archangelo.
Cum orarem &c. *finis*, vngatur ſanctus ſanctorum. *Dan.* 9.
Miſſus eſt Angelus. *vt in Feſto Annunciat.*
De S. Raphaele Archangelo.
Dixit Angelus Raphael ad Tob. *finis*, mirabilia eius. *Tob.* 12.
Erat dies feſtus Iudæorum. *finis*, detinebatur infirmitate. *Ioan.* 5.
Ad proprium Angelum cuſtodem.
Ecce ego mittam Angelum. *finis*, præcedetque te Angelus. *Exod.* 23.
Videte ne contemnatis. *finis*, vnus de puſillis iſtis. *Matt.* 18.
De SS. quindecim Auxiliatoribus.
Sancti per fidem. *finis*, probati. *Heb.* 11.
Confiteor tibi Pater. *finis*, & onus meum leue.

Digitized by Google

leue. *Matt.* 11.

Pro vnione Eccleſ. tempore Schiſmatis.

Obſecro vos vt digne. *finis*, eſt veritas in. *Epheſ.* 4.

Subleuatis Ieſus oculis in. *finis*, vt ſint conſummati in vnnm. *Ioan.* 17.

Pro eligendo ſummo Pontifice Sede vacante.

Adeamus cum fiducia ad thron. *finis*, pro reuerentia ſua. *Hebr.* 4.

Si diligitis me. *finis*, ei me ipſum. *Ioan.* 14.

Contra Turcas Epiſt. vt Feria iv. poſt ij. Dominicam Quadrageſ. Euangelium vt in Rogationibus.

Pro Pace.

Orationem faciebant Sacerdotes. *finis*, Dominus Deus veſter. 2. *Machab.* 1.

Cum ſero eſſet die illo. *finis*, retenta ſunt. *Ioan.* 20.

In tempore belli.

Acceſſerunt omnes principes. *finis*, vos faciam in terra veſtra. *Ierem.* 41.

Acceſſerunt ad Ieſum diſcipuli. *finis*, initia ſunt dolorum. *Matt.* 24.

Pro quacumque neceſſitate.

Si iniquitates noſtræ. *finis*, ne derelinquas nos. *Ierem.* 14.

Habete fidem Dei. *finis*, & euenient vobis. *Marc.* 11.

Pro pluuia.

Orauit Salomon ad Dominum. *finis*, ad poſſidendum. 2. *Paralip.* 6.

Diligite inimicos veſtros. *finis*, & iniuſtos. *Matt.* 5.

Pro ſerenitate.

Oculus meus afflictus eſt. *finis*, inuocaui te Domine Deus meus. *Tren.* 3.

Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi, & Sadducæi. *finis*, poteſtis ſcire. *Matt.* 16.

Pro conſeruandis fructibus terræ.

Locutus eſt Moyſes ad populum Iſrael, dicens. *finis*, operibus manuum tuarum. *Deut.* 28.

Simile factum eſt regnum cælorum homini qui ſeminauit. *finis*, in horreum meum. *Matt.* 13.

Pro iter agentibus.

Profectus Iſrael cum omnibus. *finis*, te reuertentem. *Gen.* 46.

Vtique dicetis. *finis*, Illorum ibat. *Luc.* 4.

Pro nauigantibus.

Orauit Ionas ad Dominum. *finis*, pro ſalute Domino. *Ionæ* 2.

Vna die cum ſero eſſet. *finis*, obediunt ei. *Marc.* 4.

Pro infirmis.

Triſtatur aliquis veſtrum. *finis*, vt ſaluemini. *Iac.* 5.

Euangelium vt in Feria v. poſt Cineres.

Pro vitanda mortalitate.

Immiſit Dominus peſtilentiam. *finis*, plaga ab Iſrael. 3. *Reg.* 24.

Surgens Ieſus de ſynagoga. *vt in v. Feria poſt iij. Dominic. Quadrageſ.*

Pro peccatis.

Condelector legi Dei. *finis*, Dominum noſtrum. *Rom.* 7.

Petite, & dabitur vobis. *finis*, petentibus ſe. *Luc.* 11.

Pro ſponſo & ſponſa.

Mulieres viris ſuis. *finis*, virum ſuum *Epheſ.* 5.

Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi tentantes. *finis*, homo non ſeparet. *Matt.* 19.

In Commemoratione omniũ Fidelium Defunctorũ.

Ecce myſterium. *finis*. nobis victoriam. 1 *Cor.* 15.

Quia venit hora & nunc eſt. *finis*, in reſurrectionem iudicij. *Ioan.* 5.

In die obitus Defuncti.

Nolumus vos ignorare. *finis*, in verbis iſtis. 1. *Theſſal.* 4.

Dixit Martha ad Ieſum. *finis*, in hunc mundum veniſti. *Ioan.* 11.

In Anniuerſario Defunctorum.

Vir fortiſſimus Iudas. *finis*, vt à peccatis ſoluantur. 2. *Machab.* 12.

Omne quod dat mihi. *finis*, in nouiſſimo die. *Ioan.* 6.

In Miſſis quotidianis Defunctorum.

Audiui vocem de cælo. *finis*, ſequuntur illos. *Apocal.* 14.

Ego ſum panis viuus. *finis*, eum in nouiſſimo die. *Ioan.* 6.

Pro Summo Pontifice vel Epiſcopo, vel Magiſtro Ordinis, vt in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

Digitized by Google

P S A L M O R V M.

A	
AD Dominum cum.	119.86
A te Dñe clamabo.	27.17
Ad te Dñe leuaui.	24.15
Ad te leuaui.	122.87
Afferte Domino.	28.18
Attendite popule.	77.50
Audite hæc.	48.31
B	
BEati immaculati.	118.70
Beati omnes.	127.88
Beatus, qui.	40.27
Beati, quorum.	31.20
Beatus vir, qui non abijt.	1.1
Beatus vir qui timet.	111.76
Benedic anima mea. j.	102.66
Benedic anima mea. ij.	103.67
Benedicam Dominum.	33.21
Benedictus Dominus.	143.95
Benedixiſti.	84.56
Bonum eſt confiteri.	91.61
C	
CAntate Domino. j.	95.63
Cantate Domino. ij.	97.64
Cantate Domino. iij.	149.98
Cæli enarrant.	18.11
Confitebimur tibi Deus.	74.48
Confitebor tibi Domine. j.	9.4
Confitebor tibi Domine. ij.	110.75
Confitebor tibi Domine. iij.	137.92
Confitemini Domino. j.	104.68
Confitemini Domino. ij.	105.70
Confitemini Domino. iij.	106.71
Confitemini Domino. iiij.	117.78
Confitemini Domino v.	135.91
Conſerua me Domine.	15.8
Credidi, propter quod.	115.77
Cum inuocarem.	4.2
D	
DEus auribus noſtris.	43.29
Deus deorum.	49.32
Deus Deus meus ad te.	62.39
Deus Deus meus reſpice.	21.14
Deus in adiutorium meum.	69.45
Deus in nomine tuo.	53.35
Deus iudicium tuum.	71.46
Deus laudem meam.	108.73
Deus miſereatur noſtri.	66.41
Deus noſter, refugium.	45.30
Deus, quis ſimilis.	82.55
Deus repuliſti nos.	59.38
Deus ſtetit in ſynagoga.	81.55
Deus, venerunt gentes.	78.53
Deus vltionum Dominus.	93.62
De profundis.	129.88
Dilexi, quoniam.	114.77
Diligam te Domine.	17.9
Dixi, Cuſtodiam.	38.26
Dixit Dominus Domino meo.	109.75
Dixit iniuſtus, vt.	35.23
Dixit inſipiens. j.	13.7
Dixit inſipiens. ij.	52.35
Domine clamaui ad te.	140.93
Domine Deus meus.	7.3
Domine Deus ſalutis meæ.	87.57
Domine Dominus noſter.	8.4
Domine exaudi orationẽ meam. j.	101.65
Domine exaudi orationẽ meam. ij.	142.94
Domine in virtute tua.	20.13
Domine ne in furore tuo. j.	6.3
Domine ne in furore tuo. ij.	37.25
Domine non eſt exaltatum.	130.89
Domine probaſti me.	138.91
Domine quid multiplicati.	3.2
Domine, quis habitabit.	14.7
Domine refugium factus.	89.60
Domini eſt terra.	23.15
Dominus illuminatio mea.	26.16

Do-

Dominus regit me.	22.15
Dominus regnauit,decorem.	92.61
Dominus regnauit,exultet.	96.63
Dominus regnauit,iraſcantur.	98.64
E	
Ecce nunc benedicite.	133.90
Ecce quàm bonum.	132.90
Eripe me Dñe ab homine malo.	139.93
Eripe me de inimicis meis.	58.37
Eructauit cor meum.	44.30
Exaltabo te Domine,quoniam.	29.18
Exaltabo te Deus meus Rex.	144.95
Exaudiat te Dominus.	19.12
Exaudi Deus deprecationẽ meam.	60.39
Exaudi Deus orationem meam.j.	54.35
Exaudi Deus orationem meam.ij.	63.40
Exaudi Domine iuſtitiam	16.8
Expectans expectaui.	39.26
Exultate Deo adiutori.	80.54
Exultate iuſti in.	32.20
Exurgat Deus.	67.42
F	
Fundamenta eius.	86.57
I	
Inclina Domine aurem.	85.53
In conuertendo.	125.87
In Domino confido.	10.3
In exitu Iſrael.	113.75
In te Domine ſperaui.j.	30.19
In te Domine ſperaui.ij.	70.45
Iubilate Deo omnis terra.j.	65.41
Iubilate Deo omnis terra.ij.	99.65
Iudica Domine nocentes.	34.22
Iudica me Deus,& diſcerne.	42.28
Iudica me Domine.	25.17
L	
Lauda anima mea Dominum.	145.96
Laudate Dominum de cælis.	148.97
Laudate Dñm in ſanctis eius.	150.98
Laudate Dominum omnes gentes.	116.78
Laudate Dñm quoniam bonus.	146.97
Lauda Ieruſalem Dominum.	147.97
Laudate nomen Domini.	134.90
Laudate pueri Dominum.	112.76
Lætatus ſum in his.	121.88
Leuaui oculos meos.	120.86
M	
Magnus Dominus.	47.31
Memento Domine Dauid.	131.89
Miſerere mei Deus. j.	50.33
Miſerere mei Deus. ij.	55.36
Miſerere mei Deus.iij.	56.37
Miſericordias Domini.	88.58
Miſericordiam & iudicium.	100.65
N	
Niſi Dominus ædificauerit.	126.88
Niſi quia Dominus erat.	123.87
Noli æmulari.	36.23
Nonne Deo ſubiecta.	61.39
Notus in Iudæa.	75.49
O	
Omnes gentes.	46.31
P	
Paratum cor meum.	107.73
Q	
Quam bonus Iſrael Deus.	72.47
Quàm dilecta.	83.55
Quare fremuerunt gentes.	2.1
Quemadmodum deſiderat.	41.28
Qui confidunt in Domino.	124.87
Qui habitat in adiutorio.	90.60
Qui regis Iſrael.	79.53
Quid gloriaris.	51.34
S	
Saluum me fac Deus.	68.43
Saluum me fac Domine.	11.6
Sæpe expugnauerunt me.	128.88
Si vere vtique iuſtitiam.	57.37
Super flumina Babylonis.	136.91
T	
Te decet hymnus Deus in.	64.40
V	
Venite exultemus Domino.	94.62
Verba mea auribus.	5.2
Voce mea ad Dominum.j.	76.49
Voce mea ad Dominum.ij.	141.94
Vſquequo Domine obliuiſceris.	12.7
Vt quid Deus repuliſti in finem.	73.48

Digitized by Google

INDEX CANTICORVM.

AVdite cæli quæ loquor. *Deut.* 32. 103
Benedicite omnia opera. *Daniel.* 3. 98
Benedictus Dñs Deus Iſrael. *Lucæ* 1. 105
Cantemus Domino. *Exod.* 15. 101
Confitebor tibi Dñe quoniam. *Iſa.* 12. 99
Dñe audiui auditionem. *Habac.* 3. 102
Ego dixi, In dimidio. *Iſa.* 38. 99
Exultauit cor meum. 1. *Reg.* 2. 100
Magnificat anima mea. *Lucæ* 1. 107
Nunc dimittis. *Lucæ* 2. 108
Quicumque vult ſaluus. 106
Te Deum laudamus. 105

INDEX HYMNORVM.

A

AD cœnam agni prouidi. 331
Adeſt triumphus. 669
Adeſto ſancta Trinitas. 379
Angularis fundamentum. 386
Antra deſerti. 704
A Patre Vnigenitus. 169
A ſolis ortus cardine. 157
Atræ noctis obſcuritas. 673
Audi benigne conditor. 246
Aurora lucis rutilat. 333
Aurea luce, & decore. 712
Aue maris ſtella. 620

B

BEata nobis gaudia. 369

C

CAterua matrum perſonat. 631
Catharinæ collaudemus. 880
Cæli ciues applaudite. 797
Chriſte Redemptor omniũ, Ex Patre. 148
Chriſte Redemptor omniũ conſerua. 854
Chriſte qui lux es, & dies. 246
Chriſte ſanctorum decus Angelorum. 829
Conditor alme ſiderum. 113
Cum ſol ad curſum. 675

D

DEus tuorum militum. 889
Doctor egregie. 610

E

ECce iam noctis. 192
Aeterna Chriſti munera Apoſtolorum. 887
Aeterna Chriſti munera, & Martyrũ. 893
Aeterne Rex altiſſime. 357
Aeterni Patris Vnice. 737
Aeterno Regi gloriæ. 685
Exultet mentis iubilo. 639
Exultet claro. 671
Exultet cælum laudibus. 885
Exultet laudibus ſacrata. 763

G

GAude mater Eccleſia. 778
Gaude mater pietatis. 758

H

HAec tua virgo. 679
Hoſtis Herodes. 165
Huius obtentu. 915
Hymnum nouæ lætitiæ. 760

I

IAm bone paſtor. 934
Iam Chriſte ſol iuſtitiæ. 251
Iam Chriſtus aſtra aſcen. 370
Iam ferox miles. 682
Iam lucis orto. 193
Ieſu corona virginum. 900
Ieſu noſtra redemptio. 332
Ieſu Redemptor omnium. 897
Ieſu Saluator ſæculi. 849
Impleta gaudent viſcera. 371
Iſte confeſſor. 895

L

LAuda fidelis concio. 687
Lauda mater Eccleſia lauda. 734
Lauda mater Eccleſia Thomæ. 644

Lau-

Laudibus virgo nimis. 680
Lucis creator optime. 196
Lumen in terris. 658
Luſtris ſex qui iam. 290

M

Magne dies lætitiæ. 669
Magne pater Auguſtine. 792
Magne Vincenti. 661
Martyr Dei, qui. 890
Memento ſalutis. 925
Mente iucunda. 657

N

Nocte ſurgentes vigilemus. 187
Nouus athleta Domini. 756
Nouum ſidus exoritur. 766
Nunc ſancte nobis Spiritus. 194

O

O Glorioſa Domina. 623
O lux beata Trinitas. 182
O nimis felix, meritique. 706
Originale crimen. 678
O Trinitas laudabilis. 384

P

Pange lingua glorioſi corporis. 387
Pange lingua glorioſi prælium. 286
Pange lingua glorioſæ virginis. 880
Pia mater, & humilis. 903
Præſens dies expendatur. 882

Q

Quem terra, pontus, æthera. 621

R

Rector potens verax Deus. 195
Rerum Deus tenax vigor. 195

S

Sacris ſolemnijs. 387
Salue crux ſancta. 676
Sanctorum meritis. 891
Sermone blando Angelus. 334
Summi largitor præmij. 247

T

Te lucis ante terminum. 185
Thomas inſignis genere. 640
Tibi Chriſte ſplendor. 825
Tibi Chriſte noſtrum. 359

V

Veni creator Spiritus. 373
Veni Redemptor. 147
Verbũ ſupernũ prodiens à Patre. 114
Verbum ſupernum prodiens nec. 392
Vexilla Regis. 285
Virginis proles. 898
Vox clara ecce intonat. 117
Vrbs Ieruſalem beata. 532
Vt Antonini gloriam. 673
Vt queant laxis. 704

Digitized by Google

BREVIARIVM IVXTA RITVM

Sacri Ordinis Prædicatorum.

PSALTERIVM DAVID.

Dominicis diebus ab Oct. Epiphaniæ vſque ad Septuageſimam excluſiue: & à **Deus omnium** vſq. ad Aduentũ, quando fit de Dominica, ad Matutinum, Inuitat. **Venite exultemus Domino: Iubilemus Deo ſalutari noſtro.**

Vbicumq. hæc littera **N.** in principio Pſalmi alicuius ponitur, indicat, Pſalmum illum non eſſe dicendũ in Matutinis, quando de Dominica, aut de Feria agitur.

IN I. NOCTVRNO. Pſalm. 1.

BEATVS vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit: & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Sed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum: quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Et folium eius non defluet: & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur.

Non ſic impij, non ſic: ſed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.

Ideo non reſurgent impij in iudicio: neque peccatores in concilio iuſtorũ.

Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum: & iter impiorum peribit.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſæcula ſæculorũ, Amen.

Hic Verſus, **Gloria Patri**, dicatur ſemper in fine cuiuſcumq. Pſalmi & Cantici, niſi aliter notetur: & niſi in fine Cantici **Benedicite.** & **Te Deũ.**

Pſalmus 2.

QVare fremuerunt gentes: & populi meditati ſunt inania?

Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum: aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.

Dirumpamus vincula eorũ: & proijciamus à nobis iugum ipſorum.

Qui habitat in cælis, irridebit eos: & Dominus ſubſannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua: & in furore ſuo conturbabit eos.

Ego autem conſtitutus ſum rex ab

Digitized by Google

eo ſuper Sion montem ſanctum eius: prædicans præceptum eius.
Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.
Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.
Reges eos in virga ferrea: & tamquã vas figuli confringes eos.
Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.
Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.
Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus: & pereatis de via iuſta.
Cum exarſerit in breui ira eius: beati omnes, qui confidunt in eo.

Pſalmus 3.

Domine, quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſum me.
Multi dicunt animæ meæ: Non eſt ſalus ipſi in Deo eius.
Tu autem Domine ſuſceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum.
Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.
Ego dormiui, & ſoporatus ſum: & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.
Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, ſaluum me fac Deus meus.
Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa: dentes peccatorum contriuiſti.
Domini eſt ſalus: & ſuper populum tuum benedictio tua.

N. Pſalmus 4.

Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti mihi.
Miſerere mei: & exaudi orationem meam.
Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?
Et ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum: Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum.
Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.
Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino: multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona?
Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo.
A fructu frumenti, vini, & olei ſui: multiplicati ſunt.
In pace in idipſum: dormiam, & requieſcam.
Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe: conſtituiſti me.

N. Pſalmus 5.

Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorẽ meum.
Intende voci orationis meæ: rex meus, & Deus meus.
Quoniam ad te orabo: Domine, mane exaudies vocem meam.
Mane aſtabo tibi, & videbo: quoniã non Deus volens iniquitatem tu es.
Neque habitabit iuxta te malignus: neque

neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos.

O diſti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

V irum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ.

I ntroibo in domū tuam: adorabo ad templum ſanctum tuū in timore tuo.

D omine, deduc me in iuſtitia tua propter inimicos meos: dirige in conſpectu tuo viam meam.

Q uoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt.

S epulchrum patens eſt guttur eorū, linguis ſuis doloſe agebant: iudica illos Deus.

D ecidant à cogitationibus ſuis, ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te Domine.

E t lætentur omnes, qui ſperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

E t gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iuſto.

Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ: coronaſti nos. *Pſalmus 6.*

D Omine, ne in furore tuo arguas me: neq. in ira tua corripias me.

M iſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

E t anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſquequo?

Conuertere Domine, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Q uoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

L aboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

T urbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.

D iſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

E xaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubeſcant valde velociter.

Dominica 3. poſt Octau. Epiph. & in ſeqq. vſque ad Dom. in Paſſione excluſiue, ſuper Pſal. Aña. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Dominica 3. poſt Oct. Trinit. & in ſeqq. vſque ad Aduentum excluſiue, ſuper Pſalm. Antiphona. Pro fidei meritis vocitatur iure beatus: Legem qui Domini meditatur nocte dieque. *Pſalmus 7.*

D Omine Deus meus, in te ſperaui: ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.

N e quando rapiat vt leo animam meam: dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat.

D omine Deus meus, ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis.

Perſequatur inimicus animam meã, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam: & gloriam meam in puluerem deducat.

Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.

Exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti: & ſynagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere: Dominus iudicat populos.

Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam: & ſecundum innocennocentiam meam ſuper me.

Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum: ſcrutans corda & renes Deus.

Iuſtum adiutorium meum à Domino: qui ſaluos facit rectos corde.

Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens: numquid iraſcitur per ſingulos dies?

Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, & parauit illum.

Et in eo parauit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit.

Ecce parturijt iniuſtitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam quam fecit.

Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

Confitebor Domino ſecundum iuſtitiam eius: & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Pſalmus 8.

Domine Dominus noſter: quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

Quoniam eleuata eſt magnificentia tua: ſuper cælos.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos: vt deſtruas inimicum & vltorem.

Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.

Quid eſt homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniã viſitas eũ?

Minuiſti eum paulo minus ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius: oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi.

Volucres cæli, & piſces maris: qui perambulant ſemitas maris.

Domine Dominus noſter: quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

Pſalmus 9.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

Lætabor & exultabo in te: pſallam nomini tuo Altiſſime.

In conuertendo inimicum meum retrorſum: infirmabuntur, & peribunt à facie tua.

Quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meam: ſediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam.

Increpaſti gentes, & perijt impius: nomen

nomen eorum delesti in æternum & in sæculum sæculi.
Inimici defecerunt frameæ in finem: & ciuitates eorum deſtruxiſti.
Perijt memoria eorum cum ſonitu:& Dominus in æternum permanet.
Parauit in iudicio thronum ſuum: & ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iuſtitia.
Et factus eſt Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.
Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum:quoniam nō dereliquiſti quærentes te Domine.
Pſallite Domino,qui habitat in Sion: annunciate inter gentes ſtudia eius.
Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt: & non eſt oblitus clamorem pauperum.
Miſerere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.
Qui exaltas me de portis mortis: vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.
Exultabo in ſalutari tuo: infixæ ſunt gentes in interitu quem fecerunt.
In laqueo iſto, quem abſconderunt: comprehenſus eſt pes eorum.
Cognoſcetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.
Conuertantur peccatores in infernum: omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum.
Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.
Exurge Domine, non cōfortetur homo:iudicētur gentes in cōſpectu tuo.
Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos: vt ſciant gentes quoniam homines ſunt.
Vt quid Domine receſſiſti longe:deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?
Dum ſuperbit impius,incēditur pauper: comprehenduntur in conſilijs, quibus cogitant.
Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ: & iniquus benedicitur.
Exacerbauit Dominū peccator: ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret.
Non eſt Deus in cōſpectu eius:inquinatæ ſunt viæ illius in omni tēpore.
Auferuntur iudicia tua à facie eius: omnium inimicorum ſuorum dominabitur.
Dixit enim in corde ſuo: Non mouebor à generatione in generationem, ſine malo.
Cuius malectione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo: ſub lingua eius labor & dolor.
Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis: vt interficiat innocentem.
Oculi eius pauperem reſpiciunt: inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua.
Inſidiatur vt rapiat pauperem: rapere pauperem, dum attrahit eum.
In laqueo ſuo humiliabit eum: inclinabit ſe,& cadet,cum dominatus fuerit pauperum.

D ixit enim in corde ſuo, Oblitus eſt Deus: auertit faciem ſuam, ne videat in finem.

E xurge Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliuiſcaris pauperum.

P ropter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde ſuo, Nõ requiret.

V ides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras: vt tradas eos in manus tuas.

T ibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor.

C ontere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius, & non inuenietur.

D ominus regnabit in æternum, & in ſæculum ſæculi: peribitis gentes de terra illius.

D eſiderium pauperũ exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

I udicare pupillo & humili: vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram. Pſalmus 10.

I N Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Tranſmigra in montem ſicut paſſer?

Q uoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra: vt ſagittent in obſcuro rectos corde.

Q uoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt: iuſtus autem quid fecit?

D ominus in templo ſancto ſuo: Dominus in cælo ſedes eius.

O culi eius in pauperem reſpiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.

D ominus interrogat iuſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

P luet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

Q uoniã iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.

Dominica j. poſt Octau. Epiph. & in ſequentibus vſq. ad Dominicam in Paſſione excluſiue, ſuper Pſal. Aña.

Domine Deus meus, in te ſperaui.

Dominica j. poſt Octau. Trinitat. & in ſequentibus ſuper Pſalm. Antiph.

Iuſte Deus, iudex fortis, patienſque benignus: In te ſperantes muni miſerando fideles. Pſalmus 11.

S Aluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus: quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum.

V ana locuti ſunt vnuſquiſq. ad proximum ſuum: labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.

D iſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa: & linguam magniloquam.

Q ui dixerunt, Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt: quis noſter Dominus eſt.

P ropter miſeriam inopum, & gemitum pauperum: nunc exurgam, dicit Dominus.

P onam in ſalutari: fiducialiter agam in eo.

E loquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.

T u Domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos: à generatione hac in æternum.

In

Digitized by Google

In circuitu impij ambulant: ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

Pſalmus 12.

VSquequo Domine obliuiſceris me in finem? vſquequo auertis faciem tuam à me.

Quamdiu ponam conſilia in anima mea: dolorem in corde meo per diẽ?

Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice, & exaudi me Domine Deus.

Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: nequãdo dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eũ.

Qui tribulant me exultabunt, ſi motus fuero: ego autem in miſericordia tua ſperaui.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mi hi: & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Pſalmus 13.

DIxit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.

Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum: vt videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Sepulchrum patens eſt guttur eorũ, linguis ſuis doloſe agebant: venenum aſpidum ſub labijs eorum.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.

Contritio & infelicitas in vijs eorũ, & viam pacis non cognouerunt: non eſt timor Dei ante oculos eorum.

Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem: qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis?

Dominũ non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore, vbi nõ erat timor.

Quoniam Dominus in generatione iuſta eſt, conſilium inopis confudiſtis: quoniam Dominus ſpes eius eſt.

Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael? cum auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael.

Pſalmus 14.

DOmine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?

Qui ingreditur ſine macula: & operatur iuſtitiam.

Qui loquitur veritatem in corde ſuo: qui non egit dolum in lingua ſua.

Nec fecit proximo ſuo malum: & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos.

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat.

Qui iurat proximo ſuo, & non decipit: qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.

Qui facit hæc: non mouebitur in æternum. Dominica 3. Aduentus, & in ſeqq. vſque ad Natiuit. Domini excluſiue, ſuper Pſalmos Antiphona.

Scientes quia hora eſt iam nos de-

Digitized by Google

Inclinauit cælos, & deſcendit: caligo ſub pedibus eius.
Et aſcendit ſuper Cherubim, & volauit: volauit ſuper pennas ventorum.
Et poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius: tenebroſa aqua in nubibus aeris,
Præ fulgore in conſpectu eius nubes träſierunt: grando, & carbones ignis.
Et intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam: grando, & carbones ignis.
Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.
Et apparuerunt fontes aquarum: & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum.
Ab increpatione tua Domine: ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.
Miſit de ſummo & accepit me: & aſſumpſit me de aquis multis.
Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & ab ijs qui oderunt me: quoniam confortati ſunt ſuper me.
Præuenerunt me in die afflictionis meæ: & factus eſt Dominus protector meus.
Et eduxit me in latitudinem: ſaluum me fecit, quoniam voluit me.
Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam: & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.
Quia cuſtodiui vias Domini: nec impie geſſi à Deo meo.
Quoniam omnia iudicia eius in cõſpectu meo: & iuſtitias eius non repuli à me.
Et ero immaculatus cum eo: & obſeruabo me ab iniquitate mea.
Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam: & ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum eius.
Cum ſancto ſanctus eris: & cum viro innocente innocens eris.
Et cum electo electus eris: & cum peruerſo peruerteris.
Quoniam tu populum humilem ſaluum facies: & oculos ſuperborum humiliabis.
Quoniã tu illuminas lucernã meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.
Quoniam in te eripiar à tentatione: & in Deo meo tranſgrediar murum.
Deus meus impolluta via eius, eloquia Domini igne examinata: protector eſt omnium ſperantium in ſe.
Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum noſtrum.
Deus, qui præcinxit me virtute: & poſuit immaculatam viam meam.
Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorũ: & ſuper excelſa ſtatuens me.
Qui docet manus meas ad prælium: & poſuiſti vt arcũ æreũ, brachia mea.
Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ: & dextera tua ſuſcepit me.
Et diſciplina tua correxit me in finẽ: & diſciplina tua ipſa me docebit.
Dilataſti greſſus meos ſubtus me: & non ſunt infirmata veſtigia mea.
Perſequar inimicos meos, & compre-

prehendam illos: & non conuertar donec deficiant.

Confringam illos, nec poterunt ſtare: cadent ſubtus pedes meos.

Et præcinxiſti me virtute ad bellum: & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me.

Et inimicos meos dediſti mihi dorſum: & odientes me diſperdidiſti.

Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad Dominũ: nec exaudiuit eos.

Et comminuam eos vt puluerem ante faciem venti: vt lutum platearum delebo eos.

Eripies me de contradictionibus populi: conſtitues me in caput gentium.

Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.

Filij alieni mẽtiti ſunt mihi: filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.

Viuit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltetur Deus ſalutis meæ.

Deus, qui das vindictas mihi, & ſubdis populos ſub me: liberator meus de inimicis meis iracundis.

Et ab inſurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me.

Propterea confitebor tibi in nationibus Domine: & nomini tuo pſalmum dicam.

Magnificans ſalutes Regis eius, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid: & ſemini eius vſque in ſæculũ. Dominica j. Aduent. & in ſequentibus vſque ad Natiuit. Domini excluſiue, ſuper Pſalm. Añа. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, & aperti ſunt oculi noſtri ſurgere ad Chriſtum: quia lux vera eſt fulgens in mundo. ℣. Egredietur virga de radice Ieſſe. ℟. Et flos de radice eius aſcendet. Dominica j. poſt Octauas Epiph. & ſeqq. vſque ad Dominicam in Paſſione excluſiue, ſuper Pſalm. Antiph. Dominus firmamentum meum, & refugium meum. ℣. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. ℟. Super iudicia iuſtificationis tuæ. A j. Domin. Quadrageſ. vſque ad Dominicam Paſſionis. ℣. Ipſe liberauit me de laqueo venantium. ℟. Et à verbo aſpero. Dominica in Paſſione, & in Ram. ſuper Pſal. Añа. Mittens hæc mulier in corpus meum hoc vnguentum, ad ſepeliendum me fecit. ℣. De ore leonis libera me Domine. ℟. Et à cornibus vnicornium humilitatem meam. Dominica j. poſt Octa. Trinit. & in ſeqq. vſque ad Aduentum excluſiue, ſuper Pſal. Aña. Tu populum humilem ſaluaſti à morte Redẽptor: Atq. ſuperba tuo colla premis iaculo. ℣. Media nocte.

IN III. NOCTVRNO.

Pſalmus 18.

Caeli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum.

Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam.

Non ſunt loquelæ, neque ſermones: quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

Index Hymnorum.

Laudibus virgo nimis. 680
Lucis creator optime. 196
Lumen in terris. 658
Luſtris ſex qui iam. 290

M

Magne dies lætitiæ. 669
Magne pater Auguſtine. 792
Magne Vincenti. 661
Martyr Dei, qui. 890
Memento ſalutis. 925
Mente iucunda. 657

N

Nocte ſurgentes vigilemus. 187
Nouus athleta Domini. 756
Nouum ſidus exoritur. 766
Nunc ſancte nobis Spiritus. 194

O

O Glorioſa Domina. 623
O lux beata Trinitas. 182
O nimis felix, meritique. 706
Originale crimen. 678
O Trinitas laudabilis. 384

P

Pange lingua glorioſi corporis. 387
Pange lingua glorioſi prælium. 286
Pange lingua glorioſæ virginis. 880
Pia mater, & humilis. 903
Præſens dies expendatur. 882

Q

Quem terra, pontus, æthera. 621

R

Rector potens verax Deus. 195
Rerum Deus tenax vigor. 195

S

Sacris ſolemnijs. 387
Salue crux ſancta. 676
Sanctorum meritis. 891
Sermone blando Angelus. 334
Summi largitor præmij. 247

T

Te lucis ante terminum. 185
Thomas inſignis genere. 640
Tibi Chriſte ſplendor. 825
Tibi Chriſte noſtrum. 359

V

Veni creator Spiritus. 373
Veni Redemptor. 147
Verbu& ſupernu& prodiens à Patre. 114
Verbum ſupernum prodiens nec. 392
Vexilla Regis. 285
Virginis proles. 898
Vox clara ecce intonat. 117
Vrbs Ieruſalem beata. 532
Vt Antonini gloriam. 673
Vt queant laxis. 704

BREVIARIVM
IVXTA RITVM
Sacri Ordinis Prædicatorum.
PSALTERIVM DAVID.

Dominicis diebus ab Oct. Epiphaniæ vſque ad Septuageſimam excluſiue: & à Deus omnium vſq. ad Aduentũ, quando fit de Dominica, ad Matutinum, Inuitat. Venite exultemus Domino: Iubilemus Deo ſalutari noſtro. Vbicumq. hæc littera N. in principio Pſalmi alicuius ponitur, indicat, Pſalmum illum non eſſe dicendũ in Matutinis, quando de Dominica, aut de Feria agitur.

IN I. NOCTVRNO. Pſalm. 1.

BEATVS vir qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit: & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.

Sed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum: quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

Et folium eius non defluet: & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur.

Non ſic impij, non ſic: ſed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.

Ideo non reſurgent impij in iudicio: neque peccatores in concilio iuſtorũ.

Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum: & iter impiorum peribit.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſæcula ſæculorũ, Amen.

Hic Verſus, Gloria Patri, dicatur ſemper in fine cuiuſcumq. Pſalmi & Cantici, niſi aliter notetur: & niſi in fine Cantici Benedicite. & Te Deũ.

Pſalmus 2.

QVare fremuerunt gentes: & populi meditati ſunt inania?

Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum: aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.

Dirumpamus vincula eorũ: & proijciamus à nobis iugum ipſorum.

Qui habitat in cælis, irridebit eos: & Dominus ſubſannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua: & in furore ſuo conturbabit eos.

Ego autem conſtitutus ſum rex ab

Digitized by Google

eo ſuper Sion montem ſanctum eius: prædicans præceptum eius.
Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.
Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.
Reges eos in virga ferrea: & tamquã vas figuli confringes eos.
Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.
Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.
Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus: & pereatis de via iuſta.
Cum exarſerit in breui ira eius: beati omnes, qui confidunt in eo.

Pſalmus 3.

Domine, quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſum me.
Multi dicunt animæ meæ: Non eſt ſalus ipſi in Deo eius.
Tu autem Domine ſuſceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum.
Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.
Ego dormiui, & ſoporatus ſum: & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.
Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, ſaluum me fac Deus meus.
Quoniam tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa: dentes peccatorum contriuiſti.
Domini eſt ſalus: & ſuper populum tuum benedictio tua.

N. Pſalmus 4.

Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti mihi.
Miſerere mei: & exaudi orationem meam.
Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?
Et ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum: Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum.
Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.
Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino: multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona?
Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo.
A fructu frumenti, vini, & olei ſui: multiplicati ſunt.
In pace in idipſum: dormiam, & requieſcam.
Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe: conſtituiſti me.

N. Pſalmus 5.

Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorẽ meum.
Intende voci orationis meæ: rex meus, & Deus meus.
Quoniam ad te orabo: Domine, mane exaudies vocem meam.
Mane aſtabo tibi, & videbo: quoniã non Deus volens iniquitatem tu es.
Neque habitabit iuxta te malignus:

neque

neque permanebunt iniuſti ante ocu los tuos.
O diſti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.
V irum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus: ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ.
I ntroibo in domũ tuam: adorabo ad templum ſanctum tuũ in timore tuo.
D omine, deduc me in iuſtitia tua propter inimicos meos: dirige in conſpectu tuo viam meam.
Q uoniam non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt.
S epulchrum patens eſt guttur eorũ, linguis ſuis doloſe agebant: iudica illos Deus.
Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te Domine.
Et lætentur omnes, qui ſperant in te: in æternum exultabunt, & habitabis in eis.
Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iuſto.
Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ: coronaſti nos. Pſalmus 6.

D Omine, ne in furore tuo arguas me: neq. in ira tua corripias me.
M iſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.
E t anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſquequo?
Conuertere Domine, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.
Q uoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?
L aboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.
T urbatus eſt à furore oculus meus: inueteraui inter omnes inimicos meos.
D iſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.
E xaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.
Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubeſcant valde velociter.
Dominica j. poſt Octau. Epiph. & in ſeqq vſque ad Dom. in Paſſione excluſiue, ſuper Pſal. Aña. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Dominica j. poſt Oct. Trinit. & in ſeqq. vſque ad Aduentum excluſiue, ſuper Pſalm. Antiphona. Pro fidei meritis vocitatur iure beatus: Legem qui Domini meditatur nocte dieque. Pſalmus 7.

D Omine Deus meus, in te ſperaui: ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me.
N e quando rapiat vt leo animam meam: dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat.
D omine Deus meus, ſi feci iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis.
Perſequatur inimicus animam meã, & comprehendat,& conculcet in terra vitam meam: & gloriam meam in puluerem deducat.
Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.
Exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti: & ſynagoga populorum circumdabit te.
Et propter hanc in altum regredere: Dominus iudicat populos.
Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam: & ſecundum innocennocentiam meam ſuper me.
Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum: ſcrutans corda & renes Deus.
Iuſtum adiutorium meum à Domino: qui ſaluos facit rectos corde.
Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens: numquid iraſcitur per ſingulos dies?
Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit, & parauit illum.
Et in eo parauit vaſa mortis: ſagittas ſuas ardentibus effecit.
Ecce parturijt iniuſtitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.
Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam quam fecit.
Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.
Confitebor Domino ſecundum iuſtitiam eius: & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Pſalmus 8.

Domine Dominus noſter: quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!
Quoniam eleuata eſt magnificentia tua: ſuper cælos.
Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos: vt deſtruas inimicum & vltorem.
Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti.
Quid eſt homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quoniã viſitas eũ?
Minuiſti eum paulo minus ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.
Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius: oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi.
Volucres cæli, & piſces maris: qui perambulant ſemitas maris.
Domine Dominus noſter: quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!

Pſalmus 9.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.
Lætabor & exultabo in te: pſallam nomini tuo Altiſſime.
In conuertendo inimicum meum retrorſum: infirmabuntur, & peribunt à facie tua.
Quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meam: ſediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam.
Increpaſti gentes, & perijt impius:

nomen

Digitized by Google

nomen eorum deleſti in æternum & in ſæculum ſæculi.
Inimici defecerunt frameæ in finem: & ciuitates eorum deſtruxiſti.
Perijt memoria eorum cum ſonitu:& Dominus in æternum permanet.
Parauit in iudicio thronum ſuum: & ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iuſtitia.
Et factus eſt Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.
Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum:quoniam nō dereliquiſti quærentes te Domine.
Pſallite Domino,qui habitat in Sion: annunciate inter gentes ſtudia eius.
Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt: & non eſt oblitus clamorem pauperum.
Miſerere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.
Qui exaltas me de portis mortis: vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.
Exultabo in ſalutari tuo: infixæ ſunt gentes in interitu quem fecerunt.
In laqueo iſto, quem abſconderunt: comprehenſus eſt pes eorum.
Cognoſcetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.
Conuertantur peccatores in infernum: omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deum.
Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.
Exurge Domine, non cōfortetur homo:iudicētur gentes in cōſpectu tuo.
Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos: vt ſciant gentes quoniam homines ſunt.
Vt quid Domine receſſiſti longe:deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?
Dum ſuperbit impius,incēditur pauper: comprehenduntur in conſilijs, quibus cogitant.
Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ: & iniquus benedicitur.
Exacerbauit Dominū peccator: ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret.
Non eſt Deus in cōſpectu eius:inquinatæ ſunt viæ illius in omni tēpore.
Auferuntur iudicia tua à facie eius: omnium inimicorum ſuorum dominabitur.
Dixit enim in corde ſuo: Non mouebor à generatione in generationem, ſine malo.
Cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo: ſub lingua eius labor & dolor.
Sedet in inſidijs cum diuitibus in occultis: vt interficiat innocentem.
Oculi eius pauperem reſpiciunt: inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua.
Inſidiatur vt rapiat pauperem: rapere pauperem, dum attrahit eum.
In laqueo ſuo humiliabit eum: inclinabit ſe,& cadet,cum dominatus fuerit pauperum.

Dixit enim in corde ſuo, Oblitus eſt Deus: auertit faciem ſuam, ne videat in finem.

Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliuiſcaris pauperum.

Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde ſuo, Nō requiret.

Vides, quoniam tu laborem & dolorem conſideras: vt tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus eſt pauper: orphano tu eris adiutor.

Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius, & non inuenietur.

Dominus regnabit in æternum, & in ſæculum ſæculi: peribitis gentes de terra illius.

Deſiderium pauperū exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

Iudicare pupillo & humili: vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram. Pſalmus 10.

IN Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: Tranſmigra in montem ſicut paſſer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra: vt ſagittent in obſcuro rectos corde.

Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt: iuſtus autem quid fecit?

Dominus in templo ſancto ſuo: Dominus in cælo ſedes eius.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.

Dominus interrogat iuſtum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniā iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.

Dominica j. poſt Octau. Epiph. & in ſequentibus vſq. ad Dominicam de Paſſione excluſiue, ſuper Pſal. Ant.

Domine Deus meus, in te ſperaui.

Dominica j. poſt Octau. Trinitat. & in ſequentibus ſuper Pſalm. Antiph.

Iuſte Deus, iudex fortis, patienſque benignus: In te ſperantes muni miſerando fideles. Pſalmus 11.

SAluum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus: quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum.

Vana locuti ſunt vnuſquiſq. ad proximum ſuum: labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt.

Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa: & linguam magniloquam.

Qui dixerunt, Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt: quis noſter Dominus eſt.

Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum: nunc exurgam, dicit Dominus.

Ponam in ſalutari: fiducialiter agam in eo.

Eloquia Domini, eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.

Tu Domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos: à generatione hac in æternum.

In

Digitized by Google

In circuitu impij ambulant: ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

Pſalmus 12.

Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? vſquequo auertis faciem tuam à me.

Quamdiu ponam conſilia in anima mea: dolorem in corde meo per diē?

Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice, & exaudi me Domine Deus.

Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: nequādo dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eū.

Qui tribulant me exultabunt, ſi motus fuero: ego autem in miſericordia tua ſperaui.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi: & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Pſalmus 13.

Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.

Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum: vt videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Sepulchrum patens eſt guttur eorū, linguis ſuis doloſe agebant: venenum aſpidum ſub labijs eorum.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.

Contritio & infelicitas in vijs eorū, & viam pacis non cognouerunt: non eſt timor Dei ante oculos eorum.

Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem: qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis?

Dominū non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore, vbi nō erat timor.

Quoniam Dominus in generatione iuſta eſt, conſilium inopis confudiſtis: quoniam Dominus ſpes eius eſt.

Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael? cum auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael.

Pſalmus 14.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?

Qui ingreditur ſine macula: & operatur iuſtitiam.

Qui loquitur veritatem in corde ſuo: qui non egit dolum in lingua ſua.

Nec fecit proximo ſuo malum: & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos.

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat.

Qui iurat proximo ſuo, & non decipit: qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.

Qui facit hæc: non mouebitur in æternum. Dominica 1. Aduentus, & in ſeqq. vſque ad Natiuit. Domini excluſiue, ſuper Pſalmos Antiphona.

Scientes quia hora eſt iam nos de-

ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cum credidimus. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. ℣. Ex Sion ſpecies decoris eius. ℟. Deus noſter manifeſte veniet. Dominica j. poſt Oct. Epiph. & in ſeqq. vſque ad Dominicam in Paſſione excluſiue, ſuper Pſal. Aña. Tu Domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos. ℣. Memor fui nocte nominis tui Domine. ℟. Et cuſtodiui legem tuam. A j. Dominica Quadrageſimæ, vſque ad Dominicam Paſſion. ℣. Dicet Domino: Suſceptor meus es tu. ℟. Et refugium meum Deus meus. Dominica in Paſſion. & in Ram. ſuper Pſal. Aña. Quid moleſti eſtis huic mulieri? bonum enim opus operata eſt in me. ℣. Erue à framea Deus animam meam. ℟. Et de manu canis vnicam meam. Dominica j. poſt Oct. Trinit. & in ſeqq. vſq. ad Aduent. excluſiue, ſuper Pſal. Aña. Surge, & in æternum ſerua munimine ſacro: Cuſtodique tuos aſtripotens famulos. ℣. Memor fui nocte.

IN II. NOCTVRNO.

Pſalmus 15.

Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te: dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui ſunt in terra eius: mirificauit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea accelerauerunt.

Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas mea præclara eſt mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: inſuper & vſque ad noctē increpuerunt me renes mei.

Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.

Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vſq. in finē.

Dominica j. poſt Oct. Epiph. & in ſeqq. vſque ad Dominicam in Paſſione excluſiue, ſuper Pſalm. Antiph. Bonorum meorum non indiges: in te ſperaui, conſerua me Domine.

Dominica j. poſt Oct. Trinit. & in ſeqq. vſque ad Aduent. excluſiue, ſuper Pſ. Aña. Naturæ Genitor conſerua à morte redemptos: Facque tuo dignos ſeruitio famulos.

Pſalmus 16.

Exaudi Domine iuſtitiam meam: intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam: non in labijs doloſis.

De vultu tuo iudicium meum prodeat:

deat: oculi tui videant æquitates.
Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.
Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.
Perfice greſſus meos in ſemitis tuis: vt non moueantur veſtigia mea.
Ego clamaui, quoniam exaudiſti me Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.
Mirifica miſericordias tuas: qui ſaluos facis ſperantes in te.
A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me: vt pupillam oculi.
Sub vmbra alarum tuarum protege me: à facie impiorum qui me afflixerunt.
Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem ſuum concluſerunt: os eorũ locutum eſt ſuperbiã.
Proijcientes me nunc circumdederunt me: oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.
Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam: & ſicut catulus leonis habitans in abditis.
Exurge Domine, præueni eum, & ſupplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.
Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum: de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum.
Saturati ſunt filijs: & dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis.
Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo: ſatiabor cum apparuerit gloria tua.

Dominica j post Oct. Epiph. & in ſeqq. vſque ad Dominic. in Paſſion. excluſiue, ſuper Pſalm. Antiphona. Inclina Domine aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Dominica j. poſt Oct. Trinit. & in ſeqq. vſque ad Aduent. excluſiue, ſuper Pſal. Aña. Pectora noſtra tibi tu Conditor orbis, adure: Igne pio purgans, atque cremando probans. Pſalmus 17.

Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.
Deus meus, adiutor meus: & ſperabo in eum.
Protector meus, & cornu ſalutis meæ: & ſuſceptor meus.
Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero.
Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.
Dolores inferni circumdederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.
In tribulatione mea inuocaui Dominum: & ad Deum meum clamaui.
Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam: & clamor meus in conſpectu eius introiuit in aures eius.
Cõmota eſt, & contremuit terra: fundamenta montiũ conturbata ſunt: & commota ſunt, quoniã iratus eſt eis.
Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

In-

Inclinauit cælos, & deſcendit: caligo ſub pedibus eius.
Et aſcendit ſuper Cherubim, & volauit: volauit ſuper pennas ventorum.
Et poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius: tenebroſa aqua in nubibus aeris.
Præ fulgore in conſpectu eius nubes trãſierunt: grando, & carbones ignis.
Et intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam: grando, & carbones ignis.
Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.
Et apparuerunt fontes aquarum: & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum.
Ab increpatione tua Domine: ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.
Miſit de ſummo & accepit me: & aſſumpſit me de aquis multis.
Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & ab ijs qui oderunt me: quoniam confortati ſunt ſuper me.
Præuenerunt me in die afflictionis meæ: & factus eſt Dominus protector meus.
Et eduxit me in latitudinem: ſaluum me fecit, quoniam voluit me.
Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam: & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.
Quia cuſtodiui vias Domini: nec impie geſſi à Deo meo.
Quoniam omnia iudicia eius in cõſpectu meo: & iuſtitias eius non repuli à me.
Et ero immaculatus cum eo: & obſeruabo me ab iniquitate mea.
Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam: & ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum eius.
Cum ſancto ſanctus eris: & cum viro innocente innocens eris.
Et cum electo electus eris: & cum peruerſo peruerteris.
Quoniam tu populum humilem ſaluum facies: & oculos ſuperborum humiliabis.
Quoniã tu illuminas lucernã meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.
Quoniam in te eripiar à tentatione: & in Deo meo tranſgrediar murum.
Deus meus impolluta via eius, eloquia Domini igne examinata: protector eſt omnium ſperantium in ſe.
Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum noſtrum.
Deus, qui præcinxit me virtute: & poſuit immaculatam viam meam.
Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorũ: & ſuper excelſa ſtatuens me.
Qui docet manus meas ad prælium: & poſuiſti vt arcũ æreũ, brachia mea.
Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ: & dextera tua ſuſcepit me.
Et diſciplina tua correxit me in finẽ: & diſciplina tua ipſa me docebit.
Dilataſti greſſus meos ſubtus me: & non ſunt infirmata veſtigia mea.
Perſequar inimicos meos, & compre-

prehendam illos: & non conuertar donec deficiant.
Confringam illos, nec poterunt ſtare: cadent ſubtus pedes meos.
Et præcinxiſti me virtute ad bellum: & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me.
Et inimicos meos dediſti mihi dorſum: & odientes me diſperdidiſti.
Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad Dominũ: nec exaudiuit eos.
Et comminuam eos vt puluerem ante faciem venti: vt lutum platearum delebo eos.
Eripies me de contradictionibus populi: conſtitues me in caput gentium.
Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.
Filij alieni mẽtiti ſunt mihi: filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.
Viuit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltetur Deus ſalutis meæ.
Deus, qui das vindictas mihi, & ſubdis populos ſub me: liberator meus de inimicis meis iracundis.
Et ab inſurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me.
Propterea confitebor tibi in nationibus Domine: & nomini tuo pſalmum dicam.
Magnificans ſalutes Regis eius, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid: & ſemini eius vſque in ſæculũ.
Dominica j. Aduent. & in ſequentibus vſque ad Natiuit. Domini excluſiue, ſuper Pſalm. Aña. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere, & aperti ſunt oculi noſtri ſurgere ad Chriſtum: quia lux vera eſt fulgens in mundo. ℣. Egredietur virga de radice Ieſſe. ℟. Et flos de radice eius aſcendet. Dominica j. poſt Octauas Epiph. & ſeqq. vſque ad Dominicam in Paſſione excluſiue, ſuper Pſalm. Antiph. Dominus firmamentum meum, & refugium meum. ℣. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. ℟. Super iudicia iuſtificationis tuæ. A j. Domin. Quadrageſ. vſque ad Dominicam Paſſionis. ℣. Ipſe liberauit me de laqueo venantium. ℟. Et à verbo aſpero. Dominica in Paſſione, & in Ram. ſuper Pſal. Aña. Mittens hæc mulier in corpus meum hoc vnguentum, ad ſepeliendum me fecit. ℣. De ore leonis libera me Domine. ℟. Et à cornibus vnicornium humilitatem meam. Dominica j. poſt Octa. Trinit. & in ſeqq. vſque ad Aduentum excluſiue, ſuper Pſal. Aña. Tu populum humilem ſaluaſti à morte Redẽptor: Atq. ſuperba tuo colla premis iaculo. ℣. Media nocte.

IN III. NOCTVRNO.

Pſalmus 18.

Caeli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum.
Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam.
Non ſunt loquelæ, neque ſermones: quorum non audiantur voces eorum.
In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.

Exultauit vt gigas ad currendam viam: à ſummo cælo egreſſio eius.

Et occurſus eius vſque ad ſummum eius: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

Lex Domini immaculata, conuertẽs animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.

Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos.

Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi: iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſa.

Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum: dulciora ſuper mel & fauum.

Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea: in cuſtodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me: & ab alienis parce ſeruo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo.

Et erunt vt complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Domine adiutor meus: & redemptor meus. Dominica j. poſt Oct. Epiph. & in ſeqq. vſque ad Dominicam in Paſſione excluſiue, ſuper Pſal. Aña.

Non ſunt loquelæ neque ſermones: quorum non audiantur voces eorum. Dominica j. poſt Oct. Trinit. & in ſeqq. vſque ad Aduentum excluſiue, ſuper Pſal. Aña. Sponſus vt è thalamo proceſſit Chriſtus in orbem: Deſcendens cælo iure ſalutifero.

Pſalmus 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.

Mittat tibi auxilium de ſancto: & de Sion tueatur te.

Memor ſit omnis ſacrificij tui: & holocauſtum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet.

Lætabimur in ſalutari tuo: & in nomine Dei noſtri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui, quoniam ſaluum fecit Dominus Chriſtum ſuum.

Exaudiet illum de cælo ſancto ſuo: in potentatibus ſalus dexteræ eius.

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.

Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.

Domine ſaluum fac Regem: & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.

Dominica j. poſt Oct. Epiph. & ſeqq. vſque ad Dominicam in Paſſione excluſiue, ſuper Pſal. Aña **Exaudiat te Dominus in die tribulationis.**

Dominica j. poſt Octau. Trinit. & in ſeqq. vſque ad Aduentum excluſiue, ſuper Pſal. Aña. **Auxilium nobis Saluator mitte ſalutis: Et tribuas vitam tempore perpetuo.**

Pſalmus 20.

DOmine in virtute tua lætabitur rex: & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer.

Deſiderium cordis eius tribuiſti ei: & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.

Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite eius coronā de lapide pretioſo.

Vitam petijt à te: & tribuiſti ei longitudinem dierum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo: gloriam & magnum decorem impones ſuper eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in ſæculum ſæculi: lætificabis eū in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex ſperat in Domino: & in miſericordia Altiſſimi non commouebitur.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.

Pones eos vt clibanū ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes: & ſemen eorum à filis hominum.

Quoniam declinauerunt in te mala: cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.

Quoniam pones eos dorſum: in reliquijs tuis præparabis vultum eorū.

Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus, & pſallemus virtutes tuas.

Dominica j. Aduentus & in ſeqq. vſque ad Natiuitat. Domini excluſiue, ſuper Pſalmos Antiphona.

Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeſte ambulemus. ℣. Egredietur Dominus de loco ſancto ſuo. ℟. Veniet vt ſaluet populū ſuū. Dominica j. poſt Oct. Epiph. & in ſeqq. vſque ad Dominicam in Paſſione excluſiue, ſuper Pſalm. Antiph.

Domine in virtute tua lætabitur Rex. ℣. Exaltare Domine in virtute tua. ℟. Cantabimus & pſallemus virtutes tuas. A j. Dominica Quadrageſ. vſque ad Domin. Paſſionis. ℣. Scapulis ſuis obumbrabit tibi. ℟. Et ſub pennis eius ſperabis. Dominica in Paſſione, & in Ram. ſuper Pſal. Aña.

Magiſter dicit: Tempus meum prope eſt: apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. ℣. Ne perdas cum impijs Deus animam meam. ℟. Et cum viris ſanguinum vitam meam. Domimica j. poſt Octa. Trinit. & in ſeqq. vſque ad Aduentum excluſiue, ſuper Pſal. Aña. Rex ſine fine manens, miſeris tu parce ruinis: Præmia concedens, & tua cuncta regens. ℣. Exaltare Domine. In Laudibus. Dominicis diebus ab Octaua Epiph. vſque ad Septuageſimam excluſiue, & à Deus omnium. Vſque ad Aduentum quando de Dominica agitur, in Laudibus ſuper Pſal. Antiph. Regnauit Dominus præcinctus fortitudine cū decore virtutum: cuius ſedes parata eſt in æternum.

Pſal-

Digitized by Google

Pſalmus 21.

Deus Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti? longe à ſalute mea verba delictorũ meorũ.

Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad inſipientiam mihi.

Tu autem in ſancto habitas: Laus Iſrael.

In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos.

Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſũt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.

Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Omnes videntes me, deriſerunt me: locuti ſunt labijs, & mouerunt caput.

Sperauit in Domino, eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniã vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab vberibus matris meæ.

In te proiectus ſum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu: ne diſceſſeris à me.

Quoniam tribulatio proxima eſt: quoniam non eſt qui adiuuet.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me.

Aperuerunt ſuper me os ſuum: ſicut leo rapiens & rugiens.

Sicut aqua effuſus ſum: & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.

Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens: in medio ventris mei.

Aruit tamquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxiſti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me.

Foderũt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea.

Ipſi vero conſiderauerunt & inſpexerunt me: diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

Tu autem Domine, ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice.

Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam.

Salua me ex ore leonis: & à cornibus vnicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuũ fratribus meis: in medio eccleſiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: vniuerſũ ſemẽ Iacob glorificate eum.

Timeat eum omne ſemen Iſrael: quoniam non ſpreuit, neque deſpexit deprecationem pauperis.

Nec auertit faciem ſuam à me: & cũ clamarem ad eum, exaudiuit me.

Apud te laus mea in eccleſia magna: vota mea reddam in conſpectu timentium eum.

Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum: viuent corda eorum in ſæculum ſæculi.

Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum: vniuerſi fines terræ.

Et adorabunt in conſpectu eius: vniuerſæ familiæ gentium.

Quoniam Dominĩ eſt regnum & ipſe

ſe dominabitur gentium.

Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ: in conſpectu eius cadent omnes, qui deſcendunt in terram.

Et anima mea illi viuet: & ſemen meum ſeruiet ipſi.

Annunciabitur Domino generatio ventura: & annunciabunt cæli iuſtitiam eius, populo qui naſcetur, quem fecit Dominus.

Pſalmus 22.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit.

Super aquã refectionis educauit me: animam meam conuertit.

Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ: & propter nomen ſuum.

Nam & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua, & baculus tuus: ipſa me conſolata ſunt.

Paraſti in conſpectu meo menſam: aduerſus eos qui tribulant me.

Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians, quàm præclarus eſt!

Et miſericordia tua ſubſequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

Et vt inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

Pſalmus 23.

DOmini eſt terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo.

Quia ipſe ſuper maria fundauit eum: & ſuper flumina præparauit eum.

Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto eius?

Innocens manibus & mundo corde: qui non accepit in vano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

Hæc eſt generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.

Attolite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Pſalmus 24.

AD te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam.

Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuerſi, qui ſuſtinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes: ſuperuacue.

Vias tuas Domine demonſtra mihi: & ſemitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die.

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine: & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt.

D eli-

Delicta iuuentutis meæ: & ignorantias meas ne memineris.
Secundum miſericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.
Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legē dabit delinquentibus in via.
Diriget manſuetos in iudicio: docebit mites vias ſuas.
Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas: requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius.
Propter nomen tuū Domine propitiaberis peccato meo: multū eſt enim.
Quis eſt homo qui timet Dominum? legem ſtatuit ei in via, quam elegit.
Anima eius in bonis demorabitur: & ſemen eius hereditabit terram.
Firmamentum eſt Dominus timentibus eum: & teſtamentum ipſius vt manifeſtetur illis.
Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.
Reſpice in me, & miſerere mei: quia vnicus & pauper ſum ego.
Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.
Vide humilitatem meam & laborem meum: & dimitte vniuerſa peccata mea.
Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt: & odio iniquo oderunt me.
Cuſtodi animam meam, & erue me: non erubeſcam, quoniā ſperaui in te.
Innocentes & recti adhæſerunt mihi: quia ſuſtinui te.
Libera Deus Iſrael: ex omnibus tribulationibus ſuis. Pſalmus 25.

Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum: & in Domino ſperans nō infirmabor.
Proba me Domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meum.
Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt: & complacui in veritate tua.
Non ſedi cum concilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo.
Odiui eccleſiam malignantium: & cum impijs non ſedebo.
Lauabo inter innocētes manus meas: & circumdabo altare tuum Domine.
Vt audiam vocem laudis: & enarrem vniuerſa mirabilia tua.
Domine dilexi decorem domus tuæ: & locum habitationis gloriæ tuæ.
Ne perdas cum impijs Deus animā meam: & cum viris ſanguinum vitam meam.
In quorum manibus iniquitates ſunt: dextera eorum repleta eſt muneribus.
Ego autem in innocētia mea ingreſſus ſum: redime me, & miſerere mei.
Pes meus ſtetit in directo: in Eccleſijs benedicam te Domine.

FERIA SECVNDA.

Ad Matut. Inuit. Venite, Exultemus Domino. Pſalmus 26.

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo?
Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?
Dum appropiant ſuper me nocentes:

tes: vt edant carnes meas.
Qui tribulant me inimici mei: ipſi infirmati ſunt,& ceciderunt.
Si conſiſtant aduerſum me caſtra: non timebit cor meum.
Si exurgat aduerſum me prælium: in hoc ego ſperabo.
Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.
Vt videam voluptatem Domini: & viſitem templum eius.
Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo: in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.
In petra exaltauit me:& nunc exaltauit caput meũ ſuper inimicos meos.
Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis:cantabo,& pſalmum dicam Domino.
Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te: miſerere mei,& exaudi me.
Tibi dixit cor meum,exquiſiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.
Ne auertas faciem tuam à me: ne declines in ira à ſeruo tuo.
Adiutor meus eſto: ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.
Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.
Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos.
Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.
Credo videre bona Domini: in terra viuentium.
Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

Pſalmus 27.

AD te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas à me: nequando taceas à me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum.
Exaudi Domine vocem deprecationis meæ dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum.
Ne ſimul trahas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.
Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo: mala autem in cordibus eorum.
Da illis ſecundum opera eorum: & ſecũdum nequitiam adinuentionum ipſorum.
Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipſis.
Quoniam non intellexerunt opera Domini: & in opera manuũ eius deſtrues illos, & non ædificabis eos.
Benedictus Dominus: quoniã exaudiuit vocem deprecationis meæ.
Dominus adiutor meus & protector meus: in ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum.
Et refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei.
Dominus fortitudo plebis ſuæ: & pro-

protector ſaluationum Chriſti ſui eſt.
S aluum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ: & rege eos, & extolle illos vſq. in æternum.
Aña. Dominus defenſor vitæ meæ.

Pſalmus 28.

A Fferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum.
A fferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio ſancto eius.
V ox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas.
V ox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.
V ox Domini confringentis cedros: & confringet Dñs cedros Libani.
E t comminuet eas tamquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius vnicornium.
V ox Domini intercidentis flammã ignis: vox Domini concutientis deſertum, & commouebit Dominus deſertum Cades.
V ox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa: & in templo eius omnes dicent gloriam.
D ominus diluuium inhabitare facit: & ſedebit Dominus rex in æternum.
D ominus virtutem populo ſuo dabit: Dominus benedicet populo ſuo in pace.

Pſalmus 29.

E Xaltabo te Domine quoniam ſuſcepiſti me: nec delectaſti inimicos meos ſuper me.
D omine Deus meus clamaui ad te: & ſanaſti me.
D omine eduxiſti ab inferno animam meam: ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.
P ſallite Domino ſancti eius: & confitemini memoriæ ſanctitatis eius.
Q uoniam ira in indignatione eius: & vita in voluntate eius.
A d veſperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia.
E go autem dixi in abundantia mea: Non mouebor in æternum.
D omine in voluntate tua: præſtitiſti decori meo virtutem.
A uertiſti faciem tuam à me: & factus ſum conturbatus.
A d te Domine clamabo: & ad Deum meum deprecabor.
Q uæ vtilitas in ſanguine meo: dum deſcendo in corruptionem?
N umquid confitebitur tibi puluis: aut annunciabit veritatem tuam.
A udiuit Dominus, & miſertus eſt mei: Dñs factus eſt adiutor meus.
C onuertiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meũ, & circumdediſti me lætitia.
V t cantet tibi gloria mea, & non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.
Aña. Adorate Dominum in aula ſancta eius.

Pſalmus 30.

I N te Domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me.
I nclina ad me aurem tuam: accelera vt eruas me.
E ſto mihi in Deum protectorem, & in do-

in domum refugij: vt ſaluum me facias.
Quoniam fortitudo mea & refugiũ meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.
Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.
In manus tuas commendo ſpiritum meum: redemiſti me Domine Deus veritatis.
Odiſti obſeruantes vanitates: ſuperuacue.
Ego autem in Domino ſperaui: exultabo, & lætabor in miſericordia tua.
Quoniam reſpexiſti humilitatem meam: ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam.
Nec concluſiſti me in manibus inimici: ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos.
Miſerere mei Domine, quoniam tribulor: conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.
Quoniã defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus.
Infirmata eſt in paupertate virtus mea: & oſſa mea conturbata ſunt.
Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium & vicinis meis valde: & timor notis meis.
Qui videbant me, foras fugerunt à me: obliuioni datus ſum tamquam mortuus à corde.
Factus ſum tamquam vas perditum: quoniam audiui vituperationẽ multorum commorantium in circuitu.
In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me: accipere animam meam conſiliati ſunt.
Ego autem in te ſperaui Domine: dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.
Eripe me de manu inimicorum meorum: & à perſequentibus me.
Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac in miſericordia tua: Domine non confundar, quoniam inuocaui te.
Erubeſcant impij, & deducantur in infernum: muta fiant labia doloſa.
Quæ loquũtur aduerſus iuſtum iniquitatem: in ſuperbia, & in abuſione.
Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine: quam abſcondiſti timentibus te!
Perfeciſti eis, qui ſperant in te: in conſpectu filiorum hominum.
Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ: à conturbatione hominum.
Proteges eos in tabernaculo tuo: à contradictione linguarum.
Benedictus Dominus: quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in ciuitate munita.
Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ: Proiectus ſum à facie oculorum tuorum.
Ideo exaudiſti vocem orationis meæ: dum clamarem ad te.
Diligite Dominũ omnes ſancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam.
Viriliter agite, & confortetur cor veſtrũ: omnes qui ſperatis in Domino.

Pſalmus 31.

BEati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates: & quorum tecta ſunt peccata.

Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum: nec eſt in ſpiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea: dum clamarem tota die.

Quoniã die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua: conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniuſtitiam meam non abſcondi.

Dixi, Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis ſanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluuio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris: firmabo ſuper te oculos meos.

Nolite fieri ſicut equus & mulus: quibus non eſt intellectus.

In camo & fræno maxillas eorum conſtringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: ſperantem autem in Domino miſericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate iuſti: & gloriamini omnes recti corde.

Aña. In tua iuſtitia libera me Domine.

Pſalmus 32.

EXultate iuſti in Domine: rectos decet collaudatio.

Confitemini Domino in cithara: in pſalterio decem chordarum pſallite illi.

Cantate ei canticum nouum: bene pſallite ei in vociferatione.

Quia rectum eſt verbum Domini: & omnia opera eius in fide.

Diligit miſericordiam & iudicium: miſericordia Domini plena eſt terra.

Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.

Congregans ſicut in vtre aquas maris: ponens in theſauris abyſſos.

Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.

Dominus diſſipat conſilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum.

Conſilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione & generationem.

Beata gens, cuius eſt Dominus, Deus eius: populus, quem elegit in hereditatem ſibi.

De cælo reſpexit Dominus: vidit omnes filios hominum.

De præparato habitaculo ſuo: reſpexit ſuper omnes, qui habitant terram.

Qui

Qui finxit ſingillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.
Non ſaluatur rex per multam virtutem: & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ.
Fallax equus ad ſalutem: in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur.
Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum: & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.
Vt eruat à morte animas eorum: & alat eos in fame.
Anima noſtra ſuſtinet Dominum: quoniam adiutor & protector noſter eſt.
Quia in eo lætabitur cor noſtrum: & in nomine ſancto eius ſperauimus.
Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te. Pſalmus 33.

Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo.
In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti, & lætentur.
Magnificate Dominum mecum: & exaltemus non eius in idipſum.
Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.
Accedite ad eum, & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur.
Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum: & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum.
Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum: & eripiet eos.
Guſtate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus: beatus vir qui ſperat in eo.
Timete Dominum omnes ſancti eius: quoniam non eſt inopia timentibus eum.
Diuites eguerunt & eſurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.
Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos.
Quis eſt homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos?
Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum.
Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam.
Oculi Domini ſuper iuſtos: & aures eius in preces eorum.
Vultus autem Domini ſuper facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum.
Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.
Iuxta eſt Dominus ijs, qui tribulato ſunt corde: & humiles ſpiritu ſaluabit.
Multæ tribulationes iuſtorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.
Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: vnum ex his non conteretur.
Mors peccatorum peſſima: & qui oderunt iuſtum, delinquent.
Redimet Dominus animas ſeruorũ ſuorum: & non delinquent omnes qui ſperant in eo.

Aña. Rectos decet collaudatio.

Pſalmus 34.

IVdica Domine nocentes me: expugna impugnantes me.

Apprehende arma & ſcutum: & exurge in adiutorium mihi.

Effunde frameam, & conclude aduerſus eos, qui perſequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego ſum.

Confundantur & reuereantur: quærentes animam meam.

Auertantur retrorſum, & confundantur: cogitantes mihi mala.

Fiant tamquam puluis ante faciem venti: & Angelus Domini coarctans eos.

Fiat via illorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini perſequens eos.

Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui: ſuperuacue exprobrauerunt animam meam.

Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abſcondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipſum.

Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur ſuper ſalutari ſuo.

Omnia oſſa mea dicent: Domine, quis ſimilis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenum & pauperem à diripientibus eum.

Surgentes teſtes iniqui: quæ ignorabam interrogabant me.

Retribuebant mihi mala pro bonis: ſterilitatem animæ meæ.

Ego autem cum mihi moleſti eſſent: induebar cilicio.

Humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in ſinu meo conuertetur.

Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum, ſic complacebam: quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar.

Et aduerſum me lætati ſunt, & conuenerunt: congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui.

Diſſipati ſunt, nec compuncti, tentauerunt me, ſubſannauerũt me ſubſannatione: frenduerunt ſuper me dentibus ſuis.

Domine, quando reſpicies? reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam.

Confitebor tibi in eccleſia magna: in populo graui laudabo te.

Non ſupergaudeant mihi qui aduerſantur mihi inique; qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.

Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

Et dilatauerunt ſuper me os ſuum: dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi noſtri.

Vidiſti Domine, ne ſileas: Domine ne diſcedas à me.

Exurge, & intende iudicio meo: Deus meus & Dominus meus in cauſam meam.

Iudica me ſecundum iuſtitiam tuam Domine Deus meus: & non ſupergaudeant mihi.

Non

Digitized by Google

Non dicant in cordibus ſuis, Euge, euge, animæ noſtræ: nec dicant, Deuorauimus enim.
Erubeſcant & reuereantur ſimul: qui gratulantur malis meis.
Induantur confuſione & reuerentia: qui magna loquuntur ſuper me.
Exultent & lætentur qui volunt iuſtitiam meam: & dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſerui eius.
Et lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam: tota die laudem tuam.

Pſalmus 35.

Dixi iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo: non eſt timor Dei ante oculos eius.
Quoniam doloſe egit in conſpectu eius: vt inueniatur iniquitas eius ad odium.
Verba oris eius iniquitas & dolus: noluit intelligere, vt bene ageret.
Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo: aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.
Domine in cælo miſericordia tua: & veritas tua vſque ad nubes.
Iuſtitia tua ſicut montes Dei: iudicia tua abyſſus multa.
Homines & iumenta ſaluabis Domine: quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.
Filij autem hominum: in tegmine alarum tuarum ſperabunt.
Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.
Quoniam apud te eſt fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.
Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te: & iuſtitiam tuam his qui recto ſunt corde.
Non veniat mihi pes ſuperbiæ: & manus peccatoris non moueat me.
Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare. Aña. Expugna impugnantes me.

Pſalmus 36.

Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem.
Quoniam tamquam fœnum velociter areſcent: quemadmodum olera herbarum cito decident.
Spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius.
Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.
Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo: & ipſe faciet.
Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tamquam meridiem: ſubditus eſto Domino, & ora eum.
Noli æmulari in eo qui proſperatur in via ſua: in homine faciente iniuſtitias.
Deſine ab ira, & derelinque furorẽ: noli æmulari vt maligneris.
Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum, ipſi hereditabunt terram.
Et adhuc puſillum, & non erit peccator: & quæres locum eius, & non inuenies.

Digitized by Google

Manſueti autem hereditabunt terram: & delectabuntur in multitudine pacis.
Obſeruabit peccator iuſtum: & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.
Dominus autem irridebit eum: quoniam proſpicit quòd veniet dies eius.
Gladium euaginauerunt peccatores: intenderunt arcum ſuum.
Vt deijciant pauperem & inopem: vt trucident rectos corde.
Gladius eorum intret in corda ipſorum: & arcus eorum confringatur.
Melius eſt modicum iuſto: ſuper diuitias peccatorum multas.
Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem iuſtos Dominus.
Nouit Dominus dies immaculatorum: & hereditas eorum in æternum erit.
Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur: quia peccatores peribunt.
Inimici vero Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati: deficientes quemadmodum fumus deficient.
Mutuabitur peccator, & non ſoluet: iuſtus autem miſeretur, & tribuet.
Quia benedicentes ei hereditabunt terram: maledicentes autem ei diſperibunt.
Apud Dominum greſſus hominis dirigentur: & viam eius volet.
Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam.
Iunior fui, etenim ſenui: & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.
Tota die miſeretur, & commodat: & ſemen illius in benedictione erit.
Declina à malo, & fac bonum: & inhabita in ſæculum ſæculi.
Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos: in æternum conſeruabuntur.
Iniuſti punientur: & ſemen impiorum peribit.
Iuſti autem hereditabunt terram: & inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam.
Os iuſti meditabitur ſapientiam: & lingua eius loquetur iudicium.
Lex Dei eius in corde ipſius: & non ſupplantabuntur greſſus eius.
Conſiderat peccator iuſtum: & quærit mortificare eum.
Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum cum iudicabitur illi.
Expecta Dominum, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te, vt hereditate capias terram: cum perierint peccatores, videbis.
Vidi impium ſuperexaltatum. & eleuatum ſicut cedros Libani.
Et tranſiui, & ecce non erat: & quæſiui eũ, & non eſt inuẽtus locus eius.
Cuſtodi innocentiam, & vide æquitatem: quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico.
Iniuſti autem diſperibunt ſimul: reliquiæ impiorum interibunt.
Salus autem iuſtorum à Domino: & pro-

protector eorum in tempore tribulationis.

Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos: & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos, quia ſperauerunt in eo.

Pſalmus 37.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi: & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum: & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ: à facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.

Amici mei, & proximi mei: aduerſũ me appropinquauerunt, & ſteterunt.

Et qui iuxta me erant de longe ſteterunt: & vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur:

Ego autem tamquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens: & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperaui: tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi, Nequando ſupergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſũ: & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam annũciabo: & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me: & multiplicati ſunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne diſceſſeris à me.

Intende in adiutorium meum: Domine Deus ſalutis meæ.

Aña. Reuela Domino viam tuam.

℣. Domine in cælo miſericordia tua.

℞. Et veritas tua vſque ad nubes.

In Aduentu. ℣. Ex Sion ſpecies.

In Quadrageſima. ℣. Dicet Domino. Tempore Paſſionis. ℣. Erue à framea Deus.

In Laudibus, Antiphona.

MIſerere mei Deus. Pſal. Ipſe. 33. Aña. Intellige clamorem meum Domine. Pſalmus. Verba mea. 2. Aña. Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Pſalm. Ipſe 40. Aña. Conceſſus eſt furor tuus Domine, & conſolatus es me. Canticum. Confitebor. 100. Aña. Laudate Dominum de cælis. Pſalm. Ipſe. 98. Ad Benedictus, Antiphona. Benedictus, Deus Iſrael. Cant. Ipſum. 106.

FERIA TERTIA.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Iubilemus Deo, Salutari noſtro.

Pſalmus 38.

DIxi, Cuſtodiam vias meas: vt non delinquam in lingua mea.

Poſui ori meo cuſtodiam: cum conſiſteret peccator aduerſum me.

Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis: & dolor meus renouatus eſt.

Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardeſcet ignis.

Locutus ſum in lingua mea: Notum fac mihi Domine finem meum.

Et numerum dierum meorum quis eſt: vt ſciam quid deſit mihi.

Ecce mēſurabiles poſuiſti dies meos: & ſubſtantia mea tamquam nihilum ante te.

Verumtamen vniuerſa vanitas: omnis homo viuens.

Verumtamen in imagine pertranſit homo: ſed & fruſtra conturbatur.

Theſaurizat: & ignorat cui congregabit ea.

Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus? & ſubſtantia mea apud te eſt.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium inſipienti dediſti me.

Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti: amoue à me plagas tuas.

A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuiſti hominem.

Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius: verumtamen vane conturbatur omnis homo.

Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meã: auribus percipe lacrymas meas.

Ne ſileas, quoniam aduena ego ſum apud te, & peregrinus: ſicut omnes patres mei.

Remitte mihi, vt refrigerer priuſquàm abeam: & amplius non ero.

Pſalmus 39.

EXpectans expectaui Dominum: & intendit mihi.

Et exaudiuit preces meas: & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis.

Et ſtatuit ſuper petram pedes meos: & direxit greſſus meos.

Et immiſit in os meum canticum nouum: carmen Deo noſtro.

Videbunt multi, & timebunt: & ſperabunt in Domino.

Bea-

Digitized by Google

Beatus vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius: & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.

Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.

Annunciaui, & locutus ſum: multiplicati ſunt ſuper numerum.

Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi.

Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi, Ecce venio.

In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatē tuam: Deus meus volui, & legē tuā in medio cordis mei.

Annunciaui iuſtitiam tuam in eccleſia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti.

Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo: veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi.

Non abſcondi miſericordiam tuā, & veritatem tuam: à concilio multo.

Tu autem Domine ne longe facias miſerationes tuas à me: miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.

Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi Domine vt eruas me: Domine ad adiuuandum me reſpice.

Confundantur, & reuereantur ſimul qui quærunt animam meam: vt auferant eam.

Conuertantur retrorſum, & reuereantur: qui volunt mihi mala.

Ferant confeſtim confuſionem ſuā: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent, & lætentur ſuper te omnes quærentes te: & dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego autem mendicus ſum, & pauper: Dominus ſollicitus eſt mei.

Adiutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaueris.

Aña. Vt non delinquam in lingua mea.

Pſalmus 40.

Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius.

Dominus opem ferat illi ſuper lectū doloris eius: vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius.

Ego dixi, Domine miſerere mei: ſana animam meam, quia peccaui tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen eius?

Et ſi ingrediebatur vt videret, vana loquebatur: cor eius congregauit iniquitatem ſibi.

Egrediebatur foras: & loquebatur in idipſum.

Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei: aduerſum me cogitabant mala mihi.

Ver-

Digitized by Google

Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me: Numquid qui dormit, non adijciet vt reſurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui: qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.

Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me: & retribuam eis.

In hoc cognoui, quoniam voluiſti me: quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me.

Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti: & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Iſrael à ſæculo, & vſque in ſæculum: fiat, fiat.

Pſalmus 41.

Qvemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.

Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus?

Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſq. ad domum Dei.

In voce exultationis, & confeſſionis: ſonus epulantis.

Quare triſtis es anima mea: & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Ad meipſum anima mea conturbata eſt: propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonijm à monte modico.

Abyſſus abyſſum inuocat: in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelſa tua, & fluctus tui: ſuper me tranſierunt.

In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam: & nocte canticum eius.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, Suſceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur oſſa mea: exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per ſingulos dies, Vbi eſt Deus tuus? quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Antiphona. Sana Domine animam meam: quia peccaui tibi.

N. Pſalmus 42.

Ivdica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta: ab homine iniquo & doloſo erue me.

Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repuliſti, & quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum

tuum,

Digitized by Google

tuum, in tabernacula tua.
Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam.
Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?
Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Pſalmus 43.

Deus auribus noſtris audiuimus: patres noſtri annunciauerunt nobis.
Opus, quod operatus eſt in diebus eorum: & in diebus antiquis.
Manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos: afflixiſti populos, & expuliſti eos.
Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram: & brachium eorum non ſaluauit eos.
Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuiſti in eis.
Tu es ipſe rex meus, & Deus meus: qui mandas ſalutes Iacob.
In te inimicos noſtros ventilabimus cornu: & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.
Non enim in arcu meo ſperabo: & gladius meus non ſaluabit me.
Saluaſti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudiſti.
In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in æternum.
Nunc autem repuliſti, & confudiſti nos: & non egredieris Deus in virtutibus noſtris.
Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros: & qui oderunt nos, diripiebant ſibi.
Dediſti nos tamquam oues eſcarum: & in gentibus diſperſiſti nos.
Vendidiſti populum tuum ſine pretio: & non fuit multitudo in commutationibus eorum.
Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris: ſubſannationem & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro.
Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.
Tota die verecundia mea contra me eſt: & confuſio faciei meæ cooperuit me.
A voce exprobrantis, & obloquentis: à facie inimici, & perſequentis.
Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te: & inique non egimus in teſtamento tuo.
Et non receſſit retro cor noſtrum: & declinaſti ſemitas noſtras à via tua.
Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis: & cooperuit nos vmbra mortis.
Si obliti ſumus nomen Dei noſtri: & ſi expandimus manus noſtras ad deū alienum.
Nonne Deus requiret iſta? ipſe enim nouit abſcondita cordis.
Quoniam propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.
Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem.
Quare faciem tuam auertis? obliuiſceris

uiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?
Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra: conglutinatus eſt in terra venter noſter.
Exurge Domine, adiuua nos: & redime nos propter nomen tuum.

Pſalmus 44.

ERuctauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.
Lingua mea calamus ſcribæ: velociter ſcribentis.
Speciosus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternũ.
Accingere gladio tuo ſuper femur tuum: potentiſſime.
Specie tua, & pulchritudine tua: intende, proſpere procede, & regna.
Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.
Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum regis.
Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: virga directionis, virga regni tui.
Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ cõſortibus tuis.
Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.
Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato: circumdata varietate.
Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.
Et concupiſcet rex decorem tuum: quoniã ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.
Et filiæ Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.
Omnis gloria eius filiæ regis ab intus: in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.
Adducentur regi virgines poſt eam: proximæ eius afferentur tibi.
Afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum regis.
Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos principes ſuper omnẽ terram.
Memores erunt nominis tui: in omni generatione, & generationem.
Propterea populi confitebuntur tibi in æternum: & in ſæculum ſæculi.
Aña. Eructauit cor meum verbum bonum.

Pſalmus 45.

DEus noſter refugium & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.
Propterea non timebimus dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.
Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum: conturbati ſunt montes in fortitudine eius.
Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: ſanctificauit tabernacum ſuum Altiſſimus.
Deus in medio eius, nõ cõmouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo.
Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: dedit vocem ſuam,

mota

mota eſt terra.

Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Iacob.

Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: auferens bella vſque ad finem.

Arcum conteret, & confringet arma: & ſcuta comburet igni.

Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Iacob. Pſal. 46.

OMnes gentes plaudite manibus: Iubilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelſus, terribilis: rex magnus ſuper omnem terram.

Subiecit populos nobis: & gentes ſub pedibus noſtris.

Elegit nobis hereditatem ſuam: ſpeciem Iacob, quam dilexit.

Aſcendit Deus in iubilo: & Dominus in voce tubæ.

Pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite Regi noſtro, pſallite.

Quoniam rex omnis terræ Deus: pſallite ſapienter.

Regnabit Deus ſuper gentes: Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.

Principes populorum congregati ſũt cum Deo Abraham: quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt.

Aña. Adiutor in tribulationibus.

Pſalmus 47.

MAgnus Dominus, & laudabilis nimis: in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.

Fundatur exultatione vniuerſæ terræ mons Sion: latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.

Deus in domibus eius cognoſcetur: cum ſuſcipiet eam.

Quoniam ecce reges terræ congregati ſunt: conuenerunt in vnum.

Ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt: tremor apprehendit eos.

Ibi dolores vt parturientis: in ſpiritu vehementi cõteres naues Tharſis.

Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri: Deus fundauit eam in æternum.

Suſcepimus Deus miſericordiam tuam: in medio templi tui.

Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua in fines terræ: iuſtitia plena eſt dextera tua.

Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Iudæ: propter iudicia tua Domine.

Circumdate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus eius.

Ponite corda veſtra in virtute eius: & diſtribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera.

Quoniam hic eſt Deus, Deus noſter in æternum, & in ſæculum ſæculi: ipſe reget nos in ſæcula.

Pſalmus 48.

AVdite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.

Quique terrigenæ, & filij hominum: ſimul in vnum diues & pauper.

Os meum loquetur ſapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam.

Inclinabo in parabolam aurem meã: aperiam in pſalterio propoſitionem meam.

Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.

Qui confidunt in virtute ſua: & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.

Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem ſuam.

Et pretium redemptionis animæ ſuæ: & laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.

Non videbit interitum, cum viderit ſapientes morientes: ſimul inſipiens & ſtultus peribunt.

Et relinquent alienis diuitias ſuas: & ſepulchra eorum domus illorum in æternum.

Tabernacula eorum in progenie & progenie: vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.

Et homo, cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Hæc via illorum ſcandalum ipſis: & poſtea in ore ſuo complacebunt.

Sicut oues in inferno poſiti ſunt: mors depaſcet eos.

Et dominabuntur eorum iuſti in matutino: & auxilium eorum veteraſcet in inferno à gloria eorum.

Verumtamen Deus redimet animã meam de manu inferi: cum acceperit me.

Ne timueris cum diues factus fuerit homo: & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.

Quoniam cum interierit, non ſumet omnia: neque deſcendet cum eo gloria eius.

Quia anima eius in vita ipſius benedicetur: confitebitur tibi cum benefeceris ei.

Introibit vſque in progenies patrum ſuorum: & vſque in æternum non videbit lumen.

Homo, cum in honore eſſet, nõ intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Aña. Auribus percipite, qui habitatis orbem. Pſalmus 49.

Deus deorum Dominus locutus eſt: & vocauit terram.

A ſolis ortu vſque ad occaſum: ex Sion ſpecies decoris eius.

Deus manifeſtet veniet: Deus noſter, & non ſilebit.

Ignis in conſpectu eius exardeſcet: & in circuitu eius tempeſtas valida.

Aduocabit cælum deſurſum: & terram diſcernere populum ſuum.

Congregate illi ſanctos eius: qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.

Et annunciabunt cæli iuſtitiam eius: quoniam Deus iudex eſt.

Audi populus meus, & loquar Iſrael, & teſtificabor tibi: Deus Deus tuus ego ſum.

Non in ſacrificijs tuis arguam te: holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper.

Non accipiam de domo tua vitulos: neque

neque de gregibus tuis hircos.

Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſiluarum: iumenta in montibus & boues.

Cognoui omnia volatilia cæli: & pulchritudo agri mecum eſt.

Si eſuriero, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius.

Numquid manducabo carnes taurorum: aut ſanguinem hircorum potabo?

Immola Deo ſacrificium laudis: & redde Altiſſimo vota tua.

Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.

Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?

Tu vero odiſti diſciplinam: & proieciſti ſermones meos retrorſum.

Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem meam ponebas.

Os tuum abundauit malitia: & lingua tua concinnabat dolos.

Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum: hæc feciſti, & tacui.

Exiſtimaſti inique quòd ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam contrà faciem tuam.

Intelligite hæc, qui obliuiſcimini Deum: nequando rapiat, & non ſit qui eripiat.

Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei.

N. Pſalmus 50.

Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuã.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Ecce enim iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Ne proijcias me à facie tua: & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & Spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.

Libera me de ſanguinibus, Deus,

Deus ſalutis meæ: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.
Domine labia mea aperies: & os meũ annunciabit laudem tuam.
Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis.
Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.
Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Ieruſalem.
Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Pſalmus 51.

Quid gloriaris in malitia: qui potens es in iniquitate?
Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum.
Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem: iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem.
Dilexiſti omnia verba præcipitationis: lingua doloſa.
Propterea Deus deſtruet te in finem: euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.
Videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent: Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum.
Sed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum: & præualuit in vanitate ſua.
Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei: ſperaui in miſericordia Dei in æternum, & in ſæculum ſæculi.
Confitebor tibi in ſæculum, quia feciſti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu ſanctorum tuorum.
Antiphona. Deus deorum Dominus locutus eſt.
℣. Immola Deo ſacrificium laudis.
℟. Et redde Altiſſimo vota tua.
In Aduentu. ℣. Egredietur virga.
In Quadrageſ. ℣. Ipſe liberauit.
Tempore Paſſ. ℣. De ore leonis.

Ad Laudes, Antiphona.

Secundum magnam miſericordiã tuam, miſerere mei Deus. Pſal. Miſerere. 33. Antiph. Salutare vultus mei Deus meus. Pſal. Iudica. 28. Añа. Ad te de luce vigilo Deus. Pſ. Deus Deus meus. 40. Aña. Cunctis diebus vitæ noſtræ ſaluos nos fac Domine. Cant. Ego dixi. 100. Antiph. Omnes Angeli eius laudate Dominum de cælis. Pſalm. Laudate Dominum de cælis. 98.

Ad Benedictus, Antiphona.

Erexit Dominus nobis cornu ſalutis, in domo Dauid pueri ſui. Canticum. Benedictus. 106.

FERIA QVARTA.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

In manu tua Domine, Omnes fines terræ. Pſalmus 52.

Dixi inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus.
Corrupti ſunt, & abominabiles facti

cti ſunt in iniquitatibus: non eſt qui faciat bonum.

Deus de cælo proſpexit ſuper filios hominum: vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.

Nonne ſcient omnes qui operantur iniquitatem: qui deuorant plebem meam vt cibum panis?

Deum non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.

Quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos.

Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael? cum conuerterit Deus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael.

N. Pſalmus 53.

DEus in nomine tuo ſaluum me fac: & in virtute tua iudica me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.

Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua diſperde illos.

Voluntarie ſacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniã bonum eſt.

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

Pſalmus 54.

EXaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me.

Contriſtatus ſum in exercitatione mea: & conturbatus ſum à voce inimici, à tribulatione peccatoris.

Quoniam declinauerunt in me iniquitates: & in ira moleſti erant mihi.

Cor meum conturbatum eſt in me: & formido mortis cecidit ſuper me.

Timor & tremor venerunt ſuper me: & contexerunt me tenebræ.

Et dixi, Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ: & volabo, & requieſcam?

Ecce elongaui fugiens: & manſi in ſolitudine.

Expectabam eum qui ſaluum me fecit: à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate.

Præcipita Domine, diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.

Die ac nocte circumdabit eam ſuper muros eius iniquitas: & labor in medio eius, & iniuſtitia.

Et non defecit de plateis eius: vſura & dolus.

Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi: ſuſtinuiſſem vtique.

Et ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet: abſcondiſſem me forſitan ab eo.

T u vero homo vnanimis: dux meus & notus meus.
Q ui ſimul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum conſenſu.
V eniat mors ſuper illos: & deſcendant in infernum viuentes.
Q uoniã nequitiæ in habitaculis eorum: in medio eorum.
E go autem ad Deum clamaui:& Dominus ſaluabit me.
V eſpere, & mane, & meridie narrabo & annunciabo:& exaudiet vocem meam.
R edimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi: quoniã inter multos erant mecum.
E xaudiet Deus, & humiliabit illos: qui eſt ante ſæcula.
N on enim eſt illis commutatio, & non timuerunt Deum: extendit manum ſuam in retribuendo.
C ontaminauerunt teſtamentum eius, diuiſi ſunt ab ira vultus eius: & appropinquauit cor illius.
M olliti ſũt ſermones eius ſuper oleũ: & ipſi ſunt iacula.
I acta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iuſto.
T u vero Deus deduces eos: in puteum interitus.
V iri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos: ego autem ſperabo in te Domine.
Antiphona. Auertit Dominus captiuitatem plebis ſuæ.

Pſalmus 55.

M Iſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me.
C onculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduerſum me.
A b altitudine diei timebo: ego vero in te ſperabo.
I n Deo laudabo ſermones meos, in Deo ſperaui: non timebo quid faciat mihi caro.
T ota die verba mea execrabantur: aduerſum me omnes cogitationes eorum in malum.
I nhabitabunt & abſcondent: ipſi calcaneum meum obſeruabunt.
S icut ſuſtinuerunt animam meam, pro nihilo ſaluos facies illos: in ira populos confringes.
D eus vitam meam annunciaui tibi: poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.
S icut & in promiſſione tua: tunc conuertentur inimici mei retrorſum.
I n quacumque die inuocauero te: ecce cognoui quoniam Deus meus es.
I n Deo laudabo verbum, in Domino laudabo ſermonem: in Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo.
I n me ſunt Deus vota tua: quæ reddam, laudationes tibi.
Q uoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu: vt placeam coram Deo in lumine viuentium.

Google

Pſalmus 56.

MIſerere mei Deus, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea.
Et in vmbra alarum tuarum ſperabo: donec tranſeat iniquitas.
Clamabo ad Deum altiſſimum: Deum, qui benefecit mihi.
Miſit de cælo, & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me.
Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam: & eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus.
Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ: & lingua eorum gladius acutus.
Exaltare ſuper cælos Deus: & in omni terra gloria tua.
Laqueum parauerunt pedibus meis: & incuruauerunt animam meam.
Foderunt ante faciem meam foueã: & inciderunt in eam.
Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & pſalmum dicam.
Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara: exurgam diluculo.
Confitebor tibi in populo Domine: pſalmum dicam tibi in gentibus.
Quoniam magnificata eſt vſque ad cælos miſericordia tua: & vſque ad nubes veritas tua.
Exaltare ſuper cælos Deus: & ſuper omnem terram gloria tua.
Antiphona. Quoniam in te confidit anima mea.

B. P.

Pſalmus 57.

SI vere vtique iuſtitiam loquimini: recta iudicate filij hominum.
Etenim in corde iniquitates operamini: in terra iniuſtitias manus veſtræ concinnant.
Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero: locuti ſunt falſa.
Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas.
Quæ non exaudiet vocem incantantium: & venefici incantantis ſapienter.
Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum: molas leonum confringet Dominus.
Ad nihilum deuenient tamquam aqua decurrens: intendit arcum ſuum donec infirmentur.
Sicut cera, quæ fluit, auferentur: ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem.
Priuſquam intelligerẽt ſpinæ veſtræ rhamnum: ſicut viuentes, ſic in ira abſorbet eos.
Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.
Et dicet homo, Si vtique eſt fructus iuſto: vtique eſt Deus iudicans eos in terra.

Pſalmus 58.

ERipe me de inimicis meis Deus meus: & ab inſurgentibus in me libera me.
Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris ſanguinum ſalua me.
Quia ecce ceperunt animam meam:

irruerunt in me fortes.

Neque iniquitas mea neque peccatum meum Domine: ſine iniquitate cucurri, & direxi.

Exurge in occurſum meum, & vide: & tu Domine Deus virtutum, Deus Iſrael.

Intende ad viſitandas omnes gentes: non miſerearis omnibus qui operantur iniquitatem.

Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes: & circuibūt ciuitatem.

Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labijs eorum: quoniam quis audiuit?

Et tu Domine deridebis eos: ad nihilum deduces omnes gentes.

Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es: Deus meus, miſericordia eius præueniet me.

Deus oſtendet mihi ſuper inimcos meos, ne occidas eos: ne quando obliuiſcantur populi mei.

Diſperge illos in virtute tua: & depone eos protector meus Domine.

Delictum oris eorum, ſermonem labiorum ipſorum: & comprehendantur in ſuperbia ſua.

Et de execratione & mendacio annunciabuntur in conſummatione: in ira conſummationis, & non erunt.

Et ſcient quia Deus dominabitur Iacob: & finium terræ.

Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes: & circuibūt ciuitatem.

Ipſi diſpergentur ad manducandum: ſi vero non fuerint ſaturati, & murmurabunt.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam: & exultabo mane miſericordiam tuam.

Quia factus es ſuſceptor meus: & refugium meum in die tribulationis meæ.

Adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es: Deus meus miſericordia mea.

Aña. Iuſte iudicate filij hominum.

Pſalmus 59.

Deus repuliſti nos, & deſtruxiſti nos: iratus es, & miſertus es nobis.

Commouiſti terram, & conturbaſti eam: ſana contritiones eius, quia commota eſt.

Oſtendiſti populo tuo dura: potaſti nos vino compunctionis.

Dediſti metuentibus te ſignificationem: vt fugiant à facie arcus.

Vt liberentur dilecti tui: ſaluum fac dextera tua exaudi me.

Deus locutus eſt in ſancto ſuo: Lætabor, & partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorum metibor.

Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes: & Ephraim fortitudo capitis mei.

Iuda rex meus: Moab olla ſpei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ ſubditi ſunt.

Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vſque in Idumæam.

Non-

Digitized by Google

Nonne tu Deus, qui repuliſti nos: & non egredieris Deus in virtutibus noſtris?
Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana ſalus hominis.
In Deo faciemus virtutem: & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.

Pſalmus 60.

EXaudi Deus deprecationem meam: intende orationi meæ.
A finibus terræ ad te clamaui: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me.
Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea: turris fortitudinis à facie inimici.
Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſæcula: protegar in velamento alarum tuarum.
Quoniam tu Deus meus exaudiſti orationem meam: dediſti hereditatem timentibus nomen tuum.
Dies ſuper dies regis adijcies: annos eius vſque in diem generationis & generationis.
Permanet in æternum in conſpectu Dei: miſericordiam & veritatem eius quis requiret?
Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſæculum ſæculi: vt reddam vota mea de die in diem.

Aña. Da nobis Domine auxilium de tribulatione. Pſalmus 61.

NOnne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum.
Nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus: ſuſceptor meus, non mouebor amplius.
Quouſque irruitis in hominem? interficitis vniuerſi vos, tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ?
Verumtamen pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in ſiti: ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.
Verũtamen Deo ſubiecta eſto anima mea: quoniam ab ipſo patientia mea.
Quia ipſe Deus meus, & ſaluator meus: adiutor meus, non emigrabo.
In Deo ſalutare meũ, & gloria mea: Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt.
Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra: Deus adiutor noſter in æternum.
Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris: vt decipiãt ipſi de vanitate in idipsũ.
Nolite ſperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiſcere: diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.
Semel locutus eſt Deus, duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua.

N. Pſalmus 62.

DEus Deus meus: ad te de luce vigilo.
Sitiuit in te anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea.
In terra deſerta, & inuia, & inaquoſa: ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, labia mea laudabunt te.
Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.
Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.
Si memor fui tui ſuper ſtratum meũ, in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adiutor meus.
Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua.
Ipſi vero in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.
Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obſtructum eſt os loquẽtium iniqua.

Pſalmus 63.

Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam.
Protexiſti me à conuentu malignantium: à multitudine operantium iniquitatem.
Quia exacuerũt vt gladium linguas ſuas: intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum.
Subito ſagittabunt eum, & non timebunt: firmauerunt ſibi ſermonem nequam.
Narrauerunt vt abſconderent laqueos: dixerunt, Quis videbit eos?
Scrutati ſunt iniquitates: defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.
Accedet homo ad cor altum: & exaltabitur Deus.
Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum: & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.
Conturbati ſunt omnes qui videbãt eos: & timuit omnis homo.
Et annunciauerunt opera Dei: & facta eius intellexerunt.
Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.
Antiphona. A timore inimici eripe Domine animam meam.

N. Pſalmus 64.

Te decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Ieruſalem.
Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.
Verba iniquorum præualuerunt ſuper nos: & impietatibus noſtris tu propitiaberis.
Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti: inhabitabit in atrijs tuis.
Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.
Exaudi nos Deus ſalutaris noſter: ſpes omnium finium terræ in mari longe.
Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius.
Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis:

exitus

Digitized by Google

exitus matutini & veſpere delectabis.

V iſitaſti terram, & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam.

F lumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum: quoniam ita eſt præparatio eius.

R iuos eius inebria, multiplica genimina eius: in ſtillicidijs eius lætabitur germinans.

B enedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur vbertate.

P ingueſcent ſpecioſa deſerti: & exultatione colles accingentur.

I nduti ſunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

Pſalmus 65.

IVbilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.

D icite Deo, Quàm terribilia ſunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

O mnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo.

V enite, & videte opera Dei: terribilis in conſilijs ſuper filios hominum.

Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede: ibi lætabimur in ipſo.

Qui dominatur in virtute ſua in æternum, oculi eius ſuper gentes reſpiciunt: qui exaſperant non exaltentur in ſemetipſis.

Benedicite gentes Deum noſtrum: & auditam facite vocem laudis eius.

Qui poſuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probaſti nos Deus: igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.

I nduxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro: impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.

T ranſiuimus per ignem, & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocauſtis: reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.

Et locutum eſt os meum: in tribulatione mea.

H olocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum: offeram tibi boues cum hircis.

V enite, audite, & narrabo omnes qui timetis Deum: quanta fecit animæ meæ.

A d ipſum ore meo clamaui: & exaltaui ſub lingua mea.

Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo: non exaudiet Dominus.

Propterea exaudiuit Deus: & attendit voci deprecationis meæ.

Benedictus Deus: qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.

N. Pſalmus 66.

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Digitized by Google

Vt cognoſcamus in terra viam tuã: in omnibus gentibus ſalutare tuum.
Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.
Lætentur & exultent gentes: quoniã iudicas populo in æquitate, & gentes in terra dirigis.
Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.
Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Pſalmus 67

Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum, à facie eius.
Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.
Et iuſti epulentur, & exultent in cõſpectu Dei: & delectentur in lætitia.
Cantate Deo pſalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi.
Exultate in conſpectu eius: turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.
Deus in loco ſancto ſuo: Deus, qui inhabitare facit vnius moris in domo.
Qui educit vinctos in fortitudine: ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.
Deus cum egredereris in conſpectu pupuli: tui: cum pertranſires in deſerto.
Terra mota eſt, etenim cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai: à facie Dei Iſrael.
Pluuiã voluntariã ſegregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata eſt: tu vero perfeciſti eam.
Animalia tua habitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.
Dominus dabit verbum euangelizantibus: virtute multa.
Rex virtutum dilecti dilecti: & ſpeciei domus diuidere ſpolia.
Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: & poſteriora dorſi eius in pallore auri.
Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam, niue dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis.
Mons coagulatus, mons pinguis: vt quid ſuſpicamini montes coagulatos?
Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.
Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto.
Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem: accepiſti dona in hominibus.
Etenim non credentes: inhabitare Dominum Deum.
Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.
Deus noſter, Deus ſaluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.
Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

Dixit

Dixit Dominus, Ex Baſan conuertam: conuertam in profundũ maris.
Vt intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.
Viderunt ingreſſus tuos Deus: ingreſſus Dei mei, regis mei qui eſt in ſancto.
Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus: in medio iuuencularum tympaniſtriarum.
In eccleſijs benedicite Deo Domino: de fontibus Iſrael.
Ibi Beniamin adoleſcentulus: in mentis exceſſu.
Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon principes Nephthali.
Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, qui operatus es in nobis.
A templo tuo in Ieruſalem: tibi offerent reges munera.
Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos qui probati ſunt argento.
Diſſipa gentes quæ bella volunt, venient legati ex Aegypto: Aethiopia præueniet manus eius Deo.
Regna terræ cantate Deo: pſallite Domino.
Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cælum cæli: ad Orientem.
Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper Iſrael: magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.
Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael: ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus Deus.
Antiphona. In eccleſijs benedicite Domino.
℣. Deus vitam meã annunciaui tibi.
℟. Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo. In Aduentu. ℣. Egredietur Dominus. In Quadrageſ. ℣. Scapulis ſuis. Tempore Paſſ. ℣. Ne perdas cum impijs Deus.

In Laudibus, Antiphona.

Amplius laua me Domine ab iniuſtitia mea. Pſalm. Miſerere. 33. Aña. Te decet hymnus Deus in Sion. Pſalmus Ipſe 40. Antiphona. Labia mea laudabunt te in vita mea, Deus Deus. Pſalm. Deus Deus. 40. Antiphona. Dominus iudicabit fines terræ. Cantic. Exultauit. 101. Aña. Cæli cælorum laudate Deum. Pſal. Laudate. 98. Ad Benedictus, Aña. Salutẽ ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui nos oderunt, libera nos Dñe. Cant. Benedictus. 106.

FERIA QVINTA.

Ad Matutinum, Inuitatorium.
Adoremus Dominum, Quoniam ipſe fecit nos. Pſalmus 68.

Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.
Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia.
Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me.
Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.
Multiplicati ſunt ſuper capillos capi-

capitis mei: qui oderunt me gratis.
Conſortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſte: quæ non rapui, tunc exoluebam.
Deus tu ſcis inſipientiam meam: & delicta mea à te non ſunt abſcondita.
Non erubeſcant in me, qui expectāt te Domine: Domine virtutum.
Non confundantur ſuper me: qui quærunt te Deus Iſrael.
Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam.
Extraneus factus ſum fratribus meis: & peregrinus filijs matris meæ.
Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.
Et operui in ieiunio animam meam: & factum eſt in opprobrium mihi.
Et poſui veſtimentum meum ciliciū: & factus ſum illis in parabolam.
Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta: & in me pſallebant qui bibebant vinum.
Ego vero orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.
In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me: in veritate ſalutis tuæ.
Eripe me de luto, vt infigar: libera me ab ijs qui oderunt me, & de profundis aquarum.
Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum: neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.
Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me.
Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.
Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.
Tu ſcis improperiū meum, & confuſionem meam: & reuerentiam meam.
In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me: improperium expectauit cor meum, & miſeriam.
Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni.
Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potauerunt me aceto.
Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum: & in retributiones, & in ſcandalum.
Obſcurentur oculi eorum ne videāt: & dorſum eorum ſemper incurua.
Effunde ſuper eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.
Fiat habitatio eorum deſerta: & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.
Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.
Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum: & non intrent in iuſtitiam tuam.
Deleantur de Libro viuentium: & cum iuſtis non ſcribantur.
Ego ſum pauper & dolens: ſalus tua Deus ſuſcepit me.
Lauabo nomen Dei cum cantico: & ma-

& magnificabo eum in laude.
Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum: cornua producentem & vngulas.
Videant pauperes, & lætentur: quærite Deum, & viuet anima veſtra.
Quoniam exaudiuit pauperes Dominus: & vinctos ſuos non deſpexit.
Laudent illum cæli & terra: mare, & omnia reptilia in eis.
Quoniam Deus ſaluam faciet Sion: & ædificabuntur ciuitates Iuda.
Et inhabitabunt ibi: & hereditate acquirent eam.
Et ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam: & qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.

Pſalmus 69.

DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandũ: me feſtina.
Confundantur & reuereantur: qui quærunt animam meam.
Auertantur retrorſum, & erubeſcãt: qui volunt mihi mala.
Auertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.
Exultent & lætẽtur in te omnes qui quærunt te: & dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.
Ego vero egenus, & pauper ſum: Deus adiuua me.
Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.
Ant. Domine Deus in adiutorium meum intende.

Pſalmus 70.

IN te Domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me, & eripe me.
Inclina ad me aurem tuam: & ſalua me.
Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum: vt ſaluum me facias.
Quoniam firmamentum meum: & refugium meum es tu.
Deus meus eripe me de manu peccatoris: & de manu contra legem agentis, & iniqui.
Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine ſpes mea à iuuentute mea.
In te confirmatus ſum ex vtero: de ventre matris meæ tu es protector meus.
In te cantatio mea ſemper: tamquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis.
Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam.
Ne proijcias me in tempore ſenectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.
Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in vnum.
Dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum: quia non eſt qui eripiat.
Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice.
Confundantur & deficiant detrahen-

hentes animæ operiantur confuſione & pudore, qui quærunt mala mihi.

Ego autem ſemper ſperabo: & adijciam ſuper omnem laudem tuam.

Os meum annunciabit iuſtitiam tuam: tota die ſalutare tuum.

Quoniam non cognoui litteraturã, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.

Deus docuiſti me à iuuentute mea: & vſque nunc pronunciabo mirabilia tua.

Et vſque in ſenectam & ſenium: Deus ne derelinquas me.

Donec annunciem brachium tuum: generationi omni, quæ ventura eſt.

Potentiam tuam, & iuſtitiam tuam: Deus vſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia: Deus qui ſimilis tibi?

Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas, & conuerſus viuificaſti me: & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me.

Multiplicaſti magnificentiam tuam: & conuerſus conſolatus es me.

Nam & ego confitebor tibi in vaſis pſalmi veritatem tuam: Deus pſallam tibi in cithara ſanctus Iſrael.

Exultabunt labia mea cum cantauero tibi: & anima mea, quam redemiſti.

Sed & lingua mea tota die meditabitur iuſtitiam tuam: cũ confuſi & reueriti fuerint qui quærũt mala mihi.

Pſalmus 71.

Deus iudicium tuum regi da: & iuſtitiam tuam filio regis.

Iudicare populum tuum in iuſtitia: & pauperes tuos in iudicio.

Suſcipiant montes pacem populo: & colles iuſtitiam.

Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum ſole, & ante lunam: in generatione & generationem.

Deſcendet ſicut pluuia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.

Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna.

Et dominabitur à mari vſque ad mare: & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Aethiopes: & inimici eius terram lingent.

Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: reges Arabum, Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſeruient ei.

Quia liberabit pauperem à potente: & pauperem, cui non erat adiutor.

Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum ſaluas faciet.

Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.

Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper: tota die benedicent ei.

Et erit firmamentũ in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper Liba-

Digitized by Google

Libanum fructus eius: & florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ.

Sit nomen eius benedictum in ſæcula: ante ſolem permanet nomen eius.

Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Iſrael: qui facit mirabilia ſolus.

Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum: & replebitur maieſtate eius omnis terra: fiat, fiat.

Antiphona. Eſto mihi Domine in Deum protectorem.

Pſalmus 72.

Qvàm bonus Iſrael Deus: his qui recto ſunt corde!

Mei autem pene moti ſunt pedes: pene effuſi ſunt greſſus mei.

Quia zelaui ſuper iniquos: pacem peccatorum videns.

Quia non eſt reſpectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum.

In labore hominum non ſunt: & cum hominibus non flagellabuntur.

Ideo tenuit eos ſuperbia: operti ſunt iniquitate, & impietate ſua.

Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum: tranſierunt in affectum cordis.

Cogitauerunt, & locuti ſunt nequitiam: iniquitatem in excelſo locuti ſunt.

Poſuerunt in cælum os ſuum: & lingua eorum tranſiuit in terra.

Ideo conuertetur populus meus hic: & dies pleni inuenientur in eis.

Et dixerunt, Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in excelſo?

Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo: obtinuerunt diuitias.

Et dixi, Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum: & laui inter innocentes manus meas.

Et fui flagellatus tota die: & caſtigatio mea in matutinis.

Si dicebam, Narrabo ſic: ecce nationem filiorum tuorum reprobaui.

Exiſtimabam vt cognoſcerem hoc: labor eſt ante me.

Donec intrem in Sanctuarium Dei: & intelligam in nouiſſimis eorum.

Verumtamen propter dolos poſuiſti eis: deieciſti eos, dum alleuarentur.

Quomodo facti ſunt in deſolationẽ, ſubito defecerunt: perierunt propter iniquitatem ſuam.

Velut ſomnium ſurgentium Domine: in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.

Quia inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt: & ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui.

Vt iumentum factus ſum apud te: & ego ſemper tecum.

Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me: & cum gloria ſuſcepiſti me.

Quid enim mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terram?

Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Quia ecce, qui elongant ſe à te, peribunt: perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te.

Mihi autem adhærere Deo bonum eſt: ponere in Domino Deo ſpem meam.

V t annunciem omnes prædicationes tuas: in portis filiæ Sion.

Pſalmus 73.

VT quid Deus repuliſti in finē? iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ?

M emor eſto congregationis tuæ: quam poſſediſti ab initio.

R edemiſti virgam hereditatis tuæ: mons Sion, in quo habitaſti in eo.

L eua manus tuas in ſuperbias eorū in finem: quanta malignatus eſt inimicus in ſancto!

E t gloriati ſunt qui oderunt te: in medio ſolemnitatis tuæ.

P oſuerunt ſigna ſua, ſigna: & non cognouerunt, ſicut in exitu ſuper ſummum.

Q uaſi in ſilua lignorum ſecuribus exciderunt ianuas eius in idipſum: in ſecuri & aſcia deiecerunt eam.

I ncenderunt igni Sanctuarium tuū: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

D ixerunt in corde ſuo cognatio eorum ſimul: Quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra.

S igna noſtra non vidimus, iam non eſt propheta: & nos non cognoſcet amplius.

V ſquequo Deus improperabit inimicus? irritat aduerſarius nomen tuum in finem?

D eus autem rex noſter ante ſæcula: operatus eſt ſalutem in medio terræ.

T u confirmaſti in virtute tua mare: contribulaſti capita draconum in aquis.

T u confregiſti capita draconis: dediſti eum eſcam populis Aethiopum.

T u dirupiſti fontes & torrentes: tu ſiccaſti fluuios Ethan.

T uus eſt dies, & tua eſt nox: tu fabricatus es auroram & ſolem.

T u feciſti omnes terminos terræ: æſtatem & ver tu plaſmaſti ea.

M emor eſto huius, inimicus improperauit Domino: & populus inſipiens incitauit nomen tuum.

N e tradas beſtijs animas confitentes tibi: & animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem.

R eſpice in teſtamentum tuum: quia repleti ſunt, qui obſcurati ſunt, terræ domibus iniquitatum.

N e auertatur humilis factus confuſus: pauper & inops laudabunt nomen tuum.

E xurge Deus, iudica cauſam tuam: memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die.

N e obliuiſcaris voces inimicorum tuorum: ſuperbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper.

Aña. Liberaſti virgā hereditatis tuæ.

Pſalmus 74.

COnfitebimur tibi Deus: confitebimur, & inuocabimus nomen tuum.

N arrabimus mirabilia tua: cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.

L ique-

Digitized by Google

L iquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.
D ixi iniquis, Nolite inique agere: & delinquentibus, Nolite exaltare cornu.
N olite extollere in altum cornu veſtrum: nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem.
Q uia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deſertis montibus: quoniam Deus iudex eſt.
H unc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini, vini meri plenus mixto.
E t inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ.
E go autem annunciabo in ſæculum: cantabo Deo Iacob.
E t omnia cornua peccatorum confringam: & exaltabũtur cornua iuſti.

Pſalmus 75.

N Otus in Iudæa Deus: in Iſrael magnum nomen eius.
E t factus eſt in pace locus eius: & habitatio eius in Sion.
I bi confregit potentias arcuum: ſcutum, gladium, & bellum.
I lluminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati ſunt omnes inſipientes corde.
D ormierunt ſomnum ſuum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.
A b increpatione tua Deus Iacob: dormitauerunt qui aſcenderunt equos.
T u terribilis es, & quis reſiſtet tibi? ex tunc in ira tua.
D e cælo auditum feciſti iudicium: terra tremuit, & quieuit.
C um exurgeret in iudicium Deus: vt ſaluos faceret omnes manſuetos terræ.
Q uoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.
V ouete, & reddite Domino Deo veſtro: omnes qui in circuitu eius affertis munera.
T erribili, & ei qui aufert ſpiritum principum: terribili apud reges terræ. Ant. In Iſrael magnum nomen eius.

Pſalmus 76.

V Oce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum, & intendit mihi.
I n die tribulationis meæ Deum exquiſiui, manibus mei nocte contra eum: & non ſum deceptus.
R enuit conſolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus.
A nticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus ſum, & non ſum locutus.
C ogitaui dies antiquos: & annos æternos in mente habui.
E t meditatus ſum nocte cum corde meo: & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.
N umquid in æternũ proijciet Deus: aut non apponet vt complacitior ſit adhuc?
A ut in finem miſericordiam ſuam

Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, labia mea laudabunt te.
Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.
Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.
Si memor fui tui ſuper ſtratum meũ, in matutinis meditabor in te: quia fuiſti adiutor meus.
Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te; me ſuſcepit dextera tua.
Ipſi vero in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.
Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo: quia obſtructum eſt os loquẽtium iniqua.

Pſalmus 63.

Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam.
Protexiſti me à conuentu malignantium: à multitudine operantium iniquitatem.
Quia exacuerũt vt gladium linguas ſuas: intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum.
Subito ſagittabunt eum, & non timebunt: firmauerunt ſibi ſermonem nequam.
Narrauerunt vt abſconderent laqueos: dixerunt, Quis videbit eos?
Scrutati ſunt iniquitates: defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.
Accedet homo ad cor altum: & exaltabitur Deus.
Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum: & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.
Conturbati ſunt omnes qui videbãt eos: & timuit omnis homo.
Et annunciauerunt opera Dei: & facta eius intellexerunt.
Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.
Antiphona. A timore inimici eripe Domine animam meam.

N. Pſalmus 64.

Te decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Ieruſalem.
Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.
Verba iniquorum præualuerunt ſuper nos: & impietatibus noſtris tu propitiaberis.
Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti: inhabitabit in atrijs tuis.
Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.
Exaudi nos Deus ſalutaris noſter: ſpes omnium finium terræ in mari longe.
Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius.
Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis:

exitus matutini & veſpere delectabis.
Viſitaſti terram, & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam.
Flumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum: quoniam ita eſt præparatio eius.
Riuos eius inebria, multiplica genimina eius: in ſtillicidijs eius lætabitur germinans.
Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur vbertate.
Pingueſcent ſpecioſa deſerti: & exultatione colles accingentur.
Induti ſunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

Pſalmus 65.

IVbilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.
Dicite Deo, Quàm terribilia ſunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.
Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo.
Venite, & videte opera Dei: terribilis in conſilijs ſuper filios hominum.
Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede: ibi lætabimur in ipſo.
Qui dominatur in virtute ſua in æternum, oculi eius ſuper gentes reſpiciunt: qui exaſperant non exaltentur in ſemetipſis.
Benedicite gentes Deum noſtrum: & auditam facite vocem laudis eius.
Qui poſuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.
Quoniam probaſti nos Deus: igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.
Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro: impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.
Tranſiuimus per ignem, & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium.
Introibo in domum tuam in holocauſtis: reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.
Et locutum eſt os meum: in tribulatione mea.
Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum: offeram tibi boues cum hircis.
Venite, audite, & narrabo omnes qui timetis Deum: quanta fecit animæ meæ.
Ad ipſum ore meo clamaui: & exaltaui ſub lingua mea.
Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo: non exaudiet Dominus.
Propterea exaudiuit Deus: & attendit voci deprecationis meæ.
Benedictus Deus: qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.

N. Pſalmus 66.

DEus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

V t cognoſcamus in terra viam tuã: in omnibus gentibus ſalutare tuum.
C onfiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.
L ætentur & exultent gentes: quoniã iudicas populo in æquitate, & gentes in terra dirigis.
C onfiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.
B enedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Pſalmus 67

E Xurgat Deus, & diſſipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum, à facie eius.
S icut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.
E t iuſti epulentur, & exultent in cõſpectu Dei: & delectentur in lætitia.
C antate Deo pſalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi.
Exultate in conſpectu eius: turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.
D eus in loco ſancto ſuo: Deus, qui inhabitare facit vnius moris in domo.
Q ui educit vinctos in fortitudine: ſimiliter eos qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.
Deus cum egredereris in conſpectu pupuli: tui: cum pertranſires in deſerto.
T erra mota eſt, etenim cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai: à facie Dei Iſrael.
P luuiã voluntariã ſegregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata eſt: tu vero perfeciſti eam.
A nimalia tua habitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.
D ominus dabit verbum euangelizantibus: virtute multa.
R ex virtutum dilecti dilecti: & ſpeciei domus diuidere ſpolia.
S i dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: & poſteriora dorſi eius in pallore auri.
D um diſcernit cæleſtis reges ſuper eam, niue dealbabuntur in Selmon: mons Dei, mons pinguis.
M ons coagulatus, mons pinguis: vt quid ſuſpicamini montes coagulatos?
M ons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.
C urrus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto.
A ſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem: accepiſti dona in hominibus.
E tenim non credentes: inhabitare Dominum Deum.
Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.
D eus noſter, Deus ſaluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.
V erumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

Dixit

Dixit Dominus, Ex Baſan conuertam: conuertam in profundũ maris.
Vt intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.
Viderunt ingreſſus tuos Deus: ingreſſus Dei mei, regis mei qui eſt in ſancto.
Præuenerunt principes cõiũcti pſallentibus: in medio iuuencularum tympaniſtriarum.
In eccleſijs benedicite Deo Domino: de fontibus Iſrael.
Ibi Beniamin adoleſcentulus: in mentis exceſſu.
Principes Iuda, duces eorum: principes Zabulon principes Nephthali.
Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, qui operatus es in nobis.
A templo tuo in Ieruſalem: tibi offerent reges munera.
Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos qui probati ſunt argento.
Diſſipa gentes quæ bella volunt, venient legati ex Aegypto: Aethiopia præueniet manus eius Deo.
Regna terræ cantate Deo: pſallite Domino.
Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cælum cæli: ad Orientem.
Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper Iſrael: magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.
Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael: ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ, benedictus Deus.

Antiphona. In eccleſijs benedicite Domino.

℣. Deus vitam meã annunciaui tibi.
℟. Poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo. In Aduentu. ℣. Egredietur Dominus. In Quadrageſ. ℣. Scapulis ſuis. Tempore Paſſ. ℣. Ne perdas cum impijs Deus.

In Laudibus, Antiphona.

Amplius laua me Domine ab iniuſtitia mea. Pſalm. Miſerere. 33. Aña. Te decet hymnus Deus in Sion. Pſalmus Ipſe 40. Antiphona. Labia mea laudabunt te in vita mea, Deus Deus. Pſalm. Deus Deus. 40. Antiphona. Dominus iudicabit fines terræ. Cantic. Exultauit. 101. Aña. Cæli cælorum laudate Deum. Pſal. Laudate. 98. Ad Benedictus, Aña. Salutẽ ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui nos oderunt, libera nos Dñe. Cant. Benedictus. 106.

FERIA QVINTA.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Adoremus Dominum, Quoniam ipſe fecit nos. Pſalmus 68.

Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.
Infixus ſum in limo profundi: & non eſt ſubſtantia.
Veni in altitudinem maris: & tempeſtas demerſit me.
Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.
Multiplicati ſunt ſuper capillos capi-

Digitized by Google

capitis mei: qui oderunt me gratis.
Conſortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſte: quæ non rapui, tunc exolnebam.
Deus tu ſcis inſipientiam meam: & delicta mea à te non ſunt abſcondita.
Non erubeſcant in me, qui expectãt te Domine: Domine virtutum.
Non confundantur ſuper me: qui quærunt te Deus Iſrael.
Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam.
Extraneus factus ſum fratribus meis: & peregrinus filijs matris meæ.
Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.
Et operui in ieiunio animam meam: & factum eſt in opprobrium mihi.
Et poſui veſtimentum meum ciliciũ: & factus ſum illis in parabolam.
Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta: & in me pſallebant qui bibebant vinum.
Ego vero orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.
In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me: in veritate ſalutis tuæ.
Eripe me de luto, vt infigar: libera me ab ijs qui oderunt me, & de profundis aquarum.
Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum: neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.
Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me.
Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.
Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos eripe me.
Tu ſcis improperiũ meum, & confuſionem meam: & reuerentiam meam.
In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me: improperium expectauit cor meum, & miſeriam.
Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni.
Et dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potauerunt me aceto.
Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum: & in retributiones, & in ſcandalum.
Obſcurentur oculi eorum ne videãt: & dorſum eorum ſemper incurua.
Effunde ſuper eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.
Fiat habitatio eorum deſerta: & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.
Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt.
Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum: & non intrent in iuſtitiam tuam.
Deleantur de Libro viuentium: & cum iuſtis non ſcribantur.
Ego ſum pauper & dolens: ſalus tua Deus ſuſcepit me.
Lauabo nomen Dei cum cantico: & ma-

Digitized by Google

& magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum: cornua producentem & vngulas.

Videant pauperes, & lætentur: quærite Deum, & viuet anima veſtra.

Quoniam exaudiuit pauperes Dominus: & vinctos ſuos non deſpexit.

Laudent illum cæli & terra: mare, & omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus ſaluam faciet Sion: & ædificabuntur ciuitates Iuda.

Et inhabitabunt ibi: & hereditate acquirent eam.

Et ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam: & qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.

Pſalmus 69.

DEus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandũ me feſtina.

Confundantur & reuereantur: qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorſum, & erubeſcãt: qui volunt mihi mala.

Auertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætẽtur in te omnes qui quærunt te, & dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego vero egenus, & pauper ſum: Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Añ. Domine Deus in adiutorium meum intende.

Pſalmus 70.

IN te Domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me, & eripe me.

Inclina ad me aurem tuam: & ſalua me.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum: vt ſaluum me facias.

Quoniam firmamentum meum: & refugium meum es tu.

Deus meus eripe me de manu peccatoris: & de manu contra legem agentis, & iniqui.

Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine ſpes mea à iuuentute mea.

In te confirmatus ſum ex vtero: de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantatio mea ſemper: tamquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis.

Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam.

Ne proijcias me in tempore ſenectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in vnum.

Dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum: quia non eſt qui eripiat.

Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice.

Confundantur & deficiant detrahen-

hentes animæ operiantur confuſione & pudore, qui quærunt mala mihi.

Ego autem ſemper ſperabo: & adijciam ſuper omnem laudem tuam.

Os meum annunciabit iuſtitiam tuam: tota die ſalutare tuum.

Quoniam non cognoui litteraturã, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.

Deus docuiſti me à iuuentute mea: & vſque nunc pronunciabo mirabilia tua.

Et vſque in ſenectam & ſenium: Deus ne derelinquas me.

Donec annunciem brachium tuum: generationi omni, quæ ventura eſt.

Potentiam tuam, & iuſtitiam tuam: Deus vſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia: Deus qui ſimilis tibi?

Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas, & conuerſus viuificaſti me: & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me.

Multiplicaſti magnificentiam tuam: & conuerſus conſolatus es me.

Nam & ego confitebor tibi in vaſis pſalmi veritatem tuam: Deus pſallam tibi in cithara ſanctus Iſrael.

Exultabunt labia mea cum cantauero tibi: & anima mea, quam redemiſti.

Sed & lingua mea tota die meditabitur iuſtitiam tuam: cũ confuſi & reueriti fuerint qui quærũt mala mihi.

Pſalmus 71.

Deus iudicium tuum regi da: & iuſtitiam tuam filio regis.

Iudicare populum tuum in iuſtitia: & pauperes tuos in iudicio.

Suſcipiant montes pacem populo: & colles iuſtitiam.

Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.

Et permanebit cum ſole, & ante lunam: in generatione & generationem.

Deſcendet ſicut pluuia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.

Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis: donec auferatur luna.

Et dominabitur à mari vſque ad mare: & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Aethiopes: & inimici eius terram lingent.

Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: reges Arabum, Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſeruient ei.

Quia liberabit pauperem à potente: & pauperem, cui non erat adiutor.

Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum ſaluas faciet.

Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.

Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper: tota die benedicent ei.

Et erit firmamentũ in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper

Liba-

Libanum fructus eius: & florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ.
Sit nomen eius benedictum in ſæcula: ante ſolem permanet nomen eius.
Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.
Benedictus Dominus Deus Iſrael: qui facit mirabilia ſolus.
Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum: & replebitur maieſtate eius omnis terra: fiat, fiat.
Antiphona. Eſto mihi Domine in Deum protectorem.
Pſalmus 72.
Qvàm bonus Iſrael Deus: his qui recto ſunt corde!
Mei autem pene moti ſunt pedes: pene effuſi ſunt greſſus mei.
Quia zelaui ſuper iniquos: pacem peccatorum videns.
Quia non eſt reſpectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum.
In labore hominum non ſunt: & cum hominibus non flagellabuntur.
Ideo tenuit eos ſuperbia: operti ſunt iniquitate, & impietate ſua.
Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum: tranſierunt in affectum cordis.
Cogitauerunt, & locuti ſunt nequitiam: iniquitatem in excelſo locuti ſunt.
Poſuerunt in cælum os ſuum: & lingua eorum tranſiuit in terra.
Ideo conuertetur populus meus hic: & dies pleni inuenientur in eis.
Et dixerunt, Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in excelſo?
Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſæculo: obtinuerunt diuitias.
Et dixi, Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum: & laui inter innocentes manus meas.
Et fui flagellatus tota die: & caſtigatio mea in matutinis.
Si dicebam, Narrabo ſic: ecce nationem filiorum tuorum reprobaui.
Exiſtimabam vt cognoſcerem hoc: labor eſt ante me.
Donec intrem in Sanctuarium Dei: & intelligam in nouiſſimis eorum.
Verùmtamen propter dolos poſuiſti eis: deieciſti eos, dum alleuarentur.
Quomodo facti ſunt in deſolationē, ſubito defecerunt: perierunt propter iniquitatem ſuam.
Velut ſomnium ſurgentium Domine: in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.
Quia inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt: & ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui.
Vt iumentum factus ſum apud te: & ego ſemper tecum.
Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me: & cum gloria ſuſcepiſti me.
Quid enim mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terram?
Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.
Quia ecce, qui elongant ſe à te, peribunt: perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te.

Digitized by Google

L iquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.
D ixi iniquis, Nolite inique agere: & delinquentibus, Nolite exaltare cornu.
N olite extollere in altum cornu veſtrum: nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem.
Q uia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à deſertis montibus: quoniam Deus iudex eſt.
H unc humiliat,& hunc exaltat:quia calix in manu Domini,vini meri plenus mixto.
E t inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ.
E go autem annunciabo in ſæculum: cantabo Deo Iacob.
E t omnia cornua peccatorum confringam:& exaltabũtur cornua iuſti.

Pſalmus 75.

NOtus in Iudæa Deus: in Iſrael magnum nomen eius.
E t factus eſt in pace locus eius; & habitatio eius in Sion.
I bi confregit potentias arcuum: ſcutum, gladium, & bellum.
I lluminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati ſunt omnes inſipientes corde.
D ormierunt ſomnum ſuum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.
A b increpatione tua Deus Iacob: dormitauerunt qui aſcenderunt equos.
T u terribilis es, & quis reſiſtet tibi? ex tunc in ira tua.
D e cælo auditum feciſti iudicium: terra tremuit, & quieuit.
C um exurgeret in iudicium Deus: vt ſaluos faceret omnes manſuetos terræ.
Q uoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.
V ouete,& reddite Domino Deo veſtro: omnes qui in circuitu eius affertis munera.
T erribili, & ei qui aufert ſpiritum principum: terribili apud reges terræ. Ant. In Iſrael magnum nomen eius.

Pſalmus 76.

VOce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum, & intendit mihi.
I n die tribulationis meæ Deum exquiſiui, manibus mei nocte contra eum: & non ſum deceptus.
R enuit conſolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus.
A nticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus ſum, & non ſum locutus.
C ogitaui dies antiquos: & annos æternos in mente habui.
E t meditatus ſum nocte cum corde meo: & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.
N umquid in æternũ proijciet Deus: aut non apponet vt complacitior ſit adhuc?
A ut in finem miſericordiam ſuam

abſcindent: à generatione in generationem?

Aut obliuiſcetur miſereri Deus: aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?

Et dixi, Nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ Excelſi.

Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinuentionibus tuis exercebor.

Deus in ſancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter? tu es Deus, qui facis mirabilia.

Notam feciſti in populis virtutem tuam: redemiſti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob & Ioſeph.

Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ: & timuerunt, & turbatæ ſunt abyſſi.

Multitudo ſonitus aquarum: vocem dederunt nubes.

Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt: vox tonitrui tui in rota.

Illuxerunt corruſcationes tuæ orbi terræ: commota eſt, & contremuit terra.

In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis: & veſtigia tua non cognoſcentur.

Deduxiſti ſicut oues populum tuũ: in manu Moyſi & Aaron.

Pſalmus 77.

ATtendite popule meus legem meam: inclinate aurem veſtram in verba oris mei.

Aperiam in parabolis os meum: loquar propoſitiones ab initio.

Quanta audiuimus, & cognouimus ea: & patres noſtri narrauerunt nobis?

Non ſunt occultata à filijs eorum: in generatione altera.

Narrantes laudes Domini, & virtutes eius: & mirabilia eius quæ fecit.

Et ſuſcitauit teſtimonium in Iacob: & legem poſuit in Iſrael.

Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis: vt cognoſcat generatio altera.

Filij qui naſcentur, & exurgent: & narrabunt filijs ſuis.

Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei: & mandata eius exquirant.

Ne fiant ſicut patres eorum: generatio praua & exaſperans.

Generatio quæ non direxit cor ſuũ: & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius.

Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum: conuerſi ſunt in die belli.

Non cuſtodierunt teſtamẽtum Dei: & in lege eius noluerunt ambulare.

Et obliti ſunt benefactorum eius: & mirabilium eius, quæ oſtendit eis.

Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti: in campo Taneos.

Interrupit mare, & perduxit eos: & ſtatuit aquas quaſi in vtre.

Et deduxit eos in nube diei: & tota nocte in illuminatione ignis.

Inter-

Digitized by Google

Interrupit petram in eremo: & adaquauit eos velut in abyſſo multa.
Et eduxit aquam de petra: & deduxit tamquam flumina aquas.
Et appoſuerunt adhuc peccare ei: in iram excitauerunt Excelſum in inaquoſo.
Et tentauerunt Deum in cordibus ſuis: vt peterent eſcas animabus ſuis.
Et male locuti ſunt de Deo: dixerũt, Numquid poterit Deus parare menſam in deſerto?
Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ: & torrentes inundauerunt.
Numquid & panem poterit dare: aut parare menſam populo ſuo?
Ideo audiuit Dominus, & diſtulit: & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſrael.
Quia non crediderunt in Deo: nec ſperauerunt in ſalutari eius.
Et mandauit nubibus deſuper: & ianuas cæli aperuit.
Et pluit illis manna ad manducandum: & panem cæli dedit eis.
Panem Angelorum manducauit homo: cibaria miſit eis in abundantia.
Tranſtulit Auſtrum de cælo: & induxit in virtute ſua Africum.
Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes: & ſicut arenam maris volatilia pennata.
Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum: circa tabernacula eorum.
Et manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis: non ſunt fraudati à deſiderio ſuo.
Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum: & ira Dei aſcendit ſuper eos.
Et occidit pingues eorum: & electos Iſrael impediuit.
In omnibus his peccauerunt adhuc: & non crediderunt in mirabilibus eius.
Et defecerunt in vanitate dies eorũ: & anni eorum cum feſtinatione.
Cum occideret eos, quærebant eum: & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.
Et rememorati ſunt quia Deus adiutor eſt eorum: & Deus excelſus redemptor eorum eſt.
Et dilexerunt eum in ore ſuo: & lingua ſua mentiti ſunt ei.
Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius.
Ipſe autem eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum: & non diſperdet eos.
Et abundauit vt auerteret irã ſuam: & non accendit omnem iram ſuam.
Et recordatus eſt quia caro ſunt: ſpiritus vadens, & non rediens.
Quoties exacerbauerunt eum in deſerto: & in iram concitauerunt eum in inaquoſo?
Et conuerſi ſunt, & tentauerunt Deũ: & ſanctũ Iſrael exacerbauerunt.
Non ſunt recordati manus eius: die qua redemit eos de manu tribulãtis.
Sicut poſuit in Aegypto ſigna ſua: & prodigia ſua in campo Taneos.
Et conuertit in ſanguinem flumina eorum:

eorum:& imbres eorum,ne biberent.

Miſit in eos cœnomyiam, & comedit eos:& ranam, & diſperdidit eos.

Et dedit ærugini fructus eorum: & labores eorum locuſtæ.

Et occidit in grandine vineas eorũ: & moros eorum in pruina.

Et tradidit grandini iumenta eorũ: & poſſeſſionem eorum igni.

Miſit in eos iram indignationis ſuæ: indignationem, & iram, & tribulationem, immiſsiones per angelos malos.

Viam fecit ſemitæ iræ ſuæ, & non pepercit à morte animabus eorum: & iumenta eorum in morte concluſit.

Et percuſsit omne primogenitum in terra Aegypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

Et abſtulit ſicut oues populum ſuum: & perduxit eos tamquam gregem in deſerto.

Et deduxit eos in ſpe, & non timuerunt: & inimicos eorum operuit mare.

Et induxit eos in montẽ ſanctificationis ſuæ: montem quem acquiſiuit dextera eius.

Et eiecit à facie eorum gentes: & ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis.

Et habitare fecit in tabernaculis eorum: tribus Iſrael.

Et tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelſum: & teſtimonia eius non cuſtodierunt.

Et auerterunt ſe,& non ſeruauerunt pactum: quemadmodum patres eorum, conuerſi ſunt in arcum prauũ.

In iram concitauerunt eum in collibus ſuis: & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum prouocauerunt.

Audiuit Deus, & ſpreuit: & ad nihilum redegit valde Iſrael.

Et repulit tabernaculum Silo: tabernaculum ſuum, vbi habitauit in hominibus.

Et tradidit in captiuitatem virtutẽ eorum: & pulchritudinem eorum in manus inimici.

Et concluſit in gladio populum ſuũ: & hereditatem ſuam ſpreuit.

Iuuenes eorum comedit ignis: & virgines eorum non ſunt lamentatæ.

Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: & viduæ eorum non plorabantur.

Et excitatus eſt tamquam dormiens Dominus: tamquam potens crapulatus à vino.

Et percuſsit inimicos ſuos in poſteriora: opprobrium ſempiternum dedit illis.

Et repulit tabernaculum Ioſeph: & tribum Ephraim non elegit.

Sed elegit tribum Iuda: montem Sion quem dilexit.

Et ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium ſuum in terra: quam fundauit in ſæcula.

Et elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium: de poſt fœtantes accepit eum.

Paſcere Iacob ſeruum ſuum: & Iſrael hereditatem ſuam.

Digitized by Google

Et pauit eos innocentia cordis ſui: & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.

Aña. Tu es Deus, qui facis mirabilia.

Pſalmus 78.

DEus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam.

Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum, eſcas volatilibus cæli: carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ.

Effuderunt ſanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Ieruſalem: & non erat qui ſepeliret.

Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris: ſubſannatio & illuſio his qui in circuitu noſtro ſunt.

Vſquequo Domine iraſceris in finẽ: accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt.

Quia comederunt Iacob: & locum eius deſolauerunt.

Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ: quia pauperes facti ſumus nimis.

Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus, Vbi eſt Deus eorum? & innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris.

Vltio ſanguinis ſeruorum tuorum, qui effuſus eſt: introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachij tui: poſſide filios mortificatorum.

Et redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum: improperium ipſorum, quod exprobrauerunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus, & oues paſcuæ tuæ: confitebimur tibi in ſæculum.

In generationem & generationem: annunciabimus laudem tuam.

Pſalmus 79.

QVi regis Iſrael intende: qui deducis velut ouem Ioſeph.

Qui ſedes ſuper Cherubim: manifeſtare coram Ephraim, Beniamin, & Manaſſe.

Excita potentiam tuam, & veni: vt ſaluos facias nos.

Deus conuerte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.

Domine Deus virtutum: quouſque iraſceris ſuper orationem ſerui eius?

Cibabis nos pane lacrymarum: & potum dabis nobis in lacrymis in menſura.

Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris: & inimici noſtri ſubſannauerunt nos.

Deus virtutum conuerte nos: & oſtẽde faciem tuam, & ſalui erimus.

Vineam de Aegypto tranſtuliſti: eieciſti gentes, & plantaſti eam.

Dux itineris fuiſti in conſpectu eius: plantaſti radices eius, & impleuit terram.

Operuit montes vmbra eius: & arbuſta-

buſta eius cedros Dei.
Extendit palmites ſuos vſque ad mare: & vſque ad flumen propagines eius.
Vt quid deſtruxiſti maceriam eius: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?
Exterminauit eam aper de ſilua: & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.
Deus virtutum conuertere: reſpice de cælo,& vide,& viſita vineam iſtã.
Et perfice eam,quam plantauit dextera tua: & ſuper filium hominis,quẽ confirmaſti tibi.
Incenſa igni, & ſuffoſſa: ab increpatione vultus tui peribunt.
Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ:& ſuper filium hominis,quem confirmaſti tibi.
Et non diſcedimus à te, viuificabis nos: & nomen tuum inuocabimus.
Domine Deus virtutum conuerte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.
Añã. Propitius eſto peccatis noſtris Domine. ℣. Gaudebunt labia mea, cum cantauero tibi. ℟. Et anima mea quam redemiſti. In Aduentu ℣. Ex Sion ſpecies. In Quadrageſ. ℣. Dicet Domino. Tempore Paſſ. ℣. Erue à framea Deus.

In Laudibus, Antiphona.

TIbi ſoli peccaui Domine,miſerere mei. Pſalm. Miſerere. 33. Añã. Domine refugium factus es nobis. Pſal. Ipſe. 60. Añã. In matutinis Domine meditabor in te. Pſal. Deus Deus. 40. Añã. In æternum Dominus regnabit, & vltra. Cant. Cantemus. 102. Añã. In Sanctis eius laudate Deũ. Pſ. Laudate. 98. Ad Benedictus, Añã. In ſanctitate ſeruiamus Domino,& liberabit nos ab inimicis noſtris. Cantic. Benedictus 106.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum, Inuitatorium.
Dominum qui fecit nos, Venite adoremus. Pſalmus 80.

EXultate Deo adiutori noſtro: iubilate Deo Iacob.
Sumite pſalmum, & date tympanum: pſalterium iucundum cum cithara.
Buccinate in Neomenia tuba: in inſigni die ſolemnitatis veſtræ.
Quia præceptum in Iſrael eſt: & iudicium Deo Iacob.
Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud, cum exiret de terra Aegypti: linguã quam non nouerat, audiuit.
Diuertit ab oneribus dorſum eius: manus eius in cophino ſeruierunt.
In tribulatione inuocaſti me, & liberaui te: exaudiui te in abſcondito tempeſtatis, probaui te apud aquam contradictionis.
Audi populus meus, & conteſtabor te: Iſrael ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis deum alienum.
Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: dilata os tuum, & implebo illud.
Et non audiuit populus meus vocem meam: & Iſrael non intendit mihi.
Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis

Digitized by Google

cordis eorum: ibunt in adinuentionibus ſuis.
S i populus meus audiſſet me: Iſrael ſi in vijs meis ambulaſſet.
P ro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem: & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam.
I nimici Domini mentiti ſunt ei: & erit tempus eorum in ſæcula.
E t cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra, melle ſaturauit eos.

Pſalmus 81.

DEus ſtetit in ſynagoga deorum: in medio autẽ deos diiudicat.
V ſquequo iudicatis iniquitatem: & facies peccatorum ſumitis?
I udicate egeno & pupillo: humilem & pauperem iuſtificate.
E ripite pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate.
N eſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: mouebuntur omnia fundamenta terræ.
E go dixi, Dij eſtis: & filij excelſi omnes.
V os autẽ ſicut homines moriemini: & ſicut vnus de principibus cadetis.
S urge Deus, iudica terram: quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.
Aña. Exultate Deo adiutori noſtro.

Pſalmus 82.

DEus, quis ſimilis erit tibi? ne taceas, neque compeſcaris Deus.
Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt: & qui oderunt te, extulerunt caput.
Super populum tuum malignauerunt conſilium: & cogitauerunt aduerſus ſanctos ſuos.
D ixerunt, Venite, & diſperdamus eos de gente: & non memoretur nomen Iſrael vltra.
Q uoniam cogitauerunt vnanimiter: ſimul aduerſum te teſtamentum diſpoſuerunt, tabernacula Idumæorum & Iſmahelitæ.
M oab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalec: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.
E tenim Aſſur venit cum illis: facti ſunt in adiutorium filijs Lot.
F ac illis ſicut Madian, & Siſaræ: ſicut Iabin in torrente Ciſſon.
D iſperierunt in Endor: facti ſunt vt ſtercus terræ.
P one principes eorum ſicut Oreb: & Zeb, & Zebee, & Salmana.
O mnes principes eorum, qui dixerunt: Hereditate poſſideamus Sanctuarium Dei.
D eus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.
S icut ignis, qui comburit ſiluam: & ſicut flamma comburens montes.
I ta perſequeris illos in tempeſtate tua: & in ira tua turbabis eos.
I mple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum Domine.
E rubeſcant & conturbentur in ſæculum ſæculi: & confundantur & pereant.
V t cognoſcant quia nomen tibi Dominus: tu ſolus, Altiſſimus in omni terra.

Pſalmus 83.

QVàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: cõcupiſcit & de-

& deficit anima mea in atria Domini.
Cor meum & caro mea: exultauerunt in Deum viuum.
Etenim paſſer inuenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos.
Altaria tua Domine virtutum: rex meus & Deus meus.
Beati qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.
Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.
Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.
Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.
Protector noſter aſpice Deus: & reſpice in faciem Chriſti tui.
Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis: ſuper millia.
Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.
Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.
Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.
Aña. Tu ſolus Altiſsimus ſuper omnem terram.

Pſalmus 84.

BEnedixiſti Domine terram tuã: auertiſti captiuitatem Iacob.
Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.
Mitigaſti omnem iram tuam: auertiſti ab ira indignationis tuæ.
Conuerte nos Deus ſalutaris noſter: & auerte iram tuam à nobis.
Numquid in æternum iraſceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?
Deus tu conuerſus viuificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.
Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis.
Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.
Et ſuper ſanctos ſuos: & in eos qui conuertuntur ad cor.
Verumtamen prope timentes eum ſalutare ipſius: vt inhabitet gloria in terra noſtra.
Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.
Veritas de terra orta eſt: & iuſtitia de cælo proſpexit.
Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.
Iuſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.

Pſalmus 85.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops & pauper ſum ego.
Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum: ſaluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperantem in te.

Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die: lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui.

Quoniam tu Domine ſuauis & mitis: & multæ miſericordiæ omnibus inuocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudiſti me.

Non eſt ſimilis tui in dijs Domine: & non eſt ſecundum opera tua.

Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui inſurrexerũt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.

Et tu Domine Deus miſerator & miſericors: patiens, & multæ miſericordiæ, & verax.

Reſpice in me, & miſerere mei: da imperium tuum puero tuo, & ſaluum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me.

Aña. Benedixiſti Domine terram tuam.

Pſalmus 86.

Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.

Glorioſa dicta ſunt de te: ciuitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylonis: ſcientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum: hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet, Homo, & homo natus eſt in ea: & ipſe fundauit eam Altiſsimus.

Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum: horum qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium: habitatio eſt in te.

Pſalmus 87.

Domine Deus ſalutis meæ: in die clamaui & nocte, coram te.

Intret in conſpectu tuo oratio mea. inclina aurem tuam ad precem meã.

Quia repleta eſt malis anima mea: & vita mea inferno appropinquauit.

Aeſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum: factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius: & ipſi de manu tua repulſi ſunt.

Poſuerunt me in lacu inferiori: in

tene-

tenebroſis, & in vmbra mortis.

Super me confirmatus eſt furor tuus: & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.

Longe feciſti notos meos à me: poſuerunt me abominationem ſibi.

Traditus ſum, & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.

Clamaui ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia: aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam: & veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua: & iuſtitia tua in terra obliuionis?

Et ego ad te Domine clamaui: & mane oratio mea præueniet te.

Vt quid Domine repellis orationem meam: auertis faciem tuam à me?

Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem, humiliatus ſum & conturbatus.

In me tranſierunt iræ tuæ: & terrores tui conturbauerunt me.

Circumdederunt me ſicut aqua tota die: circumdederunt me ſimul.

Elongaſti à me amicum & proximũ: & notos meos à miſeria.

Aña. Fundamenta eius in montibus ſanctis. Pſalmus 88.

Miſericordias Domini: in æternum cantabo.

In generationem & generationem: annũciabo veritatem tuã in ore meo.

Quoniam dixiſti, In æternum miſericordia ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis.

Diſpoſui teſtamentum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo: vſque in æternum præparabo ſemen tuum.

Et ædificabo in generationem & generationem: ſedem tuam.

Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in Eccleſia ſanctorum.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: ſimilis erit Deo in filijs Dei?

Deus qui glorificatur in conſilio ſanctorum: magnus & terribilis ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt.

Domine Deus virtutum quis ſimilis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris poteſtati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas.

Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum: in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos.

Tui ſunt cæli, & tua eſt terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti: Aquilonem, & mare tu creaſti.

Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia.

Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua: iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ.

Miſericordia & veritas præcedẽt faciem tuam: beatus populus, qui ſcit iubilationem.

Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt

tota

tota die : & in iuſtitia tua exultabuntur.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es: & in beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum.

Quia Domini eſt aſſumptio noſtra: & ſancti Iſrael Regis noſtri.

Tunc locutus es in viſione ſanctis tuis, & dixiſti: Poſui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea.

Inueni Dauid ſeruum meum: oleo ſancto meo vnxi eum.

Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum.

Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis nõ apponet nocere ei.

Et concidam à facie ipſius inimicos eius: & odientes enim in fugam conuertam.

Et veritas mea, & miſericordia mea cum ipſo: & in nomine meo exaltabitur cornu eius.

Et ponam in mari manum eius: & in fluminibus dexteram eius.

Ipſe inuocabit me, Pater meus es tu: Deus meus, & ſuſceptor ſalutis meæ.

Et ego primogenitum ponam illum: excelſum præ regibus terræ.

In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam: & teſtamentum meum fidele ipſi.

Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius: & thronum eius ſicut dies cæli.

Si autem dereliquerint filij eius legem meam: & in iudicijs meis non ambulauerint.

Si iuſtitias meas profanauerint: & mandata mea non cuſtodierint.

Viſitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum.

Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo: neque nocebo in veritate mea.

Neque profanabo teſtamentum meũ: & quæ procedũt de labijs meis, non faciam irrita.

Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar: ſemen eius in æternum manebit.

Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo: & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis.

Tu vero repuliſti & deſpexiſti: diſtuliſti Chriſtum tuum.

Euertiſti teſtamentum ſerui tui: profanaſti in terra Sanctuarium eius.

Deſtruxiſti omnes ſepes eius: poſuiſti firmamentum eius formidinem.

Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam: factus eſt opprobrium vicinis ſuis.

Exaltaſti dexteram deprimentium eum: lætificaſti omnes inimicos eius.

Auertiſti adiutorium gladij eius: & non es auxiliatus ei in bello.

Deſtruxiſti eum ab emundatione: & ſedem eius in terra colliſiſti.

Minoraſti dies temporis eius: perfudiſti eum confuſione.

Vſquequo Domine auertis in finem: exardeſcet ſicut ignis ira tua?

Memorare quæ mea ſubſtantia: numquid enim vane conſtituiſti omnes filios hominum?

Quis eſt homo, qui viuet, & non vide-

videbit mortem: eruet animam ſuam de manu inferi?

V bi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine: ſicut iuraſti Dauid in veritate tua?.

M emor eſto Domine opprobrij ſeruorum tuorum: quod continui in ſinu meo, multarum gentium.

Q uod exprobrauerũt inimici tui Domine: quod exprobrauerunt commutationem Chriſti tui.

B enedictus Dominus in æternum: fiat, fiat.

N. Pſalmus 89.

D Omine refugium factus es nobis: à generatione in generationem.

P riuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis: à ſæculo & vſque in ſæculum tu es Deus.

N e auertas hominem in humilitatem: & dixiſti, Conuertimini filij hominum.

Q uoniam mille anni ante oculos tuos: tamquam dies heſterna quæ præterijt.

E t cuſtodia in nocte: quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

M ane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat: veſpere decidat, induret, & areſcat.

Q uia defecimus in ira tua: & in furore tuo turbati ſumus.

P oſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo: ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui.

Q uoniam omnes dies noſtri defecerunt: & in ira tua defecimus.

A nni noſtri ſicut aranea meditabuntur: dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni.

S i autem in potentatibus octoginta anni: & amplius eorum labor & dolor.

Q uoniam ſuperuenit manſuetudo: & corripiemur.

Q uis nouit poteſtatẽ iræ tuæ: & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

D exteram tuam ſic notam fac: & eruditos corde in ſapientia.

C onuertere Domine vſquequo? & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos.

R epleti ſumus mane miſericordia tua: & exultauimus & delectati ſumus omnibus diebus noſtris.

L ætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti: annis, quibus vidimus mala.

R eſpice in ſeruos tuos, & in opera tua: & dirige illos eorum.

E t ſi ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos: & opus manuum noſtrarum dirige.

N. Pſalmus 90.

Q Vi habitat in adiutorio Altiſsimi: in protectione Dei cæli commorabitur.

D icet Domino, Suſceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, ſperabo in eum.

Q uoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium: & à verbo aſpero.

S capulis ſuis obumbrabit tibi: & ſub pennis eius ſperabis.

S cuto circumdabit te veritas eius: non

non timebis à timore nocturno.
A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incurſu, & dæmonio meridiano.
Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.
Verumtamen oculis tuis conſiderabis: & retributionem peccatorum videbis.
Quoniã tu es Domine ſpes mea: altiſſimum poſuiſti refugium tuum.
Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.
Quoniam Angelis ſuis mandauit de te: vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.
In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.
Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.
Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.
Longitudine dierum replebo eum: & & oſtendam illi ſalutare meum.

N. Pſalmus 91.

Bonum eſt confiteri Domino: & pſallere nomini tuo Altiſſime.
Ad annunciandum mane miſericordiam tuam: & veritatem tuam per noctem.
In decachordo pſalterio: cum cantico in cithara.
Quia delectaſti me Domine in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo.
Quàm magnificata ſunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.
Vir inſipiens non cognoſcet: & ſtultus non intelliget hæc.
Cum exorti fuerint peccatores ſicut fœnum: & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem.
Vt intereant in ſæculum ſæculi: tu autem Altiſſimus in æternum Domine.
Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: & diſpergentur omnes qui operantur iniquitatem.
Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum: & ſenectus mea in miſericordia vberi.
Et deſpexit oculus meus inimicos meos: & in inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.
Iuſtus vt palma florebit: ſicut cedrus Libani multiplicabitur.
Plantati in domo Domini: in atrijs domus Dei noſtri florebunt.
Adhuc multiplicabuntur in ſenecta vberi: & bene patientes erunt, vt annuncient.
Quoniam rectus Dominus Deus noſter: & non eſt iniquitas in eo.

N. Pſalmus 92.

Dominus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt Dominus

Digitized by Google

nus fortitudinem, & præcinxit ſe.

E tenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.

P arata ſedes tua ex tunc: à ſæculo tu es.

E leuauerunt flumina Domine: eleuauerunt flumina vocem ſuam.

E leuauerunt flumina fluctus ſuos; à vocibus aquarum multarum.

M irabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus.

T eſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis: domum tuam decet ſanctitudo Domine, in longitudinẽ dierum.

Pſalmus 93.

D Eus vltionum Dominus: Deus vltionum libere egit.

Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem ſuperbis.

V ſquequo peccatores Domine: vſquequo peccatores gloriabuntur?

E ffabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes, qui operantur iniuſtitiam?

P opulum tuum Domine humiliauerunt: & hereditatem tuam vexauerunt.

V iduam & aduenam interfecerunt: & pupillos occiderunt.

Et dixerunt, Non videbit Dominus: nec intelliget Deus Iacob.

Intelligite inſipientes in populo: & ſtulti aliquando ſapite.

Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?

Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem ſcientiam?

D ominus ſcit cogitationes hominũ: quoniam vanæ ſunt.

B eatus homo, quem tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum.

V t mitiges ei à diebus malis: donec fodiatur peccatori fouea.

Q uia non repellet Dominus plebem ſuam: & hereditatem ſuam non derelinquet.

Q uoadusque iuſtitia conuertatur in iudicium: & qui iuxta illam, omnes qui recto ſunt corde.

Q uis conſurget mihi aduerſus malignantes? aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem?

N iſi quia Dominus adiuuit me: paulo minus habitaſſet in inferno anima mea.

S i dicebam, Motus eſt pes meus: miſericordia tua Domine adiuuabat me.

S ecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: conſolationes tuæ lætificauerunt animam meã.

Numquid adhæret tibi ſedes iniquitatis: qui fingis laborem in præcepto?

Captabunt in animã iuſti: & ſanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus eſt mihi Dominus in refugium: & Deus meus in adiutorium ſpei meæ.

Et reddet illis iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum diſperdet eos: diſperdet illos Dominus Deus noſter.

N. Pſalmus 94.

V Enite, exultemus Domino: iubilemus Deo ſalutari noſtro.

Præ-

Digitized by Google

Præoccupemus faciem eius in confeſſione: & in pſalmis iubilemus ei.
Quoniam Deus magnus Dominus: & rex magnus ſuper omnes deos.
Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ: & altitudines montium ipſius ſunt.
Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & ſiccam manus eius formauerunt.
Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos: quia ipſe eſt Dominus Deus noſter.
Et nos populus paſcuæ eius & oues manus eius: hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.
Sicut in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri: probauerunt me, & viderunt opera mea.
Quadraginta annis offenſus fui generationi illi: & dixi, Semper hi errãt corde.
Et iſti non cognouerunt vias meas, vt iuraui in ira mea: Si introibunt in requiem meam.
Aña. Benedictus Dominus in æternum. *Pſalmus 96.*

CAntate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra.
Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annunciate de die in diem ſalutare eius.
Annunciate inter gentes gloriã eius: in omnibus populis mirabilia eius.
Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis eſt ſuper omnes deos.
Quoniam omnes dij gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit.
Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius: ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione eius.
Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriã nomini eius.
Tollite hoſtias, & introite in atria eius: adorate Dominum in atrio ſancto eius.
Commoueatur à facie eius vniuerſa terra: dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.
Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate.
Lætentur cæli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis ſunt.
Tunc exultabunt omnia ligna ſiluarum à facie Domini, quia venit: quoniam venit iudicare terram.
Iudicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate ſua.
Pſalmus 97.

DOminus regnauit, exultet terra: lætentur inſulæ multæ.
Nubes & caligo in circuitu eius: iuſtitia & iudicium correctio ſedis eius.
Ignis ante ipſum præcedet: & inflammabit in circuitu inimicos eius.
Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota eſt terra.

Mon-

Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terra.
Annunciauernnt cæli iuſtitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius.
Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia: & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.
Adorate eum omnes Angeli eius: audiuit,& lætata eſt Sion.
Et exultauerunt filiæ Iudæ: propter iudicia tua Domine.
Quoniam tu Dominus altiſſimus ſuper omnem terram: nimis exaltatus es ſuper omnes deos.
Qui diligitis Dominum, odite malum: cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos.
Lux orta eſt iuſto: & rectis corde lætitia.
Lætamini iuſti in Domino: & confitemini memoriæ ſāctificationis eius.
Aña. Cantate Domino, & benedicite nomini eius. ℣. Beatus homo,quē tu erudieris Domine. ℟. Et de lege tua docueris eum.
In Aduent.℣. Egredietur virga.
In Quadr. ℣. Ipſe liberauit me.
Tempore Paſſ.℣. De ore leonis.

In Laudibus, Antiphona.

Spiritu principali confirma cor meum Deus. Pſal. Miſerere. 33. Aña. In veritate tua exaudi me Domine. Pſalm. Domine exaudi. 94. Aña. Illumina Domine vultum tuum ſuper nos. Pſal. Deus Deus. 40. Aña. Domine audiui auditum tuum, & timui. Cantic. Ipſum. 102. Aña. In tympano & choro,in chordis & organo laudate Deum. Pſal. Laudate Dominum. 97. Ad Benedictus. Aña. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto. Cantic. Benedictus. 105.

SABBATO.

Ad Matutinum, inuitatorium.
Dominum Deum noſtrum, Venite adoremus. Pſalmus 97.

Cantate Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit.
Saluauit ſibi dextera eius: & brachium ſanctum eius.
Notum fecit Dominus ſalutare ſuū: in conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.
Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ: & veritatis ſuæ domui Iſrael.
Viderunt omnes termini terræ: ſalutare Dei noſtri.
Iubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate,& pſallite.
Pſallite Domino in cithara,in cithara & voce pſalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.
Iubilate in conſpectu regis Domini: moueatur mare & plenitudo eius,orbis terrarum,& qui habitant in eo.
Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini: quoniam venit iudicare terram.
Iudicabit orbem terrarum in iuſtitia: & populos in æquitate.

Pſalmus 98.

Dominus regnauit, iraſcantur populi: qui ſedet ſuper Cherubim,

bim, moueatur terra.
Dominus in Sion magnus: & excelſus ſuper omnes populos.
Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & ſanctum eſt: & honor regis iudicium diligit.
Tu paraſti directiones: iudicium & iuſtitiam in Iacob tu feciſti.
Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellũ pedum eius: quoniam ſanctum eſt.
Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius: & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius.
Inuocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos.
Cuſtodiebãt teſtimonia eius: & præceptum quod dedit illis.
Domine Deus noſter tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.
Exaltate Dominum Deum noſtrum, adorate in monte ſancto eius: quoniam ſanctus Dominus Deus noſter.
Añã. Quia mirabilia fecit Dominus.

Pſalmus 99.

IVbilate Deo omnis terra: ſeruite Domino in lætitia.
Introite in conſpectu eius: in exultatione.
Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos, & non ipſi nos.
Populus eius, & oues paſcuæ eius: introite portas eius in confeſſione, atria eius in hymnis, confitemini illi.
Laudate nomen eius, quoniam ſuauis eſt Dominus, in æternum miſericordia eius: & vſque in generationem & generationem veritas eius.

Pſalmus 100.

MIſericordiam & iudicium: cantabo tibi Domine.
Pſallam & intelligam in via immaculata: quando venies ad me.
Perambulabam in innocentia cordis mei: in medio domus meæ.
Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam: facientes præuaricationes odiui.
Non adhæſit mihi cor prauum: declinantes à me malignum non cognoſcebam.
Detrahentem ſecreto proximo ſuo: hunc perſequebar.
Superbo oculo, & inſatiabili corde: cum hoc non edebam.
Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeãt mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.
Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum.
In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: vt diſperderem de de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.
Añã. Iubilate Deo omnis terra.

Pſalmus 101.

DOmine exaudi orationem meã: & clamor meus ad te veniat.
Non auertas faciem tuam à me: in quacumque die tribulor, inclina ad

me aurem tuam.
In quacumque die inuocauero te: velociter exaudi me.
Quia defecerunt ſicut fumus dies mei: & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.
Percuſſus ſum vt fœnum,& aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.
A voce gemitus mei: adhæſit os meum carni meæ.
Similis factus ſum pellicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.
Vigilaui: & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.
Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me aduerſum me iurabant.
Quia cinerem tamquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam.
A facie iræ & indignationis tuæ: quia eleuans alliſiſti me.
Dies mei ſicut vmbra declinauerunt: & ego ſicut fœnum arui.
Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem & generationem.
Tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.
Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius: & terræ eius miſerebuntur.
Et timebunt gentes nomen tuum Domine: & omnes reges terræ gloriam tuam.
Quia ædificauit Dominus Sion: & videbitur in gloria ſua.
Reſpexit in orationem humilium: & non ſpreuit precem eorum.
Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit Dominum.
Quia proſpexit de excelſo ſancto ſuo: Dominus de cælo in terram aſpexit.
Vt audiret gemitus compeditorum: vt ſolueret filios interemptorum.
Vt annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Ieruſalem.
In conueniendo populos in vnum: & reges vt ſeruiant Domino.
Reſpondit ei in via virtutis ſuæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.
Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.
Initio tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli.
Ipſi peribunt, tu autem permanes: & omnes ſicut veſtimentũ veteraſcent.
Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.
Filij ſeruorum tuorum habitabunt: & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.

Pſalmus 102.

Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.
Benedic anima mea Domino: & noli obliuiſci omnes retributiones eius.
Qui propitiatur omnibus iniquitatibus

Digitized by Google

tibus tuis : qui ſanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.

Qui replet in bonis deſiderium tuũ : renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.

Faciens miſericordias Domini : & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

Notas fecit vias ſuas Moyſi : filijs Iſrael voluntates ſuas.

Miſerator & miſericors Dominus : longanimis,& multum miſericors.

Non in perpetuum iraſcetur : neque in æternum comminabitur.

Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis : neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

Quoniam ſecundum altitudinem cæli à terra : corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.

Quantum diſtat Ortus ab Occidente : longe fecit à nobis iniquitates noſtras.

Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe : quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum.

Recordatus eſt quoniam puluis ſumus : homo ſicut fœnum dies eius, tamquam flos agri ſic efflorebit.

Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo,& non ſubſiſtet : & non cognoſcet amplius locum ſuum.

Miſericordia autem Domini ab æterno : & vſque in æternum ſuper timentes eum.

Et iuſtitia illius in filios filiorum : his qui ſeruant teſtamentum eius.

Et memores ſunt mandatorum ipſius : ad faciendum ea.

Dominus in cælo parauit ſedem ſuam : & regnum ipſius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli eius : potentes virtute, facientes verbum illius,ad audiendam vocem ſermonum eius.

Benedicite Domino omnes virtutes eius : miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicite Domino omnia opera eius : in omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.

Antiphona. Clamor meus ad te veniat Deus.

Pſalmus 103.

Benedic anima mea Domino : Domine Deus meus magnificatus es vehementer.

Confeſſionem & decorem induiſti : amictus lumine ſicut veſtimento.

Extendens cælum ſicut pellem : qui tegis aquis ſuperiora eius.

Qui ponis nubem aſcenſum tuum : qui ambulas ſuper pennas ventorum.

Qui facis angelos tuos, ſpiritus : & miniſtros tuos ignem vrentem.

Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam : non inclinabitur in ſæculum ſæculi.

Abyſſus, ſicut veſtimentum, amictus eius : ſuper montes ſtabunt aquæ.

Ab increpatione tua fugient : à voce tonitrui tui formidabunt.

A ſcendunt montes, & deſcendunt campi: in locum quem fundaſti eis.
T erminum poſuiſti, quem non tranſgredientur: neque conuertentur operire terram.
Q ui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertranſibunt aquæ.
P otabunt omnes beſtiæ agri: expectabunt onagri in ſiti ſua.
S uper ea volucres cæli habitabunt; de medio petrarum dabunt voces.
R igans montes de ſuperioribus ſuis: de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.
P roducens fœnum iumentis: & herbam ſeruituti hominum.
V t educas panem de terra: & vinum lætificet cor hominis.
V t exhilaret faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet.
S aturabuntur ligna campi, & cedri Libani quas plantauit: illic paſſeres nidificabunt.
H erodij domus dux eſt eorum: montes excelſi ceruis, petra refugium herinacijs.
F ecit lunam in tempora: ſol cognouit occaſum ſuum.
P oſuiſti tenebras, & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ.
C atuli leonum rugientes vt rapiant: & quærant à Deo eſcam ſibi.
O rtus eſt ſol, & congregati ſunt: & in cubilibus ſuis collocabuntur.
E xibit homo ad opus ſuum: & ad operationem ſuam vſque ad veſperã.
Q uàm magnificata ſunt opera tua Domine! omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſſione tua.
H oc mare magnum & ſpatioſum manibus: illic reptilia, quorum non eſt numerus.
A nimalia puſilla cum magnis: illic naues pertranſibunt.
D raco iſte, quem formaſti ad illudendum ei: omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore.
D ante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.
A uertente autem te faciẽ, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerẽ ſuum reuertẽtur.
E mittes ſpiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ.
S it gloria Domini in ſæculum: lætabitur Dominus in operibus ſuis.
Q ui reſpicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.
C antabo Domino in vita mea: pſallam Deo meo quamdiu ſum.
I ucundum ſit ei eloquiũ meum: ego vero delectabor in Domino.
D eficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt non ſint: benedic anima mea Domino.

Pſalmus 104.

C Onfitemini Domino, & inuocate nomen eius: annunciate inter gentes opera eius.
C antate ei, & pſallite ei: narrate omnia mirabilia eius.
L audamini in nomine ſancto eius: læte-

Digitized by Google

lætetur cor quærentium Dominum.
Q uærite Dominũm, & confirmamini: quærite faciem eius ſemper.
M ementote mirabilium eius, quæ fecit: prodigia eius, & iudicia oris eius.
S emen Abraham ſerui eius: filij Iacob electi eius.
I pſe Dominus Deus noſter: in vniuerſa terra iudicia eius.
M emor fuit in ſæculum teſtamenti ſui: verbi, quod mandauit in mille generationes.
Q uod diſpoſuit ad Abraham: & iuramenti ſui ad Iſaac.
E t ſtatuit illud Iacob in præceptum: & Iſrael in teſtamentum æternum.
D icens, Tibi dabo terram Chanaan: funiculum hereditatis veſtræ.
C um eſſent numero breui: pauciſſimi & incolæ eius.
E t pertranſierunt de gente in gentẽ: & de regno ad populum alterum.
N on reliquit hominem nocere eis: & corripit pro eis reges.
N olite tangere chriſtos meos: & in prophetis meis nolite malignari.
E t vocauit famem ſuper terram: & omne firmamentum panis contriuit.
M iſit ante eos virum: in ſeruum venundatus eſt Ioſeph.
H umiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſijt animam eius: donec veniret verbum eius.
E loquium Domini inflammauit eũ: miſit rex, & ſoluit eum, princeps populorum, & dimiſit eum.
C onſtituit eum dominũ domus ſuæ: & principem omnis poſſeſſionis ſuæ.
V t erudiret principes eius ſicut ſemetipſum: & ſenes eius prudentiam doceret.
E t intrauit Iſrael in Aegyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham.
E t auxit populũ ſuum vehementer: & firmauit eum ſuper inimicos eius.
C onuertit cor eorum vt odirent populum eius: & dolum facerent in ſeruos eius.
M iſit Moyſen ſeruum ſuum: Aaron quem elegit ipſum.
P oſuit in eis verba ſignorum ſuorum: & prodigiorum in terra Cham.
M iſit tenebras, & obſcurauit: & non exacerbauit ſermones ſuos.
C onuertit aquas eorum in ſanguinem: & occidit piſces eorum.
E didit terra eorum ranas: in penetralibus regum ipſorum.
D ixit, & venit cœnomyia, & ciniſes: in omnibus finibus eorum.
P oſuit pluuias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipſorum.
E t percuſſit vineas eorum & ficulneas eorum: & contriuit lignum finium eorum.
D ixit, & venit locuſta, & bruchus: cuius non erat numerus.
E t comedit omne fœnum in terra eorum: & comedit omnem fructum terræ eorum.
E t percuſſit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.
E t eduxit eos cum argento & auro: & non

non erat in tribubus eorum infirmus.
Lætata eſt Aegyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum ſuper eos.
Expandit nubem in protectionem eorum: & ignem vt luceret eis per noctem.
Petierunt, & venit coturnix: & pane cæli ſaturauit eos.
Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in ſicco flumina.
Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui: quod habuit ad Abraham puerum ſuum.
Et eduxit populum ſuum in exultatione: & electos ſuos in lætitia.
Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum poſſederunt.
Vt cuſtodiant iuſtificationes eius: & legem eius requirant.
Ant. Benedic anima mea Dominũ.

Pſalmus 105.

CONfitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.
Quis loquetur potentias Domini: auditas faciet omnes laudes eius?
Beati qui cuſtodiunt iudicium: & faciunt iuſtitiam in omni tempore.
Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui: viſita nos in ſalutari tuo.
Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: vt lauderis cum hereditate tua.
Peccauimus cũ patribus noſtris: iniuſte egimus, iniquitatem fecimus.
Patres noſtri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ.
Et irritauerunt aſcendentes in mare: mare Rubrum.
Et ſaluauit eos propter nomen ſuũ: vt notam faceret potentiam ſuam.
Et increpuit mare Rubrum, & exiccatum eſt: & deduxit eos in abyſſis: ſicut in deſerto.
Et ſaluauit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici.
Et operuit aqua tribulantes eos: vnus ex eis non remanſit.
Et crediderunt verbis eius: & laudauerunt laudem eius.
Cito fecerunt, obliti ſunt operum eius: & non ſuſtinuerunt conſilium eius.
Et concupierunt concupiſcentiam in deſerto: & tentauerunt Deum in inaquoſo.
Et dedit eis petitionem ipſorum: & miſit ſaturitatem in animas eorum.
Et irritauerunt Moyſen in caſtris: Aaron ſanctum Domini.
Aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan: & operuit ſuper congregationem Abiron.
Et exarſit ignis in ſynagoga eorum: flamma combuſſit peccatores.
Et fecerunt vitulum in Horeb. & adorauerunt ſculptile.
Et mutauerunt gloriam ſuam: in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.
Obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos:

qui

Digitized by Google

qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.
Et dixit vt diſperderet eos: ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius.
Vt auerteret iram eius, ne diſperderet eos: & pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.
Non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis ſuis: non exaudierunt vocem Domini.
Et eleuauit manum ſuam ſuper eos: vt proſterneret eos in deſerto.
Et vt deijceret ſemen eorum in nationibus: & diſpergeret eos in regionibus.
Et initiati ſunt Beelphegor: & comederunt ſacrificia mortuorum.
Et irritauerunt eum in adinuentionibus ſuis: & multiplicata eſt in eis ruina.
Et ſtetit Phinees, & placauit: & ceſſauit quaſſatio.
Et reputatum eſt ei in iuſtitiam: in generationem & generationem vſque in ſempiternum.
Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis: & vexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbauerunt ſpiritum eius.
Et diſtinxit in labijs ſuis: non diſperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.
Et commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum: & factum eſt illis in ſcandalum.
Et immolauerunt filios ſuos: & filias ſuas dæmonijs.
Et effuderunt ſanguinem innocentem: ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan.
Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum: & fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis.
Et iratus eſt furore Dominus in populum ſuum: & abominatus eſt hereditatem ſuam.
Et tradidit eos in manus gentium: & dominati ſunt eorũ, qui oderunt eos,
Et tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati ſunt ſub manibus eorum: ſæpe liberauit eos.
Ipſi autem exacerbauerunt eum in conſilio ſuo: & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis.
Et vidit cum tribularentur: & audiuit orationem eorum.
Et memor fuit teſtamenti ſui: & pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ.
Et dedit eos in miſericordias: in conſpectu omnium qui ceperant eos.
Saluos nos fac Domine Deus noſter: & congrega nos de nationibus.
Vt confiteamur nomini ſancto tuo. & gloriemur in laude tua.
Benedictus Dominus Deus Iſrael à ſæculo & vſque in ſæculum: & dicet omnis populus; Fiat, fiat.

Pſalmus 106.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum

 miſe-

Digitized by Google

miſericordia eius.
Dicant qui redempti ſunt à Domino,quos redemit de manu inimici: & regionibus congregauit eos.
A ſolis Ortu & Occaſu: ab Aquilone & mari.
Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo: viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.
Eſurientes & ſitientes: anima eorum in ipſis defecit.
Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eripuit eos.
Et deduxit eos in viam rectam: vt irent in ciuitatem habitationis.
Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.
Quia ſatiauit animã inanem: & animam eſurientem ſatiauit bonis.
Sedentes in tenebris & vmbra mortis: vinctos in mendicitate & ferro.
Quia exacerbauerunt eloquia Dei: & conſilium Altiſſimi irritauerunt.
Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum: infirmati ſunt, nec fuit qui adiuuaret.
Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur:& de neceſſitatibus eorum liberauit eos.
Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis: & vincula eorum diſrupit.
Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.
Quia contriuit portas æreas: & vectes ferreos confregit.
Suſcepit eos de via iniquitatis eorum:propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt.
Omnem eſcam abominata eſt anima eorum: & appropinquauerunt vſque ad portas mortis.
Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum liberauit eos.
Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.
Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.
Et ſacrificent ſacrificium laudis: & annuncient opera eius in exultatione.
Qui deſcendunt mare in nauibus: facientes operationem in aquis multis.
Ipſi viderunt opera Domini: & mirabilia eius in profundo.
Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ: & exaltati ſunt fluctus eius.
Aſcendunt vſque ad cælos,& deſcendunt vſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat.
Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.
Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eduxit eos.
Et ſtatuit procellam eius in auram: & ſiluerunt fluctus eius.
Et lætati ſunt quia ſiluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorũ.
Con-

Digitized by Google

Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.
Et exaltent eum in eccleſia plebis: & in cathedra ſeniorum laudent eum.
Poſuit flumina in deſertum: & exitus aquarum in ſitim.
Terram fructiferam in ſalſuginem: à malitia inhabitantium in ea.
Poſuit deſertum in ſtagna aquarum: & terram ſine aqua in exitus aquarum.
Et collocauit illic eſurientes: & conſtituerunt ciuitatem habitationis.
Et ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas: & fecerunt fructum natiuitatis.
Et benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis: & iumenta eorum non minorauit.
Et pauci facti ſunt: & vexati ſunt à tribulatione malorum, & dolore.
Effuſa eſt contemptio ſuper principes: & errare fecit eos in inuio, & non in via.
Et adiuuit pauperem de inopia: & poſuit ſicut oues familias.
Videbunt recti, & lætabuntur: & omnis iniquitas oppilabit os ſuum.
Quis ſapiens, & cuſtodiet hæc: & intelliget miſericordias Domini?
Antiphona. Viſita nos Domine in ſalutari tuo.

Pſalmus 107.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & pſallam in gloria mea.
Exurge gloria mea, exurge pſalteriũ & cithara: exurgam diluculo.
Confitebor tibi in populis Domine: & pſallam tibi in nationibus.
Quia magna eſt ſuper cælos miſericordia tua: & vſque ad nubes veritas tua.
Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua: vt liberentur dilecti tui.
Saluum fac dextera tua, & exaudi me: Deus locutus eſt in ſancto ſuo.
Exultabo, & diuidam Sichimam: & cõuallem tabernaculorum dimetiar.
Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes: & Ephraim ſuſceptio capitis mei.
Iuda rex meus: Moab lebes ſpei meæ.
In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti ſunt.
Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vſque in Idumæam?
Nonne tu Deus, qui repuliſti nos: & non exibis Deus in virtutibus noſtris?
Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana ſalus hominis.
In Deo faciemus virtutem: & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.

Pſalmus 108.

Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.
Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circumdederunt

derunt me: & expugnauerunt me gratis.

Pro eo vt me diligerent, detrahebāt mihi: ego autem orabam.

Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.

Conſtitue ſuper eum peccatorem: & diabolus ſtet à dextris eius.

Cum iudicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.

Fiant dies eius pauci: & epiſcopatum eius accipiat alter.

Fiant filij eius orphani: & vxor eius vidua.

Nutantes transferantur filij eius, & mendicent: & eijciantur de habitationibus ſuis.

Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius: & diripiant alieni labores eius.

Non ſit illi adiutor: nec ſit qui miſereatur pupillis eius.

Fiant nati eius in interitum: in generatione vna deleatur nomen eius.

In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini: & peccatum matris eius non deleatur.

Fiant contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum: pro eo quòd non eſt recordatus facere miſericordiam.

Et perſecutus eſt hominem inopem & mendicum: & compunctum corde mortificare.

Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem ſicut veſtimentum: & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius.

Fiant ei ſicut veſtimentum, quo operitur: & ſicut zona, qua ſemper præcingitur.

Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum: & qui loquuntur mala aduerſus animam meam.

Et tu Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum: quia ſuauis eſt miſericordia tua.

Libera me, quia egenus & pauper ego ſum: & cor meum conturbatum eſt intra me.

Sicut vmbra cum declinat, ablatus ſum: & excuſſus ſum ſicut locuſtæ.

Genua mea infirmata ſunt à ieiunio: & caro mea immutata eſt propter oleum.

Et ego factus ſum opprobrium illis: viderunt me, & mouerunt capita ſua.

Adiuua me Domine Deus meus: ſaluum me fac ſecundum miſericordiam tuam.

Et ſciant quia manus tua hæc: & tu Domine feciſti eam.

Maledicent illi, & tu benedices, qui inſurgunt in me confundantur: ſeruus autem tuus lætabitur.

Induantur qui detrahunt mihi, pudore: & operiantur ſicut diploide confuſione ſua.

Confitebor Domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.

Quia

Quia aſtitit à dextris pauperis: vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam.

Aña. Confitebor Domino nimis in ore meo. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

In Aduent. ℣. Egredietur Dominus. In Quadra. ℣. Scapulis ſuis obũbrabit tibi. Tempore Paſſion. ℣. Ne perdas cum impijs.

In Laudibus, Antiphona.

BEnigne fac in bona voluntate tua Domine. Pſalm. Miſerere. 33. Antiphona. Bonum eſt confiteri Domino. Pſalm. Ipſe. 61. Aña. Metuant Dominum omnes fines terræ. Pſal. Deus Deus. 40. Antiphona. Et in ſeruis ſuis Dominus miſerebitur. Cant. Audite cæli. 103. Aña. In cymbalis beneſonantibus laudate Deum. Pſal. Laudate Dominum de cælis. 97. Ad Benedictus Antiph. In viam pacis dirige nos Domine. Cantic. Benedictus. 105.

INCIPIVNT PSALMI Veſperarum.

Dominicis diebus ad Veſperas.

Pſalmus 109.

DIxit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos: ſcabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum: ex vtero ante luciferum genui te.

Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Dominus à dextris tuis: confregit in die iræ ſuæ reges.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquaſſabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

Aña. Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis.

Pſalmus 110.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: in conſilio iuſtorum, & congregatione.

Magna opera Domini: exquiſita in omnes voluntates eius.

Confeſſio & magnificentia opus eius: & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.

Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui: virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo.

Vt det illis hereditatem gentium: opera manuum eius veritas, & iudicium.

Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſæculum ſæculi; facta in veritate & æquitate.

Redemptionem miſit populo ſuo: mandauit in æternum teſtamentum ſuum.

Sanctum & terribile nomen eius: initium

initium

Digitized by Google

tium ſapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in ſæculum ſæculi.

Aña. Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſæculum ſæculi.

Pſalmus 111.

BEatus vir, qui timet Dominum: in mandatis eius volet nimis.

Potens in terra erit ſemen eius: generatio rectorum benedicetur.

Gloria & diuitiæ in domo eius: & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

Exortum eſt in tenebris lumen rectis: miſericors, miſerator, & iuſtus.

Iucundus homo, qui miſeretur & cõmodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio: quia in æternum non commouebitur.

In memoria æterna erit iuſtus: ab auditione mala non timebit.

Paratum cor eius ſperare in Domino, confirmatum eſt cor eius: non commouebitur donec deſpiciat inimicos ſuos.

Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi: cornu eius exaltabitur in gloria.

Peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit.

Aña. In mandatis eius cupit nimis.

Pſalmus 112.

LAudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

A ſolis ortu vſque ad occaſum: laudabile nomen Domini.

Excelſus ſuper omnes gentes Dominus: & ſuper cælos gloria eius.

Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cælo & in terra?

Suſcitans à terra inopem: & de ſtercore erigens pauperem.

Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi ſui.

Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem filiorum lætantem.

Aña. Sit nomen Domini benedictũ in ſæcula.

Pſalmus 113.

IN exitu Iſrael de Aegypto: domus Iacob de populo barbaro.

Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius: Iſrael poteſtas eius.

Mare vidit, & fugit: Iordanis conuerſus eſt retrorſum.

Montes exultauerunt vt arietes: & colles ſicut agni ouium.

Quid eſt tibi mare, quòd fugiſti: & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?

Montes exultaſtis ſicut arietes: & colles ſicut agni ouium.

A facie Domini mota eſt terra: à facie Dei Iacob.

Qui conuertit petrã in ſtagna aquarum: & rupem in fontes aquarum.

Non nobis Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam.

Super miſericordia tua, & veritate tua: nequando dicant gentes, Vbi eſt Deus eorum?

Deus autem noſter in cælo: omnia quæcumque voluit, fecit.

Simu-

Digitized by Google

Simulacra gentium, argentum, & aurum: opera mannum hominum.
Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.
Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.
Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture ſuo.
Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.
Domus Iſrael ſperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorũ eſt.
Domus Aaron ſperauit in Domino: adiutor eorum, & protector eorum eſt.
Qui timent Dominum, ſperauerunt in Domino: adiutor eorum, & protector eorum eſt.
Dominus memor fuit noſtri: & benedixit nobis.
Benedixit domui Iſrael: benedixit domui Aaron.
Benedixit omnibus qui timent Dominum: puſillis cum maioribus.
Adijciat Dominus ſuper vos: ſuper vos, & ſuper filios veſtros.
Benedicti vos à Domino: qui fecit cælum & terram.
Cælum cæli Domino: terram autem dedit filijs hominum.
Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui deſcendunt in infernum.
Sed nos qui viuimus, benedicimus Domino: ex hoc nunc & vſque in ſæculum.
Antiphona. Nos qui viuimus, benedicimus Domino.
Temp. Paſch. ad Veſp. Domin. ſuper omnes Pſal. Aña. Alleluia, Alleluia, Alleluia, Alleluia.

FERIA SECVNDA.

Pſalmus 114.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus: vocem orationis meæ.
Quia inclinauit aurem ſuam mihi: & in diebus meis inuocabo.
Circumdederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.
Tribulationem & dolorem inueni: & nomen Domini inuocaui.
O Domine libera animam meam: miſericors Dominus & iuſtus, & Deus noſter miſeretur.
Cuſtodiens paruulos Dominus: humiliatus ſum, & liberauit me.
Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.
Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu.
Placebo Domino: in regione viuorũ.
Aña. Inclinauit Dominus aurẽ ſuam mihi. Pſalmus 115.

Credidi, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.
Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax.
Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribuit mihi?
Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo.
Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretioſa in conſpectu

ctu Domini mors ſanctorum eius.
O Domine quia ego ſeruus tuus: ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.
Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo.
Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius: in atrijs domus Domini, in medio tui Ieruſalem.
Aña. Credidi, propter quod locutus ſum. Pſalmus 116.

LAudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.
Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.
Aña. Laudate Dominum omnes gentes. Deinde dicuntur in Veſp. Pſal. Ad Dominum. & Leuaui. cum ſuis Antiphonis, infra 86. Pſalmus 117. Non dicitur in Veſperis.

COnfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.
Dicat nunc Iſrael, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.
Dicat nunc domus Aaron: quoniam in ſæculum miſericordia eius.
Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in ſæculum miſericordia eius.
De tribulatione inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dominus.
Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.
Dominus mihi adiutor: & ego deſpiciam inimicos meos.
Bonum eſt confidere in Domino: quàm confidere in homine.
Bonum eſt ſperare in Domino: quàm ſperare in principibus.
Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini quia vltus ſum in eos.
Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos.
Circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis: & in nomine Domini quia vltus ſum in eos.
Impulſus euerſus ſum vt caderem: & Dominus ſuſcepit me.
Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.
Vox exultationis & ſalutis: in tabernaculis iuſtorum.
Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem.
Non moriar, ſed viuam: & narrabo opera Domini.
Caſtigans caſtigauit me Dominus: & morti non tradidit me.
Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam.
Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.
Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes: hic factus eſt in caput anguli.
A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.

Hæc

Digitized by Google

Hæc eſt dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.
O Domine ſaluum me fac, ò Domine bene proſperare: benedictus qui venit in nomine Domini.
Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.
Conſtituite diem ſolemnem in condenſis: vſque ad cornu altaris.
Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.
Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.
Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

AD PRIMAM.

Pſalmus 118.

Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.
Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius: in toto corde exquirunt eum.
Non enim qui operantur iniquitatem: in vijs eius ambulauerunt.
Tu mandaſti: mandata tua cuſtodiri nimis.
Vtinam dirigantur viæ meæ: ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.
Tunc non confundar: cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.
Confitebor tibi in directione cordis: in eo quod didici iudicia iuſtitiæ tuæ.
Iuſtificationes tuas cuſtodiam: non me derelinquas vſquequaque.
In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos.
In toto corde meo exquiſiui te: ne repellas me à mandatis tuis.
In corde meo abſcondi eloquia tua: vt non peccem tibi.
Benedictus eſt Domine: doce me iuſtificationes tuas.
In labijs meis: pronunciaui omnia iudicia oris tui.
In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum: ſicut in omnibus diuitijs.
In mandatis tuis exercebor: & conſiderabo vias tuas.
In iuſtificationibus tuis meditabor: non obliuiſcar ſermones tuos.

Retribue ſeruo tuo, viuifica me: & cuſtodiam ſermones tuos.
Reuela oculos meos: & conſiderabo mirabilia de lege tua.
Incola ego ſum in terra; non abſcondas à me mandata tua.
Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas: in omni tempore.
Increpaſti ſuperbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.
Aufer à me opprobrium & contemptum: quia teſtimonia tua exquiſiui.
Etenim ſederunt principes, & aduerſum me loquebantur: ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.
Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt: & conſilium meum iuſtificationes tuæ.
Adhæſit pauimento anima mea: viuifica me ſecundum verbum tuum.
Vias meas enunciaui, & exaudiſti me: doce me iuſtificationes tuas.
Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.

Dor-

Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.
Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miſerere mei.
Viam veritatis elegi: iudicia tua non ſum oblitus.
Adhæſi teſtimonijs tuis Domine: noli me confundere.
Viam mandatorum tuorum cucurri: cum dilataſti cor meum.

AD PRIMAM.

In Aduentu in Ferialib. diebus Aña.
Veni,& libera nos Deus noſter.
In Dominicis diebus ab Octaua Epiphaniæ vſque ad Septuag. & à Deus omnium. vſque ad Aduentum, Aña.
Gloria tibi Trinitas æqualis,vna Deitas, & ante omnia ſæcula, & nunc,& in perpetuum.
In Ferialibus autem diebus per idem tempus, Antiph Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.
In Ferialibus diebus Quadrag. Aña.
Viuo ego dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur,& viuat.
In Ferialibus diebus à Dominica in Paſſione, vſque ad Cœnam Domini excluſiue. Antiphona.
Animæ impiorum fremebant aduerſum me: & grauatum eſt cor meum ſuper eos.
In tempore Paſchali,tam in Dominicis, quàm in Ferialibus diebus, à Feria ſecunda poſt Octauas Paſchæ vſque ad Aſcenſionem, Antiphona.
Cognouerunt Dominum,alleluia: in fractione panis, alleluia.

AD TERTIAM.

Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum: & exquiram eam ſemper.
Da mihi intellectum,& ſcrutabor legem tuam: & cuſtodiam illam in toto corde meo.
Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum: quia ipſam volui.
Inclina cor meum in teſtimonia tua: & non in auaritiam.
Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.
Statue ſeruo tuo eloquium tuum: in in timore tuo.
Amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum: quia iudicia tua iucunda.
Ecce concupiui mandata tua:in æquitate tua viuifica me.
Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine: ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum.
Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum: quia ſperaui in ſermonibus tuis.
Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque: quia in iudicijs tuis ſuperſperaui.
Et cuſtodiam legem tuam ſemper in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.
Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquiſiui.
Et loquebar in teſtimonijs tuis in conſpectu regũ: & non confundebar:
Et meditabar in mandatis tuis: quæ dilexi.

Et læ-

Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi: & exercebar in iuſtificationibus tuis.

MEmor eſto verbi tui ſeruo tuo: in quo mihi ſpem dediſti.

Hæc me conſolata eſt in humilitate mea: quia eloquium tuum viuificauit me.

Superbi inique agebant vſquequaque: à lege autem tua non declinaui.

Memor fui iudiciorum tuorum à ſæculo Domine: & conſolatus ſum.

Defectio tenuit me: pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ: in loco peregrinationis meæ.

Memor fui nocte nominis tui Domine: & cuſtodiui legem tuam.

Hæc facta eſt mihi: quia iuſtificationes tuas exquiſiui.

Portio mea Domine: dixi cuſtodire legem tuam.

Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo: miſerere mei Domine ſecundum eloquium tuum.

Cogitaui vias meas: & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.

Paratus ſum, & non ſum turbatus: vt cuſtodiam mandata tua.

Funes peccatorum circumplexi ſunt me: & legem tuam non ſum oblitus.

Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi: ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.

Particeps ego ſum omnium timentium te: & cuſtodientium mandata tua.

Miſericordia tua Domine plena eſt terra: iuſtificationes tuas doce me.

BOnitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine: ſecundum verbum tuum.

Bonitatem, & diciplinam, & ſcientiã doce me: qui mandatis tuis credidi.

Priuſquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum cuſtodiui.

Bonus es tu: & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas.

Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum: ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.

Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus ſum.

Bonum mihi quia humiliaſti me: vt diſcam iuſtificationes tuas.

Bonum mihi lex oris tui: ſuper millia auri, & argenti.

Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me: da mihi intellectum, & diſcam mandata tua.

Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua ſuperſperaui.

Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua: & in veritate tua humiliaſti me.

Fiat miſericordia tua vt conſoletur me: ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo.

Veniant mihi miſerationes tuæ, & viuam: quia lex tua meditatio mea eſt:

Confundantur ſuperbi, quia iniuſte iniquitatem fecerunt in me: ego

autem exercebor in mandatis tuis.
Conuertantur mihi timentes te: & qui nouerunt teſtimonia tua.
Fiat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis: vt non confundar.

AD TERTIAM.

In Aduentu in Ferialibus diebus. Antiph. Veni Domine, & noli tardare: relaxa facinora plebis tuæ Iſrael.

In Dominicis diebus ab Octau. Epiphaniæ vſque ad Septuageſimam, & à Deus omniũ. vſque ad Aduentum. Aña. Laus, & perennis gloria Deo Patri, & Spiritui Sancto ſimul Paraclito, in ſæcula ſæculorum.

In Ferialibus vero diebus per idem tempus. Aña. Deduc me Domine in ſemitam mandatorum tuorum. In Ferialibus diebus per Quadrag. Aña. Aduenerunt nobis dies pœnitentiæ, ad redimenda peccata, & ſaluandas animas.

In Ferialibus diebus à Dominica in Paſſione vſque ad Cænam Domini excluſiue. Aña. Iudicaſti Domine cauſam animæ meæ: defenſor vitæ meæ, Domine Deus meus. Tempore Paſchali, tam in dominicis, quàm in Ferialibus diebus a Feria ij. poſt Octauam Paſchæ, vſque ad Aſcenſionem. Aña.
Pax vobis, ego ſum, alleluia: nolite timere, alleluia.

AD SEXTAM.

Defecit in ſalutare tuum anima mea: & in verbum tuum ſuperſperaui.
Defecerunt oculi mei in eloquium tuum: dicentes, quando conſolaberis me?
Quia factus ſum ſicut vter in pruina: iuſtificationes tuas non ſum oblitus.
Quot ſunt dies ſerui tui: quando facies de perſequentibus me iudicium?
Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: ſed non vt lex tua.
Omnia mandata tua veritas: iniqui perſecuti ſunt me, adiuua me.
Paulominus conſummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.
Secundum miſericordiam tuam viuifica me: & cuſtodiam teſtimonia oris tui.
In æternum Domine: verbum tuum permanet in cælo.
In generationem, & generationem veritas tua: fundaſti terram, & permanet.
Ordinatione tua perſeuerat dies: quoniam omnia ſeruiunt tibi.
Niſi quod lex tua meditatio mea eſt: tunc forte periјſſem in humilitate mea.
In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas: quia in ipſis viuificaſti me.
Tuus ego ſum, ſaluum me fac: quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui.
Me expectauerũt peccatores, vt perderent me: teſtimonia tua intellexi.
Omnis conſummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.
Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea eſt.

Super

S uper inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo: quia in æternum mihi eſt.
S uper omnes docentes me intellexi: quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.
S uper ſenes intellexi: quia mandata tua quæſiui.
A b omni via mala prohibui pedes meos: vt cuſtodiam verba tua.
A iudicijs tuis non declinaui: quia tu legem poſuiſti mihi.
Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua: ſuper mel ori meo!
A mandatis tuis intellexi: propterea odiui omnem viam iniquitatis.
L ucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen ſemitis meis.
I uraui, & ſtatui: cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ:
H umiliatus ſum vſquequaque Domine: viuifica me ſecundum verbum tuum.
V oluntaria oris mei beneplacita fac Domine: & iudicia tua doce me.
Anima mea in manibus meis ſemper: & legem tuam non ſum oblitus.
Poſuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erraui.
Hereditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei ſunt.
Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum: propter retributionem.
INiquos odio habui: & legem tuam dilexi.
Adiutor & ſuſceptor meus es tu: & in verbum tuum ſuperſperaui.
D eclinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.
S uſcipe me ſecundum eloquium tuum, & viuam: & non confundas me ab expectatione mea.
Adiuua me, & ſaluus ero: & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.
S preuiſti omnes diſcedentes à iudicijs tuis: quia iniuſta cogitatio eorum.
P ræuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideo dilexi teſtimonia tua.
C onfige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.
F eci iudicium, & iuſtitiam: non tradas me calumniantibus me.
S uſcipe ſeruum tuum in bonum: non calumnientur me ſuperbi.
Oculi mei defecerunt in ſalutare tuũ: & in eloquium iuſtitiæ tuæ.
F ac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam: & iuſtificationes tuas doce me.
S eruus tuus ſum ego: da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua.
Tempus faciendi Domine: diſſipauerunt legem tuam.
I deo dilexi mandata tua: ſuper aurum & topazion.
Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

AD SEXTAM.

In Aduentu in Ferialibus diebus. Antiph. Tuam Domine excita potentiam, & veni ad ſaluandum nos.

In Dominicis diebus ab Octaua Epiphaniæ vſque ad Septuageſimam, & à Deus omnium. vſque ad Aduentum. Aña. Gloria laudis reſonet in ore omnium Patri, genitæque Proli, Spiritui ſancto pariter reſultet laude perenni.

In Ferialibus vero diebus per idem tempus, Aña. Adiuua me, & ſaluus ero Domine.

In Ferialibus diebus per Quadrageſ. Antiphona.

Commendemus noſmetipſos in multa patientia: in ieiunijs multis per arma iuſtitiæ.

In Ferialibus diebus à Dominica in Paſſione vſque ad Cœnam Domini excluſiue, Antiphona.

Popule meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui? reſponde mihi.

Tempore Paſchali tam in Dominicis, quàm in Ferialibus diebus, à Feria ij. poſt Octauam Paſchæ vſq; ad Aſcenſionem, Antiphona.

Ecce ego vobiſcum ſum, alleluia, omnibus diebus, alleluia.

AD NONAM.

Mirabilia teſtimonia tua: ideo ſcrutata eſt anima mea.

Declaratio ſermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis.

Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam.

Aſpice in me, & miſerere mei: ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.

Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniuſtitia.

Redime me à calumnijs hominum: vt cuſtodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum: & doce me iuſtificationes tuas.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non cuſtodierunt legem tuam.

Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua: & veritatem tuam nimis.

Tabeſcere me fecit zelus meus: quia obliti ſunt verba tua inimici mei.

Ignitum eloquium tuum vehementer: & ſeruus tuus dilexit illud.

Adoleſcentulus ſum ego, & contemptus: iuſtificationes tuas non ſum oblitus.

Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum, & lex tua veritas.

Tribulatio, & anguſtia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea eſt.

Aequitas teſtimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & viuam.

Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine: iuſtificationes tuas requiram.

Clamaui ad te ſaluum me fac: vt cuſtodiam mandata tua.

Præueni in maturitate, & clamaui: quia in verba tua ſuperſperaui.

Præuenerunt oculi mei ad te diluculo: vt meditarer eloquia tua.

Vocem meam audi ſecundum miſericordiam tuam Domine: & ſecundum iudicium tuum viuifica me.

Appropinquauerunt perſequentes me iniquitati: à lege autem tua longe facti ſunt.
Prope es tu domine: & omnes viæ tuæ veritas.
Initio cognoui de teſtimonijs tuis: quia in æternum fundaſti ea.
Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legẽ tuam non ſum oblitus.
Iudica iudicium meum, & redime me: propter eloquium tuum viuifica me.
Longe à peccatoribus ſalus; quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt.
Miſericordiæ tuæ multæ Domine: ſecundum iudicium tuum viuifica me.
Multi qui perſequuntur me, & tribulant me: à teſtimonijs tuis non declinaui.
Vidi præuaricantes, & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt.
Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in miſericordia tua viuifica me.
Principium verborum tuorum veritas: in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.

Principes perſequuti ſunt me gratis: & à verbis tuis formidauit cor meum.
Lætabor ego ſuper eloquia tua: ſicut qui inuenit ſpolia multa.
Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum: legem autem tuam dilexi.
Septies in die laudem dixi tibi: ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.
Pax multa diligentibus legem tuam: & non eſt illis ſcandalum.
Expectabam ſalutare tuum Domine: & mandata tua dilexi.
Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua: & dilexit ea vehementer.
Seruaui mandata tua, & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.
Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo Domine: iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.
Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo: ſecundum eloquium tuum eripe me.
Eructabunt labia mea hymnum: cum docueris me iuſtificationes tuas.
Pronunciabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas.
Fiat manus tua, vt ſaluet me: quoniam mandata tua elegi.
Concupiui ſalutare tuum Domine: & lex tua meditatio mea eſt.
Viuet anima mea, & laudabit te: & iudicia mea adiuuabunt me.
Erraui, ſicut ouis, quæ periit: quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.

AD NONAM.

In Aduentu in feriali bus diebus, Antiphona. In tuo aduentu erue nos Domine.

In Dominicis diebus ab Octaua Epiphaniæ vſque ad Septuageſimam, & à Deus omnium, vſque ad Aduentum, Antiphona. Ex quo omnia,

nia, per quem omnia, in quo omnia, ipſi gloria in ſæcula.

In Ferialibus vero diebus per iden-tempus. Aña. Aſpice in me Domine, & miſerere mei.

In Ferialibus diebus per Quadrag. Aña. Per arma iuſtitiæ virtutis Dei, commendemus nosmetipſos in multa patientia.

In ferialibus diebus a Dominica in-Paſſione vſque ad Cœnam Domini excluſiue. Antiph. Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ?

Tempore Paſchali tam in Dominicis, quàm in ferialibus diebus, à Feria ij. poſt Octau. Paſchæ, vſque ad Aſcenſionem. Aña. Noli flere Maria, all el. reſurrexit Dominus, alleluia.

Pſalmus 119.

AD Dominum cum tribularer, clamaui: & exaudiuit me.

Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam doloſam.

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus deſolatorijs.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram-pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Antiphona. Clamaui, & exaudiuit me.

Pſalmus 120.

LEuaui oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum à Domino: qui fecit cælum, & terram.

Non det in commotionem pedem-tuum: neque dormitet, qui cuſtodit te.

Ecce non dormitabit, neq; dormiet: qui cuſtodit Iſrael.

Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua, ſuper manum dexteram-tuam.

Per diem ſol non vret te: neque luna per noctem.

Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus.

Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum: & ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.

Aña. Auxilium meum à Domino.

Tempore Paſchali, Antiphona, Alleluia. Hæc Antiphona, quæ eſt vnum tantum Alleluia. dicatur quotidie in Ferialibus diebus ab Octa. Paſchæ, vſque ad Aſcenſionem Domini ad Veſperas ſuper Pſalm. quando de-Tempore agitur. Ad Magnificat, Antiphona. Magnificat anima mea Dominum.

FERIA TERTIA

Pſalmus 121.

LÆtatus ſum in his, quæ dicta-ſunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes noſtri: in atrijs tuis Ieruſalem.

Ieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas: cuius

Digitized by Google

cuius participatio eius in id ipſum.
Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini: teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini Domini.
Quia illic ſederunt ſedes in iudicio: ſedes ſuper domum Dauid.
Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem: & abundantia diligentibus te.
Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.
Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.
Propter domum Domini Dei noſtri: quæſiui bona tibi.
Aña. In domum Domini lætantes ibimus. Pſalmus 122.

Ad te leuaui oculos meos: qui habitas in cælis.
Ecce ſicut oculi ſeruorum, in manibus dominorum ſuorum.
Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.
Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri: quia multum repleti ſumus diſpectione.
Quia multum repleta eſt anima noſtra: opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.
Aña. Qui habitas in cælis, miſerere nobis. Pſalmus 123.

Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael: niſi quia Dominus erat in nobis.
Cum exurgerent homines in nos: forte viuos deglutiſſent nos.
Cum iraſceretur furor eorũ in nos: forſitan aqua abſorbuiſſet nos.
Torrentem pertranſiuit anima noſtra: forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intollerabilem.
Benedictus Dominus, qui non dedit nos, in captionem dentibus eorum.
Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt: de laqueo venantium.
Laqueus contritus eſt: & nos liberati ſumus.
Adiutorium noſtrum in nomine Domini: qui fecit cælum, & terram.
Aña. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

Pſalmus 124.

Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion: non commouebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem.
Montes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.
Quia non relinquet Dominus virgã peccatorum ſuper ſortem iuſtorum: vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.
Benefac Domine bonis, & rectis corde.
Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax ſuper Iſrael.
Aña. Benefac Domine bonis, & rectis corde. Pſalmus 125.

In conuertendo Dominus captiuitatem Sion: facti ſumus ſicut conſolati.
Tunc repletum eſt gaudio os noſtrũ: & lingua noſtra exultatione.

Digitized by Google

T unc dicent inter gentes:Magnifica uit Dominus facere cum eis.
M agnificauit Dominus facere nobiſcum:facti ſumus lætantes.
C onuerte Domine captiuitatem noſtram ſicut torrens in auſtro.
Qui ſeminant in lacrymis:in exultatione metent.
E untes ibant & flebant: mittentes ſemina ſua.
V enientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos ſuos.
Aña. Facti ſumus ſicut conſolati.

Ad Magnifica, Antiphona.

Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.

FERIA QVARTA.

Pſalmus 126.

NIſi Dominus ædificauerit domum,in vanum laborauerunt qui ædificant eam.
N iſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.
V anum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris.
C um dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini,filij: merces, fructus ventris.
S icut ſagittæ in manu potentis: ita filij excuſſorum.
B eatus vir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.
Aña. Beatus vir,qui impleuit deſiderium ſuum. Pſalmus 127.

BEati omnes qui timent Dominum:qui ambulant in vijs eius.
L abores manuum tuarum quia manducabis;beatus es,& bene tibi erit.
Vxor tua ſicut vitis abundans,in lateribus domus tuæ.
F ilij tui ſicut nouellæ oliuarum: in circuitu menſæ tuæ.
Ecce ſic benedicetur homo, qui timet dominnm.
B enedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.
E t videas filios filiorum tuorum; pacem ſuper Iſrael.
Aña. Beati omnes qui timent Dominum Pſalmus 128.

SAepe expugnauerunt me à iuuentute mea:dicat nunc Iſrael.
S æpe expugnauerunt me à iuuentute mea:etenim non potuerunt mihi.
S upra dorſum meum fabricauerunt peccatores:prolongauerunt iniquitatem ſuam.
D ominus iuſtus concidit ceruices peccatorum:confundantur,& conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion.
F iant ſicut fœnum tectorum: quod priuſquam euellatur,exaruit.
D e quo non impleuit manum ſuam qui metit:& ſinum ſuum qui manipulos colligit.
E t non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini ſuper vos: benediximus vobis in nomine Domini.
Aña. Benediximus vobis in nomine Domini. Pſalmus 129.

DE profundis clamaui ad te Domine:Dñe exaudi vocē meam

iant

Digitized by Google

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſeruaueris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt: & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo eius: ſperauit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina vſque ad noctem: ſperet Iſrael in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus eius.

Añа. De profundis clamaui ad te Domine. Pſalmus 130.

Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.

Neque ambulaui in magnis: neque in mirabilibus ſuper me.

Si non humiliter ſentiebam: ſed exaltaui animam meam.

Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua: ita retributio in anima mea.

Speret Iſrael in Domino, ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

Aña. Speret Iſrael in Domino. Ad Magnificat, Aña. Reſpexit humilitatem meam Dominus Deus meus.

: FERIA QVINTA.

Pſalmus 131.

Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.

Sicut iurauit Domino: votum vouit Deo Iacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ: ſi aſcendero in lectum ſtrati mei.

Si dedero ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino: tabernaculum Deo Iacob.

Ecce audiuimus eam in Ephrata: inuenimus eam in campis ſiluæ.

Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius.

Surge Domine in requiem tuam: tu & arca ſanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur iuſtitiam: & ſancti tui exultent.

Propter Dauid ſeruum tuum: non auertas faciem Chriſti tui.

Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu vẽtris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum: & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos.

Et filij eorum vſque in ſæculum, ſedebunt ſuper ſedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi.

Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam eius benedicens benedicã: pauperes eius ſaturabo panibus.

Sacerdotes eius induam ſalutari, & ſancti eius exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu Dauid: paraui lucernam Chriſto meo.

Inimicos eius induã cõfuſione: ſuper ipſũ autẽ efflorebit ſãctificatio mea.

Aña.

Digitized by Google

Aña. Et omnis manſuetudinis eius.

Pſalmus 132.

ECce quàm bonum, & quàm iucundum: habitare fratres in vnum.
Sicut vnguentum in capite: quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.
Quod deſcendit in oram veſtimenti eius: ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.
Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem: & vitam vſque in ſæculum.
Aña. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum.

Pſal. 133. Non dicitur in Veſp.

ECce nunc benedicite Dominũ: omnes ſerui Domini.
Qui ſtatis in domo Domini: in atrijs domus Dei noſtri.
In noctibus extollite manus veſtras in ſancta: & benedicite Dominum.
Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit cælum, & terram.

Pſalmus 134.

LAudate nomen Domini: laudate ſerui Dominum.
Qui ſtatis in domo domini: in atrijs domus Dei noſtri.
Laudate Dominum, quia bonus Dominus: pſallite nomini eius, quoniam ſuaue.
Quoniam Iacob elegit ſibi Dominus: Iſrael in poſſeſſionem ſibi.
Quia ego cognoui, quòd magnus eſt Dominus: & Deus noſter præ omnibus dijs.
Omnia quæcunque voluit, Dominus fecit in cælo, & in terra: in mari, & in omnibus abyſſis.
Educens nubes ab extremo terræ: fulgura in pluuiam fecit.
Qui producit ventos de theſauris ſuis: qui percuſſit primogenita Aegypti ab homine vſque ad pecus.
Et miſit ſigna, & prodigia in medio tui Egypte: in Pharaonem, & in omnes ſeruos eius.
Qui percuſſit gentes multas, & occidit reges fortes.
Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan.
Et dedit terram eorum hereditatem: hereditatem Iſrael populo ſuo.
Domine nomen tuum in æternum: Domine memoriale tuum in generatione, & generationem.
Quia iudicabit Dominus populum ſuum: & in ſeruis ſuis deprecabitur.
Simulacra gentium argentum, & aurum: opera manuum hominum.
Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.
Aures habent, & non audient: neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum.
Similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.
Domus Iſrael benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino.
Domus Leui benedicite Domino: qui timetis Dominum benedicite Domino.
Benedictus Dominus ex Sion: qui habitat in Ieruſalem.

Aña.

Digitized by Google

Añ. Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit.

Pſalmus 135.

CОnfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in æternum miſericordia eius.
Confitemini Deo deorum.
Confitemini Domino dominorum.
Qui facit mirabilia magna ſolus.
Qui fecit cælos in intellectu.
Qui firmauit terram ſuper aquas.
Qui fecit luminaria magna.
Solem in poteſtatem diei.
Lunam, & ſtellas in poteſtatem noctis.
Qui percuſſit Aegyptum cum primogenitis eorum.
Qui eduxit Iſrael de medio eorum.
In manu potenti, & brachio excelſo.
Qui diuiſit mare Rubrum in diuiſiones.
Et eduxit Iſrael per medium eius:
Et excuſſit Pharaonem, & virtutem eius in mari Rubro.
Qui traduxit populum ſuum per deſertum.
Qui percuſſit reges magnos.
Et occidit reges fortes.
Sehon regem Amorrhæorum.
Et Og regem Baſan.
Et dedit terram eorum hereditatem.
Hereditatem Iſrael ſeruo ſuo.
Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri.
Et redemit nos ab inimicis noſtris.
Qui dat eſcam omni carni.
Confitemini Deo cæli.
Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum miſericordia eius.

Añ. Quoniam in æternum miſericordia eius.

Pſalmus 136.

SVper flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus: cum recordaremur Sion.
In ſalicibus in medio eius: ſuſpendimus organa noſtra.
Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos: verba cantionum.
Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.
Quomodo cantabimus canticum Domini: in terra aliena?
Si oblitus fuero tui Ieruſalem: obliuioni detur dextera mea.
Adhæreat lingua mea faucibus meis: ſi non meminero tui.
Si non propoſuero Ieruſalem: in principio lætitiæ meæ.
Memor eſto Domine filiorum Edom: in die Ieruſalem.
Qui dicunt. Exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea.
Filia Babylonis miſera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.
Beatus qui tenebit: & allidet paruulos tuos ad petram.

Añ. Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Ad Magnificat, Antiphona.

Depoſuit potentes ſanctos perſequentes: & exaltauit humiles Chriſtum confitentes.

Digitized by Google

FERIA SEXTA.

Pſalmus 137.

Onfitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audiſti verba oris mei.

In conſpectu Angelorum pſallam tibi: adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Super miſericordia tua, & veritate tua: quoniam magnificaſti ſuper omne, nomen ſanctum tuum.

In quacunque die inuocauero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem,

Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in vijs Domini: quoniam magna eſt gloria Domini.

Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit: & alta à longe cognoſcit.

Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: Domine miſericordia tua in ſæculum, opera manuum tuarum ne deſpicias. Aña. In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus.

Pſalmus 138.

Omine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.

Intellexiſti cogitationes meas de longe: ſemitam meam, & funiculum meum inueſtigaſti.

Et omnes vias meas præuidiſti: quia non eſt ſermo in lingua mea.

Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua: tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.

Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me: confortata eſt, & non potero ad eam.

Quo ibo à ſpiritu tuo? & quo à facie tua fugiam?

Si aſcendero in cælum tu illic es: ſi deſcendero in infernum ades.

Si ſumpſero pennas meas diluculo: & habitauero in extremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

Et dixi, Forſitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in delicijs meis.

Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

Quia tu poſſediſti renes meos: ſuſcepiſti me de vtero matris meæ.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.

Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto: & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.

D inu-

Digitized by Google

Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc ſum tecum.

Si occideris Deus peccatores: viri ſanguinum declinate à me.

Quia dicitis in cogitatione: accipient in vanitate ciuitates tuas.

Nonne qui oderunt te Domine, oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?

Perfecto odio oderam illos: & inimici facti ſunt mihi.

Proba me Deus, & ſcito cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas.

Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt: & deduc me in via æterna.

Antiphona. Domine probaſti me, & cognouiſti me.

Pſalmus 139.

ERipe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.

Qui cogitauerunt iniquitates in corde: tota die conſtituebant prælia.

Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labijs eorum.

Cuſtodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos: abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.

Et funes extenderunt in laqueum: iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.

Dixi Domino: Deus meus es tu: exaudi Domine vocē deprecationis meæ.

Domine, Domine virtus ſalutis meæ: obumbraſti ſuper caput meum in die belli.

Ne tradas me Domine à deſiderio meo peccatori: cogitauerunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

Caput circuitus eorum: labor labiorum ipſorum operiet eos.

Cadent ſuper eos carbones, in ignem deijcies eos: in miſerijs non ſubſiſtent.

Vir linguoſus non dirigetur in terra: virum iniuſtum mala capient in interitu.

Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis: & vindictam pauperum.

Veruntamen iuſti confitebuntur nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo.

Aña. A viro iniquo libera me Domine.

Pſalmus 140.

DOmine clamaui ad te, exaudi me: intende voci meæ, cum clamauero ad te.

Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.

Pone Domine cuſtodiam ori meo: & oſtium circumſtantiæ labijs meis.

Non declines cor meum in verba malitiæ: ad excuſandas excuſationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem: & non communicabo cum electis eorum.

Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam adhuc, & oratio mea in beneplacitis eorum: abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum.
Audient verba mea, quoniam potuerunt: ſicut craſſitudo terræ erepta eſt ſuper terram.
Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum: quia ad te Domine Domine oculi mei, in te ſperaui, non auferas animam meam.
Cuſtodi me à laqueo, quem ſtatuerunt mihi: & à ſcandalis operantium iniquitatem.
Cadent in retiaculo eius peccatores: ſingulariter ſum ego, donec tranſeam.
Aña. Domine clamaui ad te, exaudi me.

Pſalmus 141.

Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus ſum.
Effundo in cõſpectu eius orationem meam: & tribulationem meam ante ipſum pronuncio.
In deficiendo ex me ſpiritum meum: & tu cognouiſti ſemitas meas.
In via hac qua ambulabam: abſconderunt laqueum mihi.
Conſiderabam ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognoſceret me.
Perijt fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam.
Clamaui ad te Domine: dixi, Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.
Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus ſum nimis.
Libera me a perſequentibus me: quia confortati ſunt ſuper me.
Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti, donec retribuas mihi.
Aña. Portio mea Domine ſit in terra viuentium.
Ad Magnificat Aña. Suſcepit Deus Iſrael populum ſuum, ſicut loquutus eſt Abraham, & ſemini eius, & exaltauit humiles vſque in ſæculum.

Pſalmus 142.

Non dicitur in Veſperis.

Domine exaudi orationem meã, auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua iuſtitia.
Et non intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.
Quia perſecutus eſt inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam.
Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſæculi: & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.
Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis: & in factis manuum tuarum meditabar.
Expandi manus meas ad te: anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.
Velociter exaudi me Domine: defecit ſpiritus meus.
Non auertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.
Auditam fac mihi mane miſericordiam

Digitized by Google

diam tuam: quia in te ſperaui.

N otam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.

E ripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

S piritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.

E duces de tribulatione animam meam: & in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.

E t perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego ſeruus tuus ſum.

SABBATO.

Pſalmus 143.

BEnedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium: & digitos meos ad bellum.

M iſericordia mea, & refugium meũ: ſuſceptor meus, & liberator meus.

P rotector meus, & in ipſo ſperaui: qui ſubdit populum meum ſub me.

D omine quid eſt homo, quia innotuiſti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

H omo vanitati ſimilis factus eſt: dies eius ſicut vmbra prætereunt.

D omine inclina cælos tuos, & deſcende: tange montes, & fumigabunt.

F ulgura coruſcationem, & diſſipabis eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.

E mitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me ad aquis multis: de manu filiorum alienorum.

Q uorum os locutum eſt vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.

D eus canticum nouum cantabo tibi: in pſalterio decachordo pſallam tibi.

Qui das ſalutem regibus, qui redemiſti Dauid ſeruum tuum: de gladio maligno, eripe me.

E t erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis:

Quorum filij ſicut nouellæ plantationes: in iuuentute ſua.

F iliæ eorum compoſitæ: circumornatæ, vt ſimilitudo templi.

P romptuaria eorum plena: eructantia ex hoc in illud.

O ues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis: boues eorum craſſæ.

N on eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum.

B eatum dixerunt populum, cui hæc hæc ſunt: beatus populus, cuius Dominus Deus eius.

Antiphona. Benedictus Dominus Deus meus.

Pſalmus 144.

EXaltabo te Deus meus rex: & benedicam nomini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

P er ſingulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Magnus

Digitized by Google

M agnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non eſt finis.
G eneratio, & generatio laudabit opera tua:& potentiam tuam pronunciabunt.
M agnificētiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur:& mirabilia tua narrabũt.
E t virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt.
M emoriam̄ abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt: & iuſtitia tua exultabunt.
M iſerator,& miſericors Dominus:patiens & multum miſericors.
S uauis Dominus vniuerſis:& miſerationes eius ſuper omnia opera eius.
C onfiteantur tibi Dñe omnia opera tua:& ſancti tui benedicant tibi.
G loriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur.
V t notam faciant filijs hominum potentiam tuam:& gloriam magnificentiæ regni tui.
R egnum tuum, regnum omnium ſæculorum:&dominatio tua in omni generatione & generationem.
F idelis Dominus in omnibus verbis ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis.
A lleuat Dominus omnes qui corruunt:& erigit omnes eliſos.
O culi omnium in te ſperant Domine: & tu das eſcam illorum in tempore opportuno.
A peris tu manum tuam:& imples omne animal benedictione.
I uſtus Dominus in omnibus vijs ſuis: & ſanctus in omnibus operibus ſuis.
P rope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate.
V oluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & ſaluos faciet eos.
C uſtodit Dominus omnes diligentes ſe:& omnes peccatores diſperdet.
L audationem Domini loquetur os meum:& benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Aña. In æternum, & in ſæculum ſæculi.

Pſalmus 145.

L Auda anima mea Dominũ,laudabo Dominum in vita mea: pſallam Deo meo quamdiu fuero.
N olite confidere in principibus:in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.
E xibit ſpiritus eius,& reuertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.
B eatus cuius Deus Iacob adiutor eius:ſpes eius in Domino Deo ipſius, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia,quæ in eis ſunt.
Q ui cuſtodit veritatem in ſæculum, facit iudicium iniuriam patientibus: dat eſcam eſurientibus.
D ominus ſoluit compeditos: Dominus illuminat cæcos.
D ominus erigit eliſos: Dominus diligit iuſtos.
D ominus cuſtodit aduenas, pupillum,& viduam ſuſcipiet: & vias peccatorum

catorum

catorum diſperdet.

Regnabit Dominus in ſæcula, Deus tuus Sion: in generationem, & generationem.

Antiphona. Laudabo Deum meum in vita mea.

Pſalmus 146.

Laudate Dominum, quoniam bonus eſt pſalmus: Deo noſtro ſit iucunda, decoraque laudatio.

Aedificans Ieruſalem Dominus: diſperſiones Iſraelis congregabit.

Qui ſanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem ſtellarum: & omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius: & ſapientiæ eius non eſt numerus.

Suſcipiens manſuetos Dominus: humilians autem peccatores vſque ad terram.

Præcinite Domino in confeſſione: pſallite Deo noſtro in cithara.

Qui operit cælum nubibus: & parat terræ pluuiam.

Qui producit in montibus fœnum: & herbam ſeruituti hominum.

Qui dat iumentis eſcam ipſorum: & pullis coruorum inuocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum: & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius.

Antiphona. Deo noſtro iucunda ſit laudatio.

Pſalmus 147.

Lauda Ieruſalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum: benedixit filijs tuis in te.

Qui poſuit fines tuos pacem: & adipe frumenti ſatiat te.

Qui emittit eloquium ſuum terræ: velociter currit ſermo eius.

Qui dat niuem ſicut lanam: nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuum ſicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit?

Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.

Qui annunciat verbum ſuum Iacob: iuſtitias, & iudicia ſua Iſrael.

Non fecit taliter omni nationi: & iudicia ſua non manifeſtauit eis.

Antiphona. Lauda Ieruſalem Dominum.

Tempore Paſchali ad Veſp. Sabbati, ſuper omnes Pſ. dicatur hæc tantum Antiph. Alleluia, alleluia, alleluia.

Tres Pſalmi ſequentes dicuntur tantum in Laudibus.

Pſalmus 148.

Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.

Laudate eum ſol & luna: laudate eum omnes ſtellæ, & lumen.

Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt: laudent

nomen Domini.
Quia ipſe dixit,& facta ſunt:ipſe mandauit,& creata ſunt.
Statuit ea in æternum,& in ſæculum ſæculi:præceptum poſuit,& non præteribit.
Laudate Dominum de terra: dracones,& omnes abyſſi.
Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.
Montes,& omnes colles: ligna fructifera,& omnes cedri.
Beſtiæ,& vniuerſa pecora: ſerpentes,& volucres pennatæ.
Reges terræ,& omnes populi: principes,& omnes iudices terræ.
Iuuenes,& virgines,ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini:quia exaltatum eſt nomen eius ſolius.
Confeſsio eius ſuper cælum & terram:& exaltauit cornu populi ſui.
Hymnus omnibus ſanctis eius: filijs Iſrael, populo appropinquanti ſibi. Hic non dicitur Gloria Patri.

Pſalmus 149.

Cantate Domino canticum nouum: laus eius in Eccleſia ſanctorum.
Lætetur Iſraël in eo, qui fecit eum: & & filiæ Sion exultent in rege ſuo.
Laudent nomen eius in choro:in tympano,& pſalterio pſallant ei.
Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo:& exaltabit manſuetos in ſalutem.
Exultabunt ſancti in gloria:lætabuntur in cubilibus ſuis.
Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladij ancipites in manibus eorum.
Ad faciendam vindictam in nationibus:increpationes in populis.
Ad alligandos reges eorum in compedibus:& nobiles eorum in manicis ferreis.
Vt faciant in eis iudicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius. Hic non dicitur Gloria Patri.

Pſalmus 150.

Laudate Dominum in ſanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.
Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius.
Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio,& cithara.
Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis, & organo.
Laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.

DOMINICA.

Canticum trium puerorum. *Dan.3.*

Benedicite omnia opera Domini Domino:laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.
Benedicite Angeli Domini Domino:benedicite cæli Domino.
Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cælos ſunt Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.
Benedicite ſol & luna Domino: benedicite ſtellæ cæli Domino.

Bene-

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.
Benedicite ignis & æſtus Domino: benedicite frigus & æſtas Domino.
Benedicite rores, & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.
Benedicite glacies & niues Domino: benedicite noctes, & dies Domino.
Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.
Benedicat terra Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.
Benedicite montes & colles Domino: benedicite vniuerſa germinantia in terra Domino.
Benedicite fontes Domino: benedicite maria, & flumina Domino.
Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis Domino: benedicite omnes volucres cæli Domino.
Benedicite omnes beſtiæ, & pecora Domino: benedicite filij hominum Domino.
Benedicat Iſrael Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.
Benedicite ſacerdotes Domini Domino: benedicite ſerui Domini Domino.
Benedicite ſpiritus, & animæ iuſtorum Domino: benedicite ſancti, & humiles corde Domino.
Benedicite Anania, Azaria, Miſael Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.
Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto ſpiritu: laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.
Benedictus es Domine in firmamento cæli: & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.

FERIA SECVNDA.

Canticum Iſaiæ. *Iſa.* 12:

Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me.
Ecce Deus ſaluator meus fiducialiter agam, & non timebo.
Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.
Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris: & dicetis in illa die, Confitemini Domino, & inuocate nomen eius.
Notas facite in populis adinuentiones eius: mementote quoniam excelſum eſt nomen eius.
Cantate Domino, quoniam magnifice fecit: annunciate hoc in vniuerſa terra:
Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael.
Antiphona. Conuerſus eſt furor tuus Domine, & conſolatus es me.

FERIA TERTIA.

Canticum Ezechiæ Regis. *Iſa.* 38.

Ego dixi in dimidio dierum meorum: Vadam ad portas inferi.
Quæſiui reſiduum annorum meorum: dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viuentium.

Non aſpiciam hominem vltra: & habitatorem quietis.

Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me: quaſi tabernaculum paſtorum.

Præciſa eſt velut à texente, vita mea, dum adhuc ordirer, ſuccidit me: de mane vſque ad veſperam finies me.

Sperabam vſque ad mane: quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea.

De mane vſque ad veſperam finies me: ſicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba.

Attenuati ſunt oculi mei: ſuſcipientes in excelſum.

Domine vim patior, reſponde pro me: quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos: in amaritudine animæ meæ.

Domine ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me, & viuificabis me: ecce in pace amaritudo mea amariſſima.

Tu autem eruiſti animam meam vt non periret: proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam.

Viuens viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie: pater filijs notam faciet veritatem tuam.

Domine ſaluum me fac: & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.

Antiphona. Cunctis diebus vitæ noſtræ ſaluos nos fac Domine.

FERIA QVARTA.

Canticum Annæ. *1. Reg. 2.*

EXultauit cor meum in Domino: & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo.

Dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos: quia lætata ſum in ſalutari tuo.

Non eſt ſanctus vt eſt Dominus, neque enim eſt alius extra te: & non eſt fortis ſicut Deus noſter.

Nolite multiplicare loqui ſublimia: gloriantes.

Recedant vetera de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum Dominus eſt: & ipſi præparantur cogitationes.

Arcus fortium ſuperatus eſt: & infirmi accincti ſunt robore.

Repleti pro panibus ſe locauerunt: & famelici ſaturati ſunt.

Donec ſterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.

Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.

Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat & ſubleuat.

Suſcitat de puluere egenum: & de ſtercore eleuat pauperem.

Vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat.

Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem.

Pedes ſeruorum ſuorum ſeruabit, & impij in tenebris conticeſcent: quia non in fortitudine ſua roborabitur vir.

Digitized by Google

Dominum formidabunt aduerſarij eius:& ſuper ipſos in cælis tonabit.
Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi ſuo: & ſublimabit cornu Chriſti ſui.
Antiphona. Dominus iudicabit fines terræ.

FERIA QVINTA.

Canticum Moyſi. *Exod.* 15.

CAntemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem deiecit in mare.
Fortitudo mea, & laus mea Dominus:& factus eſt mihi in ſalutem.
Iſte Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei,& exaltabo eum.
Dominus quaſi vir pugnator omnipotens nomen eius: currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare.
Electi principes eius ſubmerſi ſunt in mari Rubro, abyſſi operuerunt eos: deſcenderunt in profundum quaſi lapis.
Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine, dextera tua Domine percuſſit inimicum:& in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos.
Miſiſti iram tuam,quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam:& in ſpiritu furoris tui congregatæ ſunt aquæ.
Stetit vnda fluens: congregatæ ſunt abyſſi in medio mari.
Dixit inimicus, Perſequar, & comprehendam:diuidam ſpolia, implebitur anima mea.
Euaginabo gladium meum: interficiet eos manus mea.
Flauit ſpiritus tuus,& operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.
Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui,magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia?
Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra: dux fuiſti in miſericordia tua populo,quem redemiſti
Et portaſti eum in fortitudine tua:ad habitaculum ſanctum tuum.
Aſcenderunt populi,& irati ſunt:dolores obtinuerunt habitatores Philiſthijm.
Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.
Irruat ſuper eos formido,& pauor: in magnitudine brachij tui.
Fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeat populus tuus Domine: donec pertranſeat populus tuus iſte, quem poſſediſti.
Introduces eos,& plantabis in monte hereditatis tuæ:firmiſſimo habitaculo tuo,quod operatus es Domine.
Sanctuarium tuum Domine,quod firmauerunt manus tuæ: Dominus regnabit in æternum,& vltra.
Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare: & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris.
Filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccum:in medio eius.

Antiph. In æternum Dominus regnabit,& vltra.

FERIA SEXTA.

Canticum Habacuc. *Habacuc.3.*

Domine audiui auditionem tuam:& timui.

Domine opus tuum: in medio annorum viuifica illud.

In medio annorum notum facies: cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.

Deus ab Auſtro veniet:& ſanctus de monte Pharan.

Operuit cælos gloria eius: & laudis eius plena eſt terra.

Splendor eius vt lux erit:cornua in manibus eius.

Ibi abſcondita eſt fortitudo eius:ante faciem eius ibit mors.

Et egredietur diabolus ante pedes eius:ſtetit,& menſus eſt terram.

Aſpexit,& diſſoluit gentes:& contriti ſunt montes ſæculi.

Incuruati ſunt colles mundi: ab itineribus æternitatis eius.

Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ: turbabuntur pelles terræ Madian.

Nunquid in fluminibus iratus es Domine:aut in fluminibus furor tuus,vel in mari indignatio tua?

Qui aſcendes ſuper equos tuos: & quadrigæ tuæ ſaluatio.

Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum: iuramenta tribubus,quæ locutus es.

Fluuios ſcindes terræ, viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum tranſijt.

Dedit abyſſus vocem ſuam: altitudo manus ſuas leuauit.

Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo:in luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.

In fremitu conculcabis terram: & in furore obſtupefacies gentes.

Egreſſus es in ſalutem populi tui: in ſalutem cum Chriſto tuo.

Percuſſiſti caput de domo impij: denudaſti fundamentum eius vſque ad collum.

Maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorum eius: venientibus vt turbo ad diſperdendum me.

Exultatio eorum: ſicut eius qui deuorat pauperem in abſcondito.

Viam feciſti in mari equis tuis: in luto aquarum multarum.

Audiui, & conturbatus eſt venter meus: à voce contremuerunt labia mea.

Ingrediatur putredo in oſſibus meis: & ſubter me ſcateat.

Vt requieſcam in die tribulationis: vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum.

Ficus enim non florebit: & non erit germen in vineis.

Mentietur opus oliuæ: & arua non afferent cibum.

Abſcindetur de ouili pecus: & non erit armentum in præſepibus.

Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo Ieſu meo.

Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quaſi ceruorum.

Et ſuper excelſa mea deducet me victor:

ctor: in pſalmis canentem.

Antiph. Domine audiui auditum tuum, & timui.

SABBATO.

Canticum Moyſi. *Deut.* 32.

AVdite cæli quæ loquor: audiat terra verba oris mei.

Concreſcat vt pluuia doctrina mea: fluat vt ros eloquium meum.

Quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina: quia nomen Domini inuocabo.

Date magnificentiam Deo noſtro: Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia.

Deus fidelis, & abſque vlla iniquitate, iuſtus, & rectus: peccauerunt ei, & non filij eius in ſordibus.

Generatio praua, atque peruerſa: hæccine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens?

Nunquid non ipſe eſt pater tuus: qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?

Memento dierum antiquorum: cogita generationes ſingulas.

Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.

Quando diuidebat Altiſſimus gentes: quando ſeparabat filios Adam.

Conſtituit terminos populorum: iuxta numerum filiorum Iſrael.

Pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hereditatis eius.

Inuenit eum in terra deſerta: in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis.

Circumduxit eum, & docuit: & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui.

Sicut aquila prouocans ad volandũ pullos ſuos: & ſuper eos volitans.

Expãdit alas ſuas, & aſſumpſit eum: atque portauit in humeris ſuis.

Dominus ſolus dux eius fuit: & non erat cum eo Deus alienus.

Conſtituit eum ſuper excelſam terram: vt comederet fructus agrorum.

Vt ſugeret mel de petra: oleumque de ſaxo duriſſimo.

Butyrum de armento, & lac de ouibus: cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan.

Et hircos cum medulla tritici: & ſanguinem vuæ biberet meraciſſimum.

Incraſſatus eſt dilectus: & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus:

Dereliquit Deum factorem ſuum: & receſſit à Deo ſalutari ſuo.

Prouocauerunt eum in dijs alienis: & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.

Immolauerunt dæmonijs, & non Deo: dijs, quos ignorabant.

Noui recenteſque venerunt: quos non coluerunt patres eorum.

Deum qui te genuit dereliquiſti: & oblitus eſt Domini creatoris tui.

Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus eſt: quia prouocauerunt eum filij ſui, & filiæ.

Et ait, Abſcondam faciem meam ab eis: & conſiderabo nouiſſima eorum.

Generatio enim peruerſa eſt: & infideles filij.

Ipſi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus: & irritauerunt in

vanitatibus ſuis.

Et ego prouocabo eos in eo, qui non eſt populus, & in gente ſtulta irritabo illos.

Ignis ſuccenſus eſt in furore meo: & ardebit vſque ad inferni nouiſſimam.

Deuorabitque terram cum germine ſuo: & montium fundamenta comburet.

Congregabo ſuper eos mala: & ſagittas meas complebo in eis.

Conſumentur fame: & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo.

Dentes beſtiarum immittam in eos: cum furore trahentium ſuper terram, atque ſerpentium.

Foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor: iuuenem ſimul ac virginem lactentem cùm homine ſene.

Dixi, Vbinam ſunt? ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum.

Sed propter iram inimicorum diſtuli: ne forte ſuperbirent hoſtes eorum.

Et dicerent, Manus noſtra excelſa: & non Dominus fecit hæc omnia.

Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia: vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.

Quo modo perſequatur vnus mille: & duo fugent decem millia?

Nonne ideo, quia Deus ſuus vendidit eos: & Dominus concluſit illos?

Non enim eſt Deus noſter vt dij eorum: & inimici noſtri ſunt iudices.

De vinea Sodomorum vinea eorum: & de ſuburbanis Gomorrhæ.

Vua eorum vua fellis: & botri amariſſimi.

Fel draconum vinum eorum: & venenum aſpidum inſanabile.

Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?

Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore: vt labatur pes eorum.

Iuxta eſt dies perditionis: & adeſſe feſtinant tempora.

Iudicabit Dominus populum ſuum: & in ſeruis ſuis miſerebitur.

Videbit, quod infirmata ſit manus: & clauſi quoque defecerunt, reſiduique conſumpti ſunt.

Et dicet, Vbi ſunt dij eorum: in quibus habebant fiduciam?

De quorum victimis comedebant adipes: & bibebant vinum libaminum.

Surgant, & opitulentur vobis: & in neceſſitate vos protegant.

Videte quod ego ſim ſolus: & non ſit alius Deus præter me.

Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam, & ego ſanabo: & non eſt qui de manu mea poſſit eruere.

Leuabo ad cælum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum.

Si acuero vt fulgur gladium meum: & arripuerit iudicium manus mea.

Reddam vltionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam.

Inebriabo ſagittas meas ſanguine: & gladius meus deuorabit carnes.

De cruore occiſorum: & de captiuitate, nudati inimicorum capitis.

Laudate gentes populum eius: quia ſan-

ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcetur.

Et vindictam retribuet in hoſtes eorum: & propitius erit terræ populi ſui.

Antiphona. Et in ſeruis ſuis Dominus miſerebitur.

Canticum Zachariæ. *Luc.* 1.

BEnedictus Dominus Deus Iſrael: quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Et erexit cornu ſalutis nobis: in domo Dauid pueri ſui.

Sicut locutus eſt per os ſanctorum: qui à ſæculo ſunt prophetarum eius.

Salutem ex inimicis noſtris: & de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris: & memorari teſtamenti ſui ſancti.

Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum: daturum ſe nobis.

Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati: ſeruiamus illi.

In ſanctitate, & iuſtitia coram ipſo: omnibus diebus noſtris.

Et tu puer propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius: in remiſsionem peccatorum eorum.

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitauit nos oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Canticum SS. Ambroſij & Auguſtini.

TE Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum patrem omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi cæli, & vniuerſæ poteſtates.

Tibi Cherubim & Seraphim: inceſſabili voce proclamant.

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.

Pleni ſunt cæli, & terra: maieſtatis gloriæ tuæ.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia.

Patrem immenſæ maieſtatis.

Venerandum tuum verum, & vnicum Filium.

Sanctum quoque paraclitum ſpiritum.

Tu Rex gloriæ Chriſte.

Tu patris ſempiternus es filius.

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem: non horruiſti Virginis vterum.

Tu deuicto mortis aculeo: aperuiſti credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram Dei ſedes: in gloria Patris.

Iudex

Digitized by Google

Iudex crederis eſſe venturus.

Hic genuflectitur.

Te ergo quæſumus famulis tuis ſubueni: quos pretioſo Sanguine redemiſti.

Aeterna fac cum ſanctis tuis gloria munerari.

Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ.

Et rege eos: & extolle illos vſque in æternum.

Per ſingulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in ſæculum: & in ſæculum ſæculi.

Dignare Domine die iſto: ſine peccato nos cuſtodire.

Miſerere noſtri Domine: miſerere noſtri.

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te.

In te Domine ſperaui: non confundar in æternum.

Symbolum S. Athanaſij.

Qvicunque vult ſaluus eſſe: ante omnia opus eſt, vt teneat Catholicam fidem.

Quam niſi quiſque integram, inuiolatamque ſeruauerit: abſque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate: & Trinitatem in vnitate veneremur.

Neque confundentes perſonas: neque ſubſtantiam ſeparantes.

Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij; alia Spiritus ſancti.

Sed Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vna eſt diuinitas: æqualis gloria, & coæterna maieſtas.

Qualis Pater, talis Filius: talis Spiritus ſanctus.

Immenſus Pater, immenſus Filius: immenſus Spiritus ſanctus.

Aeternus Pater, æternus Filius: æternus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres æterni: ſed vnus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immenſi: ſed vnus increatus, & vnus immenſus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius: omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: ſed vnus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Dij: ſed vnus eſt Deus:

Ita Dominus Pater, Dominus Filius: Dominus Spiritus ſanctus.

Et tamen non tres Domini: ſed vnus eſt Dominus.

Quia ſicut ſigillatim vnamquamque perſonam Deum ac Dominnm confiteri Chriſtiana veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere Catholica religione prohibemur.

Pater à nullo eſt factus: nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre ſolo eſt: non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus ſanctus à Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Vnus

Vnus ergo Pater, non tres Patres, vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil maius, aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.

Ita vt per omnia ſicut iam ſupra dictum eſt: & vnitas in Trinitate veneranda ſit.

Qui vult ergo ſaluus eſſe: ita de Trinitate ſentiat.

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem: vt incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, vt credamus & confiteamur: quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius, Deus, & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus: & homo ex ſubſtantia Patris in ſæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

Aequalis Patri ſecundum diuinitatem: minor Patre ſecundum humanitatem.

Qui licet Deus ſit, & homo: non duo, tamen, ſed vnus eſt Chriſtus.

Vnus autem non conuerſione diuinitatis in carnem: ſed aſſumptione humanitatis in Deum.

Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ: ſed vnitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra: deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.

Aſcēdit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis: & reddituri ſunt de factis proprijs rationem.

Et qui bona egerunt ibunt in vitam æternam: qui vero mala in ignem æternum.

Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit: ſaluus eſſe non poterit.

Canticum Beatiſſimæ Virginis Mariæ. *Luc.* 1.

MAgnificat: anima mea Dominum.

Et exultauit ſpiritus meus: in Deo ſalutari meo.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen eius.

Et miſericordia eius à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio ſuo: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

Depoſuit potentes de ſede: & exaltauit humiles.

Eſurientes impleuit bonis: & diuites dimiſit inanes.

Suſcepit Iſraël puerum ſuum: recordatus miſericordiæ ſuæ.

Sicut locutus eſt ad patres noſtros: Abraham,

Abraham,& ſemini eius in ſæcula.

Canticum Simeonis. *Luc.*1.

NVnc dimittis ſeruum tuum Domine:ſecundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei: ſalutare tuum.

Quod paraſti: ante faciem omnium populorum.

Lumen ad reuelationem gentium:& gloriam plebis tuæ Iſrael.

Symbolum Apoſtolorum.

CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cæli, & terræ.

Et in Ieſum Chriſtum Filium eius, vnicum Dominum noſtrum.

Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus,& ſepultus.

Deſcendit ad inferos: tertia die reſurrexit à mortuis.

Aſcendit ad cælos: ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.

Credo in Spiritum ſanctum.

Sanctam Eccleſiam Catholicam.

Sanctorum communionem.

Remiſsionem peccatorum.

Carnis reſurrectionem.

Vitam æternam. Amen.

Oratio Dominicalis. *Mat.*6.

PAter noſter, qui es in cælis: ſanctificetur nomen tuum.

Adueniat regnum tuum.

Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo. Amen.

Salutatio Angelica. *Luc.*1.

AVe Maria, gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Ieſus.

Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen.

MODVS DICENDI OFFICIVM DE TEMPORE.

MODVS, & ordo dicendi Officium de tempore per totum annum ſeruetur, prout in Dominica prima poſt Octauã Epiphaniæ, & in Hebdomada ſequenti diſponitur. Quæ igitur ſuis proprijs locis

locis non ſunt annotata, in præfata Dominica, & ſubſequenti Hebdomada requirantur. Et notandum, quòd per totum annum Officium tam diei, quàm noctis eſt de Tempore celebrandum, exceptis diebus, quibus de Feſtis Sanctorum, aut eorum Octauis prout in Rubricis, ſeu Ordinario ipſorum diſponitur, agendum eſt. Quando igitur de Tempore eſt celebrandum, omnibus Dominicis extra tempus Paſchale, faciendæ ſunt nouem Lectiones in Matutinis. In Profeſtis autem diebus per totum annum fiant tantum tres, niſi in triduo ante Paſcha, & in die animarum.

De Tempore Paſchali.

2 TEmpus Paſchale vocatur à Miſſa Vigiliæ Paſchæ, & deinceps vſque ad primas Veſperas Trinitatis excluſiue: & tunc, vel fiat de tempore, vel de Sanctis faciēdæ ſunt tantum tres Lectiones: dicendi tantum tres Pſalmi ad Matutinum, & in fine quorumlibet Reſpōſoriorum, Antiphonarum, & Verſiculorum apponitur *Alleluia*. Reliqua autem prout ſuis locis notata ſunt.

De die Dominica celebranda.

3 DIes ipſa Dominica Feſtis Duplicibus æquipolleat, & ita deinceps per totum annum cum ſolemnitate Feſti Duplicis ab omnibus celebretur: ita tamen, quòd dicta ſolemnitas à Matutinis tātummodo incipere intelligatur. Officium autem de Dominica, propter nullas Octauas non Solēnes in Dominica occurrentes, dimittatur, exceptis Octauis S. Stephani, S. Ioannis, SS. Innocētium, Epiphaniæ, & Die Octaua Apoſtolorum Petri, & Pauli (propter propriam Homil.) & Die Octaua S. Laurentij.

De Dominica prima Menſis.

4 DOminica prima Menſis vocatur illa, quæ propinquior eſt Kalendis, & in qua Hiſtoria Dominicalis incipit.

Si igitur Kalendæ fuerint in Dominica, hæc ipſa erit prima Dominica Menſis, & ibi eſt Hiſtoria, quæ illæ Dominicæ aſſignatur, inchoanda. Si vero Kalendæ fuerint in ſecunda, tertia, vel quarta Feria, tunc in præcedenti Dominica inchoetur Hiſtoria. Si autem quinta, vel ſexta Feria, vel Sabbato Kalendæ fuerint, in ſequenti Dominica inchoetur.

De Oratione Dominicali.

5 NOtandum, quòd Oratio Dominicæ ſemper dicenda eſt Sabbato præcedenti ad Veſperas, & in ipſa Dominica ad omnes Horas tam diei, quàm noctis, quando de Dominica agitur: præterquam in Prima, & in Completorio, niſi aliter ſit notatum. Et hoc ſciendum, quòd vbicunque dicitur: Hæc Oratio dicatur ad Horas: numquam intelligitur de Prima, neque de Completorio: niſi ſpecialiter exprimatur. Dicenda eſt etiam Oratio Dominicalis per Ferias Hebdomad. vſque ad Veſperas Sabbati excluſiue ad omnes horas tam diei, quàm noctis, quando de tempore agitur: niſi in Ieiu-

Digitized by Google

Ieiunijs quatuor temporum Aduent. & in quarta Feria Cinerum: & deinceps vſque ad Dominicam in Albis excluſiue, & niſi in tribus diebus Rogationũ, & niſi in Hebdomada Penteceſtes, & niſi aliqua Oratio Dominicalis infra Hebdomadam ſit dicenda, & niſi aliter ſit notatum. Illæ autem Orationes, quæ infra Hebdomadam inchoantur, ſemper ſunt in laudibus incheandæ. Hoc etiam ſciendum, quòd oratio, quæ dicitur ad Laudes, ſemper dicenda eſt ad Tertiam, Sextam, & Nonam, niſi in Ieiunijs quatuor Temporum Aduentus, & in duobus diebus Rogationum. Dicitur etiam ad Veſper. quando agitur de eodem, de quo in Laudibus, niſi per Ferias Quadrageſimæ, & in duobus diebus Rogationum.

De homilia Dominicali, quando legenda, vel transferenda, vel omnino dimittenda.

6 IN omni Dominica niſi Feſtum, vel Octau. dies feſti, de quibus in Dom. ſit agendum, impediat, tres vltimæ Lectiones de expoſitione Euangelij Dominicalis legantur, prætérquam in Vigilia Natiuitatis Domini, quando in Dominica euenerit. Tunc enim Homil. Dominicalis omittitur in illo anno. Quando vero propter aliquod impedimentum Dominicalis Homilia non legitur in Dominica, ſemper infra Hebdom. ſuam aliqua Feria vacante eſt legenda. Feriæ autem ita ordinantur, vt primò Feria quarta, & ipſa impedita in Feria ſexta, poſtea in Feria ſecunda, quinta, tertia, vltimo in Sabbato dicatur: & ſemper eo die fiat totum officium de Feria currente, niſi quando legitur infra aliquas Oct. tunc enim Homil. tantum, & Miſſa erunt de Dominica: reliquum vero Officij cum tertia Lectione erit de Octaua. Quando autem Feſtum S. Silueſtri in Dominica euenerit, & quando Feſtum aliquod duplex, vel totum duplex in Dominica ante Aſcenſionem occurrerit, Homil. Dominicalis. dimittitur illo anno. Quando vero Circumciſio Domini, vel Octaua dies S. Stephani, vel Sancti Ioannis, vel SS. Innocentium, vel Vigilia Epiphaniæ, vel dies Octaua Epiphaniæ in Dominica occurrerint, illa Dominica caret proprio Officio, & Homilia.

De Octauis.

7 OCtauæ Feſtorum de Tempore ſunt octo, videlicet, Natiuitatis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Aſcenſionis, Trinitatis, Epiphaniæ, & Dèdicationis Eccleſiæ. Harũm quatuor primæ vocantur Solemniſſimæ, vna ſubſequens Solemnis, tres vltimæ Simplices. Infra iſtas Octau. vel in ipſis Oct. Simplicibus, aut Solemnibus, fiat Officium eo modo reſpectiue, quo infra dicitur in Rubr. de Octau. Sanctorum. Infra Oct. autem Solemniſſimas, vel in ipſis Oct. omnia fiant ſicut de Oct. Solemnibus ibidem dicitur, excepto, quòd non fit de aliquo Sancto, niſi infra Octa. Natiuitatis Domini, & niſi quando infra

Octa-

Digitized by Google

Octauas, vel etiam in ipſa die Octaua Corporis Christi occurrerit Feſtum S. Ioannis Baptiſtæ, vel Apoſtolorum Petri, & Pauli: quia tunc de ipſis agetur.

De repetitione Hiſtoriæ Dominicalis per Ferias.

8 PEr Aduent. (niſi in Ieiun. quatuor Tempor.) & à Septuageſima vſque ad Cœnam Domini, Reſponſ. Dominic. Hiſtor. repetuntur per Hebdoma. quando de Feria agitur, hoc ordine, videlicet. In ſecunda, & quinta Feria, tria prima. In tertia & ſexta Feria, media. In quarta Feria, & Sabbato, tria vltima. Quando autem feſtum aliquod infra Hebdom. celebratur, nihilominus præfatus ordo in reliquis Ferijs obſeruetur. In alijs vero temporibus obſeruandæ ſunt Rubricæ poſitæ in Dominica, & Hebdomada *Domine ne in ira.* & aliæ peculiares proprijs locis adſcriptæ. Vnde etiam peti poterunt, quæ hic deſiderari videntur, ne ſæpius eadem inculcentur.

Vbi Aduentus Domini celebrandus ſit.

9 ADuentus Domini ſemper celebrari debet in Dominica, quæ vicinior eſt diei S. Andreæ, ſiue præcedat, ſiue ſequatur, vel in ipſo die S. Andreæ, quando in Dominica euenerit.

Digitized by Google



Digitized by Google

BREVIARIVM DE TEMPORE IVXTA RITVM SACRI ORDINIS PRAEDICATORVM.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

SABBATO præcedenti ad Veſperas. Antiphona. Benedictus. Pſalm. Ipſe. 97. Ceteræ ad ceteros.

Capitulum. *Ier.* 23.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum: & regnabit Rex, & ſapiens erit: & faciet iudicium & iuſtitiam in terra. ℟. Miſſus eſt. iij.

Hymnus.

Conditor alme ſiderum,
Aeterna lux credentium:
Chriſte redemptor omnium,
Exaudi preces ſupplicum.
Qui condolens interitu
Mortis perire ſæculum,
Saluaſti mundum languidum,
Donans reis remedium.
Vergente mundi veſpere,
Vti ſponſus de thalamo
Egreſſus honeſtiſſima
Virginis matris clauſula.
Cuius forti potentiæ
Genu curuantur omnia,
Cæleſtia, terreſtria,
Nutu fatentur ſubdita.
Te deprecamur agie,
Venture iudex ſæculi,
Conſerua nos in tempore.
Hoſtis à telo perfidi.
Laus, honor, virtus, gloria,
Deo Patri, & filio,
Sancto ſimul Paraclito,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum. ℟. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ecce nomen Domini venit de longinquo, & claritas eius replet orbem terrarum.

Oratio.

Excita quæſumus Domine potẽtiam tuam, & veni: vt ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis, te mereamur protegente eripi, te liberante ſaluari. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Ecce venit Rex. Occurramus obuiam

Digitized by Google

Saluatori noſtro. Pſalm. Venite exultemus. 195. Hymnus.

VErbum ſupernum prodiens,
A Patre olim exiens,
Qui natus orbi ſubuenis,
Curſu decliui temporis.
Illumina nunc pectora,
Tuoque amore concrema:
Audito vt præconio.
Sint pulſa tandem lubrica.
Iudexque cum poſt aderis,
Rimari facta pectoris,
Reddens vicem pro abditis,
Iuſtiſque regnum pro bonis.
Non demum arctemur malis,
Pro qualitate criminis.
Sed cum beatis compotes,
Simus perennes cælibes.
Laus, honor, virtus, gloria,
Deo Patri, & Filio.
Sancto ſimul Paraclito,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

IN PRIMO NOCTVRNO. Aña. Scientes quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere: Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cũ credidimus. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit: Pſal. Beatus vir. Pſal. Quare fremuerunt. 1. Pſal. Domine quid. 2. Pſal. Domine ne in furore. 3. Quatuor hi Pſalmi claudantur ſub vno tãtũ. ℣. Gloria Patri. Pſ. Domine Deus meus: 4. Pſal. Domine Dominus noſter. 4. Pſal. Confitebor tibi Domine. j. 4. Pſal. In Domino. 6. ℣. Gloria Patri. Pſal. Saluum me fac. 6. Pſ. Vſquequo. 7. Pſal. Dixit inſipiens. j. 7. Pſal. Domine quis. 7. ℣. Gloria Patri. ℣. Ex Sion ſpecies decoris eius. ℟. Deus noſter manifeſte veniet.

Incipit Liber Iſaiæ Prophetæ.

Lectio j. *Cap. 1.*

VIſio Iſaiæ filij Amos, quam vidit ſuper Iudam, & Ieruſalem in diebus Oziæ, & Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda. Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dñs locutus eſt. Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autẽ ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autẽ me non cognouit, & populus meus nõ intellexit. Hæc dicit Dominus Deus: Conuertimini ad me, & ſalui eritis. ℟. Deo gratias. Et ita per. Hæc dicit, loco Tu autem, terminentur deinceps omnes Lect. de Iſaia Proph. vſq. ad Mat. Natiuit. Dom. incluſ. niſi aliter ſignetur. ℟. Aſpiciens à longe, ecce video Dei potentiam venientem, & nebulã totam terram tegentem. Ite obuiã ei, & dicite: Nuncia nobis ſi tu es ipſe, Qui regnaturus es in populo Iſrael. ℣. Quiq. terrigenæ & filij hominũ, ſimul in vnũ diues & pauper. Ite obuiam ei, &c. Repetatur vſq. ad ℣. primum. ℣. Qui regis Iſrael, intende, qui deducis velut ouem Ioſeph. Nuncia. vſq. in fin. ℣. Excita Domine potentiam tuã, & veni: vt ſaluos facias nos. Qui regnaturus. vſq. in finem. ℣. Gloria Patri. In populo Iſrael. ℟. Aſpiciens. vſque ad primum ℣. Quando hoc ℟. dicendum erit infra Hebdom. dicetur tantum cum tertio ℣. Excita Domine. Ceteri autem Verſiculi, & Glo-

Gloria Patri, relinquentur. Lect. ij.

VAe genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequã filijs ſceleratis: dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctũ Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? Omne caput languidum, & omne cor mærens. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Hæc dicit. ℟. Aſpiciebam in viſu noctis: ecce in nubibus cæli Filius hominis venit: & datum eſt ei regnum, & honor. Et omnis populus, tribus, & linguæ ſeruient ei. ℣. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ nõ auferetur: & regnũ eius, quod non corrumpetur. Et omnis.

Lectio iij.

TErra veſtra deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni: regionem veſtram coram vobis alieni deuorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili. Et derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ vaſtatur. Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus: & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Hæc dicit. ℟. Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Mariam Virginem deſponſatam Ioſeph, nuncians ei verbum: & expaueſcit Virgo de lumine: Ne timeas Maria, inueniſti gratiã apud Dominum: ecce concipies & paries, Et vocabitur Altiſſimi Filius. ℣. Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum. Et vocabitur. Gloria patri. Et.

IN II. NOCT. Aña. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere: & aperti ſunt oculi noſtri ſurgere ad Chriſtum, quia lux vera eſt fulgens in mundo. Pſal. Conſerua: 8. Gloria Patri. Pſal. Exaudi Domine 8. Gloria Patri. Pſal. Diligam te. 9. Gloria Patri. ℣. Egredietur virga de radice Ieſſe. ℟. Et flos de radice eius aſcendet.

Incipit Epiſtola beati Pauli Apoſtoli ad Romanos. Lectio iiij. *Cap.* 1.

PAulus ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri, per quem accepimus gratiam, & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine eius, in quibus eſtis & vos vocati Ieſu Chriſti: omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis. Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Tu autem Domine. ℟. Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.

℣. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Angelus, dixit ei. Spiritus ſanctus.

Lectio v.

PRimum quidem gratias agoDeo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis; quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Teſtis enim mihi eſt Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo in Euãgelio Filij eius, quòd ſine intermiſſione memoriam veſtri facio ſemper in orationibus meis: obſecrans, ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Deſidero enim videre vos: vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad cofirmandos vos: id eſt, ſimul coſolari in vobis per eam, quæ inuicem eſt, fidem veſtram, atque meam. ℟. Saluatorem expectamus Dominum Ieſum Chriſtum, Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. ℣. Sobrie, & iuſte, & pie viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei.

Lectio vj.

NOlo autem vos ignorare, fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos (& prohibitus ſum vſque adhuc) vt aliquem fructum habeam, & in vobis, ſicut in ceteris gentibus. Græcis, ac Barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum: ita (quod in me) promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis, euangelizare. Non enim erubeſco Euangelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem. ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuit. ℟. Audite verbum Domini gentes, & annunciate illud in finibus terræ: & in inſulis, quæ procul ſunt, dicite: Saluator noſter adueniet. ℣. Annunciate, & auditum facite. loquimini, & clamate. Saluator. Gloria Patri. Saluator.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: ſicut in die honeſte ambulemus. Pſal. Cæli enarrant. 11. Gloria. Pſal. Exaudiat. 12. Gloria. Pſal. Domine in. 13. Gloria. ℣. Egredietur Dominus de loco ſancto ſuo. ℟. Veniet vt ſaluet populum ſuum.

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. *Cap.* 21.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorij Papæ.

Homil. 1. *in Euang.*

DOminus ac Redemptor noſter paratos nos inuenire deſiderans, ſeneſcentem mundum quæ mala ſequantur denũciat, vt nos ab eius amore compeſcat. Appropinquãtem eius terminum quantæ percuſſiones præueniant, innoteſcit: vt ſi Deum metuere in tranquillitate nolumus, vicinum eius iudicium vel percuſſionibus attriti timeamus.

℟. Ec-

℟. Ecce Virgo concipiet,& pariet filium,dicit Dominus:Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Deus fortis. ℣. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit in æternum. Et vocabitur. Lectio viij.

HVic etenim lectioni S. Euangelij, quam modo veſtra fraternitas audiuit, paulo ſuperius Dominus præmiſit dicens:Exurget gens contra gentẽ,& regnum aduerſus regnũ: & erunt terræ motus magni per loca,& peſtilẽtiæ,& fames.Et quibuſdã interpoſitis,hoc quod modo audiſtis,adiunxit:Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis, & in terris preſſura gentiũ præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum. Ex quibus profecto omnibus alia iam facta cernimus, alia in proximo ventura formidamus. ℟. Obſecro Domine,mitte quẽ miſſurus es: vide afflictionem populi tui, ſicut locutus es. Veni, & libera nos. ℣. A ſolis Ortu,& Occaſu,ab Aquilone, & mari. Veni. Lectio ix.

NAm gentem contra gentem exurgere,earumque preſſurã terris inſiſtere,plus iam in noſtris tẽporibus cernimus,quam in codicibus legimus. Quòd terræ motus vrbes innumeras obruant,ex alijs mundi partibus ſcitis quàm frequenter audiuimus.Peſtilentias ſine ceſſatione patimur.Signa vero in ſole & luna & ſtellis, adhuc aperte minime vidimus: ſed quia & hæc non longe ſint, ea ipſa iam ex aeris immutatione colligimus. ℟. Ecce dies veniunt, dicit Dominus,& ſuſcitabo Dauid germen iuſtum:& regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra. Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum:Dominus iuſtus noſter. ℣. In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidẽter. Et hoc eſt. Gloria. Dominus. ℟. Ecce. Non dicatur Cantic. Te Deum, per totum Aduent. quando fit Officium de Aduen.ſed ix. ℟. in omnibus Dominicis repetatur, vſque ad ℣. excluſiue. ℣. Emitte Agnum Domine dominatorem terræ. ℟. De monte deſerti ad montem filiæ Sion. Hic ℣. dicatur quotidie per Aduent.ante Laudes.

IN LAVDIBVS, Aña.

IN illa die ſtillabunt montes dulcedinem: & colles fluent lac & mel,allel. Pſalm. Dominus regn. 63. Aña. Iucundare filia Sion, exulta ſatis filia Ieruſalem, allel. Pſal. Iubilate 67. Aña. Ecce Dominus veniet, & omnes Sãcti eius cum eo: & erit in die illa lux magna, alleluia. Pſalmus. Deus Deus. 41. Antiphona. Omnes ſitientes venite ad aquas: quærite Dominum dum inueniri poteſt, alleluia. Cantic. Benedicite 100. Antiphona. Ecce veniet Propheta magnus, & ipſe renouabit Ieruſalem, alleluia. Pſalmus. Laudate Dominum. 99. Cap. Ecce dies. 115.

Hymnus.

VOx clara ecce intonat,
Obſcura quæque increpat:
Pellantur eminus ſomnia,
Ab æthere Chriſtus promicat.

Mens iam reſurgat torpida,
Quæ ſorde extat ſaucia:
Sidus refulget iam nouum,
Vt tollat omne noxium.
E ſurſum Agnus mittitur,
Laxare gratis debitum:
Omnes pro indulgentia
Vocem demus cum lacrymis.
Secundo vt cum fulſerit,
Mundumque horror cinxerit,
Non pro reatu puniat,
Sed nos pius tunc protegat.
Laus,honor,virtus,gloria
Deo Patri,& Filio,
Sancto ſimul Paraclito.
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Vox clamantis in deſerto.
℟. Parate viam Domini.

Ad Benedictus,Antiphona.
Spiritus ſanctus in te deſcendet Maria:ne timeas,habebis in vtero Filium Dei, alleluia.

Ad Horas diei Antiphonæ Laudum quarta prætermiſſa: & hoc per totum Aduentum in Dominicis obſeruetur.

Ad primam.

℟. Ieſu Chriſte Fili Dei viui, miſerere nobis.Ieſu. ℣. Qui venturus es in mundum. Hic ℣.dicatur ad Primam per totum Aduentum etiam in Feſtis Sanctorum, præterquam quando agitur de B.Virgine,& de Sacramento.

Ad Tertiam.Cap. Ecce dies. ℟. Veni ad liberandum nos, Domine Deus virtutum. Et repetatur. Veni ad liberandum nos, Domine Deus virtutum. ℣. Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Domine. Gloria Patri. Veni. ℣. Timebunt gentes nomen tuum Domine. ℟. Et omnes reges terræ gloriam tuam.

Ad Sextam,Capitulum. Ier.23.

IN diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter: & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. ℟. Oſtende nobis Domine, Miſericordiam tuam. Oſtende. ℣. Et ſalutare tuum da nobis.Miſericordiam.Gloria Pat.Oſtende. ℣. Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui. ℟. Viſita nos in ſalutari tuo.

Ad Nonam, Capitulum. Iſa.2.

ERit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium,& eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. ℟. Super te Ieruſalem, Orietur Dñs.Super. ℣. Et gloria eius in te videbitur.Orietur.Gloria Pat.Super. ℣. Domine Deus virtutum cõuerte nos. ℟. Et oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Ad Veſper. Cap. Hymn. vt ſupra in primis Veſperis.

Ad Magnificat,Aña. Ne timeas Maria, inueniſti gratiam apud Dominũ: Ecce concipies,& paries Filium, Alleluia. Huius diei Cap. Hymn. ℣℣. & ℟℟. Horarum cum ſuis ℣℣.dicantur ſuis locis, quando agitur de Aduent. vſq.ad Vig.Natiu.Dñi excluſiue.Reliqua vero,quæ in Officio de Aduen. vſque ad Dominicam. Domine ne in ira. excluſiue,non ſunt notata, accipiantur ex eadem Dominica, & ex eius Hebdomada reſpectiue.

FERIA

FERIA SECVNDA.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Regem venturum Dominum, Venite adoremus.

Hoc Inuitatorium dicatur quotidie per Aduentum in Profeſtis diebus vſque ad Vigiliam Natiuitatis Domini, niſi in Ieiunijs Quatuor Temporum. ℣. Ex Sion. 116.

De Iſaia Propheta. Lect. j. Cap. 2.

VErbum, quod vidit Iſaias filius Amos, ſuper Iudam, & Ieruſalem. Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mõs domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles: & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nobis vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. Hæc dicit.

Reſponſoria Dominicalia dicantur in Profeſtis diebus per Aduentum, ſecundum ordinem Nocturnorum, niſi in Ieiunijs Quatuor temporum.

Lectio ij.

ET iudicabit Gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini. Proieciſti enim populum tuum, domum Iacob: quia repleti ſunt vt olim, & augures habuerunt vt Philiſtijm, & pueris alienis adhæſerunt. Hæc dicit.

Lectio iij.

REpleta eſt terra argento, & auro, & non eſt finis theſaurorum eius: & repleta eſt terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius. Et repleta eſt terra eius idolis: opus manuum ſuarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incuruauit ſe homo, & humiliatus eſt vir: ne ergo dimittas eis. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona. **Angelus Domini nunciauit Mariæ, & concepit de Spiritu ſancto, alleluia.**

Antiphonæ Feriales ad Horas diei per Aduentum, vt in Pſalterio poſt Pſalmos Horarum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ieruſalem reſpice ad Orientem, & vide, alleluia.

FERIA TERTIA.

℣. Egredietur virga 117.

De Iſaia Propheta. Lectio j. Cap. 3.

ECce enim dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ: fortem, & virum bellatorem, iudicem, & prophetam, & ariolum, & ſenem: Principem ſuper quinquaginta, & honorabilem vultu, & conſiliarium, & ſapientem de architectis, & prudentem eloquij myſtici. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET dabo pueros principes eorũ: & effeminati dominabuntur eis. Et irruet populus, vir ad virũ, & vnuſquiſque ad proximum ſuum: tumultua-

tuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem. Apprehendet enim vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui: Veſtimentum tibi eſt, princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſub manu tua. Hæc dicit.

Lectio iij.

RESpondebit in die illa, dicens: Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum: nolite conſtituere me principem populi. Ruit enim Ieruſalem, & Iudas concidit: quia ligna eorum & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maieſtatis eius. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Leua Ieruſalem oculos, & vide potentiam Regis: Ecce Saluator venit ſoluere te à vinculis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quærite Dominum dum inueniri poteſt: inuocate eum, dum prope eſt, alleluia.

FERIA QVARTA.

℣. Egredietur Dominus. 119.

Prædicti tres Verſic. dicantur per Aduentum etiam in Profeſtis diebus ſecundum ordinem Nocturnorum.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 5.

CAntabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ. Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. Et ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea: & expectauit vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Nunc ergo habitatores Ieruſalem & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam. Hæc dicit.

Lectio ij.

QVid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas? Et nunc oſtendam vobis quid ego faciã vineæ meæ: auferã ſepem eius, & erit in direptionẽ: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Et ponã eam deſertam: non putabitur, & nonfodietur, & aſcẽdent vepres, & ſpinæ: & nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem. Hæc dicit. Lectio iij.

VInea enim Domini exercituum domus Iſrael eſt: & vir Iuda germen eius delectabile, & expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor. Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci: numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? In auribus meis ſunt hæc. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.

Ad Magnificat, Antiphona.

Veniet fortior me poſt me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum eius.

FERIA QVINTA.

De Iſaia Propheta. Lectio i. C. 5.

PRopterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles eius interierunt fame,

Digitized by Google

fame, & multitudo eius ſiti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino: & deſcendent fortes eius, & populus eius, & ſublimes, glorioſiq. eius ad eum. Et incuruabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi ſublimium deprimentur. Hæc dicit. Lectio ij.

ET exaltabitur Dominus exercituum in iudicio, & Deus ſanctus ſanctificabitur in iuſtitia. Et paſcentur agni iuxta ordinem ſuum, & deſerta in vbertatem verſa aduenæ comedent. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum. Hæc dicit.

Lectio iij.

QVi dicitis: Feſtinet, & cito veniat opus eius, vt videamus, & appropriet, & veniat conſilium ſancti Iſrael, & ſciemus illud. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Ad Magnificat, Antiphona.

Expectabo Dñm Saluatorem meũ, & præſtolabor eum dum prope eſt, allel.

FERIA SEXTA.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 6.

IN anno, quo mortuus eſt Rex Ozias, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum: & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius: & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: plena eſt omnis terra gloria eius. Tu autem Domine miſerere noſtri.

Lectio ij.

ET commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis: & domus repleta eſt fumo. Et dixi. Væ mihi, quia tacui: quia vir pollutus labijs ego ſum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis meis. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Tu autem Domine. Lectio iij.

ET tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. Et audiui vocem Domini dicentem: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Et dixit: Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Hæc dicit Dominus Deus: Cõuertimini. Ad Bened. Aña. Ecce veniet Deus & homo de domo Dauid ſedere in throno, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ex Aegypto vocaui Filium meum: veniet

Digitized by Google

ueniet vt ſaluet populum ſuum.

SABBATO.

De Iſaia Propheta. Lect. j. Cap. 11.

ET egredietur virga de radice Ieſſe,& flos de radice eius aſcẽdet. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini: ſpiritus ſapientiæ,& intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis: & replebit eum ſpiritus timoris Domini. Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, neq. ſecundum auditum aurium arguet: ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Hæc dicit. Lectio ij.

ET percutiet terram virga oris ſui,& ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius,& fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cũ agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus,& leo,& ouis ſimul morabuntur,& puer paruulus minabit eos. Vitulus, & vrſus paſcentur; ſimul requieſcent catuli eorum: & leo quaſi bos comedet paleas. Hæc dicit.

Lectio iij.

ET delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis: & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo: quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes. In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabũtur: & erit ſepulchrum eius glorioſum. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Sion noli timere, ecce Deus tuus veniet, alleluia.

DOMINICA II.

Aduentus.

Sabbato præcedenti ad Veſperas.

℟. Ecce Dominus veniet. ij.

Ad Magnificat, Antiphona.

Veni Domine viſitare nos in pace, vt lætemur coram te corde perfecto.

Oratio.

EXcita Domine corda noſtra ad præparandas vnigeniti tui vias: vt per eius aduentum purificatis tibi mentibus ſeruire mereamur. Qui tecum tecum viuit,& regnat.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Rex noſter aduenict Chriſtus: Quem Ioannes prædicauit agnum eſſe venturum. Antiphonæ, Pſal. ℣℣. Noct. ſicut in præcedenti Dominica.

IN PRIMO NOCTVRNO.

De Iſaia Propheta. Lect. j. Cap. 14.

PRope eſt vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Miſerebitur enim Dominus Iacob,& eliget adhuc de Iſrael, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam: adiungetur aduena ad eos,& adhærebit domui Iacob. Et tenebunt eos populi,& adducent eos in locum ſuum: & poſſidebit eos domus Iſrael ſuper terram Domini in ſeruos, & ancillas: & erunt capientes eos, qui ſe ceperant, & ſubijcient exactores ſuos. Hæc.

℟. Ieruſalem cito veniet ſalus tua: quare mærore conſumeris? numquid conſiliarius non eſt tibi, quia innouauit

uit te dolor? Saluabo te, & liberabo te, noli timere. ℣. Iſrael ſi me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum: ego enim Dominus. Saluabo. Lectio ij.

ET erit in die illa, cum requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à concuſſione tua: & à ſeruitute dura, qua ante ſeruiſti: ſumes parabolam iſtam contra regem Babylonis, & dices: Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plaga inſanabili, ſubijcientem in furore gentes, perſequentem crudeliter. Hæc dicit.

℟. Ecce Dominus veniet, & omnes ſancti eius cum eo, & erit in die illa lux magna: & exibunt de Ieruſalem ſicut aqua munda: & regnabit Dominus in æternum, Super omnes gentes. ℣. Ecce Dominus cũ virtute veniet: & regnum in manu eius, & poteſtas, & imperium. Super. Lectio iij.

QVomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamẽti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo. Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci. Hæc dicit. ℟. Ciuitas Ieruſalem noli flere: quoniam doluit Dominus ſuper te, & auferet à te omnem tribulationem. ℣. Ecce Dominus in fortitudine veniet: & brachium eius dominabitur. Et auferet. Gloria. Et auferet.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Romanos. Lectio iv. C. 2.

PRopter quod inexcuſabilis es ò homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Scimus enim quoniam iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in eos, qui talia agunt. Exiſtimas autem hoc ò homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ℟. Ecce veniet Dominus protector noſter, ſanctus Iſrael, Coronam regni habens in capite ſuo. ℣. Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Coronam. Lectio v.

SEcundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicii Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius: iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio. ℟. Sicut mater conſolatur filios ſuos, ita

Digitized by Google

ita conſolabor vos, dicit Dominus: & de Ieruſalem ciuitate, quam elegi, veniet vobis auxilium, & videbitis, Et gaudebit cor veſtrum. ℣. Dabo in Sion ſalutem, & in Ieruſalem gloriam meam. Et.

Lectio vj.

TRibulatio, & anguſtia in omnē animam hominis operantis malum, Iudæi primum, & Græci: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco: non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.

℟. Ieruſalem plantabis vineam in montibus tuis: exultabis, quoniam dies Domini veniet: ſurge Sion, conuertere ad Dominum Deum tuum: gaude & lætare Iacob: Quia de medio gentium Saluator tuus veniet. ℣. Exulta ſatis filia Sion: iubila filia Ieruſalem. Quia Gloria. Quia de.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lect. vij. C. 11.

IN illo tempore: Cūm audiſſet Ioannes in carcere opera Chriſti, mittens duos ex diſcipulis ſuis: ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

Homil. 6. in Euang. poſt init.

VIſis tot ſignis, tantiſque virtutibus, non ſcandalizari quiſquā potuit, ſed admirari. Sed infidelium mens graue in illo ſcandalum pertulit, cum eum poſt tot miracula moriētem vidit. Vnde & Paulus dicit: Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Stultum quippe hominibus viſum eſt, vt pro hominibus auctor vitæ moreretur: & inde contra eum homo ſcandalum ſumpſit, vnde ei amplius debitor fieri debuit. Nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus eſt, quātò pro hominibus & indigna ſuſcepit.

℟. Egredietur Dominus de Samaria ad portam, quæ reſpicit ad Orientem: & veniet ad Bethlehem, ambulans ſuper aquas redemptionis Iudæ. Tunc ſaluus erit omnis homo: quia ecce veniet. ℣. Et præparabitur in miſericordia ſolium eius, & ſedebit ſuper illud in veritate. Tunc ſaluus.

Lectio viij.

QVid eſt ergo dicere: Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me, niſi aperta voce abiectionem mortis ſuæ, humilitatemque ſignare? Ac ſi patenter dicat: Mira quidem facio, ſed abiecta perpeti nō dedignor. Quia ergo moriendo te ſubſequor, cauendum valde eſt hominibus, ne in me mortem deſpiciant, qui ſigna venerantur. ℟. Docebit nos Dominus vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. ℣. Venite, aſcendamus ad montem Dñi, & ad domum Dei Iacob. Quia.

Le-

Digitized by Google

Lectio ix.

SEd dimiſſis Ioannis diſcipulis, quid de eodem Ioanne turbis dicat, audiamus. Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam? Quod videlicet non aſſerendo, ſed negando intulit. Arũdinem quippe mox vt aura contigerit, in partem alteram inflectit. Et quid per arundinem, niſi carnalis animus deſignatur, qui mox vt fauore, vel detractione tangitur, ſtatim alteram in partem inclinatur? ℟. Rex noſter adueniet Chriſtus: Quem Ioannes prædicauit Agnum eſſe venturum. ℣. Super ipſum continebunt reges os ſuum: ipſũ Gentes deprecabuntur. Quem. Gloria. Quem. ℟. Rex noſter.

IN LAVDIBVS. Antiphona.

ECce in nubibus cæli Dominus veniet cum poteſtate magna, alleluia. Pſalm. Dominus regnauit. 62. Aña. Vrbs fortitudinis noſtræ Siõ, Saluator ponetur in ea murus, & antemurale: aperite portas, quia nobiſcum Deus, alleluia. Pſalm. Iubilate. 65. Añ. Ecce apparebit Dominus, & non mentietur: ſi moram fecerit, expecta eum, quia veniet, & non tardabit, alleluia. Pſalm. Deus Deus. 40. Añ. Montes, & colles cantabunt coram Deo laudem, & omnia ligna ſiluarum plaudẽt manibus: quoniam veniet dominator Dominus in regnũ æternum, allel. allel. Cant. Benedicite. 98. Añ. Ecce Dñs noſter cum virtute veniet, & illuminabit oculos ſeruorũ ſuorũ, all. Pſal. Laudate. 97.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ioannes autem cum audiuiſſet opera Chriſti, mittens duos ex diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

Ad Magnificat, Antiphona.

Ite, dicite Ioanni: Cæci vident, & ſurdi audiunt, claudi curantur, & leproſi mundantur.

FERIA SECVNDA.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 16.

EMitte Agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion. Et erit: Sicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes, ſic erunt filiæ Moab in tranſcenſu Arnon. Ini conſilium, coge concilium: pone quaſi noctem vmbram tuam in meridie: abſconde fugientes, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei: Moab eſto latibulum eorum à facie vaſtatoris. Hæc dicit.

Lectio ij.

FInitus eſt enim puluis, conſummatus eſt miſer: defecit qui conculcabat terram. Et præparabitur in miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper illud in veritate in tabernaculo Dauid, iudicans & quærens iudicium, & velociter reddens quod iuſtum eſt. Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde: ſuperbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius pluſquam fortitudo eius. Hæc dicit.

Lectio iij.

IDcirco vlulabit Moab ad Moab, vniuerſus vlulabit: his qui lætantur ſuper muros cocti lateris, loquimi

ni plagas ſuas. Quoniam ſuburbana Heſebon deſerta ſunt, & vineam Sabama domini gentium exciderunt: flagella eius vſque ad Iazer peruenerunt: errauerunt in deſerto: propagines eius relictæ ſunt, tranſierunt mare. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

De cælo veniet dominator Dominus, & in manu eius honor, & imperium.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ecce veniet Rex Dominus terræ, & ipſe auferet iugū captiuitatis noſtræ.

FERIA TERTIA.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C.19.

Onus Aegypti. Ecce Dominns aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulacra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabeſcet in medio eius. Et concurrere faciam Aegyptios aduerſus Aegyptios: & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, ciuitas aduerſus ciuitatem, regnum aduerſus regnum. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET dirumpetur ſpiritus Aegypti in viſceribus eius, & conſilium eius præcipitabo: & interrogabunt ſimulacra ſua, & diuinos ſuos, & pythones, & ariolos. Et tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum. Et areſcet aqua de mari, & fluuius deſolabitur, atque ſiccabitur. Et deficient flumina: attenuabuntur & ſiccabuntur riui aggerum. Hæc dicit.

Lectio iij.

STulti principes Taneos ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius ſapientium ego, filius regum antiquorum? Vbi nunc ſunt ſapientes tui? Annuncient tibi, & indicēt quid cogitauerit Dominus exercituum ſuper Aegyptum. Stulti facti ſunt Principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Aegytum, angulum populorum eius. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Super te Ieruſalem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.

Ad Magnificat, Antiphona.

Vox clamantis in deſerto: Parate viā Dñi, rectas facite ſemitas Dei noſtri.

FERIA QVARTA.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C.25.

DOmine, Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam feciſti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. Quia poſuiſti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum: vt non ſit ciuitas, & in ſempiternum: non ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robuſtarum timebit te. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua: ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu. Hæc dicit.

Lectio ij.

SPiritus enim robuſtorū quaſi turbo impellens parietē. Sicut æſtus in ſiti, tumultum alienorum humiliabis:

bis: & quaſi calore ſub nube torrente propaginem fortium marceſcere facies: Et faciet Dominus exercituum omnibus populis hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguiũ medullatorum, vindemiæ defæcatæ. Hæc dicit. Lectio iij.

ET præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes. Præcipitabit mortem in ſempiternum: & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de vniuerſa terra: quia Dominus locutus eſt. Et dicet in die illa: Ecce Deus noſter iſte, expectauimus eum, & ſaluabit nos. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam meam ante faciem tuam. Ad Magnificat, Antiphona. Sion renouaberis, & videbis iuſtum tuum, qui venturus eſt in te.

FERIA QVINTA.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 26.

IN die illa cantabitur canticum iſtud in terra Iuda. Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta, cuſtodiens veritatem. Vetus error abijt, ſeruabis pacem: pacem, quia in te ſperauimus. Speraſtis in Domino in ſæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. Hæc dicit. Lectio ij.

QVia incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit: humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad puluerem. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum. Semita iuſti recta eſt: rectus callis iuſti ad ambulandum. Et in ſemita iudiciorum tuorum Domine ſuſtinuimus te: nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ. Hæc dicit.

Lectio iij.

ANima mea deſiderauit te in nocte: ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis. Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam: in terra ſanctorum iniqua geſſit, & nõ videbit goriam Domini. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Tu es qui venturus es Domine, quem expectamus, vt ſaluum facias populum tuum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Qui poſt me venit, ante me factus eſt: cuius non ſum dignus calceamenta ſoluere.

FERIA SEXTA.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 26.

SIcut quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis: ſic facti ſumus à facie tua Domine. Concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum: ſalutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ. Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate qui habitatis in puluere: quia ros lucis

Digitized by Google

ros tuus, & terram gigãtum detrahes in ruinam. Hæc dicit. Lectio ij.

VAde populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum, donec pertranſeat indignatio. Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: & reuelabit terra ſanguinem ſuum, & non operiet vltra interfectos ſuos. Hæc dicit.

Lectio iij. *Iſa.* 27.

IN die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leuiathan ſerpentem vectẽ, & ſuper Leuiathan ſerpẽtem tortuoſum, & occidet cetum, qui in mari eſt. In die illa vinea meri cantabit ei. Ego Dominus, qui ſeruo eam, repente propinabo ei: ne forte viſitetur contra eam, nocte, & die ſeruo eam. Indignatio non eſt mihi. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dicite, Puſillanimis confortamini: Ecce Dominus noſter veniet.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cantate Domino canticum nouum: laus eius ab extremis terræ.

S A B B A T O.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 28.

IN die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui: & ſpiritus iudicij ſedenti ſuper iudicium, & fortitudo reuertentibus de bello ad portam. Verum hi quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate errauerunt: ſacerdos, & propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſcierũt videntem, ignorauerunt iudicium. Hæc dicit. Lectio ij.

OMnes enim menſæ repletæ sũt vomitu ſordiumque, ita vt non eſſet vltra locus. Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. Quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. In loquela enim labij, & lingua altera loquetur ad populum iſtum. Hæc dicit. Lectio iij.

QVi dixit: Hæc eſt requies mea, reficite laſſum, & hoc eſt meum refrigerium: & noluerunt audire. Et erit eis verbum Domini: Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: vt vadant, & cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Leuabit Dominus ſignum in nationibus, & congregabit diſperſos Iſrael.

DOMINICA TERTIA Aduentus.

Sabbato præcedenti ad Veſperas.

℟. Qui venturus eſt veniet. iij.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ante me non eſt formatus deus, & poſt me non erit: quia mihi curuabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua. Oratio.

AVrem tuam, quæſumus Domine, precibus noſtris accommoda: &

da:& mentis noſtræ tenebras gratia tuæ viſitationis illuſtra. Qui viuis & regnas.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Surgite vigilemus, Venite adoremus: Quia neſcitis horam quando veniet Dominus.

Antiphonæ, Pſalmi, ℣℣. Nocturnor. ſicut in prima Dominica.

IN I. NOCTVRNO.

De Iſaia Propheta. Lectio j. *Iſa.30.*

HAec dicit Dominus Deus ſanctus Iſrael: Si reuertamini & quieſcatis, ſalui eritis: in ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra. Et noluiſtis: & dixiſtis: Nunquã, ſed ad equos fugiemus: ideo fugietis. Et ſuper veloces aſcendemus: ideo velociores erũt qui perſequentur vos. Mille homines à facie terroris vnius: & à facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quaſi malus nauis in vertice montis, & quaſi ſignum ſuper collem. Hæc dicit. ℟. Ecce apparebit Dominus ſuper nubem candidam, & cum eo ſanctorum millia: habens in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum, & Dominus dominantium. ℣. Apparebit in finem, & non mentietur: ſi moram fecerit, expecta eum, quia veniẽs veniet. Rex regum.

Lectio ij.

PRopterea expectat Dominus vt miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis: quia Deus iudicij Dominus. Beati omnes qui expectant eum. Populus enim Sion habitabit in Ieruſalem: plorans nequaquam plorabis, miſerans miſerebitur tui: ad vocem clamoris tui ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi. Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem, & non faciet auolare à te vltra doctorem tuum. Hæc dicit. ℟. Bethlehem ciuitas Dei ſummi, ex te exiet dominator Iſrael, & egreſſus eius ſicut à principio à diebus æternitatis, & magnificabitur in medio vniuerſæ terræ: & pax erit in terra noſtra, Dum venerit. ℣. Loquetur pacem gentibus, & poteſtas eius à mari vſque ad mare. Dum. Lectio iij.

ET erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis. Hæc eſt via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dextram, neque ad ſiniſtram. Et contaminabis laminas ſculptilium argenti tui, & veſtimentum conflatilis auri tui, & diſperges ea ſicut immunditiam menſtruatæ. Hæc dicit. ℟. Qui venturus eſt, veniet, & non tardabit: & iam non erit timor in finibus noſtris, Quoniam ipſe eſt Saluator noſter. ℣. Deponet omnes iniquitates noſtras: & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Romanos. Lectio iv. *Cap.3.*

QVid ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas circumciſionis? Multum per omnem modum. Primum quidẽ, quia credita ſunt illis elo-

eloquia Dei. Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? Abſit. Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Si autem iniquitas noſtra iuſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram? (ſecundum hominem dico.) Abſit. Alioquin quomodo iudicabit Deus hunc mundum? ℟. Suſcipe verbum Virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum tranſmiſſum eſt: Concipies, & paries Deum pariter, & hominem, Vt benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Paries quidem filium, & virginitatis non patieris detrimentum: efficieris grauida, & eris mater ſemper intacta. Vt benedicta.

Lectio v.

SI enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipſius: quid adhuc & ego tamquam peccator iudicor? & non (ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona: quorũ damnatio iuſta eſt. Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Cauſati enim ſumus Iudæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe, ſicut ſcriptum eſt: Quia non eſt iuſtus quiſquã: non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. ℟. Aegypte noli flere: quia dominator tuus veniet tibi, ante cuius conſpectum mouebuntur abyſſi, Liberare populum ſuum de manu potentiæ. ℣. Ecce dominator Dominus cum virtute veniet. Liberare.

Lectio vj.

SCimus autem quoniam quæcunque lex loquitur: vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem ſine lege iuſtitia Dei manifeſta eſt: teſtificata à lege, & Prophetis. Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum: non enim eſt diſtinctio. ℟. Prope eſt vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Miſerebitur Dominus Iacob, Et Iſrael ſaluabitur. ℣. Qui venturus eſt veniet, & non tardabit: iam non erit timor in finibus noſtris. Miſerebitur. Gloria Patri. Et.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio vij. *Cap. 1.*

IN illo tempore miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent Tu quis es? & reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 7. in Euang.

EX huius nobis lectionis verbis, fratres chariſſimi, Ioannis humilitas commendatur: qui cum tantæ virtutis eſſet, vt Chriſtus credi potuiſſet, elegit ſolide ſubſiſtere in ſe, ne humana opinione raperetur inaniter ſuper ſe: Nam confeſſus eſt, & non negauit: & confeſſus eſt, Quia non ſum ego Chriſtus. Sed cum ex lectio-

ne

ne alia, Redemptoris noſtri ſententia ad mentem reducitur, ex huius lectionis verbis nobis quæſtio valde implexa generatur. ℟. Deſcendet Dominus ſicut pluuia in vellus: Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis. ℣. Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſeruient ei. Orietur.

Lectio viij.

ALio quippe in loco inquiſitus à diſcipulis Dominus de Aduentu Eliæ, reſpondit: Elias iam venit,& non cognouerunt eum,ſed fecerunt in eum quæcunque voluerunt: &, ſi vultis ſcire, Ioannes ipſe eſt Elias. Requiſitus autem Ioannes dicit: Non ſum Elias. Quid eſt hoc, fratres chariſſimi, quia quod veritas affirmat, hoc Propheta veritatis negat? Valde namque inter ſe diuerſa ſunt, Ipſe eſt: &, Non ſum. Quomodo ergo Propheta veritatis eſt, ſi eiuſdem veritatis ſermo concors non eſt? ℟. Veni Domine,& noli tardare: relaxa facinora plebis tuæ, Et reuoca diſperſos in terram ſuam. ℣. Excita Domine potentiam tuam, & veni vt ſaluos facias nos. Et reuoca. Lectio ix.

SEd ſi ſubtiliter veritas ipſa requiratur, hoc quod inter ſe contrarium ſonat quomodo contrarium non ſit, inuenitur. Ad Zachariam namque de Ioanne Angelus dicit: Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ. Qui idcirco venturus in ſpiritu & virtute Eliæ dicitur, quia ſicut Elias ſecundum Domini aduentum præueniet, ita Ioannes præuenit primum: & ſicut ille Præcurſor venturus eſt Iudicis, ita iſte factus eſt Præcurſor Redemptoris. Ioannes igitur in ſpiritu Elias erat, in perſona Elias non erat. Quod ergo Dominus fatetur de ſpiritu, hoc Ioannes denegat de perſona. ℟. Ecce radix Ieſſe aſcendet in perſonam populorum, ipſum gentes deprecabuntur: Et erit nomen eius glorioſum. ℣. Erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Et erit. Gloria Patri. Et erit. ℟. Ecce radix.

In Laudibus, Antiphona.

VEniet Dominus, & non tardabit, & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit ſe ad omnes gentes, alleluia. Pſalm. Dominus regnauit. 64. Aña. Ieruſalem gaude gaudio magno, quia veniet tibi Saluator, alleluia. Pſalm. Iubilate. 65. Aña. Dabo in Sion ſalutem,& in Ieruſalem gloriam meam, alleluia. Pſalm. Deus Deus. 39. Antiphona. Montes,& omnes colles humiliabuntur:& erunt praua in directa, & aſpera in vias planas: veni Domine,& noli tardare, alleluia. Cantic. Benedicite. 98. Aña. Iuſte & pie viuamus, expectantes beatam ſpem, & aduentum Domini. Pſalm. Laudate. 97.

Ad Benedictus, Antiphona.

Super ſolium Dauid,& ſuper regnum eius ſedebit in æternum, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Beata es Maria, quæ credidiſti Domino:

no: perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino, alleluia. vel O.

Sequentes Antiphonæ ad Magnificat inchoantur die xvij. Decembris, & dicuntur per ordinem vſq; ad diem ante Vigiliam Natiuitatis. Si vero Feſtum fuerit, dicuntur poſt Orationem Feſti pro Memoria Aduentus. In diebus vero Ferialibus in quibus dicuntur, nec Preces dicantur, nec Proſtrationes fiant in Veſperis ſolis.

Antiphona prima.

O Sapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiịſti, attingens à fine vſq; ad finem, fortiter, ſuauiterque diſponens omnia: veni ad docendum nos viam prudentiæ.

Antiphona ij.

O Adonai, & dux domus Iſrael, qui Moyſi in igne flammæ apparuiſti, & ei in Sina legem dediſti: veni ad redimendum nos in brachio extento.

Antiphona iij.

O Radix Ieſſe, qui ſtas in ſignum populorum, ſuper quem continebunt reges os ſuum, quem gentes deprecabuntur: veni ad liberandum nos, iam noli tardare.

Antiphona iiij.

O Clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſrael, qui aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit: veni, & educ vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris, & vmbra mortis.

Antiphona v.

O Oriens ſplendor lucis æternæ, & Sol iuſtitiæ: veni & illumina ſedentes in tenebris, & vmbra mortis.

Antiphona vj.

O Rex Gentium, & deſideratus earum, lapiſque angularis, qui facis vtraque vnum: veni, ſalua hominem, quem de limo formaſti.

Antiphona vij.

O Emmanuel, Rex, & legifer noſter, expectatio Gentium, & Saluator earum: veni ad ſaluandum nos Domine Deus noſter.

Sequentes Antiphonæ dicendæ ſunt in Laudibus per ſex Ferias proximas ante Vigiliam Natiuitatis ſuis proprijs diebus: illæ ſcilicet, quæ pertinent ad ſecundam Feriam, in ſecunda Feria: & ſic de alijs. Laudes autem de Feria, in qua celebratur Feſtum S. Thomæ, intermittuntur illo anno.

FERIA SECVNDA.

In Laudibus, Antiphona.

Ecce veniet Dominus, princeps regum terræ: beati qui parati ſunt occurrere illi. Pſalm. Miſerere 33. Antiph. Cum venerit Filius hominis, putas inueniet fidem ſuper terram? Pſalm. Verba mea. 2. Antiph. Ecce iam venit plenitudo temporis, in quo miſit Deus Filium ſuum in terris. Pſalm. Deus Deus. 39. Antiph. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Cant. Confitebor. 99. Añа. Egredietur Dominus de loco ſancto ſuo: veniet vt ſaluet populum ſuum. Pſalm. Laudate. 97.

FERIA TERTIA.

In Laudibus, Antiphona.

Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra,

ra,& germinet Saluatorem. Pſal. Miſerere.33. Antiph. Emitte Agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deſerti ad montem filiæ Sion. Pſalm. Iudica me Deus. 28. Antiph. Vt cognoſcamus Domine in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutare tuum. Pſal. Deus Deus. 39. Antiph. Da mercedem Domine ſuſtinentibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur. Cantic. Ego dixi. 99. Aña. Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Pſalm. Laudate. 97.

FERIA QVARTA.

In Laudibus, Antiphona.

PRophetæ prædicauerunt naſci Saluatorem de Virgine Maria. Pſal. Miſerere 33. Antiph. Spiritus Domini ſuper me, euangelizare pauperibus miſit me. Pſal. Te decet. 40. Antiph. Annunciate populis, & dicite: Ecce Deus Saluator noſter veniet: Pſalm. Deus Deus. 39. Antiph. Ecce veniet Dominus, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat. Cantic. Exultauit. 100. Antiph. Propter Sion non tacebo, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius. Pſalmus Laudate 97.

FERIA QVINTA.

In Laudibus, Antiphona.

DE Sion veniet Dominus omnipotens, vt ſaluum faciat populum ſuum. Pſalm. Miſerere. 33. Aña. Conuertere Domine aliquantulum & ne tardes venire ad ſeruos tuos. Pſ. Domine refugium. 60. Aña. De Sion veniet, qui regnaturus eſt Dominus, Emmanuel magnū nomen eius. Pſal. Deus Deus. 39. Antiph. Ecce Deus meus, & honorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum. Cant. Cãtemus Domino. 101. Aña. Deus legifer noſter, Dñs rex noſter, ipſe veniet, & ſaluabit nos. Pſal. Laudate. 97.

FERIA SEXTA.

In Laudibus, Antiph.

COnſtantes eſtote, videbitis auxilium Domini ſuper vos. Pſal. Miſerere. 33. Aña. Ad te Domine leuaui animam meã: veni & eripe me, Dñe ad te confugi. Pſ. Domine exaudi orationem. 94. Aña. Veni Domine & noli tardare: relaxa facinora plebis tuæ Iſrael. Pſ. Deus Deus. 39. Aña. Deus à Libano veniet, & ſplendor eius ſicut lumen erit. Cant. Dñe audiui. 102. Aña. Ego autem ad Dominum aſpiciã, & expectabo Deum Saluatorem meum. Pſalm. Laudate. 97.

SABBATO.

In Laudibus, Antiphona.

INtuemini quantus ſit glorioſus iſte, qui ingreditur ad ſaluandos populos. Pſalm. Miſerere. 33. Aña. Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini. Pſ. Bonum 61. Aña. Eleuare, eleuare, conſurge Ieruſalem: ſolue vincula colli tui captiua filia Sion. Pſal. Deus Deus. 39. Antiphona. Expectetur ſicut pluuia eloquium Domini: & deſcendet ſuper nos ſicut ros Deus noſter. Canticum. Audite cæli quæ loquor. 103. Antiphona. Paratus eſto in oc-

curſum Domini Iſrael, quoniam venit. Pſal. **Laudate. 97.**

Memoria de Aduentu in die Sancti Thomæ.

In Laudibus, Antiphona.

NOlite timere: quinta enim die veniet ad vos Dominus noſter. Quando enim Feſtũ S. Thomæ tranſfertur in ſecundam Feriam, prædicta Antiph. dimittatur, & Aña. Ferialis, ſcilicet, **Dicit Dominus.** ad memoriam de Aduentu dicatur.

FERIA SECVNDA.

De Iſaia Propheta. Lectio j. **C. 33.**

DOmine miſerere noſtri: te enim expectauimus: eſto brachium noſtrum in mane, & ſalus noſtra in tempore tribulationis. A voce Angeli fugerunt populi, & ab exaltatione tua diſperſæ ſunt gentes. Et congregabuntur ſpolia veſtra, ſicut colligitur bruchus, velut cum foſſæ plenæ fuerint de eo. Magnificatus eſt Dominus, quoniam habitauit in excelſo: impleuit Sion iudicio & iuſtitia. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET erit fides in temporibus tuis: diuitiæ ſalutis ſapientia & ſciẽtia: timor Domini ipſe eſt theſaurus eius. Conterriti ſunt in Sion peccatores: poſſedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis? Qui ambulat in iuſtitijs, & loquitur veritatem. Hæc dicit.

Lectio iij.

QVi proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere, qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos ne videat malum: Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius: panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt. Regem in decore ſuo videbunt oculi eius, cernent terram de longe. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Egredietur virga de radice Ieſſe, & replebitur omnis terra gloria Domini: & videbit omnis caro ſalutare Dei.

Ad Magnificat, Antiphona.

Eleuare, eleuare, conſurge Ieruſalem: ſolue vincula colli tui, captiua filia Sion, vel O.

FERIA TERTIA.

De Iſaia Propheta. Lectio j. **C. 42.**

ECce ſeruus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium Gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox eius foris. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium. Non erit triſtis, neq; turbulentus donec ponat in terra iudicium: & legem eius inſulæ expectabunt. Hæc dicit.

Lectio ij.

HAec dicit Dñs Deus creans cælos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam. Ego Dominus vocaui te in iuſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſeruaui te. Et dedi

te

Digitized by Google

te in fœdus populi, in lucem gẽtium. Vt aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedẽtes in tenebris. Hæc dicit.

Lectio iij.

CAntate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ: qui deſcenditis in mare, & plenitudo eius, inſulæ, & habitatores earum. Subleuetur deſertum; & ciuitates eius: in domibus habitabit Cedar: laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt: Ponent Domino gloriam, & laudem eius in inſulis nunciabunt. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Tu Bethelehem terra Iuda, non eris minima: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſrael.

Ad Magnificat, Antiphona.

Erumpant montes iucunditatem, & colles iuſtitiam: quia lux mundi Dominus cum potentia veniet. ℣. O. ℣.

FERIA QVARTA.

In Ieiunijs Quatuor Temporum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Prope eſt iam Dominus; Venite adoremus.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. *Cap.* 1.

IN illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 2. in Lucam, initio.

LAtent quidem diuina myſteria, nec facile iuxta Propheticum dictum, quiſquam hominum ſcire poteſt conſilium Dei: tamen ex ceteris factis atque præceptis Domini Saluatoris poſſumus intelligere, & hoc propenſioris fuiſſe conſilii, quòd ea potiſſimum electa eſt vt Dominum pareret, quæ erat deſponſata viro. Cur autem non antequam deſponſaretur, impleta eſt? Fortaſſe ne diceretur, quòd conceperat ex adulterio. ℟. Clama in fortitudine, qui annuncias pacem in Ieruſalem: Dic ciuitatibus Iudæ, & habitatoribus Sion: Ecce Deus noſter, quem expectabamus, adueniet. ℣. Supra montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Siõ, exalta in fortitudine vocem tuã. Dic.

Longius poſt prædicta. Lectio ij.

ET ingreſſus ad eam Angelus. Diſce virginem moribus, diſce virginem verecundia, diſce virginem oraculo, diſce myſterio. Trepidare virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pauere, omnes viri affatus vereri. Diſcant mulieres propoſitum pudoris imitari. Sola in penetralibus, quã nemo virorum videret, ſolus Angelus reperiret: ſola ſine comite, ſola ſine teſte, ne quo degenere deprauaretur affatu, ab Angelo ſalutatur. ℟. Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo de Iſrael, & confringet omnes duces alienigenarum: Et erit omnis terra poſſeſſio eius. ℣. Et adorabunt eum

eum omnes reges: omnes gentes ſeruient ei. Et erit.

Longius poſt prædicta. Lectio iij.

TAnti enim mandati myſterium non hominis fuit, ſed Angeli ore promendum. Hodie primum auditur: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Et auditur, & creditur. Denique, Ecce, inquit, ancilla Domini: contingat mihi ſecundum verbum tuum. Vide humilitatem, vide deuotionem. Ancillam ſe dicit Domini, quæ mater eligitur: nec repentino exaltata promiſſo eſt. ℟. Egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes: Et ſtabunt pedes eius ſupra montes oliuarum ad Orientem. ℣. Et eleuabitur ſupra omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ſtabunt. Gloria Patri. Et ſtabunt.

Prædicta tria Reſpõſoria, & alia quæ ſequuntur Feria ſexta, & Sabbato, dici tantum debent in diebus in quibus notata ſunt niſi Feſtũ Duplex, vel ſupra, in ſequenti ſexta Feria, vel Sabbato euenerit: Tũc enim Reſponſoria illius diei in quinta Feria dicẽtur: Homilia vero diei in quo Feſtum euenerit omittetur. Ad Benedictus, Aña. Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariã Virginẽ deſponſatã Ioſeph. Oratio.

FEſtina quæſumus Domine, ne tardaueris, & auxilium nobis ſupernæ virtutis impende: vt aduentus tui conſolationibus ſubleuentur, qui in tua pietate confidunt. Qui viuis.

HæcOratio dicatur ad Laudes tantũ: ad alias autem Horas Oratio Dominicalis. Idem fiat de Orationibus, quæ ſequuntur Feria Sexta, & Sabbato.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quomodo fiet iſtud Angele Dei, quia virum in concipiendo non pertuli? Audi Maria Virgo Chriſti: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. vel. O.

FERIA QVINTA.

Inuitatorium. Regem vẽturum. 121.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 43.

ET tunc hæc dicit Dñs creans te Iacob, & formans te Iſrael: Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu. Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina operient te: cum ambulaueris in igne, non combureris, flamma nõ ardebit in te: Quia ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſrael ſaluator tuus, dedi propitiationem tuam Aegyptum, Aethiopiam, & Saba pro te. Hæc dicit.

Lectio ij.

EX quo honorabilis factus es in oculis meis, & glorioſus: ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua. Noli timere, quia ego tecũ ſum: ab Oriẽte adducam ſemen tuũ, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: Da: & Auſtro: Noli prohibere: affer filios filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. Hæc dicit.

Lectio iij.

ET omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum. Educ foras populum cæcum, & oculos habentes

bentem: ſurdum, & aures ei ſunt. Omnes gentes congregatæ ſunt ſimul, & collectæ ſunt tribus: quis in vobis annunciet iſtud, & quæ prima ſunt audire nos faciet? Dent teſtes eorum, iuſtificentur, & audiant, & dicant: Vere. Hæc dicit. Ad Benedictus, Antiph. Vigilate animo, in proximo eſt Dominus Deus noſter.

Ad Magnificat, Antiphona.

Lætamini cum Ieruſalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam, in æternum. vel O.

FERIA SEXTA.

Quatuor Temporum,

Inuitat. Prope eſt 135.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. *Cap.* 1.

IN illo tempore: Exurgens Maria abijt in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 2. In Lucam.

MOrale eſt omnibus, vt qui fidē exigunt, fidē aſtruant. Et ideo Angelus cum abſcondita nunciaret, vt fides aſtrueretur, exemplo ſenioris fœminæ ſterilisq. conceptū virgini Mariæ nunciauit: vt poſſibile Deo omne quod ei placuerit, aſſereret. Vbi audiuit hoc Maria, non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuncio, nec quaſi dubitans de exēplo, ſed quaſi læta pro voto, religioſa pro officio, feſtina præ gaudio in montana perrexit. ℟. Præcurſor pro nobis ingreditur Agnus ſine macula, ſecundū ordinē Melchiſedech Pontifex factus in æternū, & in ſæculū ſæculi. ℣. Ipſe eſt Rex iuſtitiæ, cuius generatio non habet finem. Pontifex. Lectio ij.

QVo enim iā Deo plena, niſi ad ſuperiora cū feſtinatione contenderet? Neſcit tarda molimina ſancti Spiritus gratia. Diſcite & vos ſāctæ mulieres ſedulitatē, quā prægnātibus debeatis exhibere cognatis. Mariam, quæ ante ſola in intimis penetralibus verſabatur, nō à publico virginitatis pudor, nō à ſtudio aſperitas mōtiū, nō ab officio prolixitas itineris retardauit. In montana virgo cum feſtinatione, virgo officij memor, iniuriæ immemor, affectu vrgente, non ſexu, relicta perrexit domo. ℟. Modo veniet dominator Dominus: Et nomen eius Emmanuel vocabitur. ℣. Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis. Et nomen. Lectio iij.

DIſcite virgines non circumcurſare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones. Maria in domo ſera, feſtina in publico, mãſit apud cognatā ſuā tribus menſibus. Didiciſtis virgines pudorem Mariæ, diſcite humilitatē. Venit propinqua ad proximā, iunior ad ſeniorem: nec ſolū venit, ſed etiam prior ſalutauit. Decet enim, vt quanto caſtior virgo, tanto humilior ſit. ℟. Videbunt gentes iuſtum tuum, & cuncti reges inclytum tuum: Et vocabitur tibi nomen nouū, quod os Dñi nominauit. ℣. Et eris

coro-

corona gloriæ in manu Domini,& diadema regni in manu Dei tui. Et vocabitur. Gloria Patri. Et vocabitur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ex quo facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.

Oratio.

Excita quæſumus Domine potentiam tuam, & veni: vt hi, qui in tua pietate confidunt, ab omni citius aduerſitate liberentur. Qui viuis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Beata es Maria quæ credidiſti: perficientur in te quæ dicta ſunt tibi à Domino, alleluia, vel O.

SABBATO

Quotuor temporum.

Inuitatorium. Prope 139.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. *Cap.6.*

Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorij Papæ.

Homil.20.in Euangel.

Redemptoris noſtri Præcurſor, quo tempore prædicationis officium acceperit, memorato Romanæ Reipublicæ Principe, & Iudææ regibus, deſignatur. Quia enim illum prædicare veniebat, qui & ex Iudæa quoſdam, & multos ex gentibus redempturus erat: per regem gentium, & principes Iudæorum prædicationis eius tēpora deſignantur. ℟. Emitte Agnum Domine dominatorem terræ de Petra deſerti, Ad montem filiæ Sion. ℣. Ex Sion ſpecies decoris eius: Deus noſter manifeſte veniet. Ad montem. Lectio ij.

Quia autem Gentilitas colligenda erat, & Iudæa pro culpa perfidiæ diſpergenda, ipſa quoque deſcriptio terreni principatus oſtendit: quoniam & in Romana Republica vnus præfuiſſe deſcribitur: & in Iudææ regno per quartam partem plurimi principabantur. Voce etenim Redēptoris noſtri dicitur: Omne regnū in ſe ipſum diuiſum deſolabitur. Liquet ergo, quòd ad finem regni Iudæa peruenerat, quæ tot regibus diuiſa ſubiacebat. ℟. Germinauerunt campi eremi germen odoris Iſrael: quia ecce Deus noſter cum virtute veniet, Et ſplendor eius cum eo. ℣. Ecce dominator Dominus cum virtute veniet. Et ſplendor eius.

Lectio iij.

Aptè quoque nō ſolum ſub quibus regibus, ſed ſub quibus etiā ſacerdotibus actum ſit, demōſtratur: vt quia illum Ioannes Baptiſta prædicaret: qui ſimul Rex & Sacerdos exiſteret, Lucas Euangeliſta prædicationis eius tempora per regnum & ſacerdotium deſignaret. Et venit in omnē regionem Iordanis prædicans baptiſmū pœnitentiæ in remiſſionē peccatorum. ℟. Radix Ieſſe, qui exurget iudicare gentes, in eū gentes ſperabūt: Et erit nomen eius benedictū, In ſæcula. ℣. Super ipſum continebunt reges os ſuum, ipſum gentes deprecabuntur.

Et

Et erit nomen eius. Gloria. In ſæcula.

Ad Benedictus, Antiphona.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons,& collis humiliabitur: & videbit omnis caro ſalutare Dei.

Oratio.

Deus,qui conſpicis, quia ex noſtra prauitate affligimur:concede propitius,vt ex tua viſitatione conſolemur. Qui viuis & regnas.

DOMINICA IIII. Aduentus.

Sabbato præcedenti ad Veſperas.

℟. Non auferetur. ij.

Ad Magnificat, Antiphona O.

Oratio.

Excita quæſumus Domine potẽtiam tuam & veni,& magna nobis virtute ſuccurre: vt per auxilium gratiæ tuæ,quod noſtra peccata præpediunt,indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Qui viuis.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Ecce iam venit plenitudo temporis, in quo miſit Deus Filium ſuum natum de Virgine,factum ſub lege: Venite adoremus.

Añæ, Pſal. ℣℣. Nocturnor. ſicut in prima Dominica: excepto quòd tertius Verſiculus non dicetur, ſi Vigil. Natiuitatis Domini hac die euenerit.

IN I. NOCTVRNO.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 51.

Audite me, qui ſequimini quod iuſtum eſt, & quæritis Dominum: attendite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci,de qua præciſi eſtis. Attendite ad Abraham patrem veſtrum,& ad Saram,quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei,& multiplicaui eum. Conſolabitur ergo Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas eius: & ponet deſertum eius quaſi delicias,& ſolitudinem eius quaſi hortũ Domini. Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio,& vox laudis. Hæc dicit. ℟. Canite tuba in Sion, vocate gentes,annunciate populis,& dicite: Ecce Deus Saluator noſter adueniet. ℣. Annunciate in finibus terræ: & in inſulis quæ procul ſunt,dicite. Ecce.

Lectio ij.

Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite: quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requieſcet. Prope eſt iuſtus meus: egreſſus eſt Saluator meus,& brachia mea populos iudicabunt: me inſulæ expectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt. Leuate in cælum oculos veſtros,& videte ſub terra deorſum: quia cæli ſicut fumus liqueſcent,& terra ſicut veſtimentum attereturs, & habitatores eius ſicut hæc interibunt: ſalus autem mea in ſempiternum erit,& iuſtitia mea non deficiet. Hæc dicit. ℟. Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt: Et ipſe erit expectatio gentium. ℣. Pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores. Et ipſe.

Lectio iij.

Audite me qui ſcitis iuſtum: populus meus lex mea in corde eorum:

eorum:nolite timere opprobrium hominum,& blaſphemias eorum ne metuatis. Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis,& ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea:ſalus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea in generationes generationum. Hæc dicit. ℟. Me oportet minui, illũ autem creſcere: qui autem poſt me venit,ante me factus eſt:Cuius non ſum dignus corrigiam calceamentorum ſoluere. ℣. Ego baptizaui vos aqua: ille autem baptizabit vos Spiritu ſancto. Cuius. Gloria. Cuius.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Romanos. Lectio iv. *Cap.* 4.

QVid ergo dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum. Quid enim dicit ſcriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei. ℟. Ecce iam venit plenitudo temporis,in quo miſit Deus filium ſuum in terras, natum de Virgine,factum ſub lege: Vt eos qui ſub lege erant, redimeret. ℣. Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos Deus, Filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati. Vt eos. Lectio v.

SIcut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus: Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates,& quorum tecta ſunt peccata.Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc in circumciſione tãtum manet,an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtititiam. Quomodo ergo reputata eſt?in circumciſione,an in præputio?Non in circumciſione, ſed in præputio. ℟. Virgo Iſrael reuertere ad ciuitates tuas. Vſquequo dolẽs auerteris? generabis Dominum Saluatorem,oblationem nouam in terra. Ambulabunt homines in ſaluationem. ℣. In charitate perpetua dilexi te:ideo attraxi te miſerans. In ſaluationem. Lectio vj.

ET ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio: vt ſit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iuſtitiam:& ſit pater circumciſionis non ijs tantum qui ſunt ex circumciſione, ſed & iis, qui ſectantur veſtigia fidei,quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ. Non enim per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini eius vt hæres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fidei. ℟. Iuraui, dicit Dominus,vt vltra iam non iraſcar ſuper terram: montes enim & colles ſuſcipient iuſtitiam meam: & teſtamentum pacis erit in Ieruſalem. ℣. Iuxta eſt ſalus mea vt veniat: & iuſti-

tia

tia mea vt releuetur. In Ieruſalem. Gloria. In.

IN III. NOCTVRNO.

Quando Vigilia Natiuitatis Domini in hac Dominica euenerit, tres vltimæ Lectiones ſint de Homilia Vigiliæ: hæc autem Homilia non legatur illo anno.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij.

ANno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 20. in Euang. ante med.

DIcebat Ioannes ad Turbas, quæ exibant vt baptizarentur ab eo: Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Ventura enim ira eſt animaduerſio vltionis extremæ: quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta pœnitentiæ non recurrit. Et notandũ, quòd malæ ſoboles, malorum parentum actiones imitantes, genimina viperarum vocãtur: quia per hoc quòd bonis inuident, eoſque perſequuntur, quòd quibuſdam mala retribuunt, quòd læſiones proximis exquirunt: quoniam in his omnibus patrum ſuorum carnalium vias ſequuntur, quaſi venenati filii de venenatis parentibus nati ſunt. ℟. Non diſcedimus à te, viuificabis nos Domine, & nomẽ tuum inuocabimus, oſtende nobis faciem tuam, Et ſalui erimus. ℣. Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui: viſita nos in ſalutari tuo. Et. Lectio viij.

SEd quia iam peccauimus, quia vſu malæ conſuetudinis inuoluti ſumus: dicat quid nobis faciendum ſit, vt fugere à ventura ira valeamus. Sequitur: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. In quibus verbis **notandum eſt, quòd amicus ſponſi non ſolum fructus pœnitentiæ,** ſed dignos pœnitentiæ admonet eſſe faciendos. Aliud namque eſt fructum facere pœnitentiæ: aliud, dignum pœnitentiæ fructum facere. ℟. Intuemini **quantus ſit iſte, qui ingreditur ad ſaluandas gẽtes: ipſe eſt Rex iuſtitiæ, Cuius** generatio non habet finem. ℣. **Præ**curſor pro nobis ingreditur **ſecũdum** ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum. Cuius. Lectio ix.

VT enim ſecundum **dignos pœ**nitentiæ fructus loquamur: ſciendum eſt, quia quiſquis illicita nulla commiſit, huic iure **conceditur,** vt licitis vtatur, ſicque **pietatis opera** faciat, vt tamen ſi voluerit, ea **quæ** mundi ſunt non relinquat. **At ſi quis** in fornicationis culpam, vel **fortaſſe, quod eſt grauius, in adulteriũ lapſus eſt: tanto à ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit & illicita perpetraſſe. Neque enim par fructus boni** operis eſſe debet eius, **qui minus, & eius** qui amplius **deliquit. ℟. Montes Iſrael ramos veſtros expandite, & florete, & fructus facite: Prope eſt vt veniat dies Domini. ℣. Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.**

Prope

Digitized by Google

Prope eſt. Gloria. Prope. ℟. Montes.

IN LAVDIBVS. Antiph.

CAnite tuba in Sion, quia prope eſt dies Domini: ecce veniet ad ſaluandum nos, allel. allel. Pſal. Dominus regnauit. 61. Aña. Ecce veniet deſideratus cunctis gentibus: & replebitur gloria domus Domini, allel. Pſ. Iubilate. 65. Aña. Erunt praua in directa, & aſpera in vias planas: veni Domine, & noli tardare, allel. Pſalm. Deus Deus. 39. Aña. Dominus veniet, occurrite illi dicentes: Magnum principium, & regni eius non erit finis: Deus fortis, dominator, princeps pacis, allel. allel. Cant. Benedicite. 98. Aña. Omnipotens ſermo tuus Domine à regalibus ſedibus venit, alleluia. Pſalmus. Laudate. 97.

Ad Benedictus, Antiphona.

Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona. O.

FERIA SECVNDA.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 54.

LAuda ſterilis quæ non paris: decanta laudem, & hinni quæ nõ pariebas: quoniam multi filij deſertæ magis quàm eius, quæ habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida. Ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis: & ſemen tuum Gentes hereditabit, & ciuitates deſertas inhabitabit. Hæc dicit.

Lectio ij.

NOli timere, quia non confunderis, neque erubeſces: non enim te pudebit, quia confuſionis adoleſcẽtiæ tuæ obliuiſceris, & opprobrij viduitatis tuæ nõ recordaberis amplius. Quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius: & redemptor tuus ſanctus Iſraël, Deus omnis terræ vocabitur. Quia vt mulierem derelictam & mærentem ſpiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adoleſcentia abiectam, dixit Deus tuus. Hæc dicit.

Lectio iij.

AD punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui: Dixit redẽptor tuus Dominus. Sicut in diebus Noe iſtud mihi eſt, cui iuraui ne inducerem aquas Noe vltra ſupra terram: ſic iuraui vt non iraſcar tibi, & non increpem te. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dicit Dominus, pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona. O.

FERIA TERTIA.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 64.

VTinam dirumperes cælos, & deſcenderes: à facie tua montes defluerent. Sicut exuſtio ignis tabeſcerent, aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis: à facie tua gentes turbarentur. Cum fece

ris mirabilia, non ſuſtinebimus: deſcendiſti, & à facie tua montes defluxerunt. A ſæculo non audierunt, neq; auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te. Hæc dicit.

Lectio ij.

OCcurriſti lætanti, & facienti iuſtitiam: in vijs tuis recordabũtur tui: ecce tu iratus es, & peccauimus: in ipſis fuimus ſemper, & ſaluabimur: Et facti ſumus vt immũdus omnes nos: & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ: & cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos. Non eſt qui inuocet nomen tuum: qui conſurgat, & teneat te. Hæc dicit.

Lectio iij.

ABſcondiſti faciem tuam à nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ. Et nũc, Domine pater noſter es tu, nos vero lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne iraſcaris Domine ſatis, & ne vltra memineris iniquitatis noſtræ: ecce reſpice populus tuus omnes nos. Ciuitas ſancti tui facta eſt deſerta, Sion deſerta facta eſt, Ieruſalem deſolata eſt. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona. Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini.

Ad Magnificat, Antiphona. O.

FERIA QVARTA.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 65.

VOs qui dereliquiſtis Dominum qui obliti eſtis montem ſanctũ meum, qui ponitis Fortunæ menſam, & libatis ſuper eam. Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis; pro eo quod vocaui, & non reſpondiſtis, locutus ſum, & non audiſtis: & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegiſtis. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis. Hæc dicit Dominus.

Lectio ij.

ECce ſerui mei lætabuntur, & vos cõfundemini: Ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis. Et dimittetis nomen veſtrum in iuramentum electis meis: & interficiet te Dominus Deus, & ſeruos ſuos vocabit nomine alio. In quo qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo amen: & qui iurat in terra, iurabit in Deo amen: quia obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores: & quia abſconditæ ſunt ab oculis meis. Hæc dicit.

Lectio iij.

ECce enim ego creo cælos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor. Sed gaudebitis, & exultabitis vſque in ſempiternum in his, quæ ego creo: quia ecce ego creo Ieruſalem exultationem, & populum eius gaudium. Et exultabo in Ieruſalem, & gaudebo in populo meo: & non audietur in eo vltra vox fletus & vox clamoris. Nõ erit ibi amplius infans dierum, & ſenex qui non impleat dies

ſuos:

Digitized by Google

ſuos: quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Hæc dicit Dominus Deus. Ad Benedictus, Antiph. Ponent Domino gloriam, & laudem eius in inſulis nunciabunt: quia ecce veniet, & non tardabit.

Ad Magnificat, Antiphona.

FERIA QVINTA.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 66.

HAec dicit Dominus: Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum: quæ eſt iſta Domus, quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt vniuerſa iſta, dicit Dominus. Ad quẽ autem reſpiciam niſi ad pauperculũ, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Qui immolat bouem, quaſi interficiat virum. Hæc dicit.

Lectio ij.

QVi mactat pecus, quaſi qui excerebret canẽ: qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat: qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in viis ſuis, & in abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt. Vnde & ego eligã illuſiones eorum: & quæ timebant, adducam eis: quia vocaui, & non erat qui reſponderet: locutus ſum, & non audierunt: feceruntq; malum in oculis meis, & quæ nolui, elegerunt. Hæc dicit.

Lectio iij.

AVdite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius: dixerunt fratres veſtri odientes vos, & obijcientes propter nomen meum. Glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia veſtra: ipſi autem confundentur. Vox populi de ciuitate, vox de templo: vox Domini reddẽtis retributionem inimicis ſuis. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit maſculum. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona. Conſolamini, conſolamini popule meus, dicit Dominus Deus veſter.

Ad Magnificat, Antiphona.

FERIA SEXTA.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 66.

LAetamini cum Ieruſalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio vniuerſi, qui lugetis ſuper eam: & ſugatis & repleamini ab vbere conſolationis eius: vt mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. Quia hæc dicit Dominus: ecce ego declinabo ſuper eã quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam ſugetis. Hæc dicit.

Lectio ij.

AD vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis. Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, & in Ieruſalem conſolabimini. Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt: & cognoſcetur manus Domini ſeruis eius, & indignabitur inimicis ſuis: Quia ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorẽ ſuum,

Digitized by Google

ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis. Hæc dicit.

Lectio iij.

QVia ſicut cæli noui, & terra noua, quæ ego facio ſtare coram me, dicit Dominus: ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomē veſtrū. Et erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato: veniet omnis caro vt adoret coram facie mea, dicit Dominus. Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me: vermis eorum non morietur: & ignis eorum non extinguetur: & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni. Hæc dicit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet, & vos eſtote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Ad Magnificat, Antiphona. O.

IN VIGILIA NATIVITATIS Domini.

Ad Matutinum proſtrationes non fiunt, nec dicatur Officium Beatæ Virginis. Inuitatorium.

Hodie ſcietis, quia veniet Dominus: Et mane videbitis gloriam eius. Hymnus. Verbum ſupernum 114. Antiphonæ, & Pſalmi Feriales. ℣. Hodie ſcietis, quia veniet Dominus. ℟. Et mane videbitis gloriam eius.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. vel vij. ſi Dominica fuerit. *Mat.* 1.

CVm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri. *Lib. 1. Comment. in c. 1. Mat.*

QVare non de ſimplici virgine, ſed de deſponſata concipitur. Primum, vt per generationem Ioſeph, origo Mariæ monſtraretur: ſecundo, ne lapidaretur à Iudæis vt adultera: tertio, vt in Aegyptū fugiens haberet ſolatiū. Martyr Ignatius etiā quartam addidit cauſam, cur à deſponſata conceptus ſit: Vt partus inquiens eius celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, ſed de vxore generatū. ℟. Sanctificamini hodie & eſtote parati: quia die craſtina videbitis Maieſtatem Dei in vobis. ℣. Hodie ſcietis, quia veniet Dominus, & mane videbitis. Maieſtatem Dei.

Lectio ij. vel viij.

ANtequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Non ab alio inuenta eſt, niſi à Ioſeph, qui pene licentia maritali futuræ vxoris omnia nouerat. Quòd autem dicitur, Antequam conuenirent, non ſequitur vt poſtea conuenerint: ſed Scriptura quid factum non ſit, oſtendit. ℟. Conſtantes eſtote, videbitis auxilium Domini ſuper vos: Iudæa & Ieruſalem nolite timere. Cras egrediemini, & Dominus erit vobiſcū. ℣. Sanctificamini filij Iſrael, & eſtote parati. Cras egrediemini.

Lectio iii. & ix.

IOſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere vo-

voluit occulte dimittere eam. Si qui fornicariæ coniungitur, vnum corpus efficitur, & in lege præceptum eſt, nõ ſolum reos, ſed & conſcios criminum obnoxios eſſe peccati: quomodo Ioſeph, cum crimen celaret vxoris, iuſtus ſcribitur? Sed hoc teſtimonium Mariæ eſt, quòd Ioſeph ſciens illius caſtitatem, & admirans quod euenerat, celat ſilentio, cuius myſterium neſciebat. ℟. Sanctificamini filij Iſrael, dicit Dominus: die enim craſtina deſcendet Dominus, Et auferet à vobis omnem languorem. ℣. Ex Sion ſpecies decoris eius: Deus noſter manifeſte veniet, Et auferet. Gloria Patri. Et.

Hac die in Laudibus, & deinceps vſq; ad Veſperas excluſiue fiat Officium ſicut in Feſto duplici. ℣. Craſtina die delebitur iniquitas terræ. ℟. Et regnabit ſuper nos Saluator mundi.

IN LAVDIBVS. Antiph.

Iudæa & Ieruſalem nolite timere: cras egrediemini, & Dominus erit vobiſcum. Pſalm. Dominus regnauit. 61. Antiph. Craſtina die erit vobis ſalus, dicit Dominus Deus exercituum. Pſal. Iubilate. 65. Aña. Hodie ſcietis quia veniet Dominus: & mane videbitis gloriam eius. Pſalm. Deus Deus. 39. Aña. Propter Sion non tacebo, donec egrediatur, vt ſplẽdor, iuſtus eius. Cantic. Benedicite. 98. Antiph. Craſtina die delebitur iniquitas terræ, & regnabit ſuper nos Saluator mundi. Pſalm. Laudate Dominum. 97.

Capitulum. *Iſa. 62.*

Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & Saluator eius vt lampas accẽdatur. Hym. Vox clara. 117. ℣. Conſtantes eſtote. ℟. Videbitis auxilium Domini ſuper vos.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt, alleluia. Oratio.

Deus, qui nos redemptionis noſtræ annua expectatione lætificas: præſta, vt Vnigenitum tuum, quem Redemptorem læti ſuſcipimus, venientem quoque iudicem ſecuri videamus, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum.

Hæc Oratio dicatur ad Tertiam Sextam, Nonam, & Veſperas ad Horas diei Antiphonæ Laudum.

Ad Tertiam, Capitulum.

Propter Sion non tacebo. ℟. Hodie ſcietis, Quia veniet Dominus. Hodie ſcietis. ℣. Et mane videbitis gloriam eius. Quia veniet. Gloria Patri. Hodie. ℣. Craſtina die delebitur iniquitas terræ. ℟. Et regnabit ſuper nos Saluator mundi.

Ad Sextam, Capitulum. *Iſa. 62.*

Videbunt Gentes iuſtum tuum, & cuncti reges inclytum tuum: & vocabitur tibi nomẽ nouum, quod os Domini nominabit. ℟. Craſtina die delebitur iniquitas terræ. Craſtina

ſtina die. ℣. Et regnabit ſuper nos Saluator mundi. Delebitur. Gloria Patri. Craſtina.

℣. Craſtina die erit vobis ſalus.
℟. Dicit Dominus exercituum.

Ad Nonam, Capitulum. *Iſa. 62.*

NOn vocaberis vltra Derelicta: & terra tua non vocabitur amplius Deſolata: ſed vocabitur voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata. ℟. Craſtina die Erit vobis ſalus. Craſtina. ℣. Dicit Dominus exercituum. Erit. Gloria Patri. Craſtina. ℣. Conſtantes eſtote. ℟. Videbitis auxilium Domini ſuper vos.

Si hæc Vigilia in Dominica euenerit, hoc modo fiat Officium.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Hodie ſcietis. Hymnus vt ſupra. Super Pſal. primi Nocturni, Aña. Scientes. Pſalmus Beatus vir. Ceteræ ad ceteros, vt Dominica prima Aduentus in j. Noct. ℣. Ex Sion. In ij. Noct. ℣. Egredietur. Sex Lectiones, & ſex Reſponſoria de Dominica. In iij. Noct. ℣. Hodie ſcietis. Tres Lectiones vltimæ de Homilia. Cũ eſſet deſpõſata, & tria vltima Reſpõſoria de Vigilia. Homilia autem Dominicalis, & tria vltima Reſpoſoria de Hiſtoria. Canite, cum Laudibus illo anno omittantur. ℣. Craſtina. In Laudibus Añæ, Cap. ℣. & Antiph. ad Benedictus, & Orat. de Vigilia erunt. Poſt Orationem de Vigilia, Memoria fiat de Dominica. Añæ, Capit. Reſponſoria, Verſiculi, & Orationes ad Horas de Vigilia erunt.

B. P.

IN NATIVITATE DOMINI.

Ad Veſperas, Antiphona.

REX pacificus magnificatus eſt: cuius vultum deſiderat vniuerſa terra. Pſalm. Laudate pueri. 78. Antiph. Magnificatus eſt Rex pacificus ſuper omnes Reges vniuerſæ terræ. Pſalm. Laudate Dominum de cælis. 78. Aña. Scitote quia prope eſt regnum Dei: amen dico vobis, quia non tardabit. Pſalm. Lauda anima. 97. Aña. Leuate capita veſtra: ecce appropinquabit redemptio veſtra. Pſal. Laudate Dominum, quoniam. 97. Aña. Completi ſunt dies Mariæ, vt pareret filium ſuum primogenitum. Pſalm. Lauda Ieruſalem. 97.

Capitulum. *Iſa. 9.*

POpulus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. ℟. Iudæa & Ieruſalẽ nolite timere: Cras egrediemini, Et Dominus erit vobiſcum. ℣. Conſtantes eſtote, videbitis auxilium Domini ſuper vos. Cras egrediemini. Gloria. Et Dominus. Hymnus.

VEni Redemptor Gentium,
Oſtende partum Virginis:
Miretur omne ſæculum,
Talis decet partus Deum.
Non ex virili ſemine,
Sed myſtico ſpiramine,

Verbum Dei factum caro,
Fructuſque ventris floruit.
Aluus tumeſcit Virginis.
Clauſtra pudoris permanent:
Vexilla virtutum micant,
Verſatur in templo Deus.
Procedens de thalamo ſuo,
Pudoris aula regia
Geminæ gigas ſubſtantiæ,
Alacris vt currat viam.
Egreſſus eius à Patre,
Regreſſus eius ad Patrem.
Excurſus vſque ad inferos,
Recurſus ad ſedem Dei.
Aequalis æterno Patri,
Carnis trophæo accingere:
Infirma noſtri corporis,
Virtute firmans perpeti.
Præſepe iam fulget tuum,
Lumenque nox ſpirat nouum,
Quod nulla nox interpolet,
Fideque iugi luceat.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Iſte verſus dicatur ad omnes Hymnos eiuſdem metri, tam de Tempore, quàm de Sanctis, vſque ad primas Veſperas Epiphaniæ excluſiue.

℣. Tamquam ſponſus. ℟. Dominus procedens de thalamo ſuo.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cum ortus fuerit ſol de cælo, videbitis Regem regum procedentem à Patre, tamquam ſponſum de thalamo ſuo. Oratio.

Deus, qui nos redemptionis.

Ad Completorium ſuper Pſal. Añ.

Completi ſunt dies Mariæ, vt pareret filium ſuum primogenitum.

Ad Nunc dimittis, Antiphona.

Ecce completa ſunt omnia, quæ dicta ſunt per Angelum de Virgine Maria.

IN NATIVITATE DOMINI.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Chriſtus natus eſt nobis, Venite adoremus. Pſal. Venite exultemus. 62.

Hymnus.

Chriſte Redemptor omnium,
Ex Patre Patris Vnice.
Solus ante principium
Natus ineffabiliter.
Tu lumen, Tu ſplendor Patris,
Tu ſpes perennis omnium,
Intende quas fundunt preces
Tui per orbem famuli.
Memento ſalutis auctor,
Quod noſtri quondam corporis,
Ex illibata Virgine
Naſcendo formam ſumpſeris.
Sic præſens teſtatur dies,
Currens per anni circulum,
Quòd ſolus à ſede Patris
Mundi ſalus adueneris.
Hunc cælum, terra, hunc mare,
Hunc omne quod in eis eſt,
Auctorem aduentus tui
Laudat exaltans cantico.
Nos quoque qui ſancto tuo.

Redempti ſanguine ſumus.
Ob diem natalis tui,
Hymnum nouum concinimus.
Gloria tibi Domine.

IN I. NOCTVRNO. Aña. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pſ. Quare. I. Aña. Tamquam ſponſus Dominus procedens de thalamo ſuo. Pſ. Cæli II. Aña. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Pſalm. Eructauit. 30. ℣. Verbum caro factum eſt. ℟. Et habitauit in nobis.

Tres Lectiones ſequentes legantur ſine titulo. Lectio j. *Iſa. 9.*

PRimo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephthalim: & nouiſſimo aggrauata eſt via maris trans Iordanē Galilææ Gentiū. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnā: habitātibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Multiplicaſti gentē, & non magnificaſti lætitiā. Lætabuntur corā te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultāt victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. Iugū enim oneris eis, & virgā humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti ſicut in die Madian. Quia omnis violenta prædatio cū tumultu, & veſtimentū mixtum ſanguine, erit in cōbuſtionē, & cibus ignis. PARVVLVS enim NATVS eſt nobis, & Filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius: & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Hæc dicit. ℟. Hodie nobis cælorū Rex de Virgine naſci dignatus eſt, vt hominē perditum ad cæleſtia regna reuocaret. Gaudet exercitus Angelorū. Quia ſalus æterna humano generi apparuit. ℣. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quia.

Lectio ij. *Iſa. 40.*

COnſolamini, conſolamini popule meus, dicit Deus veſter. Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam: quoniā completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius: ſuſcepit de manu Dñi duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Vox clamātis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Et reuelabitur gloria Dñi: & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutū eſt. Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnū, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos: quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo. Vere fœnū eſt populus. Exiccatū eſt fœnū, & cecidit flos: verbū autem Domini noſtri manet in æternum. Hæc. ℟. Hodie nobis de cælo deſcēdit. Hodie per totū mundū melliflui facti ſūt cæli. ℣. Hodie illuxit dies redēptionis nouæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hodie. Lect. iij. *Iſa. 52.*

COnſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere

veſtimentis gloriæ tuæ Ieruſalem ciuitas ſancti: quia non adijciet vltra vt pertranſeat per te incircũciſus & immundus. Excutere de puluere, conſurge, ſede Ieruſalem: ſolue vincula colli tui captiua filia Sion. Quia hæc dicit Dominus: Gratis venũdati eſtis, & ſine argento redimemini. Quia hæc dicit Dominus Deus: In Aegyptum deſcendit populus meus in principio vt colonus eſſet ibi: & Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum. Et nunc quid mihi eſt hic, dicit Dominus: quoniam ablatus eſt populus meus gratis? Dominatores eius inique agunt, Dicit Dominus: & iugiter tota die nomen meum blaſphematur. Propter hoc ſciet populus meus nomẽ meum in die illa: quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum. Hæc. ℟. Deſcendit de cælis Deus verus à Patre genitus, introiuit in vterum Virginis, nobis vt appareret viſibilis, indutus carne humana à protoparente edita, & exiuit per clauſam portam: Deus & homo: Lux & vita, conditor mundi. ℣. Tamquam ſponſus Dominus procedens de thalamo ſuo. Lux. Gloria Patri. Lux.

IN II. NOCTVRNO. Aña. Suſcepimus Deus miſericordiam tuã in medio templi tui. Pſalm. Magnus Dominus. 31. Aña. Orietur in diebus Domini abundantia pacis, & dominabitur. Pſal. Deus iudicium. 46. Aña. Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. Pſalm. Benedixiſti. 56. ℣. Notum fecit Dominus. ℟. Salutare ſuum.

Sermo Sancti Leonis Papæ.
Serm. 1. de Natiu. Domini.
Lectio iv.

SAluator noſter, dilectiſſimi, hodie natus eſt: gaudeamus. Neq; enim fas eſt locum eſſe triſtitiæ, vbi natalis eſt vitæ. Nemo ab huius alacritatis participatione ſecernitur. Vna cũctis lætitiæ communis eſt ratio. Exultet ſanctus quia appropinquat ad palmã: gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam: animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam. Verbum enim Dei Deus Filius Dei, propter liberandum hominem ab æterna morte, factus eſt homo. Et tanto fœdere vtramque naturam conſeruit, vt nec inferiorem conſumeret glorificatio: nec ſuperiorem minueret aſſumptio. Tu autem. ℟. Quem vidiſtis paſtores? dicite, annunciate nobis, in terris quis apparuit? Natum vidimus, & choros Angelorũ collaudantes Dominum. ℣. Dicite quidnam vidiſtis? & annunciate Chriſti natiuitatem. Natum. Lect. v.

SAlua igitur vtriuſque proprietate ſubſtantiæ, & in vnam coeunte perſonam: ſuſcipitur à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æterni tate mortalitas: vt quod noſtris remedijs congruebat, vnus atque idem Dei, & hominũ mediator, & mori ex vno reſurgere poſſet ex altero. Niſi enim eſſet verus Deus, nõ afferret remedium: niſi verus eſſet homo, non præberet exemplum. Ab exultantibus Angelis naſcente Domino, Glo-

Digitized by Google

ria in excelſis Deo canitur. De hoc ergo inenarrabili pietatis opere quantum lætari debet humilitas hominum cum tantum gaudeat ſublimitas Angelorum? ℟. O magnum myſteriũ, & admirabile ſacramẽtum, vt animalia viderent Dominum natum, Iacentem in præſepio. Beata Virgo, cuius viſcera meruerunt portare Dominum Chriſtum. ℣. Domine audiui auditũ tuum, & timui: conſideraui opera tua, & expaui: in medio duorum animalium. Iacentem. Lectio vj.

AGamus ergo dilectiſſimi gratias Deo Patri, per Filium eius, in Spiritu ſancto. Deponamus veterem hominem cum actibus ſuis: & adeptis participationem generationis Chriſti, carnis renunciemus operibus. Agnoſce, ò Chriſtiane, dignitatem tuã: & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire. Memento, cuius capitis & cuius corporis ſis membrum. Reminiſcere, quòd erutus de poteſtate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum. Noli te diaboli iterũ ſeruituti ſubijcere; quia pretiũ tuum ſanguis Chriſti eſt: qui veritate te iudicabit, qui miſericordia te redemit. ℟. Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio: Quia quem cæli capere non poterant tuo gremio contuliſti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia. Gloria Patri. Quia.

IN III. NOCT. Aña. Ipſe inuocabit me, allel. Pater meus es tu, alleluia. Pſ. Miſericordias Domini. 58. Aña. Lætentur cæli, & exultet terra ante faciem Domini, quoniam venit. Pſ. Cantate. 63. Aña. Notum fecit Dominus, alleluia; ſalutare ſuum, alleluia. Pſal. Cantate. ij. 64. ℣. Ipſe inuocabit me. ℟. Pater meus es tu. ℣. Iube domne. Benedictio. Euangelica lectio ſit nobis ſalus, & protectio. ℟. Amen.

Lectio Sancti Euangelii ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 2.

IN illo tempore: Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 8. in Euang.

QVia largiente Domino, Miſſarum ſolemnia ter hodie celebraturi ſumus, loqui diu de Euãgelica lectione non poſſumus: ſed nos aliquid vel breuiter dicere, Redemptoris noſtri Natiuitas ipſa compellit. Quid eſt quòd naſcituro Domino mundus deſcribitur, niſi hoc quod aperte monſtratur: quia ille apparebat in carne, qui electos ſuos adſcriberet in æternitate? Quod contra de reprobis per Prophetam dicitur: Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. Qui bene etiam in Bethlehem naſcitur. Bethlehem quippe domus panis interpretatur. Ipſe namque eſt qui ait: Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi. ℟. Beata Dei genitrix Maria, cuius viſcera intacta permanent, Hodie genuit

Saluatorem ſæculi. ℣. Beata quæ cre didit: quoniam perfecta ſunt omnia, quæ dicta ſunt ei à Domino. Hodie.
℣. Iube domne. Benedictio. Per Euangelica dicta deleantur noſtra delicta. ℟. Amen.
Lectio Sancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio viij. C. 2.

IN illo tempore: Paſtores loquebantur ad inuicem: Tranſeamus vſq; Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 2. in cap. 2. Lucæ.

VIdete Eccleſiæ ſurgentis exordium. Chriſtus naſcitur, & paſtores vigilare cœperunt: qui gentiũ greges, pecudum more ante viuentes in caulam Domini congregarent, ne quos ſpiritualium beſtiarum, per offuſas noctium tenebras, paterentur incurſus. Et bene paſtores vigilãt, quos bonus paſtor informat. Grex igitur populus, nox ſæculum, paſtores ſunt Sacerdotes. Aut fortaſſe etiam ille ſit paſtor, cui dicitur: Eſto vigilans, & confirma. Quia non ſolum Epiſcopos ad tuendum gregem Dominus ordinauit, ſed etiam Angelos deſtinauit. ℟. Beata viſcera Mariæ virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium: & beata vbera, quæ lactauerunt Chriſtum Dominum: Qui hodie pro ſalute mundi de Virgine naſci dignatus eſt. ℣. Dies ſanctificatus illuxit nobis: Venite Gentes, & adorate Dominũ. Qui. ℣. Iube domne benedicere. Benedictio. Intellectum ſancti Euangelij aperiat nobis virtus Spiritus ſancti. ℟. Amen.
Lectio Sancti Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio ix. C. 1.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 3. Ioann. 1.

CVm Matthæus ab Hærode, Lucas à Tiberio Cæſare, Marcus à baptiſmate Ioannis exordiatur, his omnibus Ioãnes omiſſis, ſupra omne tempus, & ſæculum aſcendit. Tu autẽ dilectiſſime, cum verbum hoc in loco audis, noli quæſo ijs acquieſcere, qui dicunt id verbum eſſe, quod ore profertur. Hoc enim Verbum ſubſtantia quædam eſt in perſona, ex ipſo Patre ſine paſſione proueniens. Quẽadmodum autem, In principio erat Verbũ, æternitatem ſignificat: ita, Hoc erat in principio apud Deum, coæternitatem nobis oſtendit. Numquam enim ſolus Pater ſine Verbo fuit: ſed ſemper Deus apud Deum erat, & in perſona quidem propria. ℟. Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis: cuius gloriam vidimus quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. ℣. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Plenum gratiæ. Gloria Patri. Plenum.

Poſtea ſequitur.

℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Ini-

Digitized by Google

Initium ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

℞. Gloria tibi Domine. C. 1.

LIBER generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Abrahã genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autẽ genuit Iudam, & fratres eius. Iudas autẽ genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autẽ genuit Eſron. Eſron autẽ genuit Arã. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon. Naaſſon autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboã. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Aſa. Aſa autem genuit Ioſaphat. Ioſaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manaſſen. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem genuit Ioſiam. Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in trãſmigratione Babylonis. Et poſt tranſmigrationem Babylonis: Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathã autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus. Canticum Te Deum. Quo finito, ſi Miſſa immediate fuerit cantanda, inchoetur: & dicta Communione, abſque Verſiculo, & abſque Deus in adiutorium. ſtatim inchoetur in Laudibus. Aña. Quem vidiſtis. & dicantur Laudes more ſolito. Finita vero poſt Benedictus Antiphona, Sacerdos qui cantauit Miſſam, dicat Poſt communionem, & Dominus vobiſcũ. & Ite Miſſa eſt. & ſic terminentur Miſſa, & Laudes. Si autem Miſſa immediate non ſequatur, finito Te Deum, dicatur ℣. Puer natus eſt nobis. ℞. Et filius datus eſt nobis. Deus in adiutoriũ. & dicatur Laudes more ſolito.

IN LAVDIBVS Antiph.

QVem vidiſtis paſtores? dicite, annunciate nobis in terris quis apparuit? Natum vidimus & choros Angelorũ collaudantes Dominum, alleluia, alleluia. Pſ. Dominus regnauit. 61. Aña. Genuit puerpera Regem, cui nomen æternum, & gaudia matris habens, cum virginitatis honore: nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, allel. Pſ. Iubilate. 41. Antiphona. Angelus ad paſtores ait: Annuncio vobis gaudium magnum: quia natus eſt vobis hodie Saluator mundi, alleluia. Pſalmus. Deus Deus meus. 39. Aña. Facta eſt cum Angelo multitu-

do

do cæleſtis exercitus laudantium Deum,& dicentium: Gloria in excelſis Deo,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis,allel. Cant. Benedicite.98. Aña. Paruulus filius hodie natus eſt nobis,& vocabitur Deus fortis allel.allel. Pſalm. Laudate.97.

Non dicatur Capitulumque Hymnus, neq. ℣.ſed immediate poſt quintam Antiphonam,dicatur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Gloria in excelſis Deo,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis,alleluia, alleluia. Oratio.

Concede quæſumus omnipotens Deus, vt nos Vnigeniti tui noua per carnem Natiuitas liberet: quos ſub peccati iugo vetuſta ſeruitus tenet.Per eumdem Dominum noſtrum. Deinde Dominus vobiſcum, vel Domine exaudi, & Benedicamus Domino.

Ad Horas diei Antiph. Laudum. Ad Primam ℟. Ieſu Chriſte Fili Dei viui miſerere nobis, Alleluia, alleluia. Ieſu. ℣. Qui natus es de Virgine Maria.Alleluia.

℣. Iſte dicatur quotidie etiam in Feſtis SS. vſq; ad Epiphaniā excluſiue.

Ad Tertiam, Capitulum. *Heb.* 1.

Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit heredem vniuerſorum,per quē fecit & ſæcula. ℟. Verbum caro factum eſt,Alleluia,alleluia. Verbum. ℣. Et habitauit in nobis.Alleluia.Gloria.Verbum. ℣. Notum fecit Dominus. ℟. Salutare ſuum. Oratio. Concede quæſumus.

Ad Sextam, Capitulum. *Tit.* 3.

Apparuit benignitas,& humanitas Saluatoris noſtri Dei: non ex operibus iuſtitiæ,quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. ℟. Notum fecit Dominus,Alleluia, alleluia. Notum. ℣. Salutare ſuum, Alleluia. Gloria Patri. Notum. ℣. Ipſe inuocabit me. ℟. Pater meus es tu.

Ad Nonam, Capitulum. *Tit.* 2.

Apparuit gratia Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos,vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria:ſobrie,& iuſte, & pie viuamus in hoc ſæculo. ℟. Ipſe inuocabit me. Alleluia, alleluia.Ipſe. ℣. Pater meus es tu,Alleluia. Gloria. Ipſe. ℣. Benedictus qui venit in nomine Domini. ℟. Deus Dominus & illuxit nobis.

Ab hac die vſque in craſtinum Octauæ Epiphaniæ excluſiue, quotidie dicuntur Reſponſoria Horarum cum duplici Alleluia. etiam in Feſtis SS. excepto Feſto SS. Innocentum,quando extra Dominicam euenerit. In Octaua tamen eorum etiam dicitur cum Alleluia.

AD VESPERAS. Antiph.

Tecum principium in die virtutis tuæ:in ſplendoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genui te. Pſalm. Dixit Dominus.75. Aña. Redemptionem miſit Dominus populo

pulo ſuo,mandauit in æternum teſtamentum ſuum. Pſal. Confitebor.75. Aña. Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde:miſericors, & miſerator, & iuſtus Dominus. Pſal. Beatus.76. Aña. Apud Dñm miſericordia,& copioſa apud eum redemptio. Pſalm. De profundis. 88. Aña. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Pſalm. Memento Domine.89. Prædictæ Antiphonæ cum ſuis Pſalmis dicuntur quotidie ad Veſper. per Octauam etiam in Feſtis SS. vſque ad Circumciſionem. Capitulum. Multifariam. Hymn. ℣.vt ſupra in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Hodie Chriſtus natus eſt: hodie Saluator apparuit: hodie in terra canunt Angeli, lætantur Archangeli: hodie exultant iuſti,dicentes: Gloria in excelſis Deo,allel. Oratio. Concede. Poſtea fiat memoria de S.Stephano. Ad Complet. ſuper Pſalm. Antiph. Natus eſt nobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Ad Nunc dimittis Aña. Allel. Verbum caro factum eſt, allel. & habitauit in nobis,alleluia,alleluia. Prædictæ Antiphonæ dicantur quotidie in Completorio, vſque ad Vigiliam Epiphaniæ excluſiue. Ad Memoriam de Natiuitate in Laudibus,& in Veſperis quotidie vſque ad primas Veſp.Circumciſionis excluſiue. In Laudibus, Aña. Neſciens Mater virgo virum, peperit ſine dolore Saluatorem ſæculorum: ipſum Regem Angelorum ſola Virgo lactabat vbere de cælo pleno. ℣. Benedictus qui venit. Oratio. Concede. In Veſp.Aña. Gaudeamus omnes fideles, Saluator noſter natus eſt in mundum: hodie proceſſit proles magnifici germinis: & perſeuerat pudor virginitatis. ℣. Tamquam ſponſus. Oratio.Cōcede.

DOMINICA INFRA.

Octauas Natiuitatis Domini.

Si Feſtum Natiuitatis Domini,S.Stephani,vel S.Ioannnis,vel SS.Innocentium,vel S.Thomæ in Dominica euenerit: illa die de Dominica nihil fiat. Sed in craſtino S. Thomæ legetur in Matut. Homil. Dominic. & poſt Memoriam de Sanctis, in Laud. fiat memoria de Dominica per Aña. Dum medium. ℣. Notum fecit. & Orationem, Omnipotens ſempiterne Deus. In Veſper. vero, per Antiphonam Erant Ioſeph. & per ℣. Verbum caro factum eſt. & orationem prædictam. Proxima die poſt Feſtum Sancti Thomæ,ſi Dominica fuerit: Ad Matutinum, Inuitatorium,Hymn.Antiphone,Pſalmi,℣℣.Reſponſoria de Natiuitate dicentur, cum nouem ſequentibus Lectionibus.

IN I. NOCTVRNO.

De Epiſtola Beati Pauli Apoſtoli ad Romanos. Lectio 1. C.7.

Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatū eſt in me omnem concupiſcentiam. ſine lege enim peccatum mortuum erat.Ego autem viuebam ſine lege aliquando. Sed cum venit mādatum, pecca-

peccatũ reuixit. Ego autem mortuus ſum:& inuentum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Nam peccatum occaſionẽ accepta per mandatum, ſeduxit me,& per illud occidit. Lectio ij.

ITaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum,& iuſtum, & bonum. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Nõ enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. Lectio iij.

SI autem quod nolo illud facio: conſentio legi, quoniam bona eſt. Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea, bonum. Nã velle, adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo S. Leonis Papæ.

Serm. 9. de Natiuit. Domini.

Lectio iv.

EXcedit quidem, dilectiſſimi, multumque ſuperminet humani eloquij facultatem diuini operis magnitudo: & inde oritur difficultas fandi, vnde adeſt ratio non tacendi. Quia in Chriſto Ieſu Filio Dei non ſolum ad diuinam eſſentiam, ſed etiam ad humanam ſpectat naturam, quod dictũ eſt per Prophetam: Generationem eius quis enarrabit? Vtramque enim ſubſtantiam in vnam conueniſſe perſonam, niſi fides credat, ſermo non explicat. Lectio v.

ET ideo numquam materia deficit laudis, quia numquam ſufficit cõpia laudatoris. Gaudeamus igitur, quòd ad eloquendum tantæ miſericordiæ ſacramentum impares ſumus, & cum ſalutis noſtræ altitudinẽ promere non valeamus, ſentiamus nobis bonum eſſe quòd vincimur. Non enim ad cognitionem veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit in rebus diuinis, etiam ſi multum proficiat, ſemper ſibi ſupereſſe quod quærat. Lectio vj.

NAm qui ſe ad id, quò tendit, perueniſſe præſumit, non quæſita reperit, ſed in inquiſitione deficit. Ne autem infirmitatis noſtræ perturbemur anguſtijs, Euangelicæ nos, & Propheticæ adiuuãt voces: quibus ita accẽdimur, & docemur, vt nos Natiuitatem Domini, qua Verbum caro factum eſt, non tam præteritam recolere, quàm præſentem videamur inſpicere.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vii. *Cap. 2.*

IN illo tempore: Erant Ioſeph & Maria mater Ieſu, mirantes ſuper his, quæ dicebãtur de illo. Et reliqua.

Homi-

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 2. in cap. 2. Lucæ.

Vides vberem in omnes gratiam Domini generatione diffuſam, & prophetiam incredulis negatam eſſe, non iuſtis. Ecce & Simeon prophetat, in ruinam, & reſurrectionem plurimorum veniſſe Dominum Ieſum Chriſtum, vt iuſtorum, iniquorumq; merita diſcernat: & pro noſtrorum qualitate factorum, iudex verus, & iuſtus, aut ſupplicia decernat, aut præmia. Et tuam, inquit ipſius animam pertranſibit gladius. ℟. Lectio viij.

Nec littera, nec hiſtoria docet, ex hac vita Mariam corporalis necis paſſione migraſſe. Non enim anima, ſed corpus materiali gladio tranſuerberatur. Et ideo prudentiam Mariæ haud ignaram myſterij cæleſtis oſtendit. Viuum enim verbum Dei & validum, & acutius omni gladio acutiſſimo, penetrans vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, artuum quoque & medullarum, cogitationes cordis, & ſecreta ſcrutatur animorũ, quia nuda, & aperta ſunt omnia Dei Filio, quem conſcientiæ ſecreta non fallunt. Lectio ix.

Prophetauit itaq; Simeõ, prophetauerat copulata cõiugio, prophetauerat virgo, debuit etiã vidua prophetare, ne qua aut profeſſio deeſſet, aut ſexus. Et ideo Anna & diſpẽdijs viduitatis, & moribus talis inducitur, vt digna plane fuiſſe credatur, quæ Redemptorẽ omnium veniſſe nũciaret. ℟. ... Puer natus eſt nobis. ℣. Ecce Filius datus eſt nobis.

In Laud. Añæ, Pſalmi, ℣. Capit. de Natiuitate. Hymnus.

A Solis ortus cardine
Ad vſque terræ limitem,
Chriſtum canamus principem,
Natum Maria Virgine.
Beatus auctor ſæculi,
Seruile corpus induit:
Vt carne carnem liberans,
Ne perderet quos condidit.
Caſtæ parentis viſcera
Cæleſtis intrat gratia:
Venter puellæ baiulat
Secreta quæ non nouerat.
Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei:
Intacta neſciens virum,
Verbo concepit filium.
Enixa eſt puerpera,
Quem Gabriel prædixerat,
Quem matris aluo geſtiens,
Clauſus Ioannes ſenſerat.
Fœno iacere pertulit,
Præſepe non abhorruit,
Paruoque lacte paſtus eſt.
Per quem nec ales eſurit.
Gaudet chorus cæleſtium,
Et Angeli canunt Deo:
Palamque fit paſtoribus
Paſtor creator omnium.
Gloria tibi Domine, &c.

℣. Benedictus qui venit.

Ad Benedictus, Antiphona. Neſciens mater. Oratio. Concede. Memoria de Sanctis: vltimo de Dominica per Antiphonam. Dum medium ſilentium tenerẽt omnia,

nia, & nox in ſuo curſu medium iter peragerer, omnipotens ſermo tuus Domine, à regalibus ſedibus venit, allel. ℣. Notum fecit Dominus. 155.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo: vt in nomine dilecti Filij tui mereamur bonis operibus abundare. Per eumdem Dominum noſtrum.

Horæ diei de Natiuitate erunt. Ad Veſp. Cap. & quæ ſequuntur de Sancto Silueſtro, & Memoria fiet de Natiuitate, deinde de Sanctis vltimo de Dominica per Antiphonam.

Erant Ioſeph, & Maria mater Ieſu mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo. ℣. Verbum caro. 154. Oratio. Omnipotens ſempiterne Deus. Si vero hac die Dominica non fuerit, ad Mat. Inuit. Chriſtus natus. Hymnus. Chriſte Redemptor. Super Pſal. Aña. Dominus dixit. ſola dicatur. Pſalm. Quare fremuerunt. & cæteri de Natiu. ℣. & tria Reſponſoria de Hiſtoria Natiuitatis ſecundum Feriam. Tres Lectiones de Homil. Dñicali. Te Deũ dicatur. ℣. Puer. In Laudibus vna Aña. ſcilicet. Quem vidiſtis. Capit. Multifariam. Hymnus. A ſolis ortus. ℣. Benedictus.

Ad Benedictus, Antiphona.

Neſciens. Oratio. Concede. Memoria de Sanctis, vltimo de Domin.

Ad Primam, Antiphona.

Quem vidiſtis. Ceteræ ad ceteras Horas. Cap. Reſpõſoria, & ℣. & Oratio de die Natiuit. in Veſp. poſt alias Memorias fit Memor. de Dominica, vt ſupra notatum eſt. Si autem craſtinũ S. Thomæ Sabbatũ fuerit. Homil. Dominic. dimittitur illo anno. Et tũc legentur in Matutinis tres Lectiones: duæ ſcilicet primæ de Apoſtolo, & prima de Sermone pro tertia. Memoria autem Dominicæ fiet in die S. Silueſtri ad Laudes, & Veſperas poſt memorias de Sanctis.

IN CIRCVMCISIONE Domini.

Ad Veſperas ſuper Pſalm. Aña. Tecum principium. cum reliquis, & Pſalmis de Natiuitate. Capitulum. Multifariam. ℟. Verbum caro. Hym. Veni Redemptor. &c. ℣. Tamquam ſponſus.

Ad Magnificat. Antiphona.

Qui de terra eſt, de terra loquitur: qui de cælo venit, ſuper omnes eſt: & quod vidit, & audiuit, hoc teſtatur, & teſtimonium eius nemo accipit: qui autem acceperit eius teſtimonium, ſignauit, quia Deus verax eſt.

Oratio.

DEus, qui nobis nati Saluatoris diem celebrare concedis octauum: fac nos quæſumus eius perpetua diuinitate muniri, cuius ſumus carnali commercio reparati. Qui tecum.

Memoria de S. Silueſtro, deinde de Sanctis: poſtea de Dominica, ſi hac die euenerit.

IN OCTAVA NATIVITATIS Domini

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Chriſtus natus. Hymnus. Chriſte Re-

Redemptor omnium. 151.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Aña. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pſal. Quare fremuerunt. 1. Aña. In ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Pſalm. Cæli enarrant. 11. Aña. Eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Pſalmus. Domini eſt terra. 15. ℣. Verbum caro factum eſt. ℟. Et habitauit in nobis.

De Libro Geneſis. Lectio i. C. 17.

DIxit Deus ab Abraham: Hoc eſt pactum meum quod obſeruabitis inter me & vos, & ſemen tuũ poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum: & circumcideris carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris, tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra: eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit. ℟. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factũ eſt nihil. ℣. Quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Omnia per ipſum.

De Libro Ioſue. Lectio ij. C. 5.

IN tempore ait Dominus ad Ioſue: Fac tibi cultros lapideos, & circumcide ſecundo filios Iſrael. Fecit quod iuſſerat Dominus: & circumcidit filios Iſrael in colle præputiorũ. Hæc autem cauſa eſt ſecundæ circumciſionis: Omnis populus, qui egreſſus eſt de Aegypto generis maſculini, vniuerſi bellatores viri, mortui ſunt in deſerto per longiſſimos viæ circuitus, qui omnes circumciſi erant. Populus autem qui natus eſt in deſerto, per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis incircumciſus fuit: donec conſumerentur qui non audierant vocem Domini. ℟. Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus: Et illuxit nobis. ℣. Lapidem quẽ reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Et illuxit.

De Epiſtola Beati Pauli Apoſtoli ad Romanos. Lectio iij. C. 2.

CIrcumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues: ſi autem præuaricator legis ſis, circumciſio tua præputium facta eſt. Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat: nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur? & iudicabit id, quod ex natura eſt præputium, legem conſummãs, te, qui per litteram, & circumciſionem præuaricator legis es? Non enim qui in manifeſto, Iudæus eſt: neque quæ in manifeſto, in carne eſt circumciſio: ſed qui in abſcondito, Iudæus eſt: & circumciſio cordis in ſpiritu non littera: cuius laus non ex hominibus, ſed ex

ex Deo eſt. ℟. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: ecce de quo dicebam vobis: Qui poſt me venit, ante me factus eſt: cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere. ℣. Hoc eſt teſtimonium, quod perhibuit Ioannes, dicens. Qui. Gloria. Cuius.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. Speciosus forma præ filijs hominũ, diffuſa eſt gratia in labijs tuis. Pſal. Eructauit 30. Aña. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui. Pſal. Magnus Dominus. 31. Aña. Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus. Pſal. Fundamenta 56. ℣. Notum fecit Dominus. ℟. Salutare ſuum.

Sermo S. Leonis Papæ.

Serm. 7. de Natiuit: Domini.

Lectio iv.

Feſtiuitatis hodiernæ, dilectiſſimi, verus venerator eſt, & pius cultor, qui nec de Incarnatione Domini aliquid falſum, nec de Deitate aliquid ſentit indignum. Paris enim periculi malum eſt, ſi illi aut naturæ noſtræ veritas, aut paternæ gloriæ negetur æqualitas. Cum ergo ad intelligendum ſacramẽtum Natiuitatis Chriſti, qua de matre Virgine eſt ortus, accedimus, abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminato fidei oculo, mundanæ ſapientiæ fumus abſcedat. ℟. Neſciens mater virgo virum, peperit ſine dolore Saluatorem ſæculorum: Ipſum Regem Angelorũ, ſola Virgo lactabat vbere de cælo pleno. ℣. Beata viſcera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium. Ipſum.

Lectio v.

Diuina eſt enim auctoritas, cui credimus: diuina eſt doctrina, quam ſequimur. Quoniam ſiue Legis teſtificationi, ſiue oraculis Prophetarum, ſiue Euangelicæ tubæ interiorẽ admoueamus auditum, verum eſt, quod Beatus Ioannes Spiritu ſancto plenus intonuit: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et ſimiliter verum eſt, quod idem prædicator adiecit: Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. ℟. Sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, neſcio: Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio vj.

In vtraque enim natura idem eſt Dei Filius noſtra ſuſcipiens, & propria non amittens: in homine hominem renouans, in ſe incommutabilis perſeuerans. Deitas enim, quæ illi cum Patre communis eſt, nullum detrimentum omnipotentiæ ſubijt; nec Dei formã ſerui forma violauit: quia forma, & ſempiterna eſſentia, quæ ſe ad humani generis inclinauit ſalutẽ, nos quidem in ſuam gloriã tranſtulit, ſed quod erat eſſe non deſtitit. ℟. Confirmatum eſt cor Virginis, in quo diuina myſteria Angelo nunciante, ſuſcepit: quæ ſpecioſum forma præ filijs hominum caſtis concepit viſceribus: Et benedicta in æternum, Deum nobis

nobis protulit & hominem. ℣. Domus pudici pectoris templum repente fit Dei, intacta neſciens virum, verbo concepit filium. Et benedicta. Gloria. Deum.

IN III. NOCTVRNO. Aña. Exultabunt omnia ligna ſiluarum ante faciem Domini, quoniam venit. Pſal. Cãtate j. 63. Aña. In principio, & ante ſæcula Deus erat Verbum, & ipſe natus eſt nobis Saluator mundi. Pſal. Dominus regnauit, exultet. 63. Aña. Ante luciferum genitus, & ante ſæcula, Dominus Saluator noſter hodie naſci dignatus eſt. Pſal. Cantate. ij. 64. ℣. Ipſe inuocabit me. ℟. Pater meus es tu.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 2.

IN illo tempore: Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circũcideretur puer, vocatum eſt nomen eius Ieſus. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambroſij Epiſcopi. *Lib. 2. in cap. 2. Lucæ.*

CIrcumciditur itaque puer. Quis eſt iſte puer, niſi ille de quo dictum eſt: Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis? Factus eſt enim ſub lege, vt eos qui ſub lege eſſent, lucrifaceret. Siſtitur autem in Ieruſalẽ. Circumciſus enim vitijs, Dominico dignus iudicatur obtutu: quia oculi Domini ſuper iuſtos. Vides omnẽ legis veteris ſeriem fuiſſe typum futuri: nam & circumciſio purgationẽ ſignificat delictorum. ℟. O Regem cæli cui talia famulantur obſequia! Stabulo ponitur, qui cõtinet mundũ: Iacet in præſepio, & nubibus intonat. ℣. Qui cælum terramq. regit in ſæcula ſolus. Iacet. Lectio viij.

SEd quoniam prona quadam cupiditate peccandi, humanæ carnis & mentis fragilitas inextricabilibus vitijs implicatur, eo per octauam circumciſionis diẽ culpæ totius futura purgatio, reſurrectionis præfiguratur ætate. Hoc eſt enim illud: Quia omne maſculinum adaperiens vuluã, ſanctum Domino vocabitur. Verbis enim Legis promittebatur Virginis partus. Et vere ſanctus, quia immaculatus. ℟. Cõgratulamini mihi omnes qui diligitis Dominũ, quia cum eſſem paruula, placui Altiſſimo: Et de meis viſceribus genui Deum & hominem. ℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus. Et de meis. Lectio ix.

DEnique ipſum eſſe qui Lege ſignetur, in eundẽ modum ab Angelo repetita verba declarant: Quia quod naſcetur, inquit, ſanctũ, vocabitur Filius Dei. Solus enim per omnia ex natis de femina ſanctus Dominus Ieſus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate nõ ſenſerit, & cæleſti maieſtate depulerit. Nã ſi litterã ſequamur: quomodo ſanctus omnis maſculus, cũ multos ſceleratiſſimos fuiſſe non lateat? ℟. Verbũ caro factum eſt, & habitauit in nobis, cuius gloriã vidimus, quaſi Vnigeniti à Patre, Plenũ gratiæ & veritatis. ℣. In principio erat Verbum, & Verbum erat

erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Plenum. Gloria Patri. Plenum. ℣. Puer natus eſt nobis. ℟. Et filius datus eſt nobis.

IN LAVDIBVS. Aña. O Admirabile commerciũ! creator generis humani, animatum corpus ſumens, de Virgine naſci dignatus eſt: & procedens homo ſine ſemine, largitus eſt nobis ſuam Deitatem. Pſ. Dominus regnauit. 61. Aña. Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ ſunt Scripturæ: ſicut pluuia in vellus deſcendiſti, vt ſaluum faceres genus humanum: te laudamus Deus noſter. Pſ. Iubilate. 65. Aña. Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſeruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem: Dei genitrix intercede pro nobis. Pſ. Deus Deus. 39. Aña. Germinauit radix Ieſſe: orta eſt ſtella ex Iacob: Virgo peperit Saluatorem: te laudamus Deus noſter. Cant. Benedicite. 98. Aña Ecce Maria genuit nobis Saluatorem, quem Ioãnes videns exclamauit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluia. Pſal. Laudate. 97. Cap. Multifariam. Hymnus. A ſolis ortus. 159. ℣. Benedictus qui venit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Mirabile myſteriũ declaratur hodie: innouãtur naturæ, Deus homo factus eſt: id quod fuit permanſit, & quod non erat aſſumpſit: non commixtionem paſſus, neque diuiſionem. Orat. Deus qui nobis. Memoria de Sanctis Cap. Reſpõſoria. ℣℣. ad Horas ſicut in die Natiuit. cum Oratione. Deus, qui. Ad Veſp. ſuper Pſ. Aña. O admirabile. ſola dicatur. Pſ. Dixit Dominus. 75. Laudate pueri. 76. Lætatus ſum. 86. Niſi Dominus. 87. Lauda Ieruſalem. 97. Cap. Hymnus. ℣. vt in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Magnum hereditatis myſterium: templum Dei factus eſt vterus neſciens virum: non eſt pollutus ex ea carnem aſſumens: omnes gentes venient dicentes: Gloria tibi Domine. Memoria de S. Stephano. Aña. Tu principatum. Deinde de alijs Sanctis.

IN VIGILIA EPIPHANIAE.

Si Vigilia Epiphaniæ in Dominica contigerit, fiant nouem Lectiones ſex proximæ erunt ſequentes.

IN I. NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Romanos. Lectio. j. C. 11.

DIco ergo: Numquid Deus repulit populum ſuũ? Abſit. Nam & Iſraelita ſum, ex ſemine Abraham, de tribu Beniamin. Nõ repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit. An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura: quemadmodum interpellat Deum aduerſum Iſrael? Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt: & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Lectio ij.

SEd quid dicit illi diuinum reſponſum? Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. Sic ergo & in hoc tempore re-

Digitized by Google

reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gratia. Quid ergo? Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt.

Lectio iij.

CEteri vero excæcati ſunt: ſicut ſcriptum eſt: Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos vt nõ videant, & aures vt non audiant vſq; in hodiernum diem. Et Dauid dicit: Fiat menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis. Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſemper incurua. Dico ergo: Numquid ſic offenderunt vt caderẽt? Abſit. Sed illorum delicto, ſalus eſt Gentibus, vt illos æmulentur.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Sermo 9. de Natiu. & 13. de Temp.

Lectio iv.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus, fratres chariſſimi, qui in æternum cunctorum eſt creator, hodie de matre naſcendo factus eſt nobis Saluator. Natus eſt nobis in temporis volubilitate, vt nos perducat ad Patris æternitatem. Factus eſt Deus homo, vt homo fieret Deus: vt panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum hodie factus eſt homo.

Lectio v.

HOdie impleta eſt prophetia illa: quæ dicit: Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Factus eſt igitur qui fecerat, vt inueniretur qui perierat. Sic enim in Pſalmis homo confitetur: Priuſquam humiliarer ego peccaui. Peccauit homo, & factus eſt reus: natus eſt homo Deus, vt liberetur reus. Homo igitur cecidit, ſed Deus deſcendit.

Lectio vj.

CEcidit homo miſerabiliter, deſcendit Deus miſericorditer. Cecidit homo per ſuperbiam, deſcendit Deus cum gratia. O miracula, ò prodigia fratres chariſſimi! Naturæ iura mutantur, in homine Deus naſcitur: virgo ſine viro grauidatur: viri neſciam ſermo Dei maritat: ſimul facta eſt mater & virgo: mater facta, ſed incorrupta: virgo habens filium, neſciens virum.

IN III. NOCTVRNO.

Tres vltimæ Lectiones erunt de Homilia ſequenti, Inuitatorium, Hymn. Antiphonæ, Pſalmi. ℣℣. Reſponſoria: Antiphonæ Laudum, Cap. Hymn. ℣. de Circumciſione.

Ad Benedictus, Antiphona.

Reuertere in terram Iuda: mortui ſunt enim, qui quærebant animam pueri.

Oratio.

COrda noſtra, quæſumus Domine, venturæ Feſtiuitatis ſplendor illuſtret: quo mundi huius tenebris carcere valeamus, & perueniamus ad patriam claritatis æternæ. Per Dñm. Per Horas diei Añæ, Cap. ℟℟. ℣℣. de Circumciſ. cũ Orat. Corda noſtra. Si vero Dñica non uſerit, ita fiat Officiũ, Inuit. Chriſtus natus. Hym.

Chriſte Redemptor. 148.

Super Pſalmos Antiphona. Dominus dixit ad me.

Sola dicatur. Pſal. vt in Circũciſione.

℣. Notum fecit Dominus.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Lectio j. vel vij. C. 2.

IN illo tẽpore: Defuncto Herode, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Aegypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Iſrael. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. in Comment. in c. 2. Matt.

EX hoc loco intelligimus, non ſolum Herodem, ſed & ſacerdotes & Scribas eodem tempore necem Domini fuiſſe meditatos. Qui conſurgẽs accepit puerum, & matrem eius. Non dixit, Accepit filium ſuum, & vxorem ſuam: ſed puerum, & matrem eius: quaſi nutritius, non maritus. ℟. Cõfirmatum eſt. 160.

Lectio ij. vel viij.

AVdiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire. Multi propter ignorantiam hiſtoriæ, labuntur errore, putantes eundem eſſe Herodem, à quo in paſſione ſua Dominus irridetur, & qui nunc mortuus eſſe refertur. Ergo Herodes ille, qui cum Pilato poſtea amicitias fecit, huius Herodis filius eſt, frater Archelai. ℟. O Regem cæli cui talia famulantur obſequia! Stabulo ponitur, qui cõtinet mundũ: Iacet in præſepio, & in nubibus intonat. ℣. Qui cælum terramq. regit in ſæcula ſolus. Iacet.

Lectio iij. vel ix.

QVoniam Nazaræus vocabitur. Si fixum de Scripturis poſuiſſet exemplum, numquam diceret: Quod dictum eſt per Prophetam: nunc autem pluraliter Prophetas vocans, oſtendit ſe non verba de Scripturis ſumpſiſſe, ſed ſenſum. Nazaræus ſanctus interpretatur. Sanctum autem Dominum futurum omnis Scriptura commemorat. ℟. Congratulamini. 161.

Cantic. Te Deum. ℣. Puer natus. In Laudibus ſola Antiphona. O admirabile. Pſal. Dominus regnauit. cum ceteris. Capit. Multifariam. Hymn. A ſolis ortus. 157. ℣. Benedictus, qui venit.

Ad Benedictus, Antiphona. Reuertere. Oratio. Corda noſtra. Ad Primam Capit. Regi ſæculorum. dicantur Preces. Oratio. In hac hora. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam, Antiphonæ, Capit. Reſponſoria, & ℣℣. de Circumciſione, cum Oratione. Corda noſtra.

IN EPIPHANIA Domini.

Ad Veſperas ſuper Pſalmos Antiph. Ante Luciferum. j. Laudum. ſola dicatur. Pſal. Laudate pueri. cum reliquis.

Capitulum. *Iſa. 60.*

SVrge, illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini

Domini ſuper te orta eſt. ℟. In columbæ. ij.

Hymnus.

HOſtis Herodes impie,
Chriſtum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cæleſtia.
Ibant Magi, quam viderant,
Stellam ſequentes præuiam:
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.
Lauacra puri gurgitis
Cæleſtis Agnus attigit:
Peccata quæ non detulit,
Nos abluendo ſuſtulit.
Nouum genus potentiæ,
Aquæ rubeſcunt hydriæ,
Vinumque iuſſa fundere,
Mutauit vnda originem.
Gloria tibi Domine,
Qui apparuiſti hodie,
Cum Patre, & ſancto Spiritu.
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Iſte ℣. dicatur ad omnes Hymnos eiuſdem metri, etiam de Sanctis per Oct. Epiphaniæ. ℣. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent. ℟. Reges Arabum & Saba dona adducent.

Ad Magnificat, Antiphona.

Magi videntes ſtellam dixerunt ad inuicem: Hoc ſignum magni Regis eſt: eamus, inquiramus eum, & offeramus ei munera, aurum, thus, & myrrham, alleluia. Oratio. Corda noſtra.

Ad Completor. ſuper Pſalm. Antiph. Lux de luce apparuiſti Chriſte, cui Magi munera offerunt, alleluia, alleluia, alleluia.

B.P.

Ad Nunc dimittis, Antiphona.

Alleluia, Omnes de Saba venient, alleluia: aurum, & thus deferentes, alleluia, alleluia. Prædictæ Añæ dicantur quotidie etiam in Feſtis SS. ad Compl. vſque ad Octa. incluſiue. Ad Matutinum non dicatur Inuitatorium, neque Hymn. ſed ſtatim poſt Domine labia mea. & Deus in adiutorium.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Incipiatur Aña. Afferte Domino filij Dei, adorate Dominum in aula ſancta eius. Pſalm. Ipſe. 1 Aña. Fluminis impetus lætificat, alleluia: ciuitatem Dei, alleluia. Pſalm. Deus noſter refugium. 30. Aña. Pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite Regi noſtro; pſallite ſapienter. Pſalm. Omnes gentes. 31. ℣. Reges Tharſis.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 55.

OMnes ſitiẽtes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum nõ in panibus, & laborem veſtrũ non in ſaturitate? Audite audientes me, & comedite bonum: & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. Hæc dicit. ℟. Hodie in Iordane baptizato Domino aperti ſunt cæli: & ſicut columba ſuper eũ Spiritus mãſit, & vox Patris intonuit: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui. ℣. Deſcẽdit Spiritus ſãctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum, & vox de cælo facta eſt. Hic.

Lectio ij.

INclinate aurem veſtram, & venite ad me: audite, & viuet anima veſtra, & feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias Dauid fideles. Ecce teſtem populis dedi eum: ducem ac præceptorē Gentibus. Ecce gentem, quam neſciebas, vocabis: & Gentes, quæ te con cognouerunt, ad te current propter Dominum Deū tuum, & ſanctum Iſrael, quia glorificauit te. Hæc dicit. ℟. In columbæ ſpecie Spiritus ſanctus viſus eſt, Paterna vox audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ℣. Cæli aperti ſunt ſuper eum & vox Patris audita eſt. Hic.

Lectio iij.

QVærite Dominum dum inueniri poteſt: inuocate eum dum prope eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominū, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum: quoniam multus eſt ad ignoſcēdum. Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ: neq; viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia ſicuti exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Hæc dicit. ℟. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona Domino Deo adducēt. ℣. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes. Reges. Gloria Patri. Reges.

IN II. NOCTVRNO. Aña. Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo Domine. Pſalm. Iubilate. 41. Aña. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent Regi Domino. Pſal. Deus iudicium. 46. Aña. Omnes gentes quaſcunque feciſti venient, & adorabunt coram te Domine. Pſalm. Inclina Domine. 56. ℣. Omnes de Saba venient. ℟. Aurum & thus deferentes.

Sermo Sancti Leonis Papæ.

Serm. 2. de Epiphan. Lectio iv.

GAudete in Domino, dilectiſſimi, iterum dico gaudete: quoniam breui interuallo temporis, poſt ſolemnitatem Natiuitatis Chriſti, feſtiuitas declarationis eius illuxit: & quem in illo die Virgo peperit, in hoc mundus agnouit. Verbum enim caro factum, ſic ſuſceptionis noſtræ temperauit exordia, vt natus Ieſus, & credentibus manifeſtus, & perſequentibus eſſet occultus. Magos ad eum adorandum præuia ſtella perduxit: vt à ſolis Ortu vſque ad Occaſum veri Regis generatio coruſcaret, cum rerum fidem & regna Orientis per Magos diſcerent, & Romanum Imperium non lateret. ℟. Illuminare, illuminare Ieruſalem, quia venit lux tua: & gloria Domini ſuper te orta eſt. ℣. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Et gloria Domini.

Lectio v.

NAm & ſæuitia Herodis volens primordia ſuſpecti ſibi Regis extinguere, huic diſpenſationi neſciens ſeruiebat: vt dum atroci intentus

tus facinori, ignotum ſibi puerum indiſcreta infantium cæde perſequitur, annunciatum cælitus dominatoris ortum inſignior vbique fama loqueretur. Agnoſcamus ergo dilectiſſimi, in Magis adoratoribus Chriſti, vocationis noſtræ, fideique primitias: & exultantibus animis beatæ ſpei initia celebremus. ℟. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferẽtes: Et laudem Domino annunciantes. ℟. Reges Tharſis, & inſulæ munera offerẽt, Reges Arabum & Saba dona adducent. Et laudem. Lectio vj.

Exinde enim in æternam hæreditatem cœpimus introire: exinde nobis Chriſtum loquentia Scripturarum arcana patuerunt, & veritas, quam Iudæorum obcæcatio nō recipit: omnibus nationibus lumen ſuum inuexit. Honoretur itaque à nobis ſacratiſſimus dies, in quo ſalutis noſtræ auctor apparuit: & quem Magi infantem venerati ſunt in cunabulis, nos omnipotentem adoremus in cælis. Ac ſicut illi de theſauris ſuis myſticas Domino munerum ſpecies obtulerunt, ita & nos de cordibus noſtris, quæ Deo ſunt digna, promamus. ℟. Magi veniunt ab Oriente Ieroſolymam, quærentes, & dicentes: Vbi eſt qui natus eſt, cuius ſtellam vidimus? Et venimus adorare Dominum. ℣. Vidimus ſtellam eius in Oriente. Et, Gloria Patri. Et.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Venite adoremus eum, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter. Pſalm. Venite exultemus. 62. Prædicta Antiphona cum Pſalmo non cantetur infra Octauã, ſed loco ipſius dicatur Aña. Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus. Pſ. Fundamenta. 57. Aña. Adorate Dominum, alleluia: in aula ſancta eius, alleluia. Pſ. Cantate. 1. 64. Aña. Adorate Deum, alleluia: omnes Angeli eius, alleluia. Pſalm. Dominus regnauit, exultet. 63. ℣. Omnis terra adoret te Deus, & pſallat tibi. ℟. Pſalmum dicat nomini tuo.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 2.

Cvm natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorij Papæ.

Homil. 10. in Euang.

Sicut ex lectione Euangelica, fratres chariſſimi, audiſtis, cæli Rege nato, rex terræ turbatus eſt: quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum celſitudo cæleſtis aperitur. Sed quærendum nobis eſt quidnam ſit, quòd Redemptore nato, paſtoribus in Iudæa Angelus apparuit, atq; ad adorandum hunc ab oriente Magos non Angelus, ſed ſtella perduxit? Quia videlicet Iudæis, tanquam ratione vtentibus, rationale animal, ideſt Angelus prædicare debuit: Gentiles vero, quia vti ratione neſciebãt, ad cognoſcendum Dominum non per vocem, ſed per ſigna perducuntur.

tur. ℟. Stella,quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos, donec venirent ad locum, vbi puer erat. Videntes autem eam, Gauiſi ſunt gaudio magno. ℣. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Gauiſi ſunt gaudio. Lectio viij.

ET notandum,quòd Redemptorem noſtrum, cum iam perfectæ eſſet ætatis, eiſdem Gentilibus Apoſtoli prædicant, eumque paruulum, & necdum per humani corporis officium loquentem, ſtella Gentibus denunciat:quia nimirum rationis ordo poſcebat,vt & loquentem iam Dominum loquentes nobis prædicatores innoteſcerent,& necdum loquentem elementa muta prædicarent.Omnia quippe elementa auctorem ſuum veniſſe teſtata ſunt. Vt enim de eis quiddam vſu humano loquar: Deum hunc cæli eſſe cognouerunt, quia ſtellam protinus miſerunt. ℟. Videntes ſtellam Magi,gauiſi ſunt gaudio magno: & intrantes domum,inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. ℣.Stella,quam viderant Magi in Oriente,antecedebat eos, vſquedum veniens ſtaret ſupra, vbi erat puer.Et apertis. Lectio ix.

MAre cognouit,quia ſub plantis eius calcabile ſe præbuit.Terra cognouit,quia eo moriente contremuit. Sol cognouit,quia lucis ſuæ radios abſcondit.Saxa,& parietes agnouerunt, quia tempore mortis eius ſciſſa ſunt. Infernus agnouit, quia hos, quos tenebat mortuos,reddidit.Et tamen hunc,quem omnia inſenſibilia elementa Dominum ſenſerũt, adhuc infidelium Iudæorum corda Deum eſſe minime cognoſcunt,& duriora ſaxis,ſcindi ad pœnitẽdum nolunt. ℟. Tria ſunt munera pretioſa, quæ obtulerunt Magi Domino in die iſta,& habent in ſe diuina myſteria: In auro oſtẽditur Regis potẽtia:In thure,Sacerdotem magnum conſidera: Et in myrrha,Dominicam ſepulturam. ℣.Salutis noſtræ auctorẽ Magi venerati ſunt in cunabulis:& de theſauris ſuis myſticas ei munerum ſpecies obtulerunt.In auro.Gloria Patri. Et. Poſtea ſequitur ℣. Dominus vobiſcum.

℟.Et cum ſpiritu tuo.

Sequẽtia S.Euangelij ſecundũ Lucã.

℟.Gloria tibi Domine. C.3.

FActum eſt autem cum baptizaretur omnis populus,& Ieſu baptizato, & orante,apertum eſt cælum: & deſcẽdit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut colũba in ipſum, & vox de cælo facta eſt: Tu es Filius meus dilectus,in te complacui mihi,Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli,qui fuit Mathat,qui fuit Leui,qui fuit Melchi,qui fuit Iãne,qui fuit Ioſeph, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos,qui fuit Nahũ,qui fuit Heſli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui

Digitized by Google

qui fuit Ioſeph, qui fuit Iuda, qui fuit Ioanna, qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſan, qui fuit Elmadã, qui fuit Her, qui fuit Ieſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Simeõ, qui fuit Iuda, qui fuit Ioſeph, qui fuit Iona, qui fuit Eliakim, qui fuit Melea, qui fuit Mẽna, qui fuit Mathata, qui fuit Nathã, qui fuit Dauid, qui fuit Ieſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmõ, qui fuit Naaſſõ, qui fuit Aminadab, qui fuit Arã, qui fuit Eſrõ, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sẽ, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathuſale, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, qui Malaleel, qui fuit Cainã, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adã, qui fuit Dei. Ieſus autẽ plenus Spiritu sãcto regreſſus eſt à Iordane. Cant. Te Deum. ℣. Vidimus ſtellã eius in Oriente. ℟. Et venimus adorare eum.

IN LAVDIBVS. Aña. ANte Luciferum genitus, & ante ſæcula Dominus Saluator noſter, hodie mundo apparuit. Pſ. Dominus regnauit. 61, Aña. Venit lumẽ tuũ Ieruſalem, & gloria Domini ſuper te orta eſt: & ambulabũt Gentes in lumine tuo, allel. Pſ. Iubilate 65. Aña. Apertis theſauris ſuis obtulerunt Magi Domino aurum, thus, & myrrham, alleluia. Pſalm. Deus Deus. 39. Aña. Maria, & flumina benedicite Domino: hymnum dicite fontes Domino, alleluia. Cant. Benedicite. 98. Aña. Tria ſunt munera, quæ obtulerũt Magi Domino, aurum, thus, & myrrham, Filio Dei, Regi magno, alleluia. Pſal. Laudate. 97. Cap. Surge illuminare. 164. Hymnus.

A Patre Vnigenitus
Ad nos venit per Virginem.
Baptiſma Cruce conſecrans,
Cunctos fideles generans,
De cælo celſus prodijt,
Excepit formam hominis:
Facturam morte redimens,
Gaudia vitæ largiens.
Hoc te Redemptor quæſumus.
Illabere propitius,
Clarumque noſtris ſenſibus.
Lumen præbe fidelibus,
Mane nobiſcum Domine,
Noctem obſcuram remoue:
Omne delictum ablue,
Piam medelam tribue.
Quem iam veniſſe nouimus,
Redire item credimus:
Sub ſceptro tuo inclyto
Tuum defende populum,
Gloria tibi Domine,
Qui apparuiſti hodie, &c.

℣. Adorate Dominum. In aula ſancta eius.

Ad Benedictus, Antiphona. Hodie cæleſti ſponſo iuncta eſt Eccleſia, quoniã in Iordane lauit Chriſtus eius crimina: currunt cum muneribus Ma-

gi ad regales nuptias:& ex aqua facto vino lætantur conuiuæ,allel. Oratio.

D Eus qui hodierna die Vnigenitum tuum Gentibus ſtella duce reuelaſti:concede propitius,vt qui iam te ex fide cognouimus, vſque ad contemplandam ſpeciem tuæ celſitudinis perducamur.Per eundem Dominum noſtrum.

Ad Horas Antiph. Laudum. Ad primam. ℟. Ieſu Chriſte. ℣. Qui apparuiſti hodie. Iſte ℣.dicatur vſque ad Octau.incluſiue.Ad Tertiam. Capitulum. Surge illuminare.℟. Reges Tharſis,& inſulæ munera offerent,Alleluia,alleluia. Reges Tharſis.℣. Reges Arabum,& Saba dona adducent. Alle.Gloria.Reges Tharſis.℣. Omnes de Saba venient.℟. Aurum &c.

Ad Sextam,Capitulum. *Iſa.60.*

S Vper te Ieruſalem orietur Dominus,& gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. ℟. Omnes de Saba venient,Alleluia. Omnes. ℣. Aurum & thus deferẽtes. Allel.Gloria Pat.Omnes.℣ Omnes.

Omnis terra adoret te Deus,& pſallat tibi.℟. Pſalmũ dicat nomini tuo.

Ad Nonam,Capitulum. *Iſa.60.*

O Mnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.℟. Omnis terra adoret te Deus,& pſallat tibi,Alleluia,alleluia.Omnis.℣. Pſalmum dicat nomini tuo. Alleluia. Gloria Patri. Omnis. ℣. Adorate Dominum. ℟. In aula ſancta eius. Ad Veſperas ſuper Pſalm. ſola Antiph. Ante luciferum. Pſalm. Dixit Dominus.75.Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri. & Laudate Dominum omnes gentes.77. Cap.Hymn. ℣.vt in 1.Veſp. Ad Magnificat, Antiphona. Ab oriente venerunt Magi Bethlehem adorare Dominum, & apertis theſauris ſuis, pretioſa munera obtulerunt,aurum ſicut Regi magno, thus ſicut Regi magno, thus ſicut Deo vero,myrrham ſepulturæ eius, alleluia.

Per Octau. Epiph.ad Matut.Inuitat. Chriſtus apparuit nobis,Venite adoremus. Hymn. Hoſtis Herodes. ſingulis diebus infra Octau. dicatur vna Antiph. de Noct. ſuper Pſal. prima die poſt Feſtum dicatur prima:ſecunda die ſecunda, & ſic deinceps, quot fuerint neceſſariæ. Pſal.de Feſto, excepto Pſal. Venite. loco cuius dicatur Pſ. Fundamenta. ℣.autem Noctur.& tria ℟℟. de Hiſtoria ſecundũ ordinem Nocturnorũ excepto quod quando dici contigerit Aña. Omnis terra. & ſecundum ordinem Feriæ deberet etiam dici ℣. Omnis terra adoret te. dicatur ℣. Reges Thar. & quando dicitur Antiphona Reges Et ſecundum ordinem Feriæ deberet etiam dici ℣. Reges Tharſis dicatur ℣. Omne de Saba.Te Deũ. quotidie dicatur ℣.Vidimus. In Laud. prima Antiphona Laudum ſola dicatur ſuper Pſalm.Cap.Hymn.℣.de die.

Ad Benedictus, Antiphona.

Deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum: & vox de

de cælo facta eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, alleluia.

Oratio ſicut in die. Horæ diei, ſicut in Feſto. Ad Veſp. Pſal. Cap. Hym. ℣. de die. Ad Magnificat, Antiphona.

Videntes ſtellã Magi gauiſi ſunt gaudio magno, & intrantes domum, obtulerunt Dño aurum thus, & myrrham. Oratio vt ſupra. Prædictæ duæ Antiphonæ dicantur quotidie infra Octauam etiam in Dominica Deſcendit. ad Benedictus: & Videntes ad Magnificat. Si dies Epiphaniæ in Dominica euenerit, in ſequenti quarta Feria legatur ad Matut. Homil. Euang. Cum factus. In Laud. vero poſt Orationem de Epiph. dicatur ad Memoriam. Aña. Fili. cum ℣. Omnis terra & Oratione. Vota. In Veſp. vero ſimiliter poſt Orationem de Epiph. dicatur ad Memoriam. Aña. Puer Ieſus. cum ℣. Oẽs de Saba. & Orat. Vota. In Dominica autem ſequenti quæ erit Octaua dies Epiphaniæ nihil fiat de Dominica: ſed Dominica prima poſt Oct. Epip. numerabitur illa, quæ poſt præfatam Domin. in Octaua die Epiphaniæ incidentem, proxime ſequetur, niſi ſit Septuageſima. Si autẽ Feſtum S. Raymundi in Dominica euenerit, Feria quarta ſequenti legentur Homilia, Añæ, & Oratio Dominicæ modo prædicto. Quando vero infra Oct. Epiph. extra diẽ S. Raymundi Dominica euenerit, ſic fiat Officiũ.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Chriſtus apparuit nobis. Hymn. Hoſtis. Aña, Pſalm. ℣℣. & ℟℟. de die Epiphaniæ excepta Aña. Venite. cum ſuo Pſal. loco cuius dicatur Aña. Homo natus. cum Pſal. Fũdamẽta. In Laudibus Antiphona, Capitulum, Hymnus, ℣. de die. Ad Benedictus, Antiph. Deſcendit. Oratio. Deus, qui hodierna. Deinde fiat Memoria de Dominica per Añam Fili. cum ℣. Omnis terra. & Oratione, Vota. Horæ ſicut in die Epiphaniæ ad Veſper. Capit. Hym. ℣. de Epiphania.

Ad Magnificat, Antiphona.

Videntes. Oratio. Deus, qui hodier. Deinde fiat Memoria de Dominica per Antiphonam. Puer Ieſus. cum ℣. Omnes de Saba & Oratione. Vota.

DOMINICA INFRA Octauas Epiphaniæ.

IN I. NOCTVRNO.

De Epiſtola ad Romanos

Lectio j. C. 12.

Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei. vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Et nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri: vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam, quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos: Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei.

Lectio ij.

Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem mem-

membra non eumdem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis, differentes: ſiue prophetiam ſecundũ rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſollicitudine, qui miſeretur in hilaritate.

Lectio iij.

DIlectio ſine ſimulatione. Odientes malum, & adhærentes bono: charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes: ſollicitudine non pigri, ſpiritu feruentes: Domino ſeruientes, ſpe gaudentes; in tribulatione patientes, orationi inſtantes, neceſſitatibus ſanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes. Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo S. Leonis Papæ.

Serm. 4. de Epiph. Lectio iv.

IVſtum & rationabile dilectiſſimi, veræ pietatis obſequium eſt, in diebus qui diuinæ opera miſericordiæ proteſtantur, toto corde gaudere, & honorifice ea, quæ ad ſalutem noſtram geſta ſunt celebrare, vocante nos ad hanc deuotionem ipſa recurrentium temporum lege, quæ nobis poſt diem, quo coæternus Patri Filius Dei natus ex Virgine eſt, breui interuallo Epiphaniæ intulit Feſtum, ex apparitione Domini conſecratum.

Lectio v.

IN quo fidei noſtræ magnum præſidium prouidentia diuina conſtituit: vt, dum ſolemni veneratione recolitur adorata in exordijs ſuis Saluatoris infantia, per ipſa originalia documenta probaretur veri hominis in Chriſto orta natura. Hoc enim eſt quod iuſtificat impios: hoc eſt, quod ex peccatoribus facit ſanctos, ſi in vno eodemque Domino noſtro Ieſu Chriſto, & vera Deitas, & vera credatur humanitas.

Lectio vj.

AD roborandum ergo hanc fidem, quæ contra omnes præmuniebatur errores ex magna geſtũ eſt diuini pietate conſilij, vt gens in longinqua Orientalis plagæ regione conſiſtens, quæ ſpectandorum ſiderũ arte pollebat, ſignum nati pueri, qui ſupra omnem Iſrael eſſet regnaturus, acciperet. Noua etenim claritas apud Magos ſtellæ illuſtrioris apparuit, & intuentium animos admiratione ſui ſplendoris impleuit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 2.

CVm factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus cum redirent, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 2. in cap. 2. Lucæ.

A duodecimo anno ſicut legimus Dominicæ ſumitur diſputationis

nis exordium. Hic enim prædicandæ fidei euangelizantium numerus debebatur. Nec otioſe immemor ſuorum ſecundum carnem parentum, qui ſecundum carnem vtique ſapientia Dei implebatur & gratia, poſt triduum reperitur in templo: vt eſſet indicio, quia poſt triduum triumphalis illius paſſionis, in ſede cæleſti & honore diuino, fidei noſtræ ſe ſuſcitatus offerret, qui mortuus credebatur. Lectio viij.

QVid eſt quòd me quærebatis? Duæ ſunt in Chriſto generationes: vna eſt paterna, materna altera: paterna illa diuinior, materna vero, quæ in noſtrum laborem vſumque deſcendit. Et ideo quæ ſupra naturam, ſupra ætatem, ſupra conſuetudinem fiunt, non humanis aſſignanda virtutibus, ſed diuinis referenda ſunt poteſtatibus. Alibi eum ad myſterium mater impellit, hic mater arguitur, quia adhuc quæ humana ſunt, exigat. Lectio ix.

SEd cum hic duodecim deſcribatur annorum, illic diſcipulos habere dicatur, vides matrem didiciſſe à Filio, vt exigeret à validiore myſterium, quæ ſtupebat in iuniore miraculum. Et venit Nazareth, & erat ſubditus illis. Quid enim magiſter virtutis, niſi officium pietatis impleret? Et miramur, ſi Patri defert, qui ſubditur matri? Non vtique infirmitatis, ſed pietatis iſta ſubiectio eſt.

Ad Memoriam de Dominica. Ad Benedictus, Aña. Fili, quid feciſti nobis ſic? ego, & pater tuus dolentes quærebamus te. Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis, quia in ijs, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? alleluia. ℣. Omnis terra. Oratio.

VOta, quæſumus Domine, ſupplicãtis populi cæleſti pietate proſequere: vt & quæ agenda ſunt, videant, & adimplenda quæ viderint, conualeſcant. Per. In Veſp. ad Memo. Aña. Puer Ieſus proficiebat ſapientia & ætate coram Deo & hominibus. ℣. Oẽs de Saba. Oratio. Vota, quæſum.

SECVNDA DIE.

Infra Octau. Epiphaniæ.

De Epiſtola ad Romanos.

Lectio j. C. 13.

OMnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt: nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum.

Lectio ij.

SI autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt: vindex in irã ei, qui malũ agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes.

Digitized by Google

tes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Sermo Sancti Auguſtini Epiſcopi.
Sermo 30. de Tempore.
Lectio iij.

AD partum Virginis adorandũ Magi ab Oriente venerunt. Magnum ſacramentum in præſepio iacebat, & Magos ab Oriẽte ducebat: abſcondebatur in ſtabulo, & agnoſcebatur in cælo: vt agnitus in cælo, manifeſtaretur in ſtabulo: vt qui in aperto cælo ſignis ſidereis monſtrabatur magnus, in anguſto diuerſorio quæſitus inueniretur inualidus, infantilibus in membris natus, infantilibuſq; pannis inuolutus adoraretur à Magis, timeretur à malis.

TERTIA DIE.
De Epiſtola ad Romanos.
Lectio j. C. 14.

INfirmum autem in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum. Alius enim credit ſe manducare omnia, qui autem infirmus eſt, olus manducet. Is qui manducat, non manducantem non ſpernat: & qui nõ manducat, manducantem non iudicet: Deus enim illum aſſumpſit. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit: ſtabit autem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.

Lectio ij.

NAm alius iudicat diem inter diem: alius autẽ iudicat omnẽ diem: vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. Qui ſapit diem, Domino ſapit: & qui manducat, Domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui nõ manducat, Dño non manducat, & gratias agit Deo. Nemo enim noſtrũ ſibi viuit, & nemo ſibi moritur, ſiue enim viuimus, Dño viuimus, ſiue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.
Serm. 2. de Epiphan. Lectio iij.

IAm vero eadem ſtella, quæ Magos perduxit ad locum vbi erat cum matre Virgine Deus infans, quæ vtique poterat eos & ad ipſam perducere ciuitatem, ſe tamẽ ſubtraxit, nec eis prorſus apparuit donec de ciuitate, in qua Chriſtus naſceretur, ijdem ipſi interrogarentur Iudæi, & ipſi eam ſecundum diuinæ Scripturæ teſtimonium nominarent, ipſi dicerent: in Bethlehem Iudæ. Sic enim ſcriptum eſt: Et tu Bethlehẽ terra Iuda, non es minima in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.

QVARTA DIE.
De Epiſtola ad Romanos.
Lectio j. C. 14.

NOn ergo blaſphemetur bonum noſtrum. Non eſt enim regnũ Dei eſca, & potus: ſed iuſtitia, & pax, & gaudiũ in Spiritu ſancto: qui enim in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus. Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur: & quæ ædificationis ſunt, in inuicem cuſtodiamus. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei.

Dei. Omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat. Lectio ij.

BOnum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, neq; in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes? penes temetipſum habe corã Deo. Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo, quod probat. Qui autem diſcernit, ſi manducauerit, dãnatus eſt: quia non ex fide. Omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

Sermo Sancti Leonis Papæ.

Sermo 1. *de Epiphan.*

Lectio iij.

CElebrato proximo die quo intemerata virginitas humani generis edidit Saluatorem, Epiphaniæ nobis, dilectiſſimi veneranda feſtiuitas dat perſeuerantiam gaudiorum: vt inter cognatarum ſolemnitatum vicina ſacramenta, exultationis vigor, & feruor fidei non tepeſcat. Ad omnium enim hominum ſpectat ſalutem quòd infantia Saluatoris, ac mediatoris Dei, & hominum, iam vniuerſo declarabatur mundo, cum adhuc exiguo detineretur oppidulo.

QVINTA DIE.

De Epiſtola ad Romanos

Lectio j. C.15.

DIco enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum: gentes autẽ ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: Lætamini Gẽtes cum plebe eius. Et iterum: Laudate omnes Gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi. Lectio ij.

ET rurſus Iſaias ait: Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere gentes, in eum Gentes ſperabunt. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: vt abundetis in ſpe, & virtute Spiritus ſancti. Certus ſum autem fratres mei & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni ſcientia, ita vt poſſitis alterutrum monere.

Sermo Sancti Maximi Epiſcopi.

Homil. 1. *de Epiph.* Lectio iij.

IN hac dilectiſſimi, celebritate, ſicut relatu paternæ traditionis inſtruimur, multiplici eſt nobis feſtiuitate lætandum. Ferunt enim, hodie Chriſtum Dominum noſtrum, vel ſtella duce à Gentibus adoratum, vel inuitatũ ad nuptias, aquas in vina vertiſſe, vel ſuſcepto à Ioanne baptiſmate, conſecraſſe fluẽta Iordanis, ſuumque ſimul purificaſſe Baptiſtam.

SEXTA DIE.

De Epiſtola ad Romanos.

Lectio j. C.15.

HAbeo igitur gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiã Gentium, verbo & factis: in virtute ſignorum, & prodigiorum, in virtute Spiritus ſancti: ita vt ab Ieruſalem

per

Digitized by Google

per circuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti. Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chrſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: ſed ſicut ſcriptum eſt: Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.

Lectio ij. *Rom.16.*

Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quã vos didiciſtis, faciunt: & declinate ab illis. Huiuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo vẽtri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Veſtra enim obedientia in omnem locum diuulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.

Sermo Sancti Fulgentij Epiſcopi.

Ex Serm. 4. de Epiph.

Lectio iij.

QVis eſt iſte Rex Iudæorum? Pauper & diues, humilis & ſublimis: qui portatur vt paruulus, adoratur vt Deus: paruulus in præſepio, immenſus in cælo: vilis in pannis, pretioſus in ſtellis. Quid turbaris Herodes? Rex iſte qui natus eſt, non venit Reges pugnando ſuperare, ſed moriendo mirabiliter ſubiugare. Nec ideo natus eſt vt tibi ſuccedat, ſed vt in eum mundus fideliter credat. Venit non vt pugnet viuus, ſed vt triumphet occiſus.

IN OCTAVA EPIPHANIAE.

In primis Veſper. Capitulum. Surge. Hymnus. Hoſtis Herodes. 165. ℣. Reges Tharſis. Ad Magnificat, Añ. Baptizat miles Regem, ſeruus Dominum ſuum: Ioannes Saluatorem: aqua Iordanis ſtupuit: columba proteſtata eſt: Paterna vox audita eſt: Hic eſt Filius meus. Oratio.

DEus, cuius Vnigenitus in ſubſtantia noſtræ carnis apparuit. præſta quæſumus, vt per eum, quem ſimilem nobis foris agnouimus, intus reformari mereamur. Qui tecum.

Ad Matutinum, Inuitatorium, Chriſtus apparuit. Hymn. Antiph. Pſalm. ℣℣. Reſponſoria ſicut ſupra in Dominica notatum eſt. 171.

IN I. NOCTVRNO.

Incipit Epiſtola prima B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

Lectio j. C.1.

PAulus vocatus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Ieſu, vocatis ſanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, in omni loco ipſorum, & noſtro. Gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.

Lectio ij.

GRatias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, quòd in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo & in omni ſcientia: ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis: ita vt nihil vobis deſit

deſit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui & confirmabit vos vſque in finem ſine crimine, in die aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in societatem Filij eius Ieſu Chriſti Domini noſtri.

Lectio iij.

OBſecro autem vos fratres per nomen Dñi noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Significatum eſt enim mihi de vobis, fratres mei, ab ijs qui ſunt Chloes, quia contentiones ſunt inter vos. Hoc autem dico, quòd vnuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Chriſti. Diuiſus eſt Chriſtus? Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo S. Gregorij Nazianzeni.

Oratione in ſancta Lumina.

Lectio iv.

NOn poſſum cohibere lætitiæ voluptatem, ſed mente extollor, & afficior: & propriæ puſillitatis oblitus, officium magni Ioannis, immo potius famulatum ſubire contendo, vel geſtio: & licet non ſim Præcurſor, de eremo tamen venio. Chriſtus ergo illuminatur, immo potius fulgore ſuo nos illuminat: Chriſtus baptizatur, ſimul & nos deſcendamus, vt cum ipſo pariter aſcendamus.

Lectio v.

IOannes baptizat, & accedit Ieſus, ſanctificans quidem & ipſum qui baptizat, præcipue tamen vt & veterem Adam ſepeliat in aquis: & ante omnia, vt per hæc ſanctificentur aquæ Iordanis: vt ſicut erat ſpiritus & caro, ita & his qui baptizandi erant, in ſpiritu & aqua ſanctificationis ſucceſſio traderetur. Non ſuſcipit Baptiſta, contendit Ieſus. Ego, inquit, opus habeo à te baptizari. Lucerna dicit ad ſolem, & vox loquitur ad Verbum.

Lectio vj.

AScendit Ieſus de aqua, ſecum quodammodo demerſum educens & eleuans mundum: & vidit non diuidi cælum, ſed aperiri, quod ſibi ac nobis poſt ſe aliquando Adam ille concluſerat: ſicut & igneo gladio Paradiſus fuerat cõcluſus. Spiritus ſanctus teſtimonium perhibet: ſimilia namque ſibi ipſa concurrunt. De cælo teſtimonium defertur: inde enim erat ille, cui teſtimonium perhibetur.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. C. I.

Lectio vij.

IN illo tempore: Vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 6. in Ioan. ante med.

ANtequam veniſſet Dominus vt baptizaretur à Ioanne in Iordane, nouerat eum illis vocibus, vbi ait: Tu ad me venis baptizari? ego à te

à te debeo baptizari. Sed ecce Dominum nouerat, nouerat Filium Dei. Vnde probamus quòd iam nouerat, quia ipſe baptizaret in Spiritu ſancto? Antequam veniret ad fluuium, cum multi ad Ioannem concurrerent baptizari, ait illis: Ego quidem baptizo vos in aqua: qui autem poſt me venit, maior me eſt: cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere: ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni. Iam & hoc nouerat.

Lectio viij.

QVid ergo per columbam didicit, ne mendax poſtea inueniretur, (quod auertat à nobis Deus opinari) niſi quandam proprietatem in Chriſto talem futuram, vt quamuis multi miniſtri baptizaturi eſſent, ſiue iuſti, ſiue iniuſti, non tribueretur ſanctitas baptiſmi, niſi illi, ſuper quem deſcendit columba, de quo dictum eſt: Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat: Paulus baptizet, hic eſt qui baptizat.

Lectio ix.

NAm ſi pro diuerſitate meritorum, baptiſma ſanctum eſt: quia diuerſa ſunt merita, diuerſa erunt baptiſmata: & tanto quiſque aliquid melius putatur accipere, quanto à meliore videtur accepiſſe. Ipſi ſpiritales ſancti, (intelligite fratres mei) boni pertinentes ad ſortem ciuitatis illius Ieruſalē, ipſi boni in Eccleſia, de quibus dicit Apoſtolus, Nouit Dominus qui ſunt eius: diuerſarum gratiarum ſunt, non omnes paria merita habent.

IN LAVDIBVS ANTIPH.

VEterem hominem renouās Saluator, venit ad baptiſmum: vt naturam, quæ corrupta erat, per aquā recuperaret, incorruptibili veſte circumamictans nos. Pſal. Dominus regnauit. 61. Aña. Te qui in ſpiritu, & igne purificas humana contagia, Deum, ac Redemptorem omnes glorificamus. Pſal. Iubilate. 65. Antiph. Baptiſta contremuit, & non audet tāgere ſanctum Dei verticem, ſed clamat cum tremore: Sanctifica me Saluator. Pſal. Deus Deus. 39. Aña. Caput draconis Saluator contriuit in Iordanis flumine: & ab eius poteſtate omnes eripuit. Cantic. Benedicite. 98. Aña. Magnum myſterium declaratur hodie: quia creator omnium in Iordane expurgat noſtra facinora. Pſalm. Laudate. 97. Capit. Hym. Vide die Epiphaniæ. Ad Benedictus, Aña. Præcurſor Ioannes exultat cum Iordane, baptizato Domino, facta eſt orbis terrarum exultatio: facta eſt peccatorum noſtrorum remiſſio: ſanctificans aquas, ipſi omnes clamemus: Miſerere nobis. Oratio. Deus, cuius Vnigenitum. Ad Horas diei Aña, Laud. Cap. Reſponſoria. ℣℣. de die Epiphaniæ. Oratio. Deus, cuius. Ad Veſp. Pſalm. de Epiphan. Antiph. vero, Cap. & quæ ſequuntur de S. Hilario, & Memoria de Oct. per Añam. Fontes aquarum ſanctificati ſunt Chriſto apparente in glo-

ria:

ria: orbis terrarum haurite aquas de fontibus Saluatoris: ſanctificauit enim nunc omnem creaturam Chriſtus Deus noſter.

Oratio. Deus, cuius. Pro diebus qui poſſunt interuenire inter Octau. Epipha. & Dominicam Domine ne in ira. Lectiones.

PRIMA DIE.

In qua erit Feſtum Sancti Hilarij.

De Epiſtola prima Beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

Lectio j. C. 3.

ET ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tamquam paruulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis: adhuc enim carnales eſtis. Cum enim ſit inter vos zelus, & contentio; nonne carnales eſtis, & ſecundum hominē ambulatis? Cum enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli: alius autem: Ego Apollo: nonne homines eſtis? Quid igitur eſt Apollo? quid vero Paulus? Miniſtri eius, cui credidiſtis, & vnicuique ſicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit: ſed Deus incrementum dedit. Lectio ij.

ITaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed, qui incrementum dat, Deus. Qui autē plantat, & qui rigat, vnū ſunt. Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Dei enim ſumus adiutores: Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Secundū gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat. Vnuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet. Lectio iij.

FVndamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitū eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit quod ſuperædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit: ſic tamen quaſi per ignem.

DIE SECVNDA.

De Epiſtola prima ad Corinthios.

Lectio j. C. 5.

OMnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorē patris ſui aliquis habeat. Et vos inflati eſtis: & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum qui hoc opus fecit. Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens, eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu, tradere huiuſmodi ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Digitized by Google

Lectio ij.

NOn eſt bona gloriatio veſtra. Neſcitis quia modicum fermẽtum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, ſicut eſtis azymi. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis.

Lectio iij.

SCripſi vobis in Epiſtola: Ne cõmiſceamini fornicarijs. Non vtique fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exijſſe. Nunc autem ſcripſi vobis, non commiſceri: ſitis, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax: cum eiuſmodi nec cibum ſumere.

DIE TERTIA.

De Epiſtola j. ad Corinthios.

Lectio j. C.6.

AVdet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? An neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt? Et ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis iudicetis? Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis ſæcularia? Sæcularia igitur iudicia ſi habueritis: contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos cõſtituite ad iudicandum.

Lectio ij.

AD verecundiam veſtram dico: Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum? Sed frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles? Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudum patimini? Sed vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus. An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt?

Lectio iij.

NOlite errare: Neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. Et hæc quidam fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri.

Die Quarta incidit Feſtum S. Antonij, quod proprias habet Lectiones ſuo loco.

DIE QVINTA.

De Epiſtola prima ad Corinthios.

Lectio j. C.6.

OMnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate. Eſca ventri, & venter eſcis. Deus autem & hunc, & has deſtruet. Corpus autem non fornicationi, ſed Domino: & Dñs corpori. Deus vero

& Do-

& Dominum ſuſcitauit: & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.

Lectio j.

NEſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. An neſcitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnū corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt. Fugite fornicationem. Lectio ij.

OMne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.

DIE SEXTA.

De Epiſtola prima ad Corinthios.

Lectio j. C.7.

VNumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet, & ſicut in omnibus Eccleſijs doceo. Circumciſus aliquis vocatus eſt? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus eſt? non circumcidatur. Circūciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt: ſed obſeruatio mandatorū Dei. Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat. Lectio ij.

SEruus vocatus es? non ſit tibi curæ: ſed & ſi potes fieri liber, magis vtere. Qui enim in Domino vocatus eſt ſeruus, libertus eſt Domini: ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſeruus eſt Chriſti. Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Vnuſquiſque in quo vocatus eſt, fratres, in hoc permaneat apud Deum. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis. Lectio iij.

EXiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionē. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem: non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.

De Dominica prima poſt Octau. Epiphaniæ.

NOtandum quòd Hiſtoria, Domine ne in ira: hoc eſt Reſponſoria quæ in Dominica dicuntur poſt Lectiones in Matutinis, legi debet Dominicis diebus ab Octa Epiph. vſque ad Septuag. excluſiue: Reſponſoria vero Ferialia, infrà Hebdomadā, quando de Feria agitur, tam dicto Tēpore, quam ab Oct. Corporis Chriſti vſque ad Aduentum Domini ſunt dicenda, niſi quando nulla eſſet Dominica vacans, in qua Dominicalis Hiſtoria cantari poſſet. Tunc enim eadem Dominicalis Hiſtoria in tribus Ferijs cantari, & in eis Reſp. Ferialia dimitti debent. Si ab Octaua Epiph. vſque ad Septuag. tempus ita breue fuerit, vt Dominicalia Officia

ſuis diebus expleri nequeant, Officia reſiduarum Dominicarum poſt Dominicam primam poſt Oct. Epiphan. eo anno omittuntur, & reſumuntur (quoad Orationem Lectiones ſecundi Nocturni, Homiliam, & Antiphonas ad Benedictus & Magnif. dumtaxat) poſt vigeſimam primam Dominicam poſt Octa. Trinit. eo modo & ordine, quo ibi in Rubrica dicitur. Si vero Dominica Septuageſimæ venerit Dominica prima poſt Oct. Epiph. Oratio, Homilia, Antiphonæ ad Benedictus & Magnif. Dominicæ primæ poſt Octa. Epiph. legantur prima vacanti die earum, quæ erunt inter Octa. Epiph. & Septuageſ. illo anno, & dicentur in Matutinis tria prima ℟℟. Hiſtoriæ **Domine ne in ira tua.** Reliqua dicentur duobus alijs diebus infra Hebdom. in quibus agetur de Feria, ſi tamen in illis non occurrat Feſtum Simplex, vel maius, nam alioqui dimitentur illo anno.

DOMINICA PRIMA

POST OCT. EPIPHANIAE.

RITVS DICENDI

Officium Diuinum.

Sabbato præcedenti ſic inchoentur Veſperæ. Silentio dicatur **Pater noſter.** Quo dicto, clare dicatur ℣. **Deus in adiutoriū meum intende.** ℟. **Domine ad adiuuandum me feſtina.** & tunc muniāt ſe ſigno Crucis. Quod etiam facient ad omnes alias Horas.

℣. **Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.** ℟. **Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Alleluia.** Et per. **Deus in adiutorium.** inchoentur omnes Horæ, & Laudes, niſi quòd ad Completorium præmittendus eſt ℣. **Conuerte nos Deus ſalutaris noſter.** ℟. **Et auerte iram tuam à nobis.** Ad Matutin. ℣. **Domine labia mea aperies.** ℟. **Et os meum annunciabit laudem tuam.** & ante Laudes dicitur Verſiculus, & niſi aliter ſuis locis ſit ſignatū, & quòd **Alleluia.** poſt **Sicut erat.** non dicitur in Complet. Sabbati ante Dominicā Septuageſ. & deinceps ad nullam Horam vſque ad Completor. Sabbati Paſchæ excluſiue. Deinde Pſalmi & Antiph. vt in Pſalterio 96. & illæ Antiphonæ cum ſuis Pſalmis dicantur in omnibus Sabbatis per annum, quando de Dominica agitur, niſi Tempore Paſchali. Deinde dicatur.

Capitulum. 2. *Cor.* 1.

Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. ℟. **Deo gratias.** Deinde dicatur. ℟. **Deus qui ſedes.** ij. Poſtea ℣. **Tibi enim.** Deinde repetatur vltima pars. ℟. **Quia tu.** Poſtea dicatur ℣. **Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.** vt. reper. **Quia tu.** & hoc modo dicitur ℟. in primis Veſperis, niſi aliter ſignetur. Hymnus.

O Lux beata Trinitas,
Et principalis vnitas:

Iam

Iam ſol recedit igneus,
Infunde lumen cordibus.
Te mane laudum carmine,
Te deprecemur veſpere:
Te noſtra ſupplex gloria
Per cuncta laudet ſæcula.
Deo Patri ſit gloria,
Eiuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu paraclito,
Et nunc & in perpetuum. Amen.

℣. Veſpertina oratio aſcendat ad te Domine. ℟. Et deſcendat ſuper nos miſericordia tua.

Capit. præcedens Hymn. & ℣. dicatur omnibus Sabbatis ad Veſperas vſque ad Quadrag. excluſiue: & in Sabbato poſt Oct. Trinitatis & deinceps in omnibus Sabbatis vſque ad Aduent. excluſiue; quando de Dominica agitur. ℟. autem **Deus qui ſedes.** in hac die tantum dicatur. Omni vero tempore, quãdo Hiſtoria Dominic. in ſua propria Dominica, inchoatur, ℟. quod ſuo loco notatum erit, dicetur in primis Veſp. poſt Cap. Quando vero propter aliquod impedimentum Dominica non habet primas Veſp. vel Hiſtoria Dominic. non cantatur in Dominica, in qua primo debuit inchoari, Reſponſ. in primis Veſp. de cetero non dicatur. Deinde ad Magnif. Aña **Peccata mea Domine ſicut ſagittæ infixa ſunt in me: ſed antequam vulnera generent in me, ſana me Domine medicamento pœnitentiæ, Deus.** Cant. & dicatur per totum annum. Prædicta Aña dicatur in Sabbatis vſque ad Septuageſ. incluſiue ad Magnif. vel ad Memoriam de Dominica. Finita Aña prima poſt Magnif. ſequitur. ℣. **Dominus vobiſcum.** ℟. **Et cum ſpiritu tuo.**

Oremus. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui cæleſtia ſimul & terrena moderaris: ſupplicationes populi tui clementer exaudi: & pacem tuam noſtris concede temporibus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus: Per omnia ſæcula ſæculorum. Finita Oratione, & reſponſo **Amen.** ſequitur ℣. **Dominus vobiſcum.** ℟. **Et cum ſpiritu tuo.** niſi Memoria fuerit facienda. Tunc enim ſtatim inchoanda eſt Aña ad Memoriam: qua finita, dicatur ℣. Deinde abſque **Dominus vobiſcum.** præmiſſo **Oremus.** dicatur Oratio: & ſi alia Memoria fuerit facienda, ita terminetur Oratio **Per Chriſtum Dominum noſtrum.** vel **Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.** vel **Qui viuis & regnas Deus per oĩa ſæcula ſæculorũ.** ſecundum quod varietas Orationum poſtulauerit. ℟. **Amẽ.** Si vero non fuerit alia Memoria facienda, vltima Oratio terminetur ſicut prima: & ea finita ſubiungatur ℣. **Dominus vobiſcum.** ℟. **Et cum ſpiritu tuo.** ℣. **Benedicamus Domino.** Hoc idem in Laud. obſeruetur. Reſponſo **Deo gratias.** poſt **Benedicamus.** dicatur **Fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace.**

pace. ℟. Amen. Quod ſemper dicendum eſt poſt quamlibet Horam, niſi in die Cœnæ, & deinceps vſque ad Completor. Sabbati excluſiue, & niſi poſt Officium De[illegible] in cuius fine dicendum eſt Requieſcant in pace. Quando vero plures Horæ pariter ſunt dicendæ, tunc ſolum in fine vltimæ Horæ dicatur. Fidelium. niſi, vt dictum eſt poſt Officium Defunctorum. Dicto Fidelium. vel Requieſcant in pace. ſubiungatur ſecreto Pater noſter, & deinde Aña. Salue Regina. & Aña. Pie pater Dominice. ℣. Poſt partum Virgo. ℣. Ora pro nobis B. Pater Dominice. ℣. Fiat pax. ℟. Et abundantia. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Oratio. Protege Domine famulos. Concede quæſumus omnipotens Deus: vt qui peccatorum. Eccleſiæ tuæ, quæſumus. Poſtea dicitur. Et pacem tuam noſtris concede temporibus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. [illegible] modo ſemper terminetur illa Hora, poſtquam Conuentus receſſit à Choro, tam de die, quàm de nocte, excepto Completorio, & præterquã à Matutinis Feriæ quintæ in Cœna Domini incluſiue, vſque ad Nonam Sabbati Sancti incluſiue.

Ad Completorium. Dicto ℣. Iube domne benedicere. ſubiungatur benedictio. Noctem quietam, & finem perfectum tribuat nobis omnipotens, & miſericors Dominus. ℟. Amen.

Lectio j. 1. *Pet.* 5.

FRatres, Sobrij eſtote, & vigilate: quia aduerſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide. Tu autem Domine, miſerere noſtri. ℟. Deo gratias. Poſtea dicat qui præeſt ℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. Deinde dicto Pater noſter. dicatur à Prælato.

COnfiteor Deo, & Beatæ Mariæ, & Beato Dominico, & omnibus Sanctis, & vobis fratres: quia peccaui nimis cogitatione, locutione, opere, & omiſſione, mea culpa, precor vos orare pro me.

Chorus autem dicat.

MIſereatur tui omnipotẽs Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo: ſaluet & confirmet in omni opere bono, & perducat te ad vitam æternam. dicat Prælatus Amen. Poſtea Chorus replicet Confiteor. & loco Et vobis fratres. dicat tibi pater. Quo finito, Prælatus dicat Abſolutionem. Miſereatur. & loco tui. dicat veſtri. & loco tibi. dicat vobis. & loco te. dicat vos. Quando autem Frater ſolus dicit Primam, vel Completor. & non habet cum quo dicat Confiteor. dicat.

COnfiteor Deo, & Beatæ Mariæ, & Beato Dominico, & omnibus Sanctis, quia peccaui nimis cogitatione, locutione, opere, & omiſſione, mea culpa, precor Beatam Mariam,

& Beatum Dominicum, & omnes Sãctos orare pro me.

Poſtea ſubiungat.

Miſereatur mei omnipotens Deus, & dimittat mihi omnia peccata mea, liberet me &c. vt ſup. Deinde dicitur. ℣. Conuerte nos Deus. ℟. Et auerte iram. ℣. Deus in adiutorium. ℟. Domine ad adiuuandum. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. ℟. Sicut erat in principio &c. Alleluia. & ita ſemper inchoetur Completorium, niſi Feria quinta in Cœna Domini, & Feria ſexta in Paraſceue. Poſtea dicuntur Pſalmi Pſalm. Cum inuocarem. 2. Pſalm. In te Domine. 16. vſque ad Verſum. Odiſti obſeruantes. excluſiue. Pſalm. Qui habitat. 57. Pſalm. Ecce nunc. 88. & poſt Pſalmos Aña. Miſerere mihi Domine, & exaudi orationem meam. Prædicta Aña. Miſerere. dicatur ad Complet. ſuper Pſal. per totum annum: niſi in Cœna Domini, & deinceps vſque ad Sabbatum Trinitatis, & niſi vbi alia particularis Antiphona eſt notata. Pſalmi vero dicantur per totum annum: niſi quod in Vigil. Paſchæ, & deinceps vſque ad Complet. Sabbati in Albis excluſiue, & in Vig. Pentecoſt. & deinceps vſque ad Complet. Sabbati ante Feſtũ Trinitatis excluſ. intermittitur Pſal. Qui habitat. Deinde dicatur Capit. *Ier.* 14.

Tu in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos: ne derelinquas nos Domine Deus noſter. ℟. In manus tuas Domine, Commendo ſpiritum meũ. In manus. ℣. Redemiſti me Domine Deus veritatis. Commendo. Gloria. In. Cap. Tu in nobis. ſemper dicatur, niſi in Cœna Domini, & deinceps vſque ad Completor. Sabbati in Albis excluſiue. ℟. In manus tuas. per totum annum dicatur, niſi in Dominicis, & Feſtis Duplicibus, & ſupra ad vtrumque Complet. in Quadrageſ. vſque ad Completor. Sabbati ante Dominicam in Paſſione excluſ. occurrentibus, & niſi in Cœna Domini: & deinceps vſque ad Complet. Sabbati in Albis excluſiue.

Poſtea ſubiungatur Hymnus.

Te lucis ante terminum
Rerum creator poſcimus,
Vt ſolita clementia
Sis præſul ad cuſtodiam.
Procul recedant ſomnia,
Et noctium phantaſmata:
Hoſtemq. noſtrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Præſta pater omnipotens,
Per Ieſum Chriſtum Dominum,
Qui tecum in perpetuum
Regnat cum ſancto Spiritu. Amen.

℣. Cuſtodi nos Domine vt pupillam oculi. ℟. Sub vmbra alarum tuarum protege nos. Hymn. Te lucis. ſemper dicatur, niſi in Sabbato ante primam Dominicam Quadrageſimæ, & deinceps vſque ad Sabbatum ante Feſtum Trinitatis excluſiue. ℣. Cuſtodi nos. dicatur ſemper, niſi in Cœna Domini: & deinceps vſque

in

Digitized by Google

in Completor. Sabbati in Albis excluſiue. Deinde dicatur Cant. **Nunc dimittis. 109.** quo dicto ſubiungatur Aña Salua nos Domine vigilantes, cuſtodi nos dormientes, vt vigilemus cum Chriſto, & requieſcamus in pace. Cantic. Nunc dimittis. ſemper dicatur. Aña. Salua nos, per totum annum dicatur, niſi alia particulari Aña ſit notata. Poſtea dicantur Preces hoc modo Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. & ſecreto Pater noſter Quo dicto ſubiungatur alte. Et ne nos inducas. ℟. Sed libera. ℣. In pace in idipſum. ℟. Dormiam, & requieſcam. Deinde dicatur Credo. ſecreto. Quo dicto ſubiungatur alte. Carnis reſurrectionem. ℟. Vitã æternam. Amen. Deinde ℣. Dignare Domine nocte iſta. ℟. Sine peccato nos cuſtodire. & ita Preces quotidie in Completor. dicantur, niſi in Cœna Domini, & deinceps vſque ad ſecundam Feriam poſt Dominicam in Albis excluſ. & niſi in Complet. Dominicæ diei, & Feſtis Duplicib. & ſup. & in omnibus diebus Octau. Solemnium: & ſupra ℣. Dignare Domine. ante **Dominus vobiſcum.** non dicatur, quando Preces non dicuntur. Poſtea dicitur ℣. **Dominus vobiſcum.**

Oremus. Oratio.

Viſita, quæſumus Domine, habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longe repelle: & Angeli tui ſancti habitantes in ea nos in pace cuſtodiant, & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Dominum. ℣. **Dominus vobiſcum.** ℣. **Benedicamus Domino.** Oratio. **Viſita quæſumus.** ſemper dicatur, niſi in Cœna Domini, & deinceps vſque ad tertiã Feriam poſt Paſcha incluſiue. Deinde detur Benedictio, hoc modo **Benedictio Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper.** Si Prælatus benedicit, vos, ſi alius, nos, & maneat ſemper. ℟. Amen.

Benedictio ſemper detur, niſi in die Cœnæ, & Paraſceues. Poſtea dicatur Aña de B. Virgine, ℣. & Oratio cum alijs prout infra poſt Officia de communi Sanctorum ſignatum eſt, quæ ſemper erunt dicenda, niſi in Triduo ante Paſcha. Deinde **Fidelium animæ &c.** & reſponſo **Amen.** dicatur ſecreto **Pater noſter.** & **Credo in Deum.** Et ſic finitur Complet.

AD MATVTINVM.

Dicto **Pater noſter.** & **Credo in Deũ.** ℣. Domine labia. & ℣. Deus in adiutorium. Gloria Patri. Sicut erat. Alleluia. immediate dicatur Inuitatoriũ. *Pſal. 94. iuxta veterem editionem Romanam.* Venite, exultemus Domino, Iubilemus Deo ſalutari noſtro. Quo dicto, ſequitur ℣. Præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei. Deinde repetatur totũ Inuitatorium. Venite, exultemus Domino, Iubilemus Deo ſalutari noſtro. ℣. Quoniã Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnes deos: quoniam non repellet Dominus plebem ſuam, quia in manu eius ſunt

omnes

Digitized by Google

omnes fines terræ, & altitudines mõtium ipſe conſpicit. Repetatur Inuit. Iubilemus. ℣. Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius: venite adoremus, & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter: nos autẽ populus eius, & oues paſcuæ eius. Repetatur Inuitat. Venite, exultemus. ℣. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto: vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt, & viderũt opera mea. Repetatur Inuit. Iubilemus. ℣. Quadraginta annis proximus fuit generationi huic, & dixi, Semper hi errant corde: ipſi vero non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, Si introibunt in requiem meam. Repetatur Inuitator. Venite, exultemus. ℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat. Repetatur Inuitatorium. Iubilemus. Poſtea repetatur totum Inuitatoriu. Venite, exultemus Domino: Iubilemus Deo ſalutari noſtro. Hoc Inuit. & Pſalmus Venite. dicantur Dominicis diebus, vſque ad Septuageſimam excluſiue, & à Deus omnium. vſque ad Aduentum excluſiue, quando de Dominica agitur. In alijs vero diebus, quando dicitur quodcumque Inuitatorium, dicatur etiam Pſalmus, Venite, exultemus. modo quo ſupra.

Poſtea dicatur Hymnus.

Nocte ſurgentes vigilemus omnes,
Sẽper in pſalmis meditemur, atq;
Viribus totis Domino canamus
Dulciter hymnos.

Vt pio Regi pariter canentes,
Cum ſuis ſanctis mereamur aulam
Ingredi cæli, ſimul & beatam
Ducere vitam.

Præſtet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque ſancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

Hymn. Nocte ſurgentes. Ad Matutinum, & ſubſequens. Ecce iam noctis. ad Laudes dicantur omnibus Dominicis, & Ferijs per totum annum, quando de Tempore agitur, niſi in Quadrageſima, & in Paſchali tempore, & in Aduentu Domini.

IN I. NOCTVRNO.

Pſalmi, & Añæ, ℣. vt in Pſalterio. 1. Non omnes Pſalmi huius Nocturni, ſed tantum quilibet quartus in ordine per ℣. Gloria Patri. terminetur. Deinde Pater noſter. ſecreto. Quo dicto ſubiungatur alte. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. Et hoc generaliter obſeruetur ante primam Lectionem, & quartam: & ſeptimam, niſi in Triduo ante Paſcha, & in die animarum. Quo dicto ſequitur ℣. Iube domne benedicere. Benedictio. Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus. ℟. Amen. ℣. Iube domne benedicere. ſemper dicatur ante omnes Benedictiones. Hæc autem Benedictio

ctio cum octo ſequentibus erunt dicendæ ante Lectiones Matutinales eo ordine quo poſitæ ſunt, niſi in Feſto Natiuitatis Domini, in quo ad viij. & ix. Lectiones ſunt propria Benedict. notatæ. Et niſi in Triduo ante Paſcha, & in die Animarum, & niſi quando Officium eſt de B. Virgine, cuius propriæ Benedict. infra poſitæ ſunt poſt Officia de Communi Sanctorum. Quando autem dicuntur tantum tres Lectiones, tunc etiam dicendæ ſunt tantum tres Benedict. iuxta ordinem Nocturnorum. Tres namq. primæ dicentur Feria ij. & Feria v. Tres ſecundæ, Feria iij. & Feria vi. Vltimæ vero tres, Feria iiij. & Sabbato, quando in eo de B. Virgine non fit Officium. Deinde dicatur.

De Epiſtola prima ad Corinthios. Titulus Lectionis qui præfigitur, legi ſemper debet, niſi cum notatur litteris minuſculis.

Lectio j. C.8.

DE ijs autem, quæ idolis ſacrificantur, ſcimus quia omnes ſciētiam habemus. Scientia inflat, charitas vero ædificat. Si quis autem ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eū ſcire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus eſt ab eo. De eſcis autem, quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum in mundo, & quòd nullus eſt Deus, niſi vnus. Tu autem Domine, miſerere noſtri. ℟. Deo gratias. Per hanc clauſulam Tu autem. terminantur ſemper Lectiones, niſi in Triduo ante Paſcha, & in Die Animarum: & niſi vbi loco Tu autem. erit ſignatum quòd dicatur, Hæc dicit Dominus Deus. Sequitur ℟. Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me: Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum. ℣. Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ, & dixi. Miſerere mei Domine, quoniā. ℣. Iube domne benedicere. Bñō. Vnigenitus Dei Filius nos benedicere, & adiuuare dignetur. ℟. Amen.

Lectio ij.

NAm etſi ſunt qui dicantur dij ſiue in cælo, ſiue in terra (ſiquidem ſunt dij multi, & domini multi:) nobis tamen vnus eſt Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. Sed non in omnibus eſt ſcientia. Quidam autem cum conſcientia vſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant: & conſcientia ipſorum cum ſit infirma, polluitur. Eſca autem nos non commendat Deo. ℟. Deus, qui ſedes ſuper thronum, & iudicas æquitatem, eſto refugium pauperum in tribulatione: Quia tu ſolus laborem & dolorem conſideras. ℣. Tibi enim derelictus eſt pauper, & pupillo tu eris adiutor. Quia tu. ℣. Iube domne benedicere. Bñō. Spiritus ſancti gratia illuminare dignetur ſenſus, & corda noſtra. ℟. Amen.

Lectio

Lectio iij.

NEque enim ſi mãducauerimus, abundabimus: neque ſi non manducauerimus, deficiemus. Videte autem ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiã, in idolio recumbentem: nonne conſcientia eius, cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quam Chriſtus mortuus eſt? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. ℟. A dextris eſt mihi Dominus, ne commouear: Propter hoc dilatatum, eſt cor meum, Et exultauit lingua mea. ℣. Conſerua me Domine, quoniam in te ſperaui: dixi Domino: Deus meus es tu. Propter. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: Et exultauit.

IN II. NOCTVRNO.

Pſalmi Antiphonæ, & ℣. vt in Pſalterio. ℣. Iube domne benedicere. Benedictio. Deus Pater omnipotens ſit nobis propitius, & clemens. ℟. Amen.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

Ex præfat. in Epiſt. B. Pauli.

Lectio iv.

BEati Pauli Epiſtolarum lectionem, aſſidue dum auſculto, perque hebdomadas ſingulas bis ſæpe, & ter & quater ſanctorum Martyrum memorias celebramus, gaudio exulto: interim tuba illa ſpiritali perfruens, exurgo quidem, & deſiderio incaleſco, vocem mihi amicam agnoſcens, & fere præſentem ipſum animo intueri, & differentem audire videor. Idem tamen præ dolore diſcrucior hoc ipſo, quòd virum hunc non omnes, ſicut par eſt, intelligunt. ℟. Notas mihi feciſti Domine vias vitæ; adimplebis me lætitia cum vultu tuo: Delectationes in dextera tua vſque in finem. ℣. Tu es Domine, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Delectationes. ℣. Iube domne benedicere. Benedictio. Ad gaudia Paradiſi perducat nos miſericordia Chriſti. ℟. Amen.

Lectio v.

VErum ita illum nonnulli ignorant, vt ne Epiſtolarum quidẽ eius numerũ plane norint. Hoc vero non ignorantia facit: ſed quod nolint beati huius viri ſcripta aſſidue in manibus habere. Neque enim nos, quæ ſcimus, ab ingenij bonitate atque acumine ſcimus: ſed quòd illi nos viro impenſe affecti, ab illius lectione nũquam diſcedimus: ſiquidem qui amant, ij ante omnes eorum facta norunt, quos amant, vt qui de ijs ipſis ſint ſoliciti. ℟. Diligam te Domine virtus mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum. ℣. Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero. Dominus. ℣. Iube domne benedicere. Benedictio. Ignem ſui amoris accendat Deus in cordibus noſtris. ℟. Amen.

Digitized by Google

Lectio vj.

ID quod beatus hic veluti oſtendens, ad Philippenſes ait: Sicut eſt mihi iuſtum vt hoc de vobis omnibus ſentiam, eo quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione & confirmatione Euangelij. Quapropter ſi & vos quoque in animum induxeritis, huius lectioni ſtudioſam ac diligentem operam nauare, nihil ſane erit, quod alium requirendũ vobis ſit. Verax eſt enim Chriſti ſermo dicentis: Quærite, & inuenietis: pulſate & aperietur vobis. ℟. Domini eſt terra, & plenitudo eius: Orbis terrarum, & vniuerſi, Qui habitant in eo. ℣. In manus eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montiũ ipſius ſunt. Orbis terrarum. Gloria Patri. Qui habitant.

IN III. NOCTVRNO.

Pſalmi, Antiph. & ℣. vt in Pſalterio. 12. ℣. Iube domne benedicere. Si non ſequitur Homilia. Benedictio. Ille nos benedicat, qui ſine fine viuit & regnat. ℟. Amen. Si autem ſequatur Homilia ſicut modo, Benedictio. Euangelica Lectio ſit nobis ſalus, & protectio. ℟. Amen. Poſtea dicatur. Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannẽ. & ſemper hæc verba. Lectio ſancti, &c. dicatur antequam incipiatur Euangelium ante Homiliam, niſi aliud ſit ſignatum.

Lectio vij. C. 2.

IN illo tempore: Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater Ieſu ibi, vocatus eſt autem & Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 9. in Ioann. post init.

QVòd Dominus inuitatus venerit ad nuptias, etiam excepta myſtica ſignificatione, cõfirmare voluit quòd ipſe fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apoſtolus, prohibentes nubere; & dicentes quòd malæ eſſent nuptiæ, & quòd diabolus eas feciſſet: cum idem Dominus in Euãgelio, interrogatus vtrũ liceat homini dimittere vxorem ſuã ex qualibet cauſa, reſponderit non licere, excepta cauſa fornicationis. ℟. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam. ℣. Neque irrideant me inimici mei, etenim vniuerſi, qui ſuſtinent te, non confundentur. Deus. ℣. Iube domne benedicere. Benedictio. Diuinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. ℟. Amen. Lectio viij.

IN qua reſponſione, ſi meminiſtis, hoc ait: Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Et qui bene eruditi ſunt in fide Catholica, nouerunt quòd Deus fecerit nuptias: & ſicut coniugium à Deo, ita diuortium à diabolo ſit. Sed propterea in cauſa fornicationis licet vxorem dimittere: quia ipſa eſſe vxor prior noluit, quæ fidem coniugalem marito non ſeruauit. ℟. Audiam Domine vocem laudis tuæ, Vt enarrem vniuerſa mirabilia tua. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Vt enarrem. ℣. Iube domne

bene-

benedicere. Benedictio. Ad ſocietatem ciuium ſupernorũ perducat nos Rex Angelorum. ℟. Amen.

Lectio ix.

NEc illæ, quæ virginitatem Deo vouent, quamquam ampliorẽ gradum honoris & ſanctitatis in Eccleſia teneant, ſine nuptijs ſunt: nam & ipſæ pertinent ad nuptias cum tota Eccleſia, in quibus nuptijs ſponſus eſt Chriſtus. Ac per hoc ergo Dominus inuitatus venit ad nuptias, vt coniugalis caſtitas firmaretur, & oſtenderetur Sacramentum nuptiarum. ℟. Abſcondi tamquam aurum peccata mea, & celaui in ſinu meo iniquitatẽ meam: Miſerere mei Deus, Secundũ magnam miſericordiam tuam. ℣. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper: tibi ſoli peccaui. Miſerere. Gloria Patri. Secundum magnam. Poſtquam prædicta Hiſtoria, Domine ne in ira. In Dominica fuerit cantata; in reliquis Dominicis, ſi aliqua fuerit, vſque ad Septuageſ. excluſiuè loco ix. ℟. dicatur ℟. Honor virtus. quod eſt vj. in Feſto S. Trinit. Deinde dicatur Cant. Te Deum. 105. quod dicendum erit omnibus Dominicis, præterquam in Aduentu: & à Septuageſ. vſque ad Paſcha excluſ. quando fit Officium de Dominica. ℣. Excelſus ſuper omnes gentes Dominus. ℟. Et ſuper cælos gloria eius. Prædictus ℣. dicatur ante Laudes, vſque ad Quadrageſ. excluſiuè.

In Laudibus, Antiphona.

REgnauit Dominus præcinctus fortitudine cum decore virtutum: cuius ſedes parata eſt in æternũ. Hæc Antiphona ſuper Pſalmos in Laudibus, ſola dicatur in Dominicis vſque ad Septuageſ. excluſ. quando de Dominica agitur. Et vbi ſignatæ erunt in Laudibus quinque Antiph. ſuper quinque Pſal. ſequentes, dicentur eædem Antiph. etiam ad Horas diei, tam de Tempore quam de Sanctis, quarta prætermiſſa. Pſal. Dñs regnauit. 64. Iubilate Deo. 65. Deus Deus meus. 39. Simul cum iſto dicitur Pſal. 66. Deus miſereatur noſtri. 41. quaſi vnus Pſal. cum vno Gloria Patri. Cant. Benedicite omnia. 98. Pſal. Laudate Dominum de cælis. 97. Simul cum iſto dicuntur Pſalmi. 147. Cantate Domino canticum nouum. 98. & Pſal. 150. Laudate Dominum in Sanctis. 98. omnes ſub vno Gloria Patri, ac ſi eſſent vnus Pſalmus. Hi quinque Pſalmi dicantur ſemper in Laudibus, niſi vbi aliter eſt ſignatum, deinde. Capit. *Apoc. 7.*

BEnedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hoc Cap. dicatur omnibus Dominicis, quando de Dominica agitur, vſque ad Quadrageſ. excluſ. Hymnus.

ECce iam noctis tenuatur vmbra,
Lucis aurora rutilans coruſcat,
Niſibus totis rogitemus omnes
Cuncti potentem.
Vt Deus noſter miſeratus, omnem

Pellat

Pellat languorem, tribuat ſalutem,
Donet & nobis pietate Patris,
Regna polorum.
Præſtet hoc nobis Deitas &c.

℣. Dominus regnauit.
℟. Decorem induit.

Hic ℣. dicatur in Dominicis vſque ad Septuageſ. excluſiue, quando de Dominica agitur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat ibi Ieſus cũ Maria matre eius. Canticum: Benedictus Dominus. 98. Oratio. Omnipotens. poſtea legatur Lectio de Martyrologio: qua lecta, dicatur Pretioſa. hoc modo ℣.

Pretioſa eſt in conſpectu Domini. ℟. Mors Sanctorum eius.

Oratio.

Sancta Maria, & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum: vt mereamur adiuuari ab eo, qui viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Deus in adiutorium &c.
℟. Domine ad adiuuandum.

& dicatur ter. Deinde Gloria Patri. & Sicut erat. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℟. Sed libera. ℣. Reſpice Domine in ſeruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum. ℟. Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuũ noſtrarũ dirige ſuper nos, & opus manuũ noſtrarum dirige. Deinde ſequitur. Oratio.

Dirigere, & ſanctificare digneris Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, hodie corda & corpora noſtra in lege tua, & in operibus mandatorũ tuorum, vt hic & in æternum te auxiliante, ſemper ſalui eſſe mereamur. Per Chriſtum Dominũ noſtrum. ℟. Amen. Poſtea, dicto ℣. Iube domne benedicere. detur Benedictio. Diuinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. ℟. Amen. deinde dicatur.

Secundum Ioannem. C. 2.

In illo tempore: Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat mater Ieſu ibi: vocatus eſt autem & Ieſus, & diſcipuli eius ad Nuptias. Tu autem Domine miſerere noſtri. ℟. Deo gratias.

De Euangelio quod illa die occurrerit, legendũ eſt omnibus diebus Dominicis, & Feſtis Simplicibus, & ſupra. Item in Vigilia Natiuitatis Domini, Euangelium de Vigilia legatur, ſiue fuerit Dominica, ſiue non: & Itẽ in Feria quarta in capite Ieiunij, & in Cœna Domini. Item in Vigilia Paſchæ, & Pentecoſtes, & quotidie, & in Octauis Solemnibus, & Solemniſſimis. Item in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum, & in omni prædicto tempore ſemper legatur de Euangelio Feſti, ita tamen quòd ſi in Matutinis aliquando occurrat legi Homiliam alterius Euangelij, quàm Feſti de quo agitur: in Pretioſa legatur ſemper illud Euang. quod lectum eſt in Matutinis. Ceteris vero diebus legendum eſt de Cõſtitutionibus. Fratres tamen qui ex-

tra

Digitized by Google

tra Conuentum ſunt, ſi Euangelium in promptu non habeant, dicant.

Secundum Ioannem. C. 1.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Tu autem. Finita Lectione ſequitur. Commemoratio fratrum, ſororum, familiarum, benefactorum, defunctorum Ordinis noſtri. Quo dicto, dicat qui præeſt. ℣. Requieſcant in pace. ℟. Amen. Deinde ſequitur Pſal. Laudate Dominum omnes gentes. Gloria Patri. Sicut erat. Deinde. ℣. Oſtende nobis. ℣. Domine exaudi, &c. ℣. Domininus vobiſcum.

Oratio.

ACtiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præueni, & adiuuando proſequere: vt cuncta noſtra operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Poſtea dicatur. ℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum, & terram. ℣. Fidelium animæ. Quando Matut. in ſero dicuntur, tunc Pretioſa, reſeruetur in craſtinum, & dicatur immediate poſt Primam. Si in Lectione Martyrologij recitatus fuerit obitus alcuius Magiſtri Generalis, immediate poſt Matut. dicatur pro eius anima Pſal. De profundis. cum Requiem. in fine. ℣. A porta inferi. Dominus vobiſcum. Oratio. Deus, qui inter Apoſtolicos. Requieſcant in pace. Amen. Ad Primam dicto Pater noſter, & Credo. ſecreto. Deus in adiutorium, &c. Et ſic ad alias Horas Diei: niſi quod Credo, non dicitur.

Hymnus.

IAm lucis orto ſydere,
Deum precemur ſupplices,
Vt in diurnis actibus
Nos ſeruet à nocentibus.

Linguam refrænans temperet,
Ne litis horror inſonet:
Viſum fouendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

Sint pura cordis intima,
Abſiſtat, & vecordia:
Carnis terat ſuperbiam
Potus cibiq. parcitas.

Vt cum dies abſceſſerit,
Noctemq. fors reduxerit,
Mundi per abſtinentiam
Ipſi canamus gloriam.

Deo Patri ſit gloria,
Eiuſq. ſoli Filio,
Cum Spiritu paraclito,
Et nunc, & in perpetuum. Amen.

Prædictus Hymnus. dicatur per totum annum ad Primam, niſi in Cœna Domini: & deinceps vſque ad Dominicam in Albis excluſiue: & niſi in Die animarum. Deinde dicatur Añ. Gloria tibi Trinitas æqualis, vna Deitas, & ante omnia ſæcula, & nunc, & in perpetuum. Pſal. Deus in nomine 35. Pſal. Beati immaculati. 79. Retribue. Symbolum Quicumque vult ſaluus eſſe. 106. Pſalmi vero ſemper dicantur ita,

quòd in Septuageſ. & deinceps in Dominicis diebus vſq. ad Paſcha excluſiue, addantur alij, ſecūdùm quod in Dominica Septuageſ. ſunt notati. Quicumque vult. dicatur ſemper in Dominicis, niſi Feſtum Totum Duplex euenerit.

Poſtea dicitur Capit. 1. *Tim.* 1.

REgi ſæculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. ℟. Ieſu Chriſte Fili Dei viui, Miſerere nobis. Ieſu. ℣. Qui ſedes ad dexteram Patris. Miſerere. Gloria. Ieſu. ℣. Exurge Domine, adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuū. Capit. Regi ſæculorum. dicatur ad Primā omnibus Dominicis, & Feſtis etiā trium Lectionum: & per omnes Octa. niſi in Cœna Dñi: & in Hebdomada Paſchæ, & in die animarum, quando nullum Capit. dicitur. ℟. Ieſu Chriſte Fili Dei. ſemper dicatur, niſi in Dominica de Paſſione: & deinceps vſque ad Dominicam in Albis excluſiue. Quando de Tempore agitur, ℣. Qui ſedes. cum ſuo Reſponſorio ſemper dicatur, niſi alius Verſic. particulariter ſit notatus. ℣. Exurge. ſemper dicatur: niſi in die Cœnæ, & deinceps vſque ad Dominicam in Albis excluſiue, & niſi in Die animarum. Deinde dicatur. Confiteor. & Miſereatur. ſicut ſupra ad Completorium dictum eſt. Confiteor in Prima ſemper dicatur, niſi in Triduo ante Paſcha. Deinde dicitur. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

Oratio.

IN hac hora huius diei tua nos Domine reple miſericordia: vt per totum diem exultantes, in tuis laudibus iugiter delectemur. Per Dominum. ℣. Dominus vobiſcum. Benedicamus Domino. Oratio. In hac hora. ſemper dicatur, quando dicitur. Capit. Regi ſæculorum. niſi tribus primis diebus Paſchæ. Ad Tertiā autem, Sextam, & Nonam, dicatur Oratio Dominicæ. Ad Tertiā Hymn.

NVnc ſancte nobis Spiritus,
Vnum Patri cum Filio,
Dignare promptus ingeri
Noſtro refuſus pectori.

Os, lingua, mens, ſenſus, vigor
Confeſſionem perſonent:
Flammeſcat ignē charitas,
Accendat ardor proximos.

Præſta Pater pijſſime,
Patriq. compar Vnice,
Cum Spiritu paraclito
Regnans per omne ſæculū. Amen.

Antiph. Laus, & perennis gloria Deo Patri, & Filio, ſancto ſimul Paraclito, in ſæcula ſæculorum. Pſal. Legem pone. 80. Memor. Bonitatem.

Capitulum. 1. *Ioan.* 4.

DEus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. ℟. Inclina cor meum Deus, In teſtimonia tua. Inclina. ℣. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua viuifica me. In teſtimonia. Gloria Patri. Incli-

Inclina cor. ℣. Adiutor meus eſto Domine, ne derelíquas me. ℟. Neq. deſpicias me, Deus ſalutaris meus.

Ad Sextam. Hymnus.

RECtor potens, verax Deus,
Qui temperas rerum vices,
Spendore mane inſtruis,
Et ignibus meridiem.
Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium,
Confer ſalutem corporum,
Veramq. pacem cordium.

Præſta Pater piiſſime, &c.

Antiph. Gloria laudis reſonet in ore omnium, Patri, genitæq. Proli, Spiritui ſancto pariter reſultet laude perenni. Pſal. Defecit in ſalutare. 81. Quomodo dilexi. Iniquos odio.

Capitulum. 1. Cor. 13.

GRatia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit ſemper cum omnibus vobis. Amen. ℟. In æternum Domine, Permanet verbum tuum. In æternum. ℣. In cælo, & in ſæculũ ſæculi, veritas tua. Permanet. Gloria. In æternum. ℣. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. ℟. In loco paſcuæ: ibi me collocauit.

Ad Nonam Hymnus.

RErum Deus tenax vigor,
Immotus in te permanens,
Lucis diurnæ tempora
Succeſſibus determinans.
Largire clarum veſpere,
Quo vita nuſquam decidat,
Sed præmium mortis ſacræ
Perennis inſtet gloria.

B. P.

Præſta Pater piiſſime &c.

Antiph. Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipſi gloria in ſæcula. Pſal. Mirabilia. 84. Clamaui. Principes perſecuti.

Capitulum. 1. Ioan. 5.

TRes ſunt qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. ℟. Clamaui in toto corde, Exaudi me Domine. Clamaui. ℣. Iuſtificationes tuas requiram. Exaudi. Gloria Patri. Clamaui. ℣. Ab occultis meis munda me Domine. ℟. Et ab alienis parce ſeruo tuo. Prædicti tres hymni ad Tertiam, Sextam, & Nonam ſemper dicantur, niſi in Cœna Domini, & deinceps vſque ad Dominicam in Albis excluſiue, & niſi quod in Hebdomada Pẽtecoſtes, ad Tertiam loco Nunc ſancte. dicitur. Veni creator. & præterquam in Die animarum. Pſalmi vero ſemper dicantur. Antiphonæ ſupraſcriptæ pro Prima, & Tertia, & Sexta, & Nona, dicantur Dominicis diebus, quando de Dominica agitur, ab hac Dominica vſque ad Septuageſim. & à Deus omnium. vſque ad Aduent. Capitula vero vſque ad Quadrag. excluſiue. Reſponſoria autem quando, & ſupradictæ Antiphonæ dicuntur: Verſiculi vero vſque ad Primam Dominicam Quadrag. tam in Dominicis quàm in Profeſtis diebus, quando de Tempore agitur.

AD VESPERAS.

Pſal. & Antiphonæ, vt in Pſalter. 57.

Capitulum. 2. *Theſ.* 3.

Dominus dirigat corda, & corpora noſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti.

Hymnus.

Lucis creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordijs lucis nouæ,
Mundi parans originem.
Qui mane iunctum veſperi
Diem vocari præcipis,
Tetrum chaos illabitur,
Audi preces cum fletibus.
Ne mens grauata crimine,
Vitæ ſit exul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seſeque culpis illigat.
Cælorum pulſet intimum,
Vitale tollat præmium:
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne peſſimum.
Præſta Pater pijſſime.

℣. Dirigatur Domine oratio mea.
℟. Sicut incenſum in conſpectu tuo.

Ad Magnificat, Antiphona.

Deficiente vino, iuſſit Ieſus impleri hydrias aqua, quæ in vinum conuerſa eſt, alleluia. Notati Pſalmi dicantur omnibus Dominicis in Veſperis, quando de ſimplici Dominica agitur: Antiphonæ vero ſuper Pſalmos dicantur in Dominicis, quando de Dominica agitur per totum annum, excepto tempore Paſchali. Quotieſcumque autem, ſiue de tempore, ſiue de Sanctis agatur, ſignatur prima Antiphona Laudum dicenda ſuper Pſalmos in ſecundis Veſperis, ea ſola finitis Pſalmis, ſemel tantum dicetur. Cap. Dominus dirigat. dicatur omnibus Dominicis in ſecundis Veſper. & per Ferias, quando de Tempore agitur vſque ad diem Cinerum excluſiue: & in Dominica, Deus omnium. & deinceps vſque ad Aduentum, Hymn. Lucis creator. dicatur omnibus Dominicis in ſecundis Veſper. & per Ferias, quando, & Hymni ſupradicti in Matutinis, & in Laudibus dicuntur. Similiter, & ℣. Dirigatur. Completorium more ſolito dicatur, & poſt Antiphonam Salua nos. non dicantur Preces.

FERIA SECVNDA.

Ad Matutinum, Inuit. Pſalmi, Antip. ℣. vt in Pſalterio. 16. Hym. Nocte. 187. Pſalmi omnes in Matut. huius Hebdomadæ dicantur bini, & cum vno tantum Gloria Patri. in fine ſecundi, & cum vna tantum Antiph.

De Epiſtola prima ad Corinthios.

Lectio j. C. 9.

Neſcitis quòd ij, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, illi quidem, vt corruptibilem coronã accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne forte cũ alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Quã magna multitudo

tudo dulcedinis tuæ Domine, Quam abſcondiſti timentibus te! Et perfeciſti eis, qui ſperant in te Domine, in conſpectu filiorum hominum. Quam abſcondiſti.

[illegible] 1.*Cor.*10.

NOlo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari: & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt: (bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos, petra: petra autem erat Chriſtus) ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo: nam proſtrati ſunt in deſerto. ℟. Benedicam Dominum in omni tempore: Semper laus eius in ore meo. ℣. In Domino laudabitur anima mea: audiant manſueti, & lætentur ſemper.

Lectio ij.

HAec autem in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis: quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Neque fornicemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia. ℟. Delectare in Domino: Et dabit tibi petitiones cordis tui. ℣. Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius. Et dabit. Gloria Patri. Et dabit. ℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos. Quemadmodum ſperauimus in te.

[illegible]

[illegible] *Rom.*13.

NOx præceſſit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeſte ambulemus. Hymnus. Ecce iam noctis. 191. ℣. In matutinis Domine, meditabor in te. ℟. Quia fuiſti adiutor meus.

[illegible] ad Benedictus, Antiphona. Benedictus Deus Iſrael. Canticum. Benedictus. [illegible] Antiph. ſubiungatur. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. Dominus vobiſcum.

Deinde oratio. Hoc modo dicantur Preces ad Laudes, Tertiam, Sextam, & Nonam, & ad Veſperas, [illegible] ſunt proſtrationes, niſi in Paraſceue, & Sabbato Paſchæ. [illegible]

Pretioſa eſt in conſpectu Domini. [illegible] excepto quod dicto [illegible] Iube domne. [illegible] Benedictio. Regularibus diſciplinis inſtruat nos magiſter cæleſtis. ℟. Amen. [illegible] gelio, legatur de Conſtitutionibus.

QVoniam ex præcepto regulæ iubemur habere cor vnum, & animam vnam in Domino: iuſtum eſt, vt qui ſub vna regula, & vnius profeſſionis voto viuimus, vniformes

ſormes in obſeruantijs canonicæ religionis inueniamur. Tu autem.

AD PRIMAM.

[illegible] Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

[illegible] *Zac.* 8.

PAcem & veritatem diligite, ait Dominus omnipotens. ℟. Ieſu Chriſte Fili Dei. [illegible]

[illegible] Preces hoc modo. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℟. Sed libera nos. ℣. Viuet anima mea, & laudabit te. ℟. Et iudicia tua adiuuabunt me. ℣. Erraui ſicut ouis, quæ perijt. ℟. Quære ſeruum tuum Domine, quia mandata tua non ſum oblitus. Credo. ℣. Carnis reſurrectionem. ℟. Vitam æternam. [illegible] Confiteor. Miſereatur. ℣. Dignare Domine die iſto. ℟. Sine peccato nos cuſtodire. ℣. Dominus vobiſcũ.

Oratio.

DOmine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos peruenire feciſti: tua nos hodie ſaluã virtute: vt in hac die ad nullũ declinemus peccatum, ſed ſemper ad tuã iuſtitiam faciendam noſtra procedãt eloquia, dirigantur cogitationes & opera. Per Dominum.

Cetera [illegible] Prima Dominicæ eſt notatum. Capitulum Pacem. & Oratio. Domine Deus. dicantur [illegible] nibus diebus, quando fit Officium de Feria, ad Primam, niſi [illegible] Preces autem dicantur [illegible]

[illegible] diebus [illegible] dicen[illegible] 186.

Ad [illegible] Antiphona.

Deduc me Domine in ſemitam mandatorum tuorum.

[illegible] Capitulum. *Ier.* 17.

SAna me Domine, & ſanabor: ſaluum me fac, & ſaluus ero: quoniam laus mea tu es. ℟. Sana animã meam, Quia peccaui tibi. Sana animam meam. ℣. Ego dixi, Domine miſerere mei. Quia peccaui. Gloria Patri & filio. Sana animam meam. ℣. Adiutor meus. 195.

Ad Sextam, Antiphona.

Adiuua me, & ſaluus ero Domine.

Capitulum. *Gal.* 6.

ALter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. ℟. Benedicam dominum In omni tempore. Benedicam. ℣. Semper laus eius in ore meo. In omni. Gloria Patri. Benedicam. ℣. Dominus regit me. 195.

Ad Nonam, Antiphona.

Aſpice in me Domine, & miſerere mei. Capitulum. *1. Cor.* 6.

EMpti eſtis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. ℟. Redime me Domine, Et miſerere mei. Redime me. ℣. Pes enim meus ſtetit in via recta, in eccleſijs benedicam te Domine. Et miſerere mei. Gloria Patri & filio, & ſpiri. Redime me Domine. ℣. Ab occultis meis munda me Domine. 195. [illegible] in Pſalterio 77.

FE-

FERIA TERTIA.

Inuitatorium. [illegible] vt in Pſalterio 26.

De Epiſtola prima ad Corinthios.

Lectio j. 1. *Cor* 10.

CHariſſimi mihi, fugite ab idolorum cultura. Vt prudentibus loquor, vos ipſi iudicate quod dico. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes, qui de vno pane participamus. Videte Iſrael ſecundum carnem: nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? ℟. Auribus percipe Domine lacrymas meas, ne ſileas à me, remitte mihi: Quoniam incola ego ſum apud te, & peregrinus. ℣. Dixi, Cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Quoniam. Lectio ij.

QVid ergo? dico quòd idolis immolatum ſit aliquid? aut quòd idolũ ſit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorũ: non poteſtis calicẽ Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Dñi participes eſſe & menſæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo ſumus? ℟. Statuit Dñs ſuper petram pedes meos, & direxit greſſus meos Deus meus: Et immiſit in os meum canticum nouum. ℣. Expectans expectaui Dñm, & reſpexit me. Et im.

Lectio iij.

OMnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius. Omne, quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Domini eſt terra, & plenitudo eius. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, mãducate, nihil interrogantes propter cõſcientiam. ℟. Ego dixi Domine miſerere mei: Sana animam meam, quia peccaui tibi. ℣. Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Sana animam. Gloria. Sana animam. Laudes vt in Pſalterio. 34. Veſperæ vt in Pſalterio. 88.

FERIA QVARTA.

Inuitatorium. Pſalmi, Antiphonæ, ℣. vt in Pſalterio 36.

De Epiſtola j. ad Corinthios.

Lectio j. C. 11.

IMitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Laudo autem vos fratres, quòd per omnia mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Volo autem vos ſcire quòd omnis viri caput, Chriſtus eſt: caput autem mulieris, vir: caput verò Chriſti, Deus. Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum. Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum: vnum enim eſt ac ſi decaluetur. ℟. Ne perdideris me Domine cum iniqui-

tatibus meis: Neque in finem iratus reſeruēs mala mea. Miſerere. mei Deus, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea. Neque in.

Lectio ij.

NAm ſi non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe eſt mulieri tonderi, aut decaluari, velet caput ſuum. Vir quidem non debet velare caput ſuum: quoniam imago & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt. Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro. Etenim non creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos. ℟. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: Cantabo, & pſallam dicam Domino. ℣. Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara, exurgam diluculo. Cantabo, & pſalmum.

Lectio iij.

VEruntamen neque vir ſine muliere: neque mulier ſine viro in Domino. Nam ſicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo. Vos ipſi iudicate: decet mulierem non velatam orare Deum; Nec ipſa natura docet vos, quòd vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: mulier vero ſi comam nutriat, gloria eſt illi: quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt. ℟. Adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es: Deus meus miſericordia mea. ℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab inſurgentibus in me libera me. Deus meus miſericordia mea. Gloria Patri, & Filio. Deus meus.

[illegible] 43.

[illegible] 87.

FERIA QVINTA.

Inuitatorium, Pſalmi [illegible] vt in Pſalterio. 43.

De Epiſtola prima ad Corinthios.

Lectio j. C. 12.

DE ſpiritualibus autem nolo vos ignorare fratres. Scitis quoniam cum Gentes eſſetis, ad ſimulacra muta prout ducebamini euntes. Ideo notum vobis facio quòd nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones vero gratiarũ ſunt, idem autem Spiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. ℟. Deus in te ſperaui, Domine non confundar in æternum: in tua iuſtitia Libera me, & eripe me. ℣. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt ſaluum me facias. Libera me.

Lectio ij.

VNicuiq; autẽ datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autẽ ſermo ſciẽtiæ ſecundum eundẽ Spiritũ: alteri fides in eodẽ Spiritu: alij gratia ſanitatũ in vno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituũ, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. ℟. Repleatur os meum laude

laude, vt hymnum dicam gloriæ tuæ, tota die magnificentiæ tuæ. Noli me proijcere in tempore ſenectutis, cum defecerit virtus mea, Deus ne derelinquas me. ℣. Deus ne elongeris à me: Deus in auxilium meum reſpice. Deus ne derelinquas me.

Lectio iij.

HAec autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult. Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt: ita & Chriſtus. Etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi: & omnes in vno Spiritu potati ſumus. ℟. Gaudebunt labia mea, dum cantauero tibi: Et anima mea, quam redemiſti Domine. ℣. Sed & lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam: tota die laudem tuam. Et anima mea quam. Gloria Patri & filio. Et anima mea quam redemiſti Domine.

Laudes vt in Pſalterio. 54.

Veſperæ vt in Pſalterio 98.

FERIA SEXTA.

Inuitat. Pſalmi, Antiphonæ, V. vt in Pſalterio 55.

De Epiſtola prima ad Corinthios.

Lectio j. C. 13.

SI linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens, Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. ℟. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: & honorificabo nomen tuum in æternum: Quia miſericordia tua Domine magna eſt ſuper me. ℣. Et eripuiſti animam meam ex inferno inferiori. Quia miſericordia.

Lectio ij.

CHaritas patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas numquam excidit: ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. ℟. Miſericordia tua Domine magna eſt ſuper me: Et liberaſti animam meam ex inferno inferiori. ℣. Deus iniqui inſurrexerunt in me, & fortes quæſierunt animam meam. Et liberaſti animam meam.

Lectio iij.

EX parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Cum eſſem paruulus, loquebar vt paruulus,

[illegible]s, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus. Quando autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. ℟. Factus eſt mihi Dominus in refugium, & Deus meus, In auxilium ſpei meæ. ℣. Deus vltionum Dominus: Deus vltionum libere egit. In auxilium. Gloria Patri. In auxilium.

[illegible] in Pſalterio. 66.

[illegible] in Pſalterio 93.

SABBATO.

[illegible] in Pſalt. 66.

De Epiſtola prima ad Corinthios.

[illegible] C. 14.

FRatres, nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote: ſenſibus autem perfecti eſtote. In Lege ſcriptum eſt: Quoniam in alijs linguis & labijs alijs loquar populo huic: & nec ſic exaudient me, dicit Dominus. Itaque linguæ in ſignum ſunt nõ fidelibus, ſed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, ſed fidelibus. ℟. Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine: Pſallam, & intelligam in via immaculata: quando venies ad me? ℣. Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Pſallam.

Lectio ij.

SI ergo conueniat vniuerſa Eccleſia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles: nonne dicent quòd inſanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus: occulta cordis eius manifeſta fiunt: & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quòd vere Deus in vobis ſit. ℟. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat: Quia non ſpernis Deus preces pauperum. ℣. De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam. Quia.

Lectio iij.

QVid ergo eſt, fratres? cum conuenitis, vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur, ſecundum duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in Eccleſia, ſibi autem loquatur, & Deo. ℟. Velociter exaudi me Domine, Quia defecerunt ſicut fumus dies mei. ℣. Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui. Quia. Gloria. Quia.

Laudes vt in Pſalterio. 76. [illegible] præcedentis Hebdom. [illegible] Reſponſoriis [illegible] tempus [illegible] Quadrag. [illegible] ad Feriam v. in Cœna Dom. [illegible] Septuageſ. Pſalm. [illegible] vſque ad [illegible] Paſchæ [illegible]

tantur. Antiph. Laudum vſque ad Dominicam in Ramis Palmarum. Capitula vſque ad Feriam iiij. in Capite Ieiunij. Antiph. ad Cantic. Benedictus. vſque ad Septuag. Cant. Benedictus. dicitur per totum annum. Ad horas, Hym. vſque ad Fer. v. in Cœna Domini, Pſal. per totum annum. Antiph. vſque ad j. Dom. Quadrageſ. Capitula vſque ad Feriam iiij. in Capite Ieiunij. Reſponſ. vſque ad Domin. j. Quadrageſim. Ad Veſper. Pſalm. & Antiph. vſque ad Cœnam Domini. Capit. vſque ad Feriam iiij. in Capit. Ieiunij. Hymn. & ℣℣. vſque ad Domin. j. Quadrag. Antiph. ad Magnif. vſque ad Septuageſimam. Canticum Magnificat. quotidie dicitur. Completorium prout ſupra in Dominica præcedenti annotatur. Idem Ordo ſeruetur à Dominica Deus omnium. vſque ad Aduentum, niſi vbi aliquid particulariter eſt notatum.

DOMINICA II.

Poſt Octau. Epiphaniæ.

Sabbato precedenti. Ad Magnificat, Antiph. Peccata. 191. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, infirmitatem noſtram propitius reſpice: atque ad protegendum nos dexteram tuæ maieſtatis extende. Per dominum noſtrum.

IN I. NOCTVRNO.

De Epiſtola prima ad Corinthios.

Lectio j. C. 15.

NOtum autem vobis facio, fratres, Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſaluamini: qua ratione prædicauerim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis. Tradidi enim vobis inprimis quod & accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas: & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas: & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim. Lectio ij.

DEinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent vſque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus. Nouiſſime autem omnium tamquam abortiuo, viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Gratia autem Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Lectio iij.

SIue enim ego, ſiue illi, ſic prædicamus, & ſic crediſtis. Si autem Chriſtus prædicatur quòd reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Si autem reſurrectio mortuorum non eſt: neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra: inuenimur autem & falſi teſtes Dei: quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum quòd ſuſcitauerit Chriſtum, quem

Digitized by Google

quem non ſuſcitauit, ſi mortui non reſurgunt.

IN II NOCTVRNO.

De Epiſtola prima ad Corinthios.

Lectio iiij. C. 15.

NAm ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Quòd ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra, adhuc enim eſtis in peccatis veſtris. Ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt. Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Lectio v.

ET ſicut in Adã omnes moriũtur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Vniuſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus: deinde ij, qui ſunt Chriſti, qui in aduentu eius crediderunt. Deinde finis: cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Nouiſſima autem inimica deſtruetur mors.

Lectio vj.

OMnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cum autem dicat: Omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia: tunc & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? vt quid & baptizantur pro illis? vt quid & nos periclitamur omni hora?

IN III NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 8.

IN illo tempore: Cum deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ: & ecce leproſus veniens adorabat eum. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. Commen. in c. 8. Matth.

DE monte Domino deſcendenti occurrunt turbæ: quia ad altiora aſcendere non valuerunt. Et primus occurrit ei leproſus: necdum enim poterat cum lepra tam multiplicem in monte Saluatoris audire ſermonem. Et notandum, quòd hic primus ſpecialiter curatus eſt: ſecundo puer Centurionis: tertio, ſocrus Petri febriens in Capharnaum: quarto loco, qui oblati ſunt ei à dæmonio vexati: quorum ſpiritus verbo eijciebat, quando, & omnes male habentes curauit. Lectio viij.

ET ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens. Recte poſt prædicationem atque doctrinam, ſigni offertur occaſio, vt per virtutem miraculi, præteritus apud audientes ſermo firmetur. Domine, ſi vis, potes me mundare. Qui voluntatem rogat de virtute non dubitat. Et extendens manum Ieſus tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Extendente manum

Domi-

Digitized by Google

Domino: ſtatim lepra fugit. Simulque conſidera, quàm humilis, & ſine iactantia reſponſio.

Lectio ix.

ILle dixerat, Si vis: Dominus reſpondit, Volo. Ille præmiſerat, Potes me mundare: Dominus iungit, & dicit: Mundare. Non ergo, vt plerique Latinorum putant, iungendum eſt, & legendum, Volo mundare: ſed ſeparatim, vt primum dicat, Volo, deinde imperet. Et ait illi Ieſus: Vide, nemini dixeris. Et re vera quid erat neceſſe, vt ſermone iactaret, quod corpore præferebat? Sed vade, oſtende te ſacerdoti. Mittit eum ad ſacerdotes: propter humilitatem, vt ſacerdotibus deferre videatur. Ad Benedictus, Aña. Cum autem deſcendiſſet Ieſus de monte, ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. Et extendens manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare.

Ad Magnificat, Aña. Domine, ſi vis, potes me mundare. Et ait Ieſus: Volo, mundare.

FERIA SECVNDA.

De Epiſtola prima ad Corinthios.

Lectio j. C. 16.

DE collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui Eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam ſabbati vnuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit: vt non, cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem præſens fuero: quos probaueritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Ieruſalem. Quod ſi dignum fuerit, vt & ego eam, mecum ibunt.

Lectio ij.

VEniam autem ad vos, cum Macedoniam pertranſiero: nam Macedoniam pertranſibo. Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hiemabo, vt vos me deducatis, quocumque iero. Nolo enim vos modo in tranſitu videre: ſpero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit. Permanebo autem Epheſi vſque ad Pentecoſtem. Oſtium enim mihi apertum eſt magnum, & euidens, & aduerſarij multi.

Lectio iij.

SI autem venerit Timotheus, videte, vt ſine timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur, ſicut, & ego. Ne quis ergo illum ſpernat: deducite autem illum in pace, vt veniat ad me: expecto enim illum cum fratribus. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogaui eum, vt veniret ad vos cum fratribus: & vtique non fuit voluntas, vt nunc veniret: veniet autem, cum ei vacuum fuerit.

FERIA TERTIA.

Incipit Epiſtola ſecunda B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

Lectio j. C. 1.

PAulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater, Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, cum omnibus ſanctis qui ſunt in vniuer-

vniuerſa Achaia. Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra: vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in omni preſſura ſunt, per exhortationem qua exhortamur, & ipſi à Deo. Quoniam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis: ita, & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Lectio ij.

SIue autem tribulamur, pro veſtra exhortatione,& ſalute: ſiue conſolamur, pro veſtra conſolatione:ſiue exhortamur, pro veſtra exhortatione, & ſalute, quæ operatur tolerantiam earundem paſſionum, quas, & nos patimur: vt ſpes noſtra firma ſit pro vobis: ſcientes, quòd ſicut ſocij paſſionum eſtis ſic eritis, & conſolationis. Lectio iij.

NOn enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia: quoniam ſupra modum grauati ſumus ſupra virtutem,ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui ſuſcitat mortuos: qui de tantis periculis nos eripuit,& eruit:in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet, adiuuantibus, & vobis in oratione pro nobis: vt ex multorum perſonis, eius quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

FERIA QVARTA.

De Epiſtola ſecunda ad Corinthios. Lectio j. C. 3.

INcipimus iterum noſmetipſos cõmendare? aut numquid egemus (ſicut quidam) commendatitijs epiſtolis ad vos, aut ex vobis? Epiſtola noſtra vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris,quæ ſcitur,& legitur ab omnibus hominibus: manifeſtati quòd epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Lectio ij.

FIduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum: non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt:qui,& idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu: littera enim occidit,ſpiritus autem viuificat. Quòd ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius,quæ euacuatur:quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Lectio iij.

NAm ſi miniſtratio damnationis gloria eſt: multo magis abundat miniſterium iuſtitiæ in gloria. Nam nec glorificatum eſt, quod claruit in hac parte, propter excellentẽ gloriam,Si enim quod euacuatur,per gloriam eſt: multo magis quod manet, in gloria eſt. Habentes igitur talem

lem ſpem, multa fiducia vtimur: & non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſrael in faciem eius quod euacuatur, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum.

FERIA QVINTA.

De Epiſtola ſecunda ad Corinthios.

Lectio j. C. 5.

SCimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in cælis. Nam, & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cælo eſt, ſuper indui cupientes: ſi tamen veſtiti, non nudi inueniamur. Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati: eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt, à vita. Lectio ij.

AVdentes igitur ſemper, ſcientes quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. Et ideo contendimus, ſiue abſentes, ſiue præſentes, placere illi. Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti: vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.

Lectio iij.

SCientes ergo, timorem Domini hominibus ſuadeamus, Deo autem manifeſti ſumus. Spero autem, & in conſcientijs veſtris manifeſtos nos eſſe. Non iterum commendamus nos vobis: ſed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis: vt habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde. Siue enim mente excedimus, Deo: ſiue ſobrij ſumus, vobis. Charitas enim Chriſti vrget nos.

FERIA SEXTA.

De Epiſtola ſecunda ad Corinthios.

Lectio j. C. 7.

HAs ergo habentes promiſſiones, chariſſimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei. Capite nos. Neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus. Non ad condemnationem veſtram dico: prædiximus enim, quòd in cordibus noſtris eſtis ad commoriendum, & ad conuiuendum. Lectio ij.

MVlta mihi fiducia eſt apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra. Nam, & cum veniſſemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus: foris pugnæ, intus timores. Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus in aduentu Titi. Lectio iij.

NOn ſolum autem in aduentu eius, ſed etiam in conſolatione, qua conſolatus eſt in vobis, referens nobis veſtrum deſiderium, ve-

ſtram

ſtrum fletum, veſtram æmulationem pro me, ita vt magis gauderem, Quoniam etſi contriſtaui vos in epiſtola, nō me pœnitet: & ſi pœniteret, vidēs quòd epiſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtauit: nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.

SABBATO.

De Epiſtola ſecunda ad Corinthios.

Lectio j. C. 8.

NOtam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſijs Macedoniæ: quod in multo experimento tribulationis abū dantis gaudij ipſorum fuit, & altiſſima paupertas eorum abundauit in diuitias ſimplicitatis eorum: quia ſecundum virtutem teſtimonium illis reddo, & ſupra virtutem voluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterij, quod fit in Sanctos.

Lectio ij.

ET non ſicut ſperauimus, ſed ſemetipſos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei, ita vt rogaremus Titum: vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vobis etiam gratiam iſtam. Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni ſollicitudine, inſuper, & charitate veſtra in nos, vt & in hac gratia abundetis.

Lectio iij.

NOn quaſi imperans dico: ſed per aliorum ſollicitudinem, etiam veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans. Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis. Et conſilium in hoc do: hoc enim vobis vtile eſt, qui non ſolum facere, ſed & velle cœpiſtis ab anno priore.

DOMINICA III.

Poſt Octau. Epiphaniæ.

Sabbato præcedenti. Ad Magnificat, Antiph. Peccata. 191. Oratio.

DEus, qui nos in tantis periculis conſtitutos, pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere: da nobis ſalutem mentis, & corporis: vt ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, te adiuuante vincamus. Per Dominum.

IN I. NOCTVRNO.

De Epiſtola ſecunda ad Corinthios.

Lectio j. C. 10.

IPſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem, & modeſtiam Chriſti, qui in facie quidem humilis ſum inter vos, abſens autem confido in vobis. Rogo autem vos, ne præſens audeam per eam confidentiam, qua exiſtimor audere in quoſdam, qui arbitrantur nos tamquam ſecundum carnem ambulemus. In carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militamus.

Lectio ij.

NAm arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam

tiam

tiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit veſtra obedientia. Quæ ſecundum faciem ſunt, videte.

Lectio iij.

SI quis confidit ſibi, Chriſti ſe eſſe: hoc cogitet iterum apud ſe, quia ſicut ipſe Chriſti eſt, ita & nos. Nam, & ſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram: non erubeſcam. Vt autem non exiſtimer tamquam terrere vos per epiſtolas: quoniam quidem epiſtolæ, inquiunt, graues ſunt, & fortes, præſentia autem corporis infirma, & ſermo contemptibilis, hoc cogitet qui eiuſmodi eſt, quia quales ſumus verbo per epiſtolas abſentes, tales, & præſentes in facto.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola ſecunda ad Corinthios.

Lectio iv. C. 10.

NOn enim audemus inſerere, aut comparare nos quibuſdam, qui ſeipſos commendant: ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis. Nos autem non in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus, menſuram pertingendi vſque ad vos. Non enim quaſi non pertingentes ad vos, ſuperextendimus nos, vſque ad vos enim peruenimus in Euangelio Chriſti.

Lectio v.

NOn in immenſum gloriantes in alienis laboribus: ſpem autem habentes creſcentis fidei veſtræ, in vobis magnificari ſecundum regulam noſtram in abundantiam, etiam in illa, quæ vltra vos ſunt, euangelizare, non in aliena regula in ijs quæ præparata ſunt gloriari. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum cõmendat, ille probatus eſt: ſed quem Deus commendat.

Lect. vj. C. 11.

VTinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ, ſed & ſupportate me. Aemulor enim vos Dei æmulatione. Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Timeo autem ne ſicut ſerpens Heuam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto. Nam ſi is, qui venit, alium Chriſtum prædicat, quem non prædicauimus, aut alium ſpiritum accipitis, quem non accepiſtis: aut aliud Euangelium, quod non recepiſtis: recte pateremini.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lect. vij. C. 8.

IN illo tempore: Aſcendente Ieſu in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius: & ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus: ipſe vero dormiebat. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Libr. 1. Com. in cap. 8. Matt.

QVintum ſignum fecit, quando aſcendens nauem de Capharnaum, ventis imperauit, & mari. Sextum, quando in regione Geraſenorum dedit poteſtatem dæmonibus in porcos. Septimum, quando ingrediens ciuitatem ſuam, paralyticum ſecundum curauit in lectulo. Primus enim paralyticus eſt puer Centurionis. Lectio viij.

IPſe vero dormiebat: & acceſſerũt ad eum, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Domine ſalua nos. Huius ſigni typum in Iona legimus, quando ceteris periclitantibus, ipſe ſecurus eſt, & dormit, & ſuſcitatur: & imperio ac ſacramento paſſionis ſuæ liberat ſuſcitantes. Tunc ſurgens imperauit ventis, & mari. Ex hoc loco intelligimus, quòd omnes creaturæ ſentiant creatorem. Quas enim increpauit, & quibus imperauit, ſentiunt imperantem: non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, ſed maieſtate conditoris, quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt. Lectio ix.

POrro homines mirati ſunt, dicenter: Qualis eſt hic, quia venit, & mare obediunt ei? Non diſcipuli, ſed nautæ, & ceteri qui in naui erant, mirabantur. Sin autem quis contentioſe voluerit, eos qui mirabantur, fuiſſe diſcipulos: reſpondebimus, rectè homines appellatos, qui necdum nouerant potentiam Saluatoris.

Ad Benedictus, Antiphona.

Aſcendente Ieſu in nauiculam, ecce motus magnus factus eſt in mari: & ſuſcitauerunt eum diſcipuli eius, dicentes: Domine, ſalua nos, perimus.

Ad Magnificat, Antiphona.

Domine, ſalua nos, perimus: impera, & fac Deus tranquillitatem.

FERIA SECVNDA.

Incipit Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Galatas. Lect. j. C. 1.

PAulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis: & qui mecum ſunt omnes fratres, Eccleſijs Galatiæ. Gratia vobis, & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundum voluntatem Dei, & Patris noſtri, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Lectio ij.

MIror quòd ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratia Chriſti, in aliud Euangelium: quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti. Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euãgelizauimus vobis, ãathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.

Lectio iij.

MOdo enim hominibus ſuadeo, an Deo? An quæro homini

minibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Notum enim vobis facio, fratres Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.

FERIA TERTIA.

De Epiſtola ad Galatas.

Lectio j. C. 3.

O Inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Ieſus Chriſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus? Hoc ſolum à vobis volo diſcere: Ex operibus legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis. nunc carne conſumemini? Tanta paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa.

Lectio ij.

QVi ergo tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? Sicut ſcriptum eſt: Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Cognoſcite ergo, quia qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ. Prouidens autem Scriptura, quia ex fide iuſtificat Gentes Deus, prænunciauit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes Gentes.

Lectio iij.

IGitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham. Quicumque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in Libro legis, vt faciat ea. Quoniam autem in lege nemo iuſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt: quia iuſtus ex fide viuit. Lex autem non eſt ex fide, ſed, Qui fecerit ea, viuet in illis.

FERIA QVARTA.

De Epiſtola ad Galatas.

Lectio j. C. 3.

ABrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius. Non dicit: Et ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in vno: Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico, teſtamentum confirmatum à Deo: quæ poſt quadringentos, & triginta annos facta eſt Lex, non irritum facit ad euacuandam promiſſionem. Nam ſi ex lege hereditas, iam non ex promiſſione. Abrahæ autem per repromiſſionem donauit Deus.

Lectio ij.

QVid igitur lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnus eſt. Lex ergo aduerſus promiſſa Dei? Abſit. Si enim data eſſet lex, quæ poſſet viuificare, vere ex lege eſſet iuſtitia. Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.

Lectio iij.

PRius autem quàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur

Digitized by Google

concluſi in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur. At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo. Omnes enim filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quicumque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

FERIA QVINTA.

De Epiſtola ad Galatas.

Lectio j. C. 4.

DIco autem: Quanto tempore heres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit dominus omnium: ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt vſque ad præfinitum tempus à patre: ita & nos cum eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes. At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Lectio ij.

QVoniam autem eſtis filij, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra clamantem: Abba, Pater. Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius: quòd ſi filius: & heres per Deum. Sed tunc quidem ignorantes Deum, ijs, qui natura non ſunt dij, ſeruiebatis. Nunc autem cum cognoueritis Deum, immo cogniti ſitis à Deo: quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo ſeruire vultis?

Lectio iij.

DIes obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. Timeo vos, ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis. Eſtote ſicut ego, quia & ego ſicut vos: fratres obſecro vos. Nihil me læſiſtis. Scitis autem, quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iampridem: & tentationem veſtram in carne mea non ſpreuiſtis, nec reſpuiſtis, ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtũ Ieſum.

FERIA SEXTA.

De Epiſtola ad Galatas.

Lectio i. C. 5.

DIco autem: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur: vt non quæcumque vultis, illa faciatis. Quòd ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.

Lectio ij.

MAnifeſta ſunt autem opera carnis: quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.

Lectio iij.

FRuctus autem ſpiritus eſt: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longaminitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Aduerſus huiuſmodi

non

Digitized by Google

non eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs. Si ſpiritu viuimus, ſpiritu, & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicē prouocantes, inuicem inuidentes.

SABBATO.

De Epiſtola ad Galatas.

Lectio j. C. 6.

FRatres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Nam ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Opus autem ſuum probet vnuſquiſq. & ſic in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & non in altero. Vnuſquiſque enim onus ſuum portabit.

Lectio ij.

COmmunicet autem is, qui catechizatur verbo, ei qui ſe catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autē ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes.

Lectio iij.

ERgo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Videte qualibus litteris ſcripſi vobis meâ manu. Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum, vt Crucis Chriſti perſecutionem non patiantur. Neque enim qui circumciduntur, legem cuſtodiunt: ſed volunt vos circumcidi, vt in carne veſtra glorientur.

DOMINICA IIII.

Poſt Octau. Epiphaniæ.

Sabbato præcedenti. Ad Magnificat, Antiph. Peccata. 183.

Oratio.

FAmiliam tuam, quæſumus Domine, continua pietate cuſtodi: vt quæ in ſola ſpe gratiæ cæleſtis innititur, tua ſemper protectione muniatur. Per Dominum.

IN I. NOCTVRNO.

Incipit Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Epheſios.

Lectio j. C. 1.

PAulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, omnibus ſanctis, qui ſunt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Ieſu. Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate.

Lectio ij.

QVi prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum: ſecundum

dum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto Filio ſuo. In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia, & prudentia: vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum eius, quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt, in ipſo.

Lectio iij.

IN quo etiam, & nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ: vt ſimus in laudem gloriæ eius nos, qui ante ſperauimus in Chriſto. In quo, & vos, cum audiſſetis verbum veritatis, (Euangelium ſalutis veſtræ) in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſt. ad Epheſios. Lect. iv. C. 2.

ET vos, cum eſſetis mortui delictis, & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſæculum mundi huius, ſecundum principem poteſtatis aeris huius, ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ: in quibus, & nos omnes aliquando conuerſati ſumus in deſiderijs carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis, & cogitationum, & eramus natura filij iræ, ſicut, & ceteri.

Lectio v.

DEus autem, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto (cuius gratia eſtis ſaluati,) & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu: vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.

Lectio vj.

GRatia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Propter quod memores eſtote, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circumciſio in carne, manu facta: quia eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto Ieſu vos, qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lect. vij. C. 13.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis parabolam hanc: Simile factum eſt

eſt regnum cælorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo; Et reliqua. Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Libr. Quæſtion. Euang. in Matth. cap. . tom. 4.

CVm negligentius agerent præpoſiti Eccleſiæ, aut cum dormitionem mortis acciperent Apoſtoli, venit diabolus, & ſuperſeminauit eos, quos malos filios Dominus interpretatur. Sed quæritur, vtrum hæretici ſint, an male viuentes Catholici. Poſſunt enim dici filij mali etiam hæretici, quia ex eodem Euangelij ſemine, & Chriſti nomine procreati, prauis opinionibus ad falſa dogmata conuertuntur.

Lectio viij.

SEd quòd dicit eos in medio tritici ſeminatos, quaſi videntur illi ſignificari, qui vnius communionis ſunt. Verumtamen quoniam Dominus agrum ipſum, non Eccleſiam, ſed hunc mundum interpretatus eſt: bene intelliguntur hæretici, quia non ſocietate vnius Eccleſiæ, vel vnius fidei, ſed ſocietate ſolius nominis Chriſtiani in hoc mundo permiſcentur bonis. At illi qui in eadem fide mali ſunt, palea potius quàm zizania reputantur: quia palea etiam fundamentum ipſum habet cum frumento, radicemque communem.

Lectio ix.

IN illa planè ſagena, qua concluduntur & mali & boni piſces, non abſurdè mali Catholici intelliguntur. Aliud eſt enim mare, quod magis mundum iſtum ſignificat: aliud ſagena, quæ vnius Fidei, vel vnius Eccleſiæ communionem videtur oſtēdere. Inter hæreticos, & malos Catholicos hoc intereſt, quòd hæretici falſa credunt: illi autem vera credentes, non viuunt ita vt credunt.

Ad Benedictus, Antiphona.

Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Hoc fecit inimicus homo.

Ad Magnificat, Antiphona.

Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum, dicit Dominus.

FERIA SECVNDA.

De Epiſtola ad Epheſios.

Lectio j. C. 4.

OBſecro itaque vos ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes inuicem in charitate, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma. Vnus Deus, & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

Lectio ij.

VNicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit: Aſcendens in altum, captiuam duxit

duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos, vt impleret omnia.

Lectio iij.

ET ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

FERIA TERTIA.

De Epiſtola ad Epheſios.

Lectio j. C. 4.

HOc igitur dico, & teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis, ſicut & Gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes, ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in auaritiam.

Lectio ij.

REnouamini autem ſpiritu mẽtis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnuſquiſq; cum proximo ſuo: quoniam ſumus inuicem membra. Iraſcimini, & nolite peccare: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo.

Lectio iij.

QVi furabatur, iam non furetur: magis autem laboret, operando manibus ſuis, quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti. Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei: in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.

FERIA QVARTA.

De Epiſtola ad Epheſios.

Lectio j. C. 5.

EStote ergo imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi: & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Fornicatio autẽ, & omnis immũditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet: ſed magis gratiarum actio.

Lectio ij.

HOc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hereditatem in regno Chriſti, & Dei. Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt

filij

filij lucis ambulate.

Lectio iij.

Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate: probantes quid ſit beneplacitum Deo. Et nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiũt ab ipſis, turpe eſt, & dicere. Omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur: omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt.

FERIA QVINTA.

De Epiſtola ad Epheſios.

Lectio j. C. 5.

Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudentes: ſed intelligentes, quæ ſit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria: ſed implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo, & Patri.

Lectio ij.

Subiecti inuicem in timore Chriſti. Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris: ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ. Ipſe, ſaluator corporis eius. Sed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea.

Lectio iij.

Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſũ diligit. Nemo enim vmquam carnem ſuam odio habuit: ſed nutrit, & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Quia membra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſſibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrẽ ſuã, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.

FERIA SEXTA.

De Epiſtola ad Epheſios.

Lectio j. C. 6.

Filij, obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim iuſtũ eſt. Honora patrem tuum, & matrem tuam: quod eſt mandatum primum in promiſſione: vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros: ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini.

Lectio ij.

Serui, obedite dominis carnalibus, cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto: non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino, & non hominibus: ſcientes quoniam vnuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſiue ſeruus, ſiue liber.

Le-

Lectio iij.

ET vos domini eadem facite illis, remittentes minas: ſcientes, quia & illorum, & veſter Dominus eſt in cælis: & perſonarum acceptio non eſt apud eum. De cetero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli.

SABBATO.

De Epiſtola ad Epheſios.

Lectio j. C. 5.

NOn eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem: ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ, in cæleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. Lectio ij.

IN omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite: & gladium ſpiritus (quod eſt verbum Dei) per omnem orationem, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu: & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus ſanctis, & pro me, vt detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myſterium Euangelij: pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipſo audeam, prout oportet me loqui.

Lectio iij.

VT autem, & vos ſciatis, quæ circa me ſunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychichus chariſſimus frater, & fidelis miniſter in Domino: quem miſi ad vos in hoc ipſum, vt cognoſcatis quæ circa nos ſunt, & conſoletur corda veſtra. Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto.

DOMINICA V.

Poſt Octau. Epiphaniæ.

Sabbato præcedenti. Ad Magnificat, Antiph. Peccata. 183. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt ſemper rationabilia meditantes: quæ tibi ſũt placita, & dictis exequamur, & factis. Per Dominum.

IN I. NOCTVRNO.

Incipit Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Philippenſes. Lectio j. C. 1.

PAulus, & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti, omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconibus. Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias ago Deo meo in omni memoria veſtri, ſemper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationẽ faciens, ſuper cõmunicatione veſtra in Euangelio Chriſti à prima die vſq; nunc: confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. Lectio ij.

SIcut eſt mihi iuſtum, hoc ſentire pro omnibus vobis, eo quòd habeam

beam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione, & confirmatione Euangelij, ſocios gaudij mei omnes vos eſſe. Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus Ieſu Chriſti. Et hoc oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu: vt probetis potiora, vt ſitis ſinceri, & ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu iuſtitiæ per Ieſum Chriſtum, in gloriam, & laudem Dei.

Lectio iij.

SCire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: ita vt vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni prætorio, & in ceteris omnibus: & plures è fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent ſine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem: quidam autem, propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant: quidam ex charitate, ſcientes quoniam in defenſionẽ Euangelij poſitus ſum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola ad Philippenſes.

Lectio iv. C. 1.

QVidam autem ex contentione Chriſtum annunciant non ſincere, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur: & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Scio enim quia hoc mihi proueniet ad ſalutem, per veſtram orationem & ſubminiſtrationem Spiritus Ieſu Chriſti: ſecundum expectationem, & ſpem meam, quia in nullo confundar.

Lectio v.

SEd in omni fiducia ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitã, ſiue per mortem. Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quòd ſi viuere in carne, hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam ignoro. Coarctor autem è duobus: deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multo magis melius: permanere autem in carne, neceſſarium propter vos.

Lectio vj.

ET hoc confidens ſcio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum, & gaudium fidei: vt gratulatio veſtra abundet in Chriſto Ieſu in me, per meum aduentum iterum ad vos. Tantum digne Euangelio Chriſti conuerſamini: vt ſiue cum venero, & videro vos, ſiue abſens audiam de vobis, quia ſtatis in vno ſpiritu vnanimes, collaborantes fidei Euangelij: & in nullo terreamini ab aduerſarijs.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Lectio vij. C. 13.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis parabolam hanc: Simile eſt regnũ cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo. Et reliqua.

Homi-

Digitized by Google

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.
Libr. 2. Com. in c. 13. Matt.

REgnum cælorum, prædicatio Euangelij eſt, & notitia Scripturarum, quæ ducit ad vitam, & de qua dicitur ad Iudæos: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Simile eſt ergo huiuſcemodi regnum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo. Homo qui ſeminat in agro ſuo, à pleriſque Saluator intelligitur, quòd in animis credentium ſeminet: ab alijs ipſe homo ſeminans in agro ſuo, hoc eſt ſemetipſo, & in corde ſuo. Lectio viij.

QVis eſt iſte qui ſeminat, niſi ſenſus noſter, & animus: qui ſuſcipiens granum prædicationis, & fouens ſementem, humore fidei facit in agro ſui pectoris pullulare? Prædicatio Euangelij minima eſt omnibus diſciplinis. Ad primam quippe doctrinam, fidem non habet veritatis, hominem Deum, Chriſtum mortuum, & ſcandalum crucis prædicans. Confer huiuſcemodi doctrinam dogmatibus philoſophorum, & libris eorum, & ſplendori eloquentiæ, & compoſitioni ſermonũ: & videbis quanto minor ſit ceteris ſeminibus ſementis Euangelij. Lectio ix.

SEd illa cum creuerint, nihil mordax, nihil viuidum, nihil vitale demonſtrant: ſed totum flaccidum marcidumque ebullit in olera, & in herbas, quæ cito creſcunt, & corruũt. Hæc autem prædicatio, quæ parua videbatur in principio, cum vel in anima credentis, vel in toto mundo ſata fuerit, non exurgit in olera, ſed creſcit in arborem: ita vt volucres cæli (quas vel animas credentium, vel fortitudines, Dei ſeruitio mancipatas, ſentire debemus) veniant, & habitent in ramis eius.

Ad Benedictus, Antiph. Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod minimum eſt omnibus ſeminibus: cum autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus.

Ad Magnificat, Antiphon. Simile eſt regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.

FERIA SECVNDA.

De Epiſtola ad Philipenſes.
Lectio j. C. 2.

SI qua ergo conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis: implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque inanem gloriam: ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea, quæ aliorum. Lectio ij.

HOc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum

nium factus, & habitu inuentus, vt homo. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Lectio iii.

PRopter, quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Itaq. chariſſimi mei (ſicut ſemper obediſtis:) non vt in præſentia mei tantum, ſed multo magis nunc in abſentia mea, cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.

FERIA TERTIA.

De Epiſtola ad Philippenſes.

Lectio i. C. 2.

OMnia autem facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus: vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione in medio nationis prauæ, & peruerſæ: inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Chriſti, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui. Lectio ij.

SEd, & ſi immolor ſupra ſacrificium, & obſequium fidei veſtræ gaudeo, & congratulor omnibus vobis. Idipſum autem, & vos gaudete, & congratulamini mihi. Spero autem in Domino Ieſu, Timotheum me cito mittere ad vos: vt & ego bono animo ſim, cognitis, quæ circa vos ſunt. Neminem enim habeo tam vnanimem: qui ſincera affectione pro vobis ſollicitus ſit. Lectio iij.

OMnes enim quæ ſua ſunt quærũt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti. Experimentum autem eius cognoſcite, quia ſicut patri filius, mecum ſeruiuit in Euangelio. Hunc igitur ſpero me mittere ad vos, mox vt videro quæ circa me ſunt. Confido autem in Domino quoniam, & ipſe veniam ad vos cito.

FERIA QVARTA.

De Epiſtola ad Philippenſes.

Lectio i. C. 3.

DE cetero fratres mei gaudete in Domino. Eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium. Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem. Nos enim ſumus circũciſio, qui ſpiritu ſeruimus Deo, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non in carne fiduciam habentes, quamquam ego habeam confidentiam, & in carne. Lectio ij.

SI quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circumciſus octauo die, ex genere Iſrael, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, ſecũdũ legẽ Phariſæus, ſecundũ æmulationẽ perſequẽs Eccleſiã Dei, ſecũdum iuſtitiã, quæ in legẽ eſt, conuerſatus ſine querela. Sed quæ mihi fuerũt lucra hæc arbitratus ſum propter Chriſtũ detrimenta. Lectio iij.

VErumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini

ni mei: propter quem omnia detrimẽ tum feci, & arbitror, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu: quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide.

FERIA QVINTA.

De Epiſtola ad Philippenſes.

Lectio j. C. 3. & 4.

FRatres, ego me non arbitror com prenhendiſſe. Vnum autem: quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea vero, quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum preſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus: & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. Vnumtamen ad quod peruenimus, vt idem ſapiamus, & in eadem permaneamus regula. Lectio ij.

IMitatores mei eſtote fratres, & obſeruate eos qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem, & flens dico) inimicos crucis Chriſti: quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt.

Lectio iij.

VNde etiam Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ, ſecundum operationem, qua etiam poſſit ſubijcere ſibi omnia. Itaque fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea: ſic ſtate in Domino chariſſimi.

FERIA SEXTA.

De Epiſtola ad Philippenſes.

Lectio j. C. 4.

ETiam rogo, & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & ceteris adiutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ. Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: Dominus prope eſt. Nihil ſolliciti ſitis: ſed in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Lectio ij.

ET pax Dei, quæ exuperat omnẽ ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu. De cetero fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate. Lectio iij.

QVæ, & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiſcum. Gauiſus ſum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruiſtis pro me ſentire, ſicut & ſentiebatis: occupati autem eratis. Non quaſi propter penuriam dico, ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe.

SAB-

Digitized by Google

SABBATO.

De Epiſtola ad Philippenſes.

Lectio j. C. 4.

SCio & humiliari, ſcio & abundare: (vbique, & in omnibus inſtitutus ſum,) & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Verumtamen bene feciſtis, communicantes tribulationi meæ. Scitis autem, & vos Philippenſes, quòd in principio Euangelij, quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati, & accepti, niſi vos ſoli: quia & Theſſalonicam ſemel, & bis in vſum mihi miſiſtis. Lectio ij.

NOn quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra. Habeo autem omnia, & abundo: repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis odorem ſuauitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo. Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum ſecundum diuitias ſuas in gloria, in Chriſto Ieſu. Lectio iij.

DEo autem, Patri noſtro, gloria in ſæcula ſæculorum: Amen. Salutate omnem ſanctum in Chriſto Ieſu. Salutant vos, qui mecum ſunt, fratres. Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de Cæſaris domo ſunt. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.

DOMINICA.

In Septuageſima.

Sabbato præcedenti ad Veſperas. ℞. Igitur. iij.

Ad Magnificat, Antiphona.

Peccata mea. 183. Oratio.

PReces populi tui, quæſumus Domine, clementer exaudi: vt qui iuſte pro peccatis noſtris affligimur: pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur. Per Dominum.

℣. Benedicamus Domino, alleluia, alleluia. ℞. Deo gratias, alleluia, alleluia. Et deinceps numquam dicitur. Alleluia. vſque ad Sabbatum ſanctum: ſed in principio quarumlibet Horarum poſt ℣. Sicut erat. dicitur. Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ. loco Alleluia.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Præoccupemus faciem Domini: Et in pſalmis iubilemus ei. Prædictum Inuit. reſumatur poſt Salutari noſtro. & dicitur etiam in duabus Dominicis ſequentibus.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Incipit Liber Geneſis.

Lectio j. C. 1.

IN principio creauit Deus cælum, & terram. Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quòd eſſet bona: & diuiſit lucem à tenebris. Appellauitque lucē diem, & tenebras noctem: factumque eſt veſpere, & mane, dies vnus. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum: diuiſit-

diuiſitque aquas, quæ erant ſub firmamento, ab his, quæ erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita. Vocauitque Deus firmamentum, cælum: & factum eſt veſpere, & mane, dies ſecundus. ℞. In principio fecit Deus cælum, & terram, & creauit in ea hominem Ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. ℣. Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Ad imaginem.

Lectio ij.

DIxit vero Deus: Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt, in locum vnum: & appareat arida. Et factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam, Terram, congregationeſque aquarũ appellauit Maria. Et vidit Deus, quòd eſſet bonum, & ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetiſpo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens vnumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam. Et vidit Deus, quòd eſſet bonum: & factum eſt veſpere, & mane, dies tertius. ℞. In principio Deus creauit cælum, & terram: & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas: & vidit Deus cuncta, quæ fecerat, Et erant valde bona. ℣. Igitur perfecti ſunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Et erant.

Lectio iij.

DIxit autẽ Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidãt diẽ ac noctẽ, & ſint in ſigna, & tẽpora, & dies, & annos: vt luceant in firmamẽto cæli, & illuminent terram. Et factum eſt ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti: & ſtellas. Et poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terrã: & præeſsẽt diei ac nocti, & diuiderẽt lucẽ ac tenebras. Et vidit Deus quòd eſſet bonũ: & factũ eſt veſpere, & mane, dies quartus. ℞. Igitur perfecti ſunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum: compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, Et requieuit ab omni opere, quod patrarat. ℣. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et requieuit. Gloria. Ab omni.

IN II. NOCTVRNO.

Incipit Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Coloſſenſes. Lectio iv.

PAulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus frater: eis qui ſunt Coloſſis, ſanctis, & fidelibus fratribus in Chriſto Ieſu. Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Gratias agimus Deo, & Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti ſemper pro vobis orantes: audientes fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem, quam habetis in sãctos omnes propter ſpẽ, quæ repoſita eſt vobis in cælis: quam audiſtis in verbo veritatis Euangelij: quod

quod peruenit ad vos, ſicut & in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit ſicut in vobis, ex ea die qua audiſtis, & cognouiſtis gratiam Dei in veritate, ſicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſeruo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis miniſter Chriſti Ieſu, qui etiam manifeſtauit nobis dilectionē veſtram in ſpiritu. ℟. Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo, In animam viuentem. ℣. In principio fecit Deus cælum, & terram, & creauit in ea hominem. In animam viuentē. Lect. v.

IDeo, & nos ex qua die audiuimus, non ceſſamus pro vobis orantes, & poſtulantes: vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni ſapientia, & intellectu ſpiritali: vt ambuletis digne, Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei: in omni virtute confortati ſecundum potentiam claritatis eius, in omni patientia, & longanimitate cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine. ℟. Tulit ergo Dominus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis: Vt operaretur, & cuſtodiret illum. ℣. Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis ab initio, in quo poſuit hominem, quem formauerat. Vt operaretur. Lectio vi.

QVi eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filij dilectionis ſuæ: in quo habemus redemptionem peccatorum: qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis. ℟. Dixit Dominus Deus: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. ℣. Adæ vero non inueniebatur adiutor ſimilis ſibi: dixit quoque Deus. Faciamus ei adiutorium. Gloria Patri. Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Lectio vij. C. 20.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorij Papæ.

Homil. 19. in Euang. poſt princ.

REgnum cælorum homini patrifamilias ſimile dicitur, qui ad excolendam vineam ſuam operarios conducit. Quis vero patrisfamilias ſimilitudinem rectius tenet, quàm cōditor noſter, qui regit quos cōdidit, &

electos ſuos ſic in hoc mundo poſſidet, quaſi ſubiectos dominus in domo? Qui habet vineam, vniuerſalem ſcilicet Eccleſiam, quæ ab Abel iuſto vſque ad vltimum electum, qui in fine mundi naſciturus eſt, quot ſanctos protulit, quaſi tot palmites miſit. ℟. Immiſit Dominus ſoporem in Adam, & tulit vnam de coſtis eius: & ædificauit coſtam quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adã, vt videret quid vocaret eam: Et vocauit nomen eius Virago, quia de viro ſumpta eſt. ℣. Cúmque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Et vocauit.

Lectio viij.

Hic itaque paterfamilias ad excolendam vineam ſuam, mane, hora tertia, ſexta, nona, & vndecima operarios conducit: quia à mundi huius initio vſque in finem ad erudiẽdam plebem fidelium, prædicatores congregare non deſtitit. Mane etenim mundi fuit ad Adam vſque ad Noe: hora vero tertia à Noe vſque ad Abraham: ſexta quoque ab Abraham vſque ad Moyſen: nona autem à Moyſe vſque ad aduentum Domini: vndecima vero ab aduentum Domini vſque ad finem mundi. In qua prædicatores ſancti Apoſtoli miſſi ſunt, qui mercedem plenam, & tarde venientes acceperunt. ℟. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt ſciens bonum, & malum: Videte ne forte ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum. ℣. Cherubim collocauit Dominus, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, & ait. Videte.

Lectio ix.

Ad erudiendam igitur Dominus plebem ſuam, quaſi ad excolendam vineam ſuam, nullo tempore deſtitit operarios mittere: quia & prius per patres, & poſtmodum per legis doctores, & prophetas: ad extremum vero per Apoſtolos, dum plebis ſuæ mores excoluit, quaſi per operarios in vineæ cultura laborauit: quamuis in quolibet modulo, vel mẽſura, quiſquis cum fide recta bonæ prædicator actionis extitit, huius vineæ operarius fuit. ℟. Vbi eſt Abel frater tuus? dixit Dominus ad Cain. Neſcio Domine, numquid cuſtos fratris mei ſum ego? Et dixit ad eum: Quid feciſti? Ecce vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. ℣. Maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua. Ecce vox. Gloria Patri. Ecce. ℟. Vbi eſt Abel frater. Non dicatur Te Deum, nec deinceps vſque ad Paſcha: niſi in Duplicibus, & ſupra: ſed nonum Reſponſorium repetatur vſque ad ℣. excluſiue. ℣. Excelſus ſuper. 191.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

Miſerere mei Deus, & à delicto meo munda me; quia tibi ſoli peccaui. Pſalm. ipſe. 34. Antiph. Confitebor tibi Domine, quoniam exaudiſti me. Pſalm. Confitemini. Vi. 79. Antiph. Deus Deus meus ad te de luce

vigilo,

vigilo, quia factus es adiutor meus. Pſalm. Ipſe. 41. Aña. Benedictus es in firmamento cæli, & laudabilis in ſæcula Deus noſter. Canticum Benedicite. 98. Aña. Laudate Dominum de cælis. Pſalm. Ipſe. 97.

℣. Domine refugium factus es nobis.

℟. A generatione, & progenie.

Ad Benedictus, Antiphona.

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam, dicit Dominus.

Ad Primam, Antiphona.

Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, miſit in vineam ſuam. Pſal. Deus Deus meus reſpice. 41. Dominus regit. 15. Gloria Patri. Pſalm. Domini eſt terra 15. Ad te Domine leuaui. 15. Gloria Patri. Pſalm. Iudica me Domine quoniam. 16. Deus in nomine. 35. Gloria. Pſalm. Dominus regnauit. 61. Beati immaculati. 79. Gloria. Pſalm. Retribue. Gloria Patri. Symbolum. Quicumque 106. Gloria Patri. Prædicti Pſalmi dicantur prædicto modo Dominicis diebus ad Primam uſque ad Ramos incluſiue, quando de Dominica agitur.

Ad Tertiam, Antiphona.

Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit, dabo vobis. ℟. Spes mea Domine, A iuuentute. non repetitur ℟. & ſic in omnibus Reſponſoriis, quæ ad Tertiam, Sextam, & Nonam deinceps notabuntur uſque ad Paſcha, quando dicentur. ℣. In te confirmatus ſum ex vtero, de ventre matris meæ tu es meus protector. A iuuentute. Gloria Patri. Spes. ℣. Adiutor meus eſto Domine, ne derelinquas me. ℟. Neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.

Ad Sextam, Antiphona.

Quid hic ſtatis tota die otioſi? Reſponderunt, & dixerunt: Quia nemo nos conduxit. ℟. Eſto nobis Domine Turris fortitudinis. ℣. A facie inimici. Turris. Gloria Patri. Eſto. ℣. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. ℟. In loco paſcuæ ibi me collocauit.

Ad Nonam, Antiphona.

Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam, dicit Dominus. ℟. Educ de carcere animã meã. Vt confiteatur nomini tuo Domine. ℣. Perijt fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam. Vt. Gloria Patri. Educ. ℣. Ab occultis meis mũda me Domine. ℟. Et ab alienis parce ſeruo tuo.

Ad Magnificat, Antiphona.

Dixit paterfamilias operarijs ſuis: Quid hic ſtatis tota die otioſi? At illi reſpondentes, dixerunt: Quia nemo nos conduxit. Ite & vos in vineam meã: & quod iuſtũ fuerit, dabo vobis. Per Hebd. quãdo de tẽpore agitur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus. Ad Magnificat, Antiph. Erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi: multi enim ſunt vocati, pauci vero electi, dicit Dominus.

FERIA SECVNDA.

De Libro Geneſis. Lectio j. C. 2.

Igitur perfecti ſunt cæli, & terra. & omnis ornatus eorum. Compleuitq. Deus die ſeptimo opus ſuũ, quod fecerat: & requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus, vt faceret. Iſtæ ſunt generationes cæli, & terræ, quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus Deus, cælum, & terram: & omne virgultum agri an tequã oriretur in terra, omnẽque herbam regionis prius quàm germinaret. Reſponſoria præcedentis Dominicæ, & aliarum ſubſequentium vſque ad Paſcha dicantur etiam per Hebdomadam in Profeſtis diebus ſecundum ordinem Nocturnorum, & Feriarum, niſi in triduo ante Paſcha.

Lectio ij.

Non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat, qui operaretur terram: ſed fons aſcendebat è terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ: & factus eſt homo in animam viuentem. Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio: in quo poſuit hominem quem formauerat.

Lectio iij.

Produxitq. Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignum etiã vitæ in medio paradiſi, lignumquẽ ſcientiæ boni, & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum: qui inde diuiditur in quatuor capita. Nomen vni Phiſon: ipſe eſt qui circuit omnẽ terram Heuilath, vbi naſcitur aurum: & aurum terræ illius optimum eſt: ibi inuenitur bdeliũ, & lapis onychinus.

FERIA TERTIA.

De Libro Geneſis.

Lectio j. C. 2.

Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum: præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.

Lectio ij.

Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. Appellauitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ. Adæ vero non inueniebatur adiutor ſimilis eius. Lectio iij.

Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adã: cumque obdormiſſet, tulit

tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de Viro ſumpta eſt.

FERIA QVARTA.

De Libro Geneſis.

Lectio j. C. 3.

SEd & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier: De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo, veſcimur: de fructu vero ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur.

Lectio ij.

DIxit autem ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut dij, ſcientes bonum, & malum. Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq. delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit. Et aperti ſunt oculi amborum.

Lectio iij.

CVmque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. Et cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram poſt meridiē, abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi. Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es? Qui ait: Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui, eo quòd nudus eſſem, abſcondi me.

FERIA QVINTA.

De Libro Geneſis.

Lectio j. C. 3.

ET ait Dominus Deus ad ſerpentem: Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius? Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.

Lectio ij.

ADæ vero dixit: Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi: & comedes herbam terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Lectio iij. C. 3. & 4.

ET vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Heua, eo quòd mater eſſet cunctorum viuentium. Adam vero cognouit vxorem ſuam Heuam, quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Poſſedi hominem per Deum. Rurſumque peperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel paſtor ouium, & Cain agricola.

FERIA SEXTA.

De Libro Geneſis.

Lectio j. C. 4.

FActum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: & reſpexit Dñs ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain vero, & ad munera illius non reſpexit: iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius.

Lectio ij.

DIxitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras. Cumque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.

Lectio iij.

ET ait Dominus ad Cain: Vbi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit, Neſcio. Num cuſtos fratris mei ſum ego? Dixitque ad eum: Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuũ, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos: vagus, & profugus eris ſuper terram.

SABBATO.

De Libro Geneſis.

Lectio j. C. 4.

DIxitque Cain ad Dominum: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra. Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me. Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet: ſed omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. Poſuitque Dominus Cain ſignũ, vt non interficeret eum omnis qui inueniſſet eum.

Lectio ij.

EGreſſuſque Cain à facie Domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden. Cognouit autem Cain vxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij ſui, Henoch. Porro Henoch genuit Irad, & Irad genuit Mauiael, & Mauiael genuit Mathuſael, & Mathuſael genuit Lamech. Qui accepit duas vxores.

Lectio iij.

HIc eſt liber generationis Adam. In die, qua creauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illũ. Maſculum, & feminam creauit eos, & bene-

benedixit illis: & vocauit nomen eorum Adam, in die quo creati ſunt. Vixit autem Adam centum triginta annis: & genuit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, vocauitque nomen eius Seth.

D O M I N I C A.
In Sexageſima.

Sabbato præcedenti ad Veſper. ℟. Benedicens. ix.
Ad Magnificat, Antiphona. Erunt primi. 227. Oratio.

DEus qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione confidimus: concede propitius, vt contra aduerſa omnia, Doctoris Gentium protectione muniamur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Præoccupemus. vt in præcedenti Dominica. 223.

I N I. N O C T V R N O.
De Libro Geneſis. Lectio j. C. 6.

CVmque cœpiſſent homines multiplicare ſuper terram, & filias procreaſſent: videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt: eruntque dies illius centum viginti annorum. Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis. Poſtquam enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi. ℟. Noe vir iuſtus atque perfectus, cum Deo ambulauit: Et fecit omnia quæcumque præcepit ei Deus. ℣. Noe autem inuenit gratiam ante Dominum Deum. Et fecit.

Lectio ij.

VIdens autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecùs, Delebo, inquit, hominem quem creaui, à facie terræ, ab homine vſque ad animãtia, à reptili vſque ad volucres cæli: pœnitet enim me feciſſe eos. Noe vero inuenit gratiam coram Domino. ℟. Quadraginta dies, & noctes aperti ſunt cæli, & ex omni carne habente ſpiritum vitæ Ingreſſi ſunt in arcã, & clauſit à foris oſtium Dominus. ℣. Noe vero, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius. Ingreſſi. Lectio iij.

HAe ſunt generationes Noe. Noe vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit. Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth. Corrupta eſt autem terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate. Cumque vidiſſet Deus terram eſſe corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram) dixit ad Noe: Finis vniuerſæ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra. ℟. Requieuit arca menſe ſeptimo ſuper mõtes Armeniæ: Et aquæ ibãt, & decreſcebant vſque ad decimum menſem,

℣. Decimo enim menſe, primo die menſis cacumina montium apparuerunt. Et. Gloria. Et aquæ.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola ad Coloſſenſes.

Lectio iv. C.2.

VOlo enim vos ſcire qualé ſollicitudinem habeam pro vobis, & pro ijs, qui ſunt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne: vt conſolentur corda ipſorum, inſtructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterij Dei Patris, & Chriſti Ieſu: in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Hoc autem dico, vt nemo vos decipiat in ſublimitate ſermonum. Nam etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum: gaudens, & videns ordinem veſtrum, & firmamentum eius, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ. ℟. Volens Noe ſcire, ſi iam ceſſaſſent aquæ, emiſit columbam, quæ ramum virentis oliuæ in ore ſuo deferens, Ad arcam reuerſa eſt. ℣. Deferens autem ſignum clementiæ Dei columba in ore ſuo. Ad arcam.

Lectio v.

VIdete ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecũdum traditionem hominũ, ſecundum elementa mundi: & non ſecundum Chriſtum: quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis: in quo & circumciſi eſtis circumciſione non manu facta in exploliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti: conſepulti ei in baptiſmo, in quo, & reſurrexiſtis per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis. ℟. Aedificauit Noe altare Domino, offerens ſuper illud holocauſtum: odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, & benedixit eis: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. ℣. Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos. Creſcite.

Lectio vj.

ET vos cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci: & expolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo. ℟. Ponam arcum meum in nubibus cæli, dixit Dominus ad Noe: Et recordabor fœderis mei, quod pepigi tecum. ℣. Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus. Et. Gloria Patri. Et.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C.8.

IN illo tempore: Cum turba plurima conuenirent: & de ciuitatibus properarent ad Ieſum, dixit per ſimilitudinem: Exijt qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 15. in Euang.

LEctio Sancti Euangelij, quam modo fratres chariſſimi audiſtis, expoſitione non indiget, ſed admonitione. Quam enim per ſemetipſam Veritas expoſuit, hanc diſcutere humana fragilitas non præſumit. Sed eſt quod ſollicite in hac ipſa expoſitione Dominica penſare debeamus. Quia ſi nos vobis ſemen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, ſpinas diuitias ſignificare diceremus: ad credendum nobis mens forſitan veſtra dubitaret. ℟. Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, non adijciam vltra aquas diluuij ſuper terram: pacti mei recordabor: Vt non perdam aquis diluuij omnem carnem. ℣. Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. Vt non.

Lectio viij.

VNde & idem Dominus per ſemetipſum dignatus eſt exponere, quod dicebat, vt ſciatis rerum ſignificationes quærere in ijs etiam, quæ per ſemetipſum noluit explanare. Exponendo ergo quod dixit, figurate ſe loqui innotuit: quatenus certos vos redderet, cum vobis noſtra fragilitas verborum illius figuras aperiret. Quis enim mihi vnquam crederet, ſi ſpinas diuitias interpretari voluiſſem: maxime cum illæ pungant, iſtæ delectent. ℟. Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos. Neque erit deinceps diluuium diſſipans terram. ℣. Erit arcus meus in nubibus, & videbo illum: & recordabor fœderis mei ſempiterni. Neque.

Lectio ix.

ET tamen ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant: & cum vſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant. Quàm bene hoc in loco, alio Euangeliſta teſtante, nequaquam Dominus diuitias, ſed fallaces diuitias appellat. Fallaces enim ſunt, quæ nobiſcum diu permanere non poſſunt, fallaces ſunt, quæ mentis noſtræ inopiã nõ expellũt. Solæ autẽ diuitiæ veræ ſunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt. ℟. Benedicens ergo Deus Noe, ait: Nequaquam vltra maledicam terræ propter hominem, Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo. ℣. Hoc erit ſignum fœderis inter me, & terram: Arcum meum ponam in nubibus cæli, Ad. Gloria Patri. Ad. ℟. Benedicens.

In laudibus, Antiphona.

SEcundum multitudinem miſerationum tuarum Domine, dele iniquitatem meam. Pſalm. Miſerere. 33. Antiphona. Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. Pſalm. Confitemini. 75. Antiph. Ad te de luce vigilo Deus, vt videam virtutem tuam. Pſalm. Deus Deus. 39. Antiphona. Hymnum dicite, & ſuperexaltate eum in ſæcula. Cantic. Benedicite. 98. Antiph.

Omnes

Omnes Angeli eius laudate Dominum de cælis. Pſalm. Laudate. 97. ℣. Domine refugium. 227.

Ad Benedictus Antiphona.

Cum turba plurima conuenirent ad Ieſum, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem: Exijt qui ſeminat, ſeminare ſemẽ ſuũ.

Ad Primam, Antiphona.

Semen cecidit in terram bonam, & attulit fructum, aliud centeſimum, & aliud ſexageſimum. Pſalm. Deus, Deus meus reſpice. 14. vt in præcedenti Dominica. 227.

Ad Tertiam, Antiphona.

Semen cecidit in terram bonam, & attulit fructum in patientia. ℟. Spes mea Domine. 227.

Ad Sextam, Antiphona.

Ieſus hoc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. ℟. Eſto nobis Domine.

Ad Nonam, Antiphona.

Qui verbum Dei retinent corde perfecto, & optimo, fructum afferunt in patientia. ℟. Educ de carcere. Ad Magnificat, Antiphona. Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, dixit Ieſus diſcipulis ſuis.

Per Hebdom. quando de Tempore agitur. Ad Benedictus, Antiphona.

Semen eſt verbum Dei: ſator autem Chriſtus: omnis qui audit eum, manebit in æternum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quod autem cecidit in terram bonã: hi ſunt qui in corde bono, & optimo verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

FERIA SECVNDA.

De Libro Geneſis. Lect. j. C. 7.

FEcit ergo Noe omnia, quæ mandauerat ei Dominus. Eratque ſexcentorum annorum, quando diluuij aquæ inundauerunt ſuper terram. Et ingreſſus eſt Noe, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluuij. De animantibus quoque mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur ſuper terram, duo & duo ingreſſa ſunt ad Noe in arcam, maſculus, & femina, ſicut præceperat Dominus Noe. Lectio ij.

CVmque tranſiſſent ſeptem dies, aquæ diluuij inundauerunt ſuper terram. Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt: & facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Lectio iij.

IN articulo diei illius ingreſſus eſt Noe, & Sem, & Cham, & Iapheth filij eius: vxor illius, & tres vxores filiorum eius cum eis in arcam: ipſi, & omne animal ſecundum genus ſuum, vniuerſaque iumenta in genere ſuo, & omne quod mouetur ſuper terram in genere ſuo, cunctumque volatile ſecundũ genus ſuum, vniuerſæ aues, omneſque volucres ingreſſæ ſunt ad Noe in arcam.

FE-

Digitized by Google

FERIA TERTIA.
De Libro Geneſis. Lectio j. C.7.

Factumque eſt diluuium quadraginta diebus ſuper terram:& multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra. Vehementer enim inundauerunt: & omnia repleuerunt in ſuperficie terræ: porrò arca ferebatur ſuper aquas. Et aquæ præualuerunt nimis ſuper terram. Opertique ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cælo. Lectio ij.

Qvindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat. Conſumptaque eſt omnis caro, quæ mouebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniumque reptilium, quæ reptant ſuper terram: vniuerſi homines, & cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt.

Lectio iij.

Et deleuit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram, ab homine vſque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cæli: & deleta ſunt de terra: remanſit autem ſolus Noe, & qui cum eo erant in arca. Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.

FERIA QVARTA.
De Libro Geneſis. Lectio j. C.8.

Cvmque tranſiſſent quadraginta dies, aperiens Noe feneſtram arcæ, quam fecerat, dimiſit coruum: qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram. Emiſit quoque columbam poſt eum, vt videret ſi iam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem terræ. Quæ cum non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam: aquæ enim erant ſuper vniuerſam terram: extenditque manum, & apprehenſam intulit in arcam. Lectio ij.

Expectatis autem vltra ſeptem diebus alijs, rurſum dimiſit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad veſperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore ſuo. Intellexit ergo Noe, quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram. Expectauitque nihilominus ſeptē alios dies: & emiſit columbam: quæ non eſt reuerſa vltra ad eum. Igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, prima die menſis imminutæ ſunt aquæ ſuper terram. Lectio iij.

Et aperiens Noe tectum arcæ, aſpexit, viditq. quòd exiccata eſſet ſuperficies terræ. Menſe ſecundo, ſeptimo & vigeſimo die menſis, areſacta eſt terra. Locutus eſt autem Deus ad Noe, dicens: Egredere de arca, tu & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia, quæ ſunt apud te, ex omni carne.

FERIA QVINTA.
De Libro Geneſis. Lectio j. C. 8.

Egreſſus eſt ergo Noe, & filij eius: vxor illius, & vxores filiorum eius cum eo. Sed & omnia animantia, iumenta, & reptilia quæ reptant ſuper terram ſecundum genus ſuum, egreſſa ſunt de arca. Aedificauit

Digitized by Google

cauit autem Noe altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocauſta ſuper altare. Lectio ij.

Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis, & ait: Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: ſenſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua: non igitur vltra percutiam omnem animam viuentem, ſicut feci. Cunctis diebus terræ, ſementis, & meſſis, frigus, & æſtus, æſtas, & hiems, nox & dies non requieſcent. Lectio iij.

Beneditq; Deus Noe, & filijs eius: & dixit ad eos: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. Et terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cæli, cum vniuerſis quæ mouentur ſuper terram: omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt. Et omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto quòd carnem cum ſanguine non comedetis.

FERIA SEXTA.

De Libro Geneſis. Lectio j. C. 9.

Dixitque Deus: Hoc ſignum fœderis, quod do inter me, & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum, in generationes ſempiternas: Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & inter terram. Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus: & recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat: & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendum vniuerſam carnem.

Lectio ij.

Eritque arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis ſempiterni, quod pactum eſt inter Deum, & omnem animam viuentem vniuerſæ carnis quæ eſt ſuper terram. Dixitque Deus ad Noe: Hoc erit ſignum fœderis, quod conſtitui inter me, & omnem carnem ſuper terram. Erant ergo filij Noe, qui egreſſi ſunt de arca, Sem, Cham, & Iapheth.

Lectio iij.

Coepitque Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineã. Bibenſque vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo. Quod cum vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nunciauit duobus fratribus ſuis foras. At vero Sem, & Iapheth pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt verenda patris ſui: facieſq. eorum auerſæ erãt, & patris virilia non viderunt.

SABBATO.

De Libro Geneſis. Lectio j. C. 11.

Erat autem terra labij vnius, & ſermonum eorundem. Cumque proficiſcerentur de Oriẽte, inuenerũt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo. Dixitque alter ad proximum ſuum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro ſaxis, & bitumen

pro

Digitized by Google

pro cæmento, & dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen noſtrum antequã diuidamur in vniuerſas terras.

Lectio ij.

DEſcendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam, & dixit: Ecce vnus eſt populus, & vnum labium omnibus, cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui.

Lectio iij.

ATque ita diuiſit eos Dominus ex illo loco in vniuerſas terras, & ceſſauerunt ædificare ciuitatem. Et idcirco vocatum eſt nomen eius Babel, quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ: & inde diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum. Hæ ſunt generationes Sem. Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad, biennio poſt diluuium.

D O M I N I C A.

In Quinquageſima.

Sabbato præcedenti ad Veſper. ℟. Dum ſtaret. iij.

Ad Magnificat, Antiphona. Quod autem. Vt in præcedenti Dominica. 234. Oratio.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi: atq; à peccatorum vinculis abſolutos, ab omni nos aduerſitate cuſtodi. Per Dominũ.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Præoccupemus. 207.

I N I. N O C T V R N O.

De Libro Geneſis. Lect. j. C. 12.

DIxit autem Dominus ad Abrã: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi: faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi: atque in te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ. Egreſſus eſt itaque Abram, ſicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot. ℟. Locutus eſt Dominus ab Abram, dicens: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monſtrauero tibi: & faciam te creſcere In gentem magnam. ℣. Benedicens benedicam tibi, & multiplicabo te. In gentem.

Lectio ij.

SEptuaginta quinque annorum erat Abram, cum egrederetur de Haran. Tulitq; Sarai vxorem ſuam, & Lot filiũ fratris ſui, vniuerſamque ſubſtantiam quam poſſederant, & animas quas fecerant in Haran: & egreſſi ſunt, vt irent in terram Chanaan. Cumque veniſſent in eam, pertranſiuit Abram terram vſque ad locum Sichem, vſque ad conuallem illuſtrẽ. Chananæus autem tunc erat in terra. ℟. Reuertenti Abram à cæde quatuor regum, occurrit ei rex Salem Melchi-

Melchiſedech, offerens panem, & vinum: erat enim Dei ſacerdos, Et benedixit illi. ℣. Benedictus Abram Deo altiſſimo, qui creauit cælum, & terram. Et benedixit.

Lectio iij.

APparuit autem Dominus Abrã, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum ſuum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai. Aedificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius. Perrexitq. Abram vadens, & vltra progrediens ad meridiem. ℟. Dixit autem Dominus ad Abram: Ego ſum, & pactum meum tecum: ſanctificetur in vobis omne maſculinum: Et erit ſignum inter me, & ſemen tuum. ℣. Ex te namque egredietur, in quo omnes gentes benedicentur. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola ad Coloſſenſes.

Lectio iv. C. 3.

IGitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, que ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis: & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra: tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram: fornicationem, immunditiã, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis: in quibus, & vos ambulaſtis aliquando, cum viueretis in illis. ℟. Dum ſtaret Abraham ad ilicem Mambre, vidit tres viros aſcendentes per viam: tres vidit, Et vnum adorauit. ℣. Cumque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes iuxta eum. Et vnum.

Lectio v.

NVnc autem deponite, & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterẽ hominẽ cum actibus ſuis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem ſecundũ imaginem eius, qui creauit illum. Vbi non eſt Gentilis, & Iudæus, circumciſio, & præputium, Barbarus, & Scytha, ſeruus, & liber: ſed omnia, & in omnibus Chriſtus. ℟. Clamor, inquit Dominus, Sodomorum, & Gomorrhæorum venit ad me: Deſcendam, & videbo vtrum clamorem opere compleuerint. ℣. Abraham ſtetit coram Deo, & ait: Abſit à te Domine: vt perdas iuſtum cum impijs. Deſcendam.

Lectio vj.

INduite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam: ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis ſi quis aduerſus aliquem habet querelam:

Digitized by Google

lam: ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis: & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in vno corpore: & grati eſtote. ℟. Aſcendens ergo Deus ab Abraham, pluit ignem, & ſulphur ſuper Sodomam. Abraham mane conſurgens ſtetit, & euerſas vrbes à longe conſpexit. ℣. Recordatus eſt Deus Abraham, & liberauit Lot de ſubuerſione Sodomæ. Abraham. Gloria Patri. Abraham.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C.18.

IN illo tempore: Aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos, & ait illis: Ecce aſcendimus Ieroſolymam: & cõſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 2. in Euang.

REdemptor noſter, præuidens ex paſſione ſua diſcipulorum animos perturbandos eis longe ante, & eiuſdem paſſionis pœnam, & reſurrectionis ſuæ gloriam prædixit: vt cum eum morientem, ſicut prædictum eſt, cernerent: etiam reſurrecturum non dubitarent. Sed quia carnales adhuc diſcipuli nullo modo valebant capere verba myſterij, venitur ad miraculum. Ante eorum oculos cæcus lumen recepit: vt qui cæleſtis myſterij verba non caperent, eos ad fidem cæleſtia facta ſolidarent. ℟. Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuũ, quem diligis Iſaac: & offeres illum ibi in holocauſtum, ſuper vnum montium, quem dixero tibi. ℣. Vocatus quoque à Domino reſpondit: Adſum. Et ait ei Dominus. Tolle filium. Lectio viij.

ECce enim, quis iuxta hiſtoriam cæcus iſte fuerit, ignoramus: ſed tamen quid per myſterium ſignificet, nouimus. Cæcus quippe eſt genus humanum, quod in parente primo à Paradiſi gaudijs expulſum, claritatem ſupernæ lucis ignorans, damnationis ſuæ tenebras patitur. Sed tamen per Redemptoris ſui præſentiam illuminatur: vt æternæ lucis gaudia iam per deſiderium videat, atque in via vitæ boni operis greſſus ponat. ℟. Angelus Domini vocauit Abraham, dicens: Ne extendas manum tuam ſuper puerum, eo quòd timeas Dominum. ℣. Cumq. extendiſſet manum, vt immolaret filium, ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens. Ne extendas. Lectio ix.

NOtandum vero eſt, quòd cum Ieſus Iericho appropinquare dicitur, cæcus illuminatur. Iericho quippe luna interpretatur: luna autem in ſacro eloquio pro defectu carnis ponitur: quia dum menſtruis momentis decreſcit, defectum noſtræ mortalitatis deſignat. Cum igitur conditor noſter appropinquat Iericho, cæcus ad lumen redijt: quia dum diuinitas defectum noſtræ carnis

nis ſuſcepit, humanum genus lumen, quod amiſerat, recepit. Vnde enim Deus humana patitur, inde homo ad diuina ſubleuatur. ℟. Deus Domini mei Abraham dirige viam meam: Vt cum ſalute reuertar In domum Domini mei. ℣. Obſecro Domine, fac miſericordiam cum ſeruo tuo. Vt cum. Gloria Patri. In domum. ℟. Deus Domini.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

AVerte Domine faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Pſalm. Miſerere. 33. Antiph. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Pſalm. Confitemini. iiij. 78. Antiph. In matutinis Domine meditabor in te: quia factus es adiutor meus. Pſal. Deus Deus. 39. Antiph. Benedicamus Patrem, & Filium in ſæcula, cum ſancto Spiritu. Cantic. Benedicite. 98. Antiph. Iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus, laudent nomen Domini. Pſal. Laudate Dñm. 97. ℣. Domine refugiũ. 227.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt de Filio hominis: tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum, & tertia die reſurget.

Ad Primam, Antiphona.

Iter faciente Ieſu, dum appropinquaret Iericho, cæcus clamabat eum, vt lumen recipere mereretur. Pſalm. Deus Deus meus. vt in Dominica Septuageſimæ. 227.

Ad Tertiam, Antiphona.

Tranſeunte Domino, clamabat cæcus ad eum: Miſerere mei, fili Dauid. ℟. Spes mea. 227.

Ad Sextam, Antiphona.

Cæcus ſedebat ſecus viam, & clamabat: Miſerere mei, fili Dauid. ℟. Eſto nobis.

Ad Nonam, Antiphona.

Cæcus magis, ac magis clamabat: vt eum Dominus illuminaret. ℟. Educ de carcere.

Ad Magnficat, Antiphona.

Stans autem Ieſus iuſſit cæcum adduci ad ſe, & ait illi: Quid vis vt faciam tibi? Domine, vt videam. Et Ieſus ait illi: Reſpice, fides tua te ſaluum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum, magnificans Deum.

FERIA SECVNDA.

De Libro Geneſis. Lectio j. C. 13.

AScendit ergo Abram de Aegypto, ipſe & vxor eius, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo, ad auſtralem plagam. Erat autem diues valde in poſſeſſione auri, & argenti. Reuerſuſque eſt per iter quo venerat à meridie in Bethel, vſque ad locum vbi prius fixerat tabernaculum inter Bethel, & Hai, in loco altaris quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini. Lectio ij.

SEd & Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula. Nec poterat eos capere terra, vt habitarent ſimul: erat quippe

quippe ſubſtãtia eorum multa, & nequibant habitare communiter. Vnde, & facta eſt rixa inter paſtores gregum Abram, & Lot. Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa.

Lectio iij.

DIxit ergo Abram ad Lot: Ne quæſo ſit iurgium inter me, & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim ſumus. Ecce vniuerſa terra coram te eſt: recede à me, obſecro. Si ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam. Elegitque ſibi Lot regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente.

Ad Benedictus, Antiphona.

Tradetur enim Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Ad Magnificat, Antiphona. Omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.

FERIA TERTIA.

De Libro Geneſis. Lectio j. C. 14.

FActum eſt autem in illo tempore, vt Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlahomor rex Elamitarum, & Thadal rex Gentium inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Berſa regem Adamæ, & contra Semeber regem Seboim, contraque regem Balæ, ipſa eſt Segor. Omnes hi conuenerunt in vallẽ Siluestrem, quæ nunc eſt mare ſalis. Lectio ij.

DVodecim enim annis ſeruierant Chodorlahomor, & tertiodecimo anno receſſerunt ab eo. Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erant cum eo: percuſſeruntque Raphaim in Aſtarothcarnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in Saue Chariathaim, & Chorræos in montibus Seir, vſque ad Campeſtria Pharan, quæ eſt in ſolitudine. Reuerſique ſunt, & venerunt ad fontem Miſphat, ipſa eſt Cades.

Lectio iij.

ET percuſſerunt omnem regionem Amalecitarum, & Amorrhæum, qui habitabat in Aſaſonthamar. Et egreſſi ſunt rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, & rex Seboim, necnon, & rex Balæ, quæ eſt Segor: & direxerunt aciem contra eos in valle Silueſtri: ſcilicet aduerſus Chodorlahomor regem Elamitarum, & Thadal regem Gentium, & Amraphel regẽ Sennaar, & Arioch regem Ponti. Antiph. ad Benedictus, & ad Magnificat, vt in præcedenti Feria ij.

FERIA QVARTA.

Cinerum, ſeu in capite Ieiunij ad Matutinum.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. C. 6.

Lectio j.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Et reliqua.

Homilia S. Maximi Epiſcopi.

Homil. in die Cinerum.

QVia nonnullorum eſt conſuetudo, chariſſimi, aduenientes Quadra-

Quadrageſimæ dies deuotiore ieiunio præuenire, neceſſario præſens Euangelij decurſa eſt lectio: in qua Dominus noſter virtutum ſpiritaliũ retributor, ſanctã nobis, perfectamq. dedit regulam ieiunandi, dicens: Cum ieiunatis, non eritis ſicut hypocrytæ, triſtes: exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunare. Non enim Deo ieiunat, ſed hominibus, quicumque oſtentatione ieiunij ſui gloriam requirit humanam.

Lectio ij.

EXterminant autem facies ſuas, qui mærore ſimulato, religioſum vultum populorum oculis mentiuntur. Non vult enim diſciplinæ cæleſtis magiſter irreligioſe agi, quod fieri pro religione præcipitur: nec patitur inuocantium ſe laborem, quibus æternam parat mercedem, infructuoſæ iactantiæ vitio deperire. Non eritis, inquit, ſicut hypocritæ, triſtes. Si enim vere mæſtus, & triſtis es, quia ieiunas, nullam tibi vt ingratus apud Deum gratiam reſeruabis: quia quamuis opus facias bonum, prauitatem tamen degeneris animi inuitus operaris.

Lectio iij.

SI autem pro quadam ſanctitatis imagine triſtitiam ſimulas: omnẽ fructum promiſſionis diuinæ obſequij tui oſtentator amittis. Quod ſi Deo ieiunium tuum defers: cur illud hominibus pari tecum conditione viuẽtibus vanæ gloriæ ſectator oſtentas? Hanc nimirum Paulus Apoſtolus ſecutus ſententiam, dicebat: Nolite fieri inanis gloriæ cupidi. Inane eſt enim & vanum quidquid nullius ponderis, aut virtutis firmitate conſiſtit. Inane eſt quod cum ſæculo prætereunte deficiens, ad vitam non tranſit æternam.

In Laudibus Capitulum. *Ioel.* 2.

COnuertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, & fletu, & plãctu: & ſcindite corda veſtra, & nõ veſtimenta veſtra, ait Dominus omnipotens. Ad Benedictus, Antiphona. Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes.

Oratio.

PRæſta Domine fidelibus tuis: vt ieiuniorum veneranda ſolemnia, & congrua pietate ſuſcipiant, & ſecura deuotione percurrãt. Per Dominũ.

Hac die, & deinceps vſque ad Cœnam Domini excluſiue, Orationes, quæ in ſingulis Ferijs ad Laudes ſunt poſitæ, dicantur ad Tertiã, Sextam, & Nonam, quando de Tempore agitur. Ad Veſper. vero dicantur propriæ, quæ notatæ ſunt per ſingulas Ferias: niſi in Sabbatis, in quibus ſemper dicitur Oratio ſequentis Dominicæ.

Ad Tertiam, Capitulum. Conuertimini. 242.

Ad Sextam, Capitulum. *Iſa.* 55.

DErelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.

Ad

Digitized by Google

Ad Nonam, Capit *Iſa.* 58.

FRange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domũ tuam: cum videris nudum, operi eũ, & carnem tuam ne deſpexeris, ait Dominus omnipotens.

Prædicta tria Capitula dicantur quotidie ad Horas, in quibus notata ſunt diebus Profeſtis, vſque ad Dominicam in Paſſione. Finita Nona, Fratres in Choro proſtrati dicant Septẽ Pſalmos Pœnitentiales, alternatim dicendo Verſus, terminando quemlibet Pſalmum per Gloria Patri, & ad finem Antiphonam. Ne reminiſcaris. vt in fine Breuiarij. Exiſten tes vero extra Chorum ad eos recitandos non tenentur. Hac die, & deinceps quotidie dicantur Veſperæ ante prandium: niſi in Dominicis diebus. Ad Veſperas, Capitulum. Conuertimini. 242.

Ad Magnficat, Antiphona.

Theſaurizate vobis theſauros in cælo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur.

Oratio.

INclinantes ſe, Domine, maieſtati tuæ, propitiatus intende: vt qui diuino munere ſunt refecti, cæleſtibus ſemper nutriantur auxilijs. Per Dominum.

FERIA QVINTA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 8.

IN illo tempore: Cum introiſſet Ieſus Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Libr. 2. *de conſenſu Euangeliſtarum c.* 20. *tom.* 4.

VIdeamus, vtrum ſibi de ſeruo Centurionis Matthæus Lucaſque conſentiant. Matthæus enim dicit: Acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Puer meus iacet in domo paralyticus. Cui videtur repugnare, quod ait Lucas: Et cum audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & ſanaret ſeruum eius. At illi cum veniſſent ad Ieſum, rogabant eum ſollicite, dicentes ei: Quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes: diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis.

Lectio ij.

IEſus autem ibat cun illis: & cum iam non longe eſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari: non enim dignus ſum vt ſub tectum meum intres. Si enim hoc ita geſtum eſt, quomodo verum erit quod Matthæus narrat, Acceſſit ad eum quidam Centurio, cum ipſe non acceſſerit, ſed amicos miſerit: niſi diligenter aduertentes intelligamus, Matthæum non omnino deſeruiſſe vſitatum morem loquendi.

Lectio iij.

NOn ergo abſurde Matthæus, etiam quod vulgo poſſit intelligi, per alios facto acceſſu Centurionis ad Dominum, compendio dicere

cere voluit: Acceſſit ad eum Centurio. Verumtamen non negligenter intuenda eſt etiam ſancti Euangeliſtæ altitudo myſticæ locutionis, ſecũ dum quod ſcriptum eſt in Pſalmo: Accedite ad eum, & illuminamini. Proinde quia fidem Centurionis, qua vere acceditur ad Ieſum, ipſe ita laudauit, vt diceret: Non inueni tantam fidem in Iſrael: ipſum potius acceſſiſſe ad Chriſtum dicere voluit prudens Euangeliſta, quàm illos, per quos verba ſua miſerat.

Ad Benedictus, Antiphona.

Domine, puer meus iacet paralyticus in domo, & male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam, & curabo eum.

Oratio.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, auerte. Per.

Ad Magnificat, Antiphona.

Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.

Oratio.

Parce Domine, parce populo tuo: vt dignis flagellationibus caſtigatus, in tua miſeratione reſpiret. Per Dominum.

FERIA SEXTA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 5.

In illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Libr. 1. *Comment. in cap* 5. *Matth.*

Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite iis qui oderunt vos. Multi præcepta Dei, imbecillitate ſua, non ſanctorum viribus æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia quæ præcepta ſunt: & dicunt ſufficere virtutibus, non odiſſe inimicos: ceterum diligere, plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum eſt ergo, Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta. Quæ fecit Dauid in Saul, & in Abſalon.

Lectio ij.

Stephanus quoq. martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus eſt & Paulus anathema cupit eſſe pro perſecutoribus ſuis. Hæc autem Ieſus, & docuit, & fecit, dicens: Pater, ignoſce illis: quod enim faciunt, neſciunt. Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt. Si Dei præcepta cuſtodiens, filius quis efficitur Dei: ergo non eſt natura filius, ſed arbitrio ſuo. Cum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, vt honorificẽtur ab hominibus. Lect. iij.

Qui tuba canit, eleemoſynam faciens, hypocrita eſt. Qui ieiunans demolitur faciem ſuam, vt ventris inanitatem monſtret in vultu, & hic hypocrita eſt. Qui in ſynagogis, & in angulis platearum orat, vt videatur ab hominibus, hypocrita eſt. Ex-

quibus

quibus omnibus colligitur, hypocritas eſſe, qui quodlibet faciunt, vt ab hominibus glorificentur. Mihi videtur, & ille, qui dicit fratri ſuo: Dimitte vt tollam feſtucam de oculo tuo: nam propter gloriam hoc facere videtur, vt ipſe iuſtus eſſe videatur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cum facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.

Oratio.

INchoata ieiunia, quæſumus Domine, benigno fauore proſequere: vt obſeruantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam ſinceris exercere valeamus. Per. Dominum.

Ad Magnficat, Antiphona.

Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum. Oratio.

TVere Domine populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda: quia ei nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla ei dominetur iniquitas. Per.

SABBATO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Marcum. Lectio j. C. 6.

IN illo tempore: cum ſero eſſet factum, erat nauis in medio mari, & Ieſus ſolus in terra: & vidit diſcipulos ſuos laborantes in remigando. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri. *Libr. 2. c. 28. in c. 6 Marc.*

LAbor diſcipulorum in remigando, & contrarius eis ventus, labores ſanctæ Eccleſiæ varios deſignant: quæ inter vndas ſæculi aduerſantis, & immundorum flatus ſpirituum, ad quietem patriæ cæleſtis, quaſi ad fidam littoris ſtationem, peruenire conatur. Vbi bene dicitur, quia nauis erat in medio mari, & ipſe ſolus in terra: quia nonnumquam Eccleſia tantis Gentilium preſſuris non ſolum afflicta, ſed & fœdata eſt, vt ſi fieri poſſet, Redemptor ipſius eam prorſus deſeruiſſe ad tempus videretur. Lectio ij.

VNde eſt illa vox eius inter vndas procellaſque tentationum irruentium deprehenſæ, atque auxilium protectionis illius gemebundo clamore quærentis: Vt quid Domine receſſiſti longe, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione? Quæ pariter vocem inimici perſequentis exponit, in ſequentibus Pſalmi ſubijciens: Dixit enim in corde ſuo, Oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam, ne videat vſq. in finem. Lectio iij.

VErum ille non obliuiſcitur orationem pauperum, neque auertit faciem ſuam à ſperantibus in ſe; quin potius, & certantes cum hoſtibus, vt vincant, adiuuat, & victores in æternum coronat. Vnde hic quoque aperte dicitur, quia vidit eos laborantes in remigando. Videt quippe Dominus laborantes in mari, quamuis ipſe poſitus ſit in terra: quia etſi ad horam differre videatur auxilium tribulatis impendere, nihilominus eos, ne in tribulationibus deficiant, ſuæ reſpectu pietatis corroborat.

Digitized by Google

Ad Benedictus Antiphona. Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras, & neſciſti?

Oratio.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & concede: vt hoc ſolemne ieiunium, quod animis corporibuſque curandis ſalubriter inſtitutũ eſt, deuoto ſeruitio celebremus. Per Dominum.

DOMINICA I.
Quadrageſimæ.

Sabbato præcedenti ad Veſperas.

Capitulum. 2.Cor.6.

Hortamur vos, ne in vacuum gratiã Dei recipiatis, ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. ℟. Emendemus. iiij. Hymnus.

Audi benigne conditor,
Noſtras preces cum fletibus,
In hoc ſacro ieiunio
Fuſas quadragenario.
Scrutator alme cordium,
Infirma tu ſcis virium,
Ad te reuerſis exhibe
Remiſſionis gratiam.
Multum quidem peccauimus,
Sed parce confitentibus:
Ad laudem tui nominis
Confer medelam languidis.
Sic corpus extra conteri
Dona per abſtinentiam:
Ieiunet vt mens ſobria
A labe prorſus criminum.
Præſta beata Trinitas,
Concede ſimplex Vnitas,
Vt fructuoſa ſint tuis
Ieiuniorum munera. Amen.

℣. Angelis ſuis Deus mandauit de te. ℟. Vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Ad Magnificat, Antiph. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: in his ergo diebus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in vigilijs, in ieiunijs, in charitate non ficta.

Oratio.

Deus, qui Eccleſiam tuam annua Quadrageſimali obſeruatione purificas: præſta familiæ tuæ: vt quod à te obtinere abſtinẽdo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per.

Ad Completorium poſt Capit. ℟. In pace in idipſum, Dormiam, & requieſcam. Non repetatur. ℣. Si dedero ſommum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. Dormiam. Gloria Patri. In pace.

Hoc Reſponſorium dicatur tantum in Sabbatis, & Dominicis diebus, & Feſtis Duplicibus, & ſupra in vtroque Complet. vſque ad Sabbatum ante Dominicam in Paſſione excluſiue, ceteris autem diebus dicatur. ℟. In manus. 185. Hymnus.

Chriſte qui lux es, & dies,
Noctis tenebras detegis,
Luciſque lumen crederis,
Lumen beatum prædicans.
Precamur ſancte Domine,
Defende nos in hac nocte:
Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue.
Ne grauis ſomnus irruat,
Nec hoſtis nos ſubripiat,

Nec

Nec caro illi conſentiens,
Nos tibi reos ſtatuat.
Oculi ſomnum capiant,
Cor ad te ſemper vigilet:
Dextera tua protegat
Famulos qui te diligunt.
Defenſor noſter aſpice,
Inſidiantes reprime:
Guberna tuos famulos,
Quos ſanguine mercatus es.
Memento noſtri Domine,
In graui iſto corpore:
Qui es defenſor animæ,
Adeſto nobis Domine.
Præſta Pater omnipotens. &c. 185.

Prædictus Hymnus dicatur quotidie vſque ad diem Cœnæ excluſiue.

Ad Nunc dimittis, Antiphona.

Euigila ſuper nos æterne Saluator, ne nos apprehendat callidus tentator, quia tu factus es nobis ſempiternus adiutor.

Hæc Antiphona dicatur ſuper Nunc dimittis, quotidie vſque ad Sabbatum ante Tertiam Dominicam Quadrageſ. excluſiue, niſi in Annunciatione, quando infra hoc tempus euenerit.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Non ſit vobis vanum mane ſurgere ante lucem: Quia promiſit Dominus coronam vigilantibus. Hymnus.

Summi largitor præmij,
Spes qui es vnica mundi,
Preces intende ſeruorum
Ad te deuote clamantium.
Noſtra te conſcientia
Graue offendiſſe monſtrat:
Quam emundes ſupplicamus
Ab omnibus piaculis.
Si renuis, quis tribuet?
Indulge quia potens es:
Te corde rogare mundo
Fac nos precamur Domine.
Ergo nunc accepta noſtrum
Qui ſacraſti ieiunium,
Quo myſtice Paſchalia
Capiamus ſacramenta.
Summa nobis hoc conferat
In Deitate Trinitas,
In qua gloriatur vnus,
Per cuncta ſæcula Deus. Amen.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Antiph. Seruite Domino. ℣. Dicet Domino: Suſceptor meus es tu. ℟. Et refugium meum Deus meus.

De Ioele Propheta.

Lectio j. C. 2.

Canite tuba in Sion: Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, congregate paruulos, & ſugentes vbera: egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo. Inter veſtibulum, & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini: & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis: Vbi eſt Deus eorum? Zelatus eſt Dominus terram ſuam, & pepercit populo ſuo. Hæc dicit. ℟. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: commendemus noſmetipſos in multa patientia, in ieiu-

Melchiſedech, offerens panem, & vinum: erat enim Dei ſacerdos, Et benedixit illi. ℣. Benedictus Abram Deo altiſſimo, qui creauit cælum, & terram. Et benedixit.

Lectio iij.

APparuit autem Dominus Abrã, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. Et inde tranſgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum ſuum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai. Aedificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius. Perrexitq. Abram vadens, & vltra progrediens ad meridiem. ℟. Dixit autem Dominus ad Abram: Ego ſum, & pactum meum tecum: ſanctificetur in vobis omne maſculinum: Et erit ſignum inter me, & ſemen tuum. ℣. Ex te namque egredietur, in quo omnes gentes benedicentur. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola ad Coloſſenſes.

Lectio iv. C. 3.

IGitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto, que ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis: & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra: tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram: fornicationem, immunditiã, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis: in quibus, & vos ambulaſtis aliquando, cum viueretis in illis. ℟. Dum ſtaret Abraham ad ilicem Mambre, vidit tres viros aſcendentes per viam: tres vidit, Et vnum adorauit. ℣. Cumque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes iuxta eum. Et vnum.

Lectio v.

NVnc autem deponite, & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterẽ hominẽ cum actibus ſuis, & induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem ſecundũ imaginem eius, qui creauit illum. Vbi non eſt Gentilis, & Iudæus, circumciſio, & præputium, Barbarus, & Scytha, ſeruus, & liber: ſed omnia, & in omnibus Chriſtus. ℟. Clamor, inquit Dominus, Sodomorum, & Gomorrhæorum venit ad me: Deſcendam, & videbo vtrum clamorem opere compleuerint. ℣. Abraham ſtetit coram Deo, & ait: Abſit à te Domine: vt perdas iuſtum cum impijs. Deſcendam.

Lectio vj.

INduite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam: ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis ſi quis aduerſus aliquem habet querelam:

lam: ſicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis: & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in vno corpore: & grati eſtote. ℟. Aſcendens ergo Deus ab Abraham, pluit ignem, & ſulphur ſuper Sodomam. Abraham mane conſurgens ſtetit, & euerſas vrbes à longe conſpexit. ℣. Recordatus eſt Deus Abraham, & liberauit Lot de ſubuerſione Sodomæ. Abraham.

Gloria Patri. Abraham.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C.18.

IN illo tempore: Aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſuos, & ait illis: Ecce aſcendimus Ieroſolymam: & cõſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 2. in Euang.

REdemptor noſter, præuidens ex paſſione ſua diſcipulorum animos perturbandos eis longe ante, & eiuſdem paſſionis pœnam, & reſurrectionis ſuæ gloriam prædixit: vt cum eum morientem, ſicut prædictum eſt, cernerent: etiam reſurrecturum non dubitarent. Sed quia carnales adhuc diſcipuli nullo modo valebant capere verba myſterij, venitur ad miraculum. Ante eorum oculos cæcus lumen recepit: vt qui cæleſtis myſterij verba non caperent, eos ad fidem cæleſtia facta ſolidarent. ℟. Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuũ, quem diligis Iſaac: & offeres illum ibi in holocauſtum, ſuper vnum montium, quem dixero tibi. ℣. Vocatus quoque à Domino reſpondit: Adſum. Et ait ei Dominus. Tolle filium. Lectio viij.

ECce enim, quis iuxta hiſtoriam, cæcus iſte fuerit, ignoramus: ſed tamen quid per myſterium ſignificet, nouimus. Cæcus quippe eſt genus humanum, quod in parente primo à Paradiſi gaudijs expulſum, claritatem ſupernæ lucis ignorans, damnationis ſuæ tenebras patitur. Sed tamen per Redemptoris ſui præſentiam illuminatur: vt æternæ lucis gaudia iam per deſiderium videat, atque in via vitæ boni operis greſſus ponat. ℟. Angelus Domini vocauit Abraham, dicens: Ne extendas manum tuam ſuper puerum, eo quòd timeas Dominum. ℣. Cumq. extendiſſet manum, vt immolaret filium, ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens. Ne extendas. Lectio ix.

NOtandum vero eſt, quòd cum Ieſus Iericho appropinquare dicitur, cæcus illuminatur. Iericho quippe luna interpretatur: luna autem in ſacro eloquio pro defectu carnis ponitur: quia dum menſtruis momentis decreſcit, defectum noſtræ mortalitatis deſignat. Cum igitur conditor noſter appropinquat Iericho, cæcus ad lumen redijt: quia dum diuinitas defectum noſtræ carnis

nis

nis ſuſcepit, humanum genus lumen, quod amiſerat, recepit. Vnde enim Deus humana patitur, inde homo ad diuina ſubleuatur. ℟. Deus Domini mei Abraham dirige viam meam: Vt cum ſalute reuertar In domum Domini mei. ℣. Obſecro Domine, fac miſericordiam cum ſeruo tuo. Vt cum. Gloria Patri. In domum. ℟. Deus Domini.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

AVerte Domine faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Pſalm. Miſerere. 33. Antiph. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Pſalm. Confitemini. iiij. 78. Antiph. In matutinis Domine meditabor in te: quia factus es adiutor meus. Pſal. Deus Deus. 39. Antiph. Benedicamus Patrem, & Filium in ſæcula, cum ſancto Spiritu. Cantic. Benedicite. 98. Antiph. Iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus, laudent nomen Domini. Pſal. Laudate Dñm. 97. ℣. Domine refugiũ. 227.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt de Filio hominis: tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum, & tertia die reſurget.

Ad Primam, Antiphona.

Iter faciente Ieſu, dum appropinquaret Iericho, cæcus clamabat eum, vt lumen recipere mereretur. Pſalm. Deus Deus meus. vt in Dominica Septuageſimæ. 227.

Ad Tertiam, Antiphona.

Tranſeunte Domino, clamabat cæcus ad eum: Miſerere mei, fili Dauid. ℟. Spes mea. 227.

Ad Sextam, Antiphona.

Cæcus ſedebat ſecus viam, & clamabat: Miſerere mei, fili Dauid. ℟. Eſto nobis.

Ad Nonam, Antiphona.

Cæcus magis, ac magis clamabat: vt eum Dominus illuminaret. ℟. Educ de carcere.

Ad Magnificat, Antiphona.

Stans autem Ieſus iuſſit cæcum adduci ad ſe, & ait illi: Quid vis vt faciam tibi? Domine, vt videam. Et Ieſus ait illi: Reſpice, fides tua te ſaluum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum, magnificans Deum.

FERIA SECVNDA.

De Libro Geneſis. Lectio j C. 13.

AScendit ergo Abram de Aegypto, ipſe & vxor eius, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo, ad auſtralem plagam. Erat autem diues valde in poſſeſſione auri, & argenti. Reuerſuſque eſt per iter quo venerat à meridie in Bethel, vſque ad locum vbi prius fixerat tabernaculum inter Bethel, & Hai, in loco altaris quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini. Lectio ij.

SEd & Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula. Nec poterat eos capere terra, vt habitarent ſimul: erat quippe

quippe ſubſtãtia eorum multa, & nequibant habitare communiter. Vnde, & facta eſt rixa inter paſtores gregum Abram, & Lot. Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa.

Lectio iij.

DIxit ergo Abram ad Lot: Ne quæſo ſit iurgium inter me, & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim ſumus. Ecce vniuerſa terra coram te eſt: recede à me, obſecro. Si ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam. Elegitque ſibi Lot regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente.

Ad Benedictus, Antiphona.

Tradetur enim Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Ad Magnificat, Antiphona. Omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.

FERIA TERTIA.

De Libro Geneſis. Lectio j. C. 14.

FActum eſt autem in illo tempore, vt Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlahomor rex Elamitarum, & Thadal rex Gentium inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Berſa regem Adamæ, & contra Semeber regem Seboim, contraque regem Balæ, ipſa eſt Segor. Omnes hi conuenerunt in vallẽ Siluestrem, quæ nunc eſt mare ſalis. Lectio ij.

DVodecim enim annis ſeruierant Chodorlahomor, & tertiodecimo anno receſſerunt ab eo. Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erant cum eo: percuſſeruntque Raphaim in Aſtarothcarnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in Saue Chariathaim, & Chorræos in montibus Seir, vſque ad Campeſtria Pharan, quæ eſt in ſolitudine. Reuerſique ſunt, & venerunt ad fontem Miſphat, ipſa eſt Cades.

Lectio iij.

ET percuſſerunt omnem regionem Amalecitarum, & Amorrhæum, qui habitabat in Aſaſonthamar. Et egreſſi ſunt rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, & rex Seboim, necnon, & rex Balæ, quæ eſt Segor: & direxerunt aciem contra eos in valle Siluestri: ſcilicet aduerſus Chodorlahomor regem Elamitarum, & Thadal regem Gentium, & Amraphel regẽ Sennaar, & Arioch regem Ponti. Antiph. ad Benedictus, & ad Magnificat, vt in præcedenti Feria ij.

FERIA QVARTA.

Cinerum, ſeu in capite Ieiunij ad Matutinum.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. C. 6.

Lectio j.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Et reliqua.

Homilia S. Maximi Epiſcopi.

Homil. in die Cinerum.

QVia nonnullorum eſt conſuetudo, chariſſimi, aduenientes

Quadrageſimæ dies deuotiore ieiunio præuenire, neceſſario præſens Euangelij decurſa eſt lectio: in qua Dominus noſter virtutum ſpiritaliũ retributor, ſanctã nobis, perfectamq. dedit regulam ieiunandi, dicens: Cum ieiunatis, non eritis ſicut hypocrytæ, triſtes: exterminant enim facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunare. Non enim Deo ieiunat, ſed hominibus, quicumque oſtentatione ieiunij ſui gloriam requirit humanam. Lectio ij.

EXterminant autem facies ſuas, qui mærore ſimulato, religioſum vultum populorum oculis mentiuntur. Non vult enim diſciplinæ cæleſtis magiſter irreligioſe agi, quod fieri pro religione præcipitur: nec patitur inuocantium ſe laborem, quibus æternam parat mercedem, infructuoſæ iactantiæ vitio deperire. Non eritis, inquit, ſicut hypocritæ, triſtes. Si enim vere mæſtus, & triſtis es, quia ieiunas, nullam tibi vt ingratus apud Deum gratiam reſeruabis: quia quamuis opus facias bonum, prauitatem tamen degeneris animi inuitus operaris. Lectio iij.

SI autem pro quadam ſanctitatis imagine triſtitiam ſimulas: omnẽ fructum promiſſionis diuinæ obſequij tui oſtentator amittis. Quod ſi Deo ieiunium tuum defers: cur illud hominibus pari tecum conditione viuẽtibus vanæ gloriæ ſectator oſtentas? Hanc nimirum Paulus Apoſtolus ſecutus ſententiam, dicebat: Nolite fieri inanis gloriæ cupidi. Inane eſt enim & vanum quidquid nullius ponderis, aut virtutis firmitate conſiſtit. Inane eſt quod cum ſæculo prætereunte deficiens, ad vitam non tranſit æternam.

In Laudibus Capitulum. *Ioel.* 2.

COnuertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, & fletu, & plãctu: & ſcindite corda veſtra, & nõ veſtimenta veſtra, ait Dominus omnipotens. Ad Benedictus, Antiphona. Cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes.

Oratio.

PRæſta Domine fidelibus tuis: vt ieiuniorum veneranda ſolemnia, & congrua pietate ſuſcipiant, & ſecura deuotione percurrãt. Per Dominũ. Hac die, & deinceps, vſque ad Cœnam Domini excluſiue, Orationes, quæ in ſingulis Ferijs ad Laudes ſunt poſitæ, dicantur ad Tertiã, Sextam, & Nonam, quando de Tempore agitur. Ad Veſper. vero dicantur propriæ, quæ notatæ ſunt per ſingulas Ferias: niſi in Sabbatis, in quibus ſemper dicitur Oratio ſequentis Dominicæ.

Ad Tertiam, Capitulum.
Conuertimini. 242.

Ad Sextam, Capitulum. *Iſa.* 55.

DErelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.

Ad

Ad Nonam, Capit *Iſa.* 58.

FRange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domũ tuam: cum videris nudum, operi eũ, & carnem tuam ne deſpexeris, ait Dominus omnipotens.

Prædicta tria Capitula dicantur quotidie ad Horas, in quibus notata ſunt diebus Profeſtis, vſque ad Dominicam in Paſſione. Finita Nona, Fratres in Choro proſtrati dicant Septẽ Pſalmos Pœnitentiales, alternatim dicendo Verſus, terminando quemlibet Pſalmum per Gloria Patri, & ad finem Antiphonam. Ne reminiſcaris. vt in fine Breuiarij. Exiſtentes vero extra Chorum ad eos recitandos non tenentur. Hac die, & deinceps quotidie dicantur Veſperæ ante prandium: niſi in Dominicis diebus. Ad Veſperas, Capitulum. Conuertimini. 242.

Ad Magnficat, Antiphona.

Theſaurizate vobis theſauros in cælo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur.

Oratio.

INclinantes ſe, Domine, maieſtati tuæ, propitiatus intende: vt qui diuino munere ſunt refecti, cæleſtibus ſemper nutriantur auxilijs. Per Dominum.

FERIA QVINTA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 8.

IN illo tempore: Cum introiſſet Ieſus Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi. *Libr. 2. de conſenſu Euangeliſtarum c. 20. tom. 4.*

VIdeamus, vtrum ſibi de ſeruo Centurionis Matthæus Lucaſque conſentiant. Matthæus enim dicit: Acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Puer meus iacet in domo paralyticus. Cui videtur repugnare, quod ait Lucas: Et cum audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum, vt veniret, & ſanaret ſeruum eius. At illi cum veniſſent ad Ieſum, rogabant eum ſollicite, dicentes ei: Quia dignus eſt, vt hoc illi præſtes: diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit nobis.

Lectio ij.

IEſus autem ibat cun illis: & cum iam non longe eſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine, noli vexari: non enim dignus ſum vt ſub tectum meum intres. Si enim hoc ita geſtum eſt, quomodo verum erit quod Matthæus narrat, Acceſſit ad eum quidam Centurio, cum ipſe non acceſſerit, ſed amicos miſerit: niſi diligenter aduertentes intelligamus, Matthæum non omnino deſeruiſſe vſitatum morem loquendi.

Lectio iij.

NOn ergo abſurde Matthæus, etiam quod vulgo poſſit intelligi, per alios facto acceſſu Centurionis ad Dominum, compendio dicere

cere voluit: Acceſſit ad eum Centurio. Verumtamen non negligenter intuenda eſt etiam ſancti Euangeliſtæ altitudo myſticæ locutionis, ſecũ dum quod ſcriptum eſt in Pſalmo: Accedite ad eum, & illuminamini. Proinde quia fidem Centurionis, qua vere acceditur ad Ieſum, ipſe ita laudauit, vt diceret: Non inueni tantam fidem in Iſrael: ipſum potius acceſſiſſe ad Chriſtum dicere voluit prudens Euangeliſta, quàm illos, per quos verba ſua miſerat.

Ad Benedictus, Antiphona.

Domine, puer meus iacet paralyticus in domo, & male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam, & curabo eum.

Oratio.

DEus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, auerte. Per.

Ad Magnificat, Antiphona.

Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.

Oratio.

PArce Domine, parce populo tuo: vt dignis flagellationibus caſtigatus, in tua miſeratione reſpiret. Per Dominum.

FERIA SEXTA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 5.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Libr. 1. Comment. in cap 5. Matth.

EGo autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite ijs qui oderunt vos. Multi præcepta Dei, imbecillitate ſua, non ſanctorum viribus æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia quæ præcepta ſunt: & dicunt ſufficere virtutibus, non odiſſe inimicos: ceterum diligere, plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum eſt ergo, Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta. Quæ fecit Dauid in Saul, & in Abſalon.

Lectio ij.

STephanus quoq; martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus eſt & Paulus anathema cupit eſſe pro perſecutoribus ſuis. Hæc autem Ieſus, & docuit, & fecit, dicens: Pater, ignoſce illis: quod enim faciunt, neſciunt. Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt. Si Dei præcepta cuſtodiens, filius quis efficitur Dei: ergo non eſt natura filius, ſed arbitrio ſuo. Cum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis, & in vicis, vt honorificetur ab hominibus. Lect. iij.

QVi tuba canit, eleemoſynam faciens, hypocrita eſt. Qui ieiunans demolitur faciem ſuam, vt ventris inanitatem monſtret in vultu, & hic hypocrita eſt. Qui in ſynagogis, & in angulis platearum orat, vt videatur ab hominibus, hypocrita eſt. Ex-

quibus

quibus omnibus colligitur, hypocritas eſſe, qui quodlibet faciunt, vt ab hominibus glorificentur. Mihi videtur, & ille, qui dicit fratri ſuo: Dimitte vt tollam feſtucam de oculo tuo: nam propter gloriam hoc facere videtur, vt ipſe iuſtus eſſe videatur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cum facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.

Oratio.

INchoata ieiunia, quæſumus Domine, benigno fauore proſequere: vt obſeruantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam ſinceris exercere valeamus. Per. Dominum.

Ad Magnficat, Antiphona.

Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum. Oratio.

TVere Domine populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda: quia ei nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla ei dominetur iniquitas. Per.

SABBATO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Marcum. Lectio j. C. 6.

IN illo tempore: cum ſero eſſet factum, erat nauis in medio mari, & Ieſus ſolus in terra: & vidit diſcipulos ſuos laborantes in remigando. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri. *Libr. 2. c. 28. in c. 6 Marc.*

LAbor diſcipulorum in remigando, & contrarius eis ventus, labores ſanctæ Eccleſiæ varios deſignant: quæ inter vndas ſæculi aduerſantis, & immundorum flatus ſpirituum, ad quietem patriæ cæleſtis, quaſi ad fidam littoris ſtationem, peruenire conatur. Vbi bene dicitur, quia nauis erat in medio mari, & ipſe ſolus in terra: quia nonnumquam Eccleſia tantis Gentilium preſſuris non ſolum afflicta, ſed & fœdata eſt, vt ſi fieri poſſet, Redemptor ipſius eam prorſus deſeruiſſe ad tempus videretur. Lectio ij.

VNde eſt illa vox eius inter vndas procelllaſque tentationum irruentium deprehenſæ, atque auxilium protectionis illius gemebundo clamore quærentis: Vt quid Domine receſſiſti longe, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione? Quæ pariter vocem inimici perſequentis exponit, in ſequentibus Pſalmi ſubijciens: Dixit enim in corde ſuo, Oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam, ne videat vſq. in finem. Lectio iij.

VErum ille non obliuiſcitur orationem pauperum, neque auertit faciem ſuam à ſperantibus in ſe, quin potius, & certantes cum hoſtibus, vt vincant, adiuuat, & victores in æternum coronat. Vnde hic quoque aperte dicitur, quia vidit eos laborantes in remigando. Videt quippe Dominus laborantes in mari, quamuis ipſe poſitus ſit in terra: quia etſi ad horam differre videatur auxilium tribulatis impendere, nihilominus eos, ne in tribulationibus deficiant, ſuæ reſpectu pietatis corroborat.

Digitized by Google

Ad Benedictus Antiphon: Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras, & neſciſti?

Oratio.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & concede: vt hoc ſolemne ieiunium, quod animis corporibuſque curandis ſalubriter inſtitutū eſt, deuoto ſeruitio celebremus. Per Dominum.

DOMINICA I.
Quadrageſimæ.

Sabbato præcedenti ad Veſperas.

Capitulum. 2.Cor.6.

Hortamur vos, ne in vacuum gratiā Dei recipiatis, ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. ℟. Emendemus. iiij. Hymnus.

Audi benigne conditor,
Noſtras preces cum fletibus,
In hoc ſacro ieiunio
Fuſas quadragenario.
Scrutator alme cordium,
Infirma tu ſcis virium,
Ad te reuerſis exhibe
Remiſſionis gratiam.
Multum quidem peccauimus,
Sed parce confitentibus:
Ad laudem tui nominis
Confer medelam languidis.
Sic corpus extra conteri
Dona per abſtinentiam:
Ieiunet vt mens ſobria
A labe prorſus criminum.
Præſta beata Trinitas,
Concede ſimplex Vnitas,
Vt fructuoſa ſint tuis
Ieiuniorum munera. Amen.

℣. Angelis ſuis Deus mandauit de te. ℟. Vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Ad Magnificat, Antiph. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: in his ergo diebus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in vigilijs, in ieiunijs, in charitate non ficta.

Oratio.

Deus, qui Eccleſiam tuam annua Quadrageſimali obſeruatione purificas: præſta familiæ tuæ: vt quod à te obtinere abſtinēdo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per.

Ad Completorium poſt Capit. ℟. In pace in idipſum, Dormiam, & requieſcam. Non repetatur. ℣. Si dedero ſommum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. Dormiam. Gloria Patri. In pace.

Hoc Reſponſorium dicatur tantum in Sabbatis, & Dominicis diebus, & Feſtis Duplicibus, & ſupra in vtroque Complet. vſque ad Sabbatum ante Dominicām in Paſſione excluſiue, ceteris autem diebus dicatur. ℟. In manus. 185. Hymnus.

Chriſte qui lux es, & dies,
Noctis tenebras detegis,
Luciſque lumen crederis,
Lumen beatum prædicans.
Precamur ſancte Domine,
Defende nos in hac nocte:
Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue.
Ne grauis ſomnus irruat,
Nec hoſtis nos ſubripiat,

Nec

Nec caro illi conſentiens,
Nos tibi reos ſtatuat.
Oculi ſomnum capiant,
Cor ad te ſemper vigilet:
Dextera tua protegat
Famulos qui te diligunt.
Defenſor noſter aſpice,
Inſidiantes reprime:
Guberna tuos famulos,
Quos ſanguine mercatus es.
Memento noſtri Domine,
In graui iſto corpore:
Qui es defenſor animæ,
Adeſto nobis Domine.
Præſta Pater omnipotens. &c. 185.

Prædictus Hymnus dicatur quotidie vſque ad diem Cœnæ excluſiue.

Ad Nunc dimittis, Antiphona. Euigila ſuper nos æterne Saluator, ne nos apprehendat callidus tentator, quia tu factus es nobis ſempiternus adiutor.

Hæc Antiphona dicatur ſuper Nunc dimittis, quotidie vſque ad Sabbatum ante Tertiam Dominicam Quadrageſ. excluſiue, niſi in Annunciatione, quando infra hoc tempus euenerit.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Non ſit vobis vanum mane ſurgere ante lucem: Quia promiſit Dominus coronam vigilantibus. Hymnus.

Summi largitor præmij,
Spes qui es vnica mundi,
Preces intende ſeruorum
Ad te deuote clamantium.
Noſtra te conſcientia
Graue offendiſſe monſtrat:
Quam emundes ſupplicamus
Ab omnibus piaculis.
Si renuis, quis tribuet?
Indulge quia potens es:
Te corde rogare mundo
Fac nos precamur Domine.
Ergo nunc accepta noſtrum
Qui ſacraſti ieiunium,
Quo myſtice Paſchalia
Capiamus ſacramenta.
Summa nobis hoc conferat
In Deitate Trinitas,
In qua gloriatur vnus,
Per cuncta ſæcula Deus. Amen.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Antiph. Seruite Domino. ℣. Dicet Domino: Suſceptor meus es tu. ℟. Et refugium meum Deus meus.

De Ioele Propheta.

Lectio j. C. 2.

Canite tuba in Sion: Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, congregate paruulos, & ſugentes vbera: egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo. Inter veſtibulum, & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini: & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis: Vbi eſt Deus eorum? Zelatus eſt Dominus terram ſuam, & pepercit populo ſuo. Hæc dicit. ℟. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: commendemus noſ metipſos in multa patientia, in ieiu-

nijs multis: Per arma iuſtitiæ virtutis Dei. ℣. In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia.

De Iona Propheta.

Lectio ij. C. 3.

ET peruenit verbum ad regem Niniue: & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis, & principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quidquam: & nec paſcantur, & aquam non bibant. Et operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit ſi conuertatur, & ignoſcat Deus: & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus? Tu autem. ℟. In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia: Vt non vituperetur miniſterium noſtrum. ℣. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, nemini dantes vllam offenſionem. Vt non.

De Iſaia Propheta.

Lectio iij. C. 58.

NOlite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter. Numquid tale eſt ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? Numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum, & cinerem ſternere? Numquid iſtud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc eſt magis ieiunium quod elegi? Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur. Hæc dicit Dominus. ℟. Emendemus in melius quæ ignoranter peccauimus: ne ſubito præoccupati die mortis, quæramus ſpatium pœnitentiæ, & inuenire non poſſimus. Attende Domine, & miſerere, quia peccauimus tibi. ℣. Peccauimus cum patribus noſtris: iniuſte egimus, iniquitatem fecimus. Attende Domine, & miſerere. Gloria Patri. Attende Domine, & miſerere, quia peccauimus tibi.

IN II. NOCTVRNO.

℣. Ipſe liberauit me de laqueo venantium. ℟. Et à verbo aſpero.

Sermo S. Baſilij Epiſcopi.

Homil. 2. de Ieiunio.

Lectio v.

ET quidem omni tempore ieiunium vtile volentibus ipſum. Neque enim dæmonum inſultus ieiunantem impetere audet: & cuſtodes vitæ noſtræ Angeli libentius perſeuerant apud eos, qui animam habent per ieiunium purgatam. Nunc vero multo amplius cum in omnē terrarum

tarum orbem præconium ipſius annunciatur, & neque inſula aliqua, neque terra firma, non ciuitas, non gens, non extremitas eſt, ad quam prædicatio ipſius non perueniat: ſed & exercitus, & viatores, & nauigatores, & mercatores, omnes æqualiter, & præceptum audiunt, & cum gaudio ſuſcipiunt. Quare nemo ſeipſum ex ieiunantium catalogo eximat: in quo omnia genera, & omnis ætas, & omnes dignitatum differentiæ recenſentur. ℟. Paradiſi portas aperiat nobis ieiunij tempus: ſuſcipiamus illud orantes, & deprecantes: Vt in die reſurrectionis cum Domino gloriemur. ℣. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: commendemus noſmetipſos in multa patientia. Vt in.

Lectio v.

ANgeli ſunt qui per ſingulas Eccleſias ieiunantes deſcribunt. Vide ne propter paruam eduliorum voluptatem damnum incurras: vt ne ab Angelo in numerum adſcribaris: & teipſum criminis deſertoris reum apud exercitus luſtratorem ſtatuas. Minus periculum eſſet, ſi abiecto ſcuto in acie fugitiuus deprehendereris: quàm ſi magno ſcuto ieiunio abiecto appareas. Diues es? ne afficias contumelia ieiunium, dedignatus ipſum commenſalem ſuſcipere: ne aliquando te apud ieiuniorum legiſlatorem accuſet. Pauper cauillis non impetat ieiunium, iam olim ipſum contubernale habens. Mulieribus autem velut reſpirare: ita etiam ieiunare proprium eſt, & ſecundum naturam. Pueri velut plantæ virides ieiunij aqua irrigentur. Senibus aſſuetudo, ac familiaritas ab antiquo ad ipſum, leuem facit laborem. ℟. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra: Et conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus, & miſericors eſt. ℣. Reuertimini vnuſquiſque à via ſua mala, & à peſſimis cogitationibus veſtris. Et conuertimini.

Lectio vj.

IEiunium Angelorum ſimilitudo, iuſtorum contubernalis vitæ caſtigatio. Hoc Moyſen legiſlatorem fecit. Ieiunij fructus eſt Samuel. Hoc magnum Samſonem inſtar nutricis enutriuit: & donec viro ipſum adhærebat per milliaria hoſtes cadebant, & portæ inimicorum diuellebantur, & leones manuum robur non ſuſtinebant. Vbi vero ebrietas, & ſcortatio ipſum apprehendiſſent: iam hoſtibus captu facilis erat. Elias ieiunans, concluſit cælum per annos tres ac menſes ſex. Cum enim multam iniuriam ex ſatietate naſci noſſet, neceſſario ipſis inuitum ex fame ieiunium induxit: per quod peccatum ipſorum, iam ad immodeſtiã diffuſum compeſcuit, ac finiuit per ieiunium, velut per cauterij vſtionem, aut ſectionem, mali progreſſu ampliore intercepto. ℟. Abſcondite eleemoſynam in ſinu pauperis, & ipſa orat pro vobis ad Dominum: Quia ſicut aqua

Digitized by Google

aqua extinguit ignẽ: ita eleemoſyna extinguit peccatum. ℣. Date eleemoſynam, dicit Dominus, & ecce omnia munda ſunt vobis. Quia ſicut. Gloria Patri. Quia ſicut.

IN III. NOCTVRNO.

℣. Scapulis ſuis obumbrabit tibi. ℟. Et ſub pennis eius ſperabis.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 4.

IN illo tempore: Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo, & cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 16. in Euang.

DVbitari à quibuſdam ſolet, à quo ſpiritu ductus ſit Ieſus in deſertum, propter hoc quod ſubditur: Aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem: & rurſum: Aſſumpſit eum in montem excelſum valde. Sed vere, & abſque vlla quæſtione conuenienter accipitur, vt à ſancto Spiritu in deſertum ductus credatur: vt illuc eum ſuus Spiritus duceret, vbi hunc ad tentandum malignus ſpiritus inueniret. ℟. In ieiunio, & fletu orabunt ſacerdotes, dicentes: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in perditionem. ℣. Inter veſtibulum, & altare plorabunt ſacerdotes, dicentes. Parce.

Lectio viij.

SEd ecce cum dicitur Deus homo, vel in excelſum montem, vel in ſanctam ciuitatem aſſumptus à diabolo, mens refugit credere, humanæ hoc audire aures expaueſcunt: cum tamen non eſſe incredibilia iſta cognoſcimus, ſi in illo, & alia facta penſamus. Certe iniquorum omnium caput diabolus eſt: & huius capitis mẽbra ſunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? An non diaboli membra Iudæi perſequentes, & milites crucifigentes Chriſtum fuerunt? ℟. Tribularer ſi neſcirem miſericordias tuas Domine. Tu dixiſti: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Qui Chananæam, & Publicanum vocaſti ad pœnitentiam. ℣. Et Petrum lacrymantem ſuſcepiſti miſericors Domine. Qui.

Lectio ix.

QVid ergo mirum, ſi ſe ab illo permiſit in montem duci, & tentari, qui pertulit etiam à membris illius crucifigi? Non eſt ergo indignum Redẽptori noſtro, quòd tentari voluit, qui venerat occidi. Iuſtum quippe erat, vt ſic tentationes noſtras ſuis tentationibus vinceret, ſicut mortem noſtram venerat ſua morte ſuperare. Tentari ergo per ſuggeſtionem potuit: ſed eius mentem peccati delectatio non momordit. ℟. Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. ℣. Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt. Et accedens. Gloria Patri. Si. ℟. Ductus. ℣. In manibus portabunt

Digitized by Google

tabunt te. ℟. Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

COr mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Pſal. Miſerere. 33. Antiph. O Domine ſaluum me fac: ò Domine bene proſperare. Pſal. Confitemini. 75 Antiph. Sic benedicam te in vita mea Domine: & in nomine tuo leuabo manus meas. Pſal. Deus Deus 39. Antiph. In ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ſuſcipiamur Domine à te: & ſic fiat ſacrificium noſtrum, vt à te ſuſcipiatur hodie, & placeat tibi Domine Deus. Canticum. Benedicite. 98. Antiph. Laudate Deum cæli cælorum, & aquæ omnes. Pſalm. Laudate. 97. Cap. Hortamur 246. Hymnus.

IAm Chriſte ſol iuſtitiæ.
Mentis dieſcant tenebræ,
Virtutum, vt lux redeat,
Terris diem cum reparas.
Dans tempus acceptabile,
Et pœnitens cor tribue:
Conuertat vt benignitas,
Quos longa ſuffert pietas.
Quiddamque pœnitentiæ
Da ferre, quamuis grauium,
Maiore tuo munere,
Quo demptio fit criminum.
Dies venit dies tua,
In qua reflorent omnia:
Lætemur in hac, ad tuam
Per hanc reducti gratiam.
Te rerum vniuerſitas,
Clemens adoret Trinitas:
Et nos noui per veniam
Nouum canamus canticum.
Amen.

℣. Scuto circumdabit te veritas eius. ℟. Non timebis à timore nocturno.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo: & cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt.

Ad Primam, Antiphona.

Ieſus autem cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt. Pſalmi, vt in Septuageſ. 227.

Ad Tertiam, Antiphona.

Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Cap. Hortamur. ℟. Participem me fac Deus omnium timentium te, Et cuſtodientium mandata tua. ℣. Aſpice in me, & miſerere mei, ſecundum iudicium diligentium nomen tuum. Et. Gloria Patri. Participem. ℣. Dicet Domino. 247.

Ad Sextam, Antiphona.

Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi, & dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorſum.

Capitulum. *2. Cor. 6.*

ECce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum. ℟. Ab omni via mala prohibui pedes meos, Vt cuſtodiam mandata tua Domine. ℣. A iudicijs tuis non declinaui,

ui, quia tu legem poſuiſti mihi. Vt. Gloria Patri. Ab. ℣. Ipſe liberauit. 248.

Ad Nonam, Antiphona.

Vade Satana, non tentabis Dominum Deum tuum.

Capitulum. 2. *Cor.* 6.

IN omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in ieiunijs multis, per arma iuſtitiæ. ℟. Septies in die laudem dixi tibi Domine Deus meus, Ne perdas me. ℣. Erraui ſicut ouis, quæ perierat: require ſeruum tuum Domine, quia mandata tua non ſum oblitus. Ne. Gloria Patri. Septies. ℣. Scapulis ſuis. 250.

Prædicta Reſponſoria dicuntur ad Horas, tam in Dominicis, quàm Profeſtis diebus, quando de Temp. agitur, vſq. ad Dominicam tertiam Quadrag. excluſ. ad Veſper. Cap. Hortamur. 246. Prædicta tria Cap. dicantur ad Horas in quibus notata ſunt, in Dominicis tantum diebus, vſque ad Veſp. Sabbati ante Dominicam in Paſſione excluſiue. Prædicti Hymni, & ℣℣. ad Matutin. & ad Veſp. & ad alias Horas in quibus notati ſunt, dicantur vſq. ad Veſp. Sabbati ante Dominicam in Paſſione excluſiue, quando de Tempore agitur

Ad Magnificat, Antiphona.

Reliquit eum tentator, & acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.

FERIA SECVNDA.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Lectio i. C. 25.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cum venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo: tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Libr. de fide, & operibus c. 15. *tom.* 4.

SI mandatis non ſeruatis, ad vitam veniri poteſt per ſolam fidē, quæ ſine operibus mortua eſt: quomodo verum erit, quòd eis, quos ad ſiniſtram poſiturus eſt, dicet: Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius? Nec increpat quia in eum non crediderunt, ſed quia bona opera non fecerunt. Nam profecto, ne ſibi quiſquam de fide, quæ ſine operibus mortua eſt, promittat æternam vitam, propterea omnes gentes ſegregaturum ſe dixit, quæ permixtæ eiſdem paſcuis vtebantur.

Lectio ij.

VT appareat, eos illi dicturos: Domine, quando te vidimus illa, & illa patientem, & non miniſtrauimus tibi? qui in eum crediderant, ſed bona operari non curauerant, tamquam de ipſa fide mortua ad vitam perueniretur æternam. An forte ibunt in ignem æternum, qui opera miſericordiæ non fecerunt: & non ibunt qui aliena rapuerunt? vel corrumpendo in ſe templum Dei, in ſeipſos immiſericordes fuerunt: quaſi opera miſericordiæ proſint aliquid ſine

ſine dilectione, dicente Apoſtolo: Si diſtribuero omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil prodeſt. Lectio iij.

NEque illud dici hic poterit, in quo nonnulli ſeipſos ſeducunt, ignem æternum dictum, non ipſam combuſtionem æternam. Per ignem quippe, qui æternus erit, tranſituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt ſalutem: vt videlicet ipſe ignis æternus ſit, combuſtio vero eorum, hoc eſt operatio ignis, non ſit in eos æterna: cum & hoc præuidens Dominus, ſententiam ſuam concluſit ita dicens: Sic ibunt illi in combuſtionem æternam, iuſti autem in vitam æternam.

Ad Benedictus, Antiphona

Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Oratio.

COnuerte nos Deus ſalutaris noſter: & vt nobis ieiunium Quadrageſimale proficiat, mentes noſtras cæleſtibus inſtrue diſcipulis. Per Dominum. Ad Primam, Antiphona.

Viuo ego dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Ad Tertiam, Aña. Aduenerunt nobis dies pœnitentiæ, ad redimenda peccata, & ſaluandas animas. Ad Sextam, Antiphona. Commendemus noſmetipſos in multa patientia, in ieiunijs multis, per arma iuſtitiæ. Ad Nonam, Antiphona. Per arma iuſtitiæ virtutis Dei cõmendemus noſmetipſos in multa patiẽtia. Antiphonæ prædictæ ad Horas dicantur quotidie in Profeſtis tantum diebus vſque ad Paſſionem Domini.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, dicit Dominus. Oratio.

ABſolue, quæſumus Domine, noſtrorum vincula peccatorum: & quidquid pro eis meremur, propitiatus auerte. Per Dominum noſtrũ.

FERIA TERTIA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 21.

IN illo tempore: Cũ intraſſet Ieſus Ieroſolymã, commota eſt vniuerſa ciuitas, dicẽs: Quis eſt hic? Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri. *Homil. 7. in Quadrag. tom. 7.*

QVod maledicendo ficum infructuoſam per figuram fecit Dominus, hoc idem mox apertius oſtendit, eijciendo improbos de templo. Neque enim aliquid peccauit arbor, quòd eſuriente Domino poma non habuit, quorum necdum tempus aduenerat: ſed peccauere ſacerdotes, qui in domo Domini negotia ſæcularia gerebant, & fructũ pietatis, quem debuerant, quemque in eis Dominus eſuriebat, ferre recuſabant. Lectio ij.

ARefecit Dominus arborem maledicto, vt homines hoc videntes, ſiue audientes, multo magis intelligerent ſe diuino condemnandos eſſe iudicio, ſi abſq. operum fructu, plauſu tantum ſibi religioſi ſermonis, velut de ſonitu, & blandimẽto viridã-

tium

tium gloriarentur foliorum. Verum quia non intellexerunt, conſequenter in ipſos diſtrictionem meritæ vltionis exercuit: eiecitq. commercia rerum humanarum de domo illa, in qua diuinas tantũ res agi, hoſtias, & oblationes Deo offerri, verbum Dei legi, audiri, & decantari præceptum erat. Lectio iij.

ET quidem credendum eſt, quòd ea tantum vendi, vel emi repererit in templo, quæ ad miniſterium templi eiuſdẽ neceſſaria eſſent, iuxta hoc quod aliàs factum legimus, quũ idem templum ingrediens, inuenit in eo vendentes, & ementes oues, & boues, & columbas: quia nimirum hæc omnia, non niſi vt offerrentur in domo Domini, eos qui de longe venerant, ab indigenis comparare credendum eſt. Si ergo Dominus nec ea volebat venundari in templo, quæ in templo volebat offerri, videlicet propter ſtudium auaritiæ, ſiue fraudis, quod proprium ſolet eſſe negotiantium facinus: quanta putas animaduerſione puniret, ſi inueniſſet ibi aliquos riſui vel vaniloquio vacantes, aut alij cuilibet vitio mancipatos?

Ad Benedictus Antiphona.

Intrauit Ieſus in templum Dei, & eijciebat omnes vendentes, & ementes: & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.

Oratio.

REſpice Domine familiam tuam, & præſta: vt apud te mens noſtra tuo deſiderio fulgeat, quæ ſe carnis maceratione caſtigat. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Scriptum eſt enim, quia domus mea, domus orationis eſt cunctis gentibus: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et erat quotidie docens in templo. Oratio.

AScendant ad te Domine preces noſtræ: & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiã. Per Dominũ.

FERIA QVARTA.

Quatuor Temporum.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 12.

IN illo tempore: Acceſſerunt ad Ieſum Scribæ, & Phariſæi, dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

IOnam prophetam, qui deiectus in mari, belluæ marinæ vtero exceptus eſt, & die tertio viuus euomitur, figuram geſſiſſe Saluatoris, qui paſſus eſt, & die tertia reſurrexit, ipſe Saluator oſtendit. Accuſatus eſt populus Iudæorum in comparatione Niniuitarum: quoniam Niniuitæ, ad quos redarguendos miſſus eſt Ionas propheta, agendo pœnitentiam, iram Dei placauerunt, & miſericordiam meruerunt. Lectio ij.

ECce, inquit, plus quàm Ionas hic: volens intelligi ſeipſum Dominus Ieſus. Audierunt illi ſeruum, & vias ſuas correxerunt: audierunt iſti Dominum, & contempſerunt, & inſuper occiderunt. Regina Auſtri exurget, inquit, in iudicio cũ generatione

tione hac, & condemnabit eam: venit enim à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis: & ecce plus quàm Salomon hic. Non fuit magnum Chriſto plus eſſe quàm Ionas, plus eſſe quàm Salomon: iſte enim dominus, illi ſerui erant. Lectio iij.

SEd tamen quales ſunt, qui præſentem Dominum contempſerunt, quando alienigenæ ſeruos eius audierunt? Deinde ſequitur: Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit: tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Quando fit in Sacramentis remiſſio peccatorum, mundatur domus, ſed habitator eſt neceſſarius Spiritus ſanctus: Spiritus autem ſanctus non habitat niſi ſuper humiles corde.

Ad Benedictus, Antiphona.

Generatio hæc praua, & peruerſa ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ.

Oratio.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi: & contra cuncta nobis aduerſantia dexteram tuæ maieſtatis extende. Per Dominũ.

Ad Magnificat, Antiphona.

Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ.

Oratio.

MEntes noſtras, quæſumus Domine, lumine tuæ claritatis illuſtra: vt videre poſſimus, quæ agenda ſunt; & quæ recta ſunt, agere valeamus. Per Dominum.

FERIA QVINTA.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 15.

IN illo tempore: Egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Libr. 2. Com. in c. 15. Matt.

SCribis, & Phariſæis calumniatoribus derelictis, tranſgreditur in partes Tyri, & Sidonis, vt Tyrios Sidonioſque curaret. Mulier autem Chananæa egreditur de finibus priſtinis, vt clamans filiæ impetret ſanitatem. Obſerua quòd in quintodecimo loco filia Chananææ ſanetur. Miſerere mei Domine, fili Dauid. Inde nouit vocare filium Dauid, quia egreſſa iam fuerat de finibus ſuis, & errorem Tyriorum ac Sidoniorum, loci ac fidei commutatione dimiſerat. Lectio ij.

FIlia mea male à dæmonio vexatur. Ego filiam Chananææ puto animas eſſe credentium, quæ male à dæmonio vexabantur, ignorantes creatorem, & adorantes lapidem. Qui non reſpondit ei verbum: non de ſuperbia Phariſaica, nec de Scribarum ſupercilio, ſed ne ipſe ſententiæ ſuæ videretur eſſe contrarius, per quam iuſſerat: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Lectio iij.

NOlebat enim occaſionem calumniatoribus dare: perfectamque ſalutem Gentium paſſionis, & reſurre-

ſurrectionis tempori reſeruabat. Et accedentes diſcipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Diſcipuli illo adhuc tempore myſteria Domini neſcientes, vel miſericordia commoti, rogabant pro Chananæa muliere, quam alter Euangeliſta Syrophœniſſam appellat. Ad Benedictus Antiphona.

Egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis: & ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa, clamabat dicens: Miſerere mei, fili Dauid.

Oratio.

Deuotionem populi tui, quæſumus Domine, benignus intende: vt qui per abſtinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. Per Dominũ.

Ad Magnificat, Antiphona.

O mulier, magna eſt fides tua. Fiat tibi ſicut petiſti. Oratio.

Da quæſumus Domine, populis Chriſtianis, & quæ profitentur agnoſcere: & cæleſte munus diligere, quod frequentant. Per Dominum.

FERIA SEXTA.

Quatuor Temporum.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 5.

In illo tempore: Erat dies feſtus Iudæorum: & aſcendit Ieſus Ieroſolymam. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 17. in Ioan. poſt init.

Videamus quid voluerit ſignificare in illo vno, quem etiam ipſe ſeruans vnitatis myſterium, de tot languentibus vnum ſanare dignatus eſt. Inuenit in annis eius numerum quendam languoris. Triginta, & octo annos habebat in infirmitate. Hic numerus quomodo magis ad languorem pertineat, quàm ad ſanitatem, paulo diligentius exponendum eſt. Intentos vos volo: aderit Dominus, vt congrue loquar, & ſufficienter audiatis. Lectio ij.

Quadragenarius numerus ſacratus nobis in quadam perfectione commendatur: notum eſſe arbitror charitati veſtræ: teſtantur ſæpiſſime diuinæ Scripturæ: ieiunium hoc numero conſecratum eſſe, bene noſtis. Siue ergo in Lege, ſiue in Prophetis, ſiue in Euangelio, quadragenarius numerus nobis in ieiunio commendatur. Ieiunium autem magnum, & generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus. Charitas implet legem: ad plenitudinem legis in omnibus pertinet quadragenarius numerus. Lectio iij.

In charitate autem duo præcepta nobis commendantur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum tuũ ſicut teipſum. In his duobus præceptis tota Lex pendet, & Prophetæ. Si ergo quadragenarius numerus habet perfectionem legis, & lex non impletur niſi in gemino præcepto charitatis, quid miraris, quia languebat, qui ad quadraginta, duo minus habebat? Ad Benedictus, Antiph. Angelus

gelus Domini deſcendebat de cælo, & mouebatur aqua, & ſanabatur vnus. Oratio.

Esto Domine propitius plebi tuæ: & quam tibi facis eſſe deuotam, benigno refoue miſeratus auxilio. Per Dominum. Ad Magnif. Aña.

Qui me ſanum fecit, ille mihi præcepit: Tolle grabatum tuum, & ambula in pace. Oratio.

Exaudi nos miſericors Deus: & mentibus noſtris gratiæ tuæ lumen oſtende. Per Dominum.

S A B B A T O.

Quatuor Temporum.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 17.

In illo tempore: Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius: & duxit illos in montem excelſum ſeorſum. Et reliqua.

Homilia ſancti Leonis Papæ.

De Transfigur. Domini.

Evangelica lectio, dilectiſſimi, quæ per aures corporis interiorẽ mentium noſtrarum pulſauit auditũ, ad magni ſacramenti nos intelligentiam vocat: quam aſpirante gratia Dei, facilius aſſequemur, ſi conſiderationem noſtram ad ea, quæ paulo ſuperius ſunt narrata, referamus. Saluator enim humani generis Ieſus Chriſtus, condens eam fidem, quæ & impios ad iuſtitiam, & mortuos reuocat ad vitam, ad hoc diſcipulos ſuos doctrinæ monitis, & operum miraculis imbuebat, vt idem Chriſtus, & vnigenitus Dei, & hominis filius crederetur. Lectio ij.

Nam vnum horum ſine altero non proderat ad ſalutem: & æqualis erat periculi, Dominum Ieſum Chriſtum aut Deum tantummodo ſine homine, aut ſine Deo ſolum hominem crediſſe: cum vtrumque eſſet pariter confitendum: quia ſicut Deo vera humanitas, ita homini ineſt vera diuinitas. Ad confirmandam ergo huius fidei ſaluberrimam cognitionem, interrogauerat diſcipulos ſuos Dominus, inter diuerſas aliorũ opiniones quid ipſi de eo crederent, quidue ſentirent. Lectio iij.

Vbi Petrus Apoſtolus, per reuelationem ſummi Patris corporea ſuperans, & humana tranſcendens, vidit mentis oculis Filium Dei viui, & confeſſus eſt gloriam Deitatis, quia non ad ſolam reſpexit ſubſtantiam carnis, & ſanguinis: tantumque in hac fidei ſublimitate complacuit, vt beatitudinis fęlicitate donatus, ſacram inuiolabilis petræ acciperet firmitatem: ſuper quam fundata Eccleſia, portis inferi, & mortis legibus præualeret: nec in ſoluendis aut ligandis quorumcumq. cauſis aliud ratum eſſet in cælo, quàm quod Petri ſediſſet arbitrio.

Ad Benedictus, Antiphona.

Aſſumpſit Ieſus diſcipulos ſuos, & aſcendit in montem, & transfiguratus eſt ante eos. Oratio.

Populum tuũ, quæſumus Domine, propitius reſpice: atq. ab eo flagella

gella tuæ iracundiæ clementer auerte. Per Dominum.

DOMINICA II.

Quadrageſimæ.

Sabbato præcedenti ad Veſper. ℞. Det tibi Deus. iij.

Ad Magnificat, Antiphona.

Domine bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.

Oratio.

DEus, qui conſpicis omni nos virtute deſtitui, interius exteriuſque cuſtodi: vt ab omnibus aduerſitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Quoniam Deus magnus Dominus, Et rex magnus ſuper omnes deos.

Hic ℣. in Pſalmo intermittatur, poſtquã ſecundo dictũ fuerit Inuitatoriũ.

IN I. NOCTVRNO.

De Libro Geneſis. Lect. j. C. 27.

SEnuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauitque Eſau filium ſuum maiorem, & dixit ei: Fili mi? Qui reſpondit: Adſum. Cui pater: Vides, inquit, quòd ſenuerim, & ignorẽ diẽ mortis meæ. Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras: cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum ſicut velle me noſti, & affer, vt comedam: & benedicat tibi anima mea antequam moriar. ℞. Tolle arma tua, pharetram, & arcum, & affer de venatione tua, vt comedam: Et benedicat tibi anima mea. ℣. Cumque venatu aliquid attuleris, fac mihi inde pulmentum, vt comedam. Et benedicat.

Lectio ij.

QVod cum audiſſet Rebecca, & ille abijſſet in agrum, vt iuſſionem patris impleret, dixit filio ſuo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Eſau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar. Nunc ergo fili mi, acquieſce conſilijs meis, & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis eſcas patri tuo, quibus libenter veſcitur: quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi priuſquam moriatur. ℞. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Creſcere te faciat Deus meus ſicut arenam maris, Et donet tibi de rore cæli benedictionem. ℣. Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Et donet.

Lectio iij.

CVi ille reſpondit: Noſti quòd Eſau frater meus homo piloſus ſit, & ego lenis: ſi attrectauerit me pater meus, & ſenſerit, timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere: & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater: In me ſit, ait, iſta maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi. Abijt, & attulit, deditque

Digitized by Google

ditque matri. Parauit illa cibos, ſicut velle nouerat patrem illius. Et veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum. ℟. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam: ſeruiant tibi tribus, & populi, Eſto dominus fratrum tuorum. ℣. Et incuruentur ante te filij matris tuæ. Eſto. Gloria Patri. Eſto.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Libro ſancti Auguſtini Epiſcopi contra mendacium.

Lectio iiij. C.4. *tom.*3.

IAcob, quod matre fecit auctore, vt patrem fallere videretur, ſi diligenter, & fideliter attendatur, non eſt mendacium, ſed myſterium. Quæ ſi mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ ſignificandarum quarumcumque rerum, quæ non per proprietatem accipiendæ ſunt, ſed in eis aliud ex alio eſt intelligendum, dicentur eſſe mendacia: quod abſit omnino. Nam qui hoc putat, tropicis etiam tam multis locutionibus poteſt hanc importare calumniam. ℟. Quis igitur ille eſt, qui dudum captã venationem attulit mihi: & comedi ex omnibus priuſquam tu venires? Benedixique ei, & erit benedictus. ℣. Dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres eius ſeruituti illius ſubiugaui. Benedixique.

Lectio v.

QVæ ſignificantur enim, vtique ipſa dicuntur: putantur autem mendacia, quoniam non ea quæ vera ſignificantur, dicta intelliguntur, ſed ea quæ falſa ſunt, dicta eſſe creduntur. Hoc vt exemplis fiat planius, id ipſum, quod Iacob fecit, attende. Hœdinis certe pellibus membra contexit. Si cauſam proximam requiramus: mendaciũ putabimus: hoc enim fecit, vt putaretur eſſe, qui non erat. Si autem hoc factum ad illud, propter quod ſignificandum reuera factum eſt, referatur: per hœdinas pelles, peccata: per eum vero qui eis ſe operuit, ille ſignificatus eſt, qui non ſua, ſed aliena peccata portauit. ℟. Dum exiret Iacob de terra ſua, vidit gloriam Dei, & ait: Quàm terribilis eſt locus iſte. Non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli. ℣. Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Non.

Lectio vj.

VErax ergo ſignificatio nullo modo mendacium recte dici poteſt: vt autem in facto, ita & in verbo. Nam cum ei pater dixiſſet: Quis es tu fili? ille reſpondit: Ego ſum Eſau primogenitus tuus. Hoc ſi referatur ad duos illos geminos, mendacium videbitur: ſi autem ad illud, propter quod ſignificandum iſta geſta dictaque conſcripta ſunt, ille eſt hic intelligendus in corpore ſuo, quod eſt eius Eccleſia, qui de hac re loquens, ait: Cum videritis Abraham, & Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. ℟. Si Dominus Deus meus fuerit mecum in via iſta, per quam ego ambulo, &

cuſtodierit me, & dederit mihi panē ad edendum, & veſtimentū quo operiar, & reuocauerit me cū ſalute: Erit mihi Dominus in refugium, Et lapis iſte in ſignum. ℣. Surgens ergo mane Iacob, tulit lapidem, & erexit in titulum: fundenſque oleum deſuper, ait. Erit. Gloria Patri. Et lapis.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 17.

IN illo tempore: Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius: & duxit illos in montem excelſum ſeorſum. Et reliqua.

Homilia ſancti Leonis Papæ.

Ex Homil. de Transfigur.

ASſumpſit Ieſus Petrum, Iacobum, & fratrem eius Ioannem, & conſcenſo cum eis ſeorſum monte præcelſo, claritatem ſuæ gloriæ demonſtrauit: quia licet intellexiſſent in eo maieſtatem Dei, ipſius tamen corporis, quo diuinitas tegebatur, potentiā neſciebant. Et ideo propriè ſignanterque promiſerat, quoſdam de aſtantibus diſcipulis non prius guſtare mortem, quàm viderent Filium hominis venientē in regno ſuo, ideſt in regia claritate, quam ſpiritaliter ad naturam ſuſcepti hominis pertinentem, his tribus viris voluit eſſe conſpicuam. ℟. Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: & de vniuerſis, quæ dederis mihi, Decimas, & hoſtias pacificas offeram tibi. ℣. Si Dominus Deus meus fuerit mecum in via iſta per quam ego ambulo, & cuſtodierit me. Decimas, & hoſtias pacificas.

Lectio viij.

NAm illam ipſius Deitatis ineffabilem, & inacceſſibilem viſionem, quæ in æternam vitam mundis corde ſeruatur, nullo modo mortali adhuc carne circumdati intueri poterant, & videre. Dicente Patre: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite: nonne euidenter auditum eſt, Hic eſt Filius meus, cui ex me, & mecum eſſe ſine tempore eſt? quia nec genitor genito prior, nec genitus eſt genitore poſterior. Hic eſt Filius meus dilectus, quem à me non ſeparat Deitas, non diuidit poteſtas, non diſcernit æternitas. ℟. Dixit Angelus ad Iacob: Dimitte me, aurora eſt. Reſpondit ei: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Et benedixit eum in eodem loco. ℣. Nequaquam vocaberis Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Et.

Lectio ix.

HIc eſt Filius meus, non adoptiuus, ſed proprius: non aliunde creatus, ſed ex me genitus: nec de alia natura mihi factus comparabilis, ſed de mea eſſentia mihi natus æqualis. Hic eſt Filius meus, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil: qui omnia quæ facio, ſimiliter facit, & quidquid operor, inſeparabiliter mecum atque indifferenter operatur. Hunc ergo, in

quo

quo mihi per omnia bene complaceo, & cuius prædicatione manifeſtor, cuius humilitate clarificor, incunctanter audite: quia ipſe eſt veritas, & vita, ipſe virtus mea atque ſapientia. ℟. Orauit Iacob, & dixit: Domine qui dixiſti mihi: Reuertere in terram natiuitatis tuæ: Erue me de manu fratris mei, quia valde eum timeo. ℣. Deus, in cuius conſpectu ambulauerunt patres noſtri, Domine, qui paſcis me à iuuentute mea. Erue. Gloria. Erue me. Orauit.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Pſalm. Miſerere. 33. Antiph. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me. Pſalm. Confitemini. iv 78. Antiph. Factus eſt adiutor meus Deus meus. Pſalm. Deus Deus. 39. Antiph. Trium puerorum cantemus hymnum: quem cantabant in camino ignis, benedicentes Dominum. Cantic. Benedicite. 98. Antiphona. Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi: præceptum poſuit, & non præteribit. Pſalm. Laudate. 97.

Ad Benedictus, Antiphona.

Aſſumpſit Ieſus diſcipulos ſuos, & aſcendit in montē, & transfiguratus eſt eos. Ad Primam, & Tertiam Antiphona. Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. ℟℟. Horarum, vt in præcedenti Dominica 252. & 253.

Ad Sextam, Antiphona.

Faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Ad Nonam, & ad Magnificat. Antiphona. Viſionem quam vidiſtis, nemini dixeritis, donec à mortuis reſurgat Filius hominis.

FERIA SECVNDA.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 8.

In illo tempore: Dixit Ieſus turbis Iudæorum: Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 38. in Ioan. poſt init.

Locutus eſt Dominus Iudæis, dicens: Ego vado, Chriſto enim Domino mors profectio fuit illò, vnde venerat. Ego, inquit, vado, & quæretis me: non deſiderio, ſed odio. Nam illum poſteaquam diſceſſit ab oculis hominum, inquiſierunt, & qui oderant, & qui amabant: illi perſequendo, iſti habere cupiendo. In Pſalmis ait ipſe Dominus per Prophetam: Perijt fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam. Et iterum in alio Pſalmo: Confundantur, & reuereantur requirētes animam meam.

Lectio ij.

Culpauit qui non requirerent: damnauit requirentes. Bonum eſt enim quærere animam Chriſti, ſed quomodo eam quæſierunt diſcipuli: & malum eſt quærere animam Chriſti, ſed quomodo eam quæſierunt Iudæi: illi enim, vt haberēt, iſti vt perde-

rent. Denique iſtis, quia ſic quærebant more malo, corde peruerſo, quod ſequitur adiunxit: Quæretis me, & ne putetis, quia bene me quæretis, in peccato veſtro moriemini.

Lectio iij.

HOc eſt Chriſtum male quærere, in peccato ſuo mori: hoc eſt illum odiſſe, per quem poſſit ſolum ſaluus eſſe. Cum enim homines, quorum ſpes in Deo eſt, nō debeant mala reddere nec pro malis, reddebant iſti mala pro bonis. Prænunciauit ergo illis Dominus, dixitque ſententiam præſcius, quòd in peccato ſuo morerentur. Deinde adiunxit: Quò ego vado, vos non poteſtis venire. Hoc, & diſcipulis ſuis alio loco dixit: nec tamen eis dixit, In peccato veſtro moriemini. Ad Benedictus, Antiphona. Ego principium, qui & loquor vobis.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt familia tua, quæ ſe, affligendo carnem, ab alimentis abſtinet: ſectando iuſtitiam, à culpa ieiunet. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Qui me miſit, mecùm eſt, & non reliquit me ſolum: quia quæ placita ſunt ei, facio ſemper. Oratio.

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges: conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 23.

IN illo tempore: Locutus eſt Ieſus ad turbas, & ad diſcipulos ſuos, dicens: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundum vero opera eorum nolite facere. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Libr. 4. Comment. in c. 23. Matt.

QVid manſuetius, quid benignius Domino? Tentatur à Phariſæis, confringuntur inſidiæ eorum, & ſecundum Pſalmiſtā, Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum: & nihilominus propter ſacerdotij, & nominis dignitatem hortatur populos, vt ſubijciantur eis, non opera, ſed doctrinam conſiderantes. Quod autem ait, Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: per cathedram, doctrinam Legis oſtendit. Lectio ij.

ERgo & illud quod dicitur in Pſalmo: In cathedra peſtilentiæ non ſedit: & Cathedras vendentium columbas euertit: doctrinam debemus accipere. Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere. Hoc generaliter aduerſus omnes magiſtros dictum eſt, qui grandia iubent, & minora non faciunt. Lectio iij.

DIlatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. Dominus cum dediſſet mandata Legis per Moyſen, ad extremum intulit: Ligabis

bis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos. Et eſt ſenſus, Præcepta mea ſint in manu tua, vt opere compleantur: ſint ante oculos tuos, vt die ac nocte mediteris in eis. Hoc Phariſæi male interpretantes, ſcribebant in membranis Decalogum Moyſi, ideſt, decem verba Legis, complicantes ea, & ligantes in fronte, & quaſi coronam capiti facientes, vt ſemper ante oculos mouerentur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Vnus eſt enim magiſter veſter, qui in cælis eſt, dicit Dominus. Oratio.

Perfice, quæſumus Domine, benignus in nobis obſeruantiæ ſanctæ ſubſidium: vt quæ te auctore facienda cognouimus, te operante impleamus. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Qui maior eſt veſtrum, erit miniſter veſter: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, dicit Dominus.

Oratio.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris: & animarum noſtrarum medere languoribus: vt remiſſione percepta, in tua ſēper benedictione lætemur. Per Dominum.

FERIA QVARTA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 20.

In illo tempore: Aſcendens Ieſus Ieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecreto, & ait illis: Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Libr. 5. de fide, ad Gratian. c. 3.

Conſiderandum eſt, quæ mater filiorum Zebedæi cum filijs, & pro filijs petat. Mater eſt vt que, cui pro filiorum honore ſollicitæ, immoderatior quidem, ſed tamen ignoſcenda menſura votorum eſt: atque mater ætate longæua, ſtudio religioſa, ſolatio deſtituta, quæ tunc temporis, quando vel iuuanda, vel alenda foret validæ prolis auxilio, abeſſe ſibi liberos patiebatur, & voluptati ſuæ mercedem ſequentium Chriſtum prætulerat filiorum. Lectio ij.

Hæc igitur ſtudio maternæ ſedulitatis indulgentior obſecrabat Saluatorem, dicens: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram in regno tuo. Etſi error, pietatis tamen error eſt. Neſciunt enim materna viſcera patientiam. Etſi voti auara, tamen veniabilis cupiditas, quæ non auida pecuniæ, ſed gratiæ: nec inuerecunda petitio, quæ non ſibi, ſed liberis conſulebat. Matrem conſiderate, matrem cogitate. Lectio iij.

Conſiderate enim matris dilectionem, quæ filiorum mercede grandæuam ſolabatur ſenectam: & deſiderijs licet feſſa maternis, chariſſimorum pignorum tolerabat abſentiam. Conſiderate etiam feminam, hoc eſt, ſexum fragiliorem, quem Dominus propria nondum confirmauerat paſſione. Conſiderate, inquam,

Euæ illius primæ mulieris heredem, tranſfuſa in omnes immoderatæ cupiditatis ſucceſſione labentem: quam Dominus adhuc proprio ſanguine non redemerat. Hereditario igitur mulier delinquebat errore.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam: & Filius hominis tradetur ad crucifigendum. Oratio.

POpulum tuum, Domine, propitius reſpice: & quos ab eſcis carnalibus præcipis abſtinere, à noxijs quoque vitijs ceſſare concede. Per Dominum. Ad Magnificat, Antiph. Sedere autem mecum, non eſt meum dare vobis: ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Oratio.

DEus innocentiæ reſtitutor, & amator: dirige ad te tuorum corda ſeruorum: vt Spiritus tui feruore concepto, & in fide inueniantur ſtabiles, & in opere efficaces. Per Dominum. eiuſdem.

FERIA QVINTA.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 16.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & byſſo, qui epulabatur quotidie ſplendide. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 40. in Euang.

QVem, fratres chariſſimi, quem diues iſte, qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide, niſi Iudaicum populum ſignificat: qui cultum vitæ exterius habuit, qui acceptæ legis delicijs ad nitorem vſus eſt gloriæ, non ad vtilitatem? Quem vero Lazarus vlceribus plenus, niſi Gentilem populum figuraliter exprimit? Qui dum conuerſus ad Deum peccata ſua confiteri non erubuit, huic vulnus in cute fuit.

Lectio ij.

IN cutis quippe vulnere virus à viſceribus trahitur, & foras erumpit. Quid ergo eſt peccatorum confeſſio, niſi quædam vulnerum ruptio? Quia peccati virus ſalubriter aperitur in cõfeſſione, quod peſtifere latebat in mente. Vulnera etenim cutis in ſuperficiem trahunt humorem putredinis. Et confitendo peccata, quid aliud agimus, niſi malum, quod in nobis latebat, aperimus.

Lectio iij.

SEd Lazarus vulneratus cupiebat ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat: quia Gentilium quemque ad cognitionem Legis admittere ſuperbus ille populus deſpiciebat. Qui dum doctrinam Legis non ad charitatem habuit, ſed ad electionem, quaſi de acceptis opibus tumuit: & quia ei verba defluebant de ſcientia, quaſi micæ cadebant de menſa.

Ad Benedictus, Antiphona.

Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam.

Ora-

Oratio.

PRæſta nobis, quæſumus Domine, auxilium gratiæ tuæ: vt ieiunijs, & orationibus conuenienter intenti, liberemur ab hoſtibus mentis, & corporis. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.

Oratio.

ADeſto Domine famulis tuis, & perpetuam benignitatem largire poſcentibus: vt ijs, qui te auctore, & gubernatore gloriantur, & congregata reſtaures, & reſtaurata conſerues. Per Dominum.

FERIA SEXTA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 21.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis Iudæorũ parabolam hanc: Homo erat paterfamilias, qui plãtauit vineã & ſepem circumdedit ei: Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 9. in cap. 20. Lucæ.

PLerique varias ſignificationes de vineæ appellatione deriuant: ſed euidenter Iſaias vineam Domini Sabaoth, domum Iſrael eſſe memorauit. Hanc vineam quis alius, niſi Deus condidit? Hic eſt ergo qui locauit eam, & peregre profectus eſt: non quia ex loco ad locum profectus eſt Dominus, qui vbique ſemper præſens eſt: ſed quia præſentior eſt diligẽtibus, negligentibus abeſt. Lect. ij.

MVltis autem temporibus abfuit, ne præpropera videretur exactio. Nam quo indulgentior liberalitas, eo inexcuſabilior peruicacia. Vnde bene ſecundum Matthæũ habet: quia & ſepe circumdedit eam: hoc eſt, diuinæ cuſtodiæ munitione vallauit, ne facile ſpiritalium pateret incurſibus beſtiarum. Et fodit in ea torcular. Quomodo intelligimus quid ſit torcular, niſi quia forte Pſalmi pro torcularibus inſcribuntur, eo quòd in his myſteria Dominicæ paſſionis, modo muſti ſancto feruentis Spiritu, redundantius æſtuarint?

Lectio iij.

DEnique ebrij putabantur, quibus Spiritus ſanctus inundabat. Ergo & hic fodit torcular, in quod vuæ rationabilis fructus interior ſpiritali infuſione deflueret. Aedificauit turrim, verticem ſcilicet Legis attollens: atque ita hanc vineam munitam, inſtructam, ornatam, locauit Iudæis, & tempore fructuum ſeruulos ſuos miſit. Bene tempus fructuum poſuit, non prouentuum. Nullus enim fructus extitit Iudæorum, nullus vineæ huius prouentus, de qua Dominus ait: Expectaui, vt faceret vuas, fecit autem ſpinas.

Ad Benedictus, Antiphona.

Malos male perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.

Oratio.

DA quæſumus omnipotẽs Deus: vt ſacro nos purificante ieiunio, ſynceris mentibus ad ſancta ventura facias peruenire. Per Dominum.

Ad

Digitized by Google

Ad Magnificat, Antiphona.

Quærentes eum tenere, timuerunt turbam, quia ſicut prophetam eum habebant. Oratio.

DA quæſumus Domine, populo tuo ſalutem mentis, & corporis: vt bonis operibus inhærendo, tuæ ſemper virtutis mereamur protectione defendi. Per Dominum.

SABBATO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 15.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Homo quidam habuit duos filios: & dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Libr. 7. Comment. in cap. 15. Lucæ.

VIdes, quòd diuinum patrimonium petentibus datur. Nec putes culpam patris, quòd adoleſcentiori dedit. Nulla Dei regno infirma ætas: nec fides grauatur annis. Ipſe certe ſe iudicauit idoneum, qui popoſcit. Atq. vtinam non receſſiſſet à Patre, impedimentum neſciſſet ætatis. Sed poſteaquam domum patriam derelinquens, peregre profectus eſt, cœpit egere. Lectio ij.

MErito ergo prodegit patrimonium, qui receſſit ab Eccleſia. Et peregre profectus eſt in regionem longinquam. Quid enim longinquius, quàm à ſe recedere? nec regionibus, ſed moribus ſeparari: ſtudijs diſcretum eſſe, non terris: & quaſi infuſo luxuriæ ſæcularis æſtu, diuortia habere ſanctorum? Etenim qui ſe à Chriſto ſeparat, exul eſt patriæ, ciuis eſt mundi. Sed nos non ſumus aduenæ atque peregrini, ſed ſumus ciues ſanctorum, & domeſtici Dei. Qui enim eramus longe, facti ſumus prope in ſanguine Chriſti. Lectio iij.

NOn inuideamus de longinqua regione remeantibus: quia & nos fuimus in regione longinqua, ſicut Iſaias docet: ſic enim habes: Qui ſedebant in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis, Regio ergo longinqua, vmbra eſt mortis. Nos autem, quibus ſpiritus ante faciem Chriſtus eſt Dominus, in vmbra viuimus Chriſti. Et ideo dicit Eccleſia: In vmbra eius concupiui, & ſedi. Ille igitur viuendo luxurioſe, conſumpſit omnia ornamenta naturæ.

Ad Benedictus, Antiphona.

Vadam ad patrem meum, & dicam ei: Pater, fac me ſicut vnum ex mercenarijs tuis. Oratio.

DA quæſumus Domine noſtris effectum ieiunijs ſalutarem: vt caſtigatio carnis aſſumpta, ad noſtrarum vegetationem tranſeat animarum. Per Dominum noſtrum.

DOMINICA III. Quadrageſimæ.

Sabbato præcedenti ad Veſper. ps. Loquens Ioſeph. ix.

Ad Magnificat, Ant.

Dixit autem pater ad ſeruos ſuos: Cito proferre ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius,

Digitized by Google

eius, & calceamenta in pedibus eius.

Oratio.

Quæſumus omnipotens Deus, vota humilium reſpice: atque ad defenſionem noſtram, dexteram tuæ maieſtatis extende. Per Dominum. In Compl. Ad Nunc dimittis, Antiphona. Media vita in morte ſumus, quem quærimus adiutorem, niſi te Domine? qui pro peccatis noſtris iuſte iraſceris, Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte, & miſericors Saluator, amaræ morti ne tradas nos. ℣. Ne proijcias nos in tempore ſenectutis: cum defecerit virtus noſtra, ne derelinquas nos Domine. Sancte Deus.

Præcedens Antiphona cum ſuo Verſu dicantur quotidie ad Nunc dimittis, vſque ad Sabbatum ante Dominicam in Paſſione excluſiue, niſi in Annunciatione, ſi infra hoc tempus euenerit.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Ploremus coram Domino Deo noſtro, Qui fecit nos.

IN I. NOCTVRNO.

De Libro Geneſis. Lect. j. C. 37.

Ioſeph cum ſedecim eſſet annorũ, paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer: & erat cum filijs Balæ, & Zelphæ vxorum patris ſui: accuſauitque fratres ſuos apud patrem crimine peſſimo. Iſrael autem diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos, eo quòd in ſenecture genuiſſet eum: fecitq. ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres eius quòd à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. ℟. Videntes Ioſeph à longe, loquebantur mutuo fratres, dicentes: Ecce ſomniator venit: Venite, occidamus eum, & videamus ſi proſint illi ſomnia ſua. ℣. Cumque vidiſſent Ioſeph fratres ſui, quòd à patre cunctis fratribus plus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui, vnde, & dicebant. Venite.

Lectio ij.

Accidit quoque, viſum ſomnium referret fratribus ſuis: quæ cauſa maioris odij ſeminarium fuit. Dixitque ad eos: Audite ſomnium meũ, quod vidi. Putabam nos ligare manipulos in agro: & quaſi conſurgere manipulũ meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum. Reſponderunt fratres eius: Numquid rex noſter eris, aut ſubijciemur ditioni tuæ? Hæc ergo cauſa ſomniorum atque ſermonum, inuidiæ, & odij fomitem miniſtrauit. ℟. Dixit Iudas fratribus ſuis: Ecce Iſmaelitæ tranſeunt, venite, venundetur, & manus noſtræ non polluantur: Caro enim, & frater noſter eſt. ℣. Quid enim prodeſt, ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celauerimus ſanguinem ipſius? melius eſt enim, vt venundetur. Caro.

Lectio iij.

Aliud quoq. vidit ſomnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per ſomnia, quaſi ſolem, & lunam, & ſtellas vndecim adorare me. Quod cum

Digitized by Google

cum patri ſuo, & fratribus retuliſſet, increpauit eum pater ſuus, & dixit: Quid ſibi vult hoc ſomnium, quod vidiſti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram? Inuidebant ei igitur fratres ſui: pater vero rem tacitus conſiderabat. ℟. Videns Iacob veſtimenta Ioſeph, ſcidit veſtimenta ſua cum fletu, & dixit: Fera peſſima deuorauit Filium meum Ioſeph. ℣. Congregatis autẽ cunctis liberis eius, vt delinirẽt dolorẽ patris, noluit eos audire, ſed dixit. Fera peſſima. Gloria. Filiũ.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Libro ſancti Ambroſij, de ſancto Ioſeph. Lectio iv. C. 2.

NEc libertatem auferre poſſumus parentibus, ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri, nec filijs reſecare debemus ſtudium plus placendi. Denique, & Iacob illum plus amabat, in quo maiora virtutum inſignia præuidebat, vt non tam filium pater prætuliſſe videatur, quàm propheta myſterium. Meritoque variam tunicam fecit ei, quo ſignificaret, eum diuerſarum virtutum amictu fratribus præferendum. ℟. Ioſeph dum intraret in terram Aegypti, linguam quam non nouerat, audiuit. Manus eius in laboribus ſeruierunt, & lingua eius inter principes loquebatur ſapientiam. ℣. Diuertit ab oneribus dorſum eius. Manus.

Lectio v.

DEnique in puero adhuc refulſit diuina gratia: ſiquidem ſomniauit, quòd cum alligaſſet, (vt ſibi videbatur per viſum) manipulos cum fratribus ſuis, ſurrexerit manipulus eius, & ſteterit erectus: conuerſi autem fratrum manipuli adorauerint manipulum ſuum. In quo vtique futura reſurrectio Domini Ieſu reuelata eſt, quem, & in Galilæa cum vidiſſent, vndecim adorauere diſcipuli, & omnes ſancti cum reſurrexerint, adorabunt, fructus bonorum operum proferentes, ſicut ſcriptum eſt: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. ℟. Memento mei, dum bene tibi fuerit: Vt ſuggeras Pharaoni, vt educat me de iſto carcere, quia furtim ſublatus ſum, & hic innocens in lacum miſſus ſum. ℣. Tres enim adhuc dies ſunt, poſt quos recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum: tunc memento mei. Vt ſuggeras.

Lectio vj.

VIdit autem aliud ſomnium, & narrauit illud patri ſuo, & fratribus ſuis, eo quòd ſol, & luna, & vndecim ſtellæ adorarent eum: vnde obiurgauit eum pater eius. Quis eſt ille quem parentes, & fratres adorauerunt ſuper terram, niſi Chriſtus Ieſus, quando eum Maria, & Ioſeph cum diſcipulis adorauerunt, Deum verum eſſe in illo corpore confitentes: de quo ſolo dictum eſt: Laudate eum ſol, & luna, laudate eum omnes ſtellæ, & lumen. Obiurgatio autem patris quid ſignificat, niſi duritiam populi Iſrael, ex quibus Chriſtus,

ſtus,

ſtus, ſecundum carnem, quem hodieque Deum eſſe non credunt, nec volunt adorare quaſi Dominum. ℟. Dixit Ruben fratribus ſuis. Numquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audiſtis me? En ſanguis eius exquiritur. ℣. Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ eius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus. En ſanguis. Gloria Patri. En.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 11.

IN illo tempore: Erat Ieſus eijciens dæmonium, & illud erat mutum: & cum eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri. *Lib.* 4. *cap.* 48. *in cap.* 11. *Lucæ.*

DAemoniacus iſte apud Matthæū non ſolum mutus, ſed & cæcus fuiſſe narratur: curatuſque dicitur à Domino, ita vt loqueretur, & videret. Tria ergo ſigna ſimul in vno homine perpetrata ſunt: cæcus videt, mutus loquitur, poſſeſſus à dæmone liberatur. Quod & tunc quidem carnaliter factum eſt, ſed & quotidie completur in conuerſione credentium: vt expulſo primum dæmone, fidei lumen aſpiciant: deinde ad laudes Dei tacentia prius ora laxentur. ℟. Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, vidētes anguſtiam animæ eius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: Idcirco venit ſuper nos tribulatio. ℣. Dixit Ruben fratribus ſuis: Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum: & non audiſtis me? Idcirco venit. Lectio viij.

QVidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Non hæc aliqui de turba, ſed Phariſæi calumniabantur, & Scribæ, ſicut alij Euageliſtæ teſtantur. Turbis quippe, quæ minus eruditæ videbantur, Domini facta ſemper mirantibus, illi contra, vel negare hæc, vel quæ negare nequiuerant, ſiniſtra interpretatione peruertere laborabant: quaſi non hæc diuinitatis, ſed immundi ſpiritus opera fuiſſent. ℟. Tollite hinc vobiſcum munera, & ite ad dominum terræ, & dum inueneritis, adorate eum ſuper terram. Deus autem meus faciat vobis eum placabilem, & remittat, & hunc fratrem veſtrum vobiſcum, & eum quem tenet in vinculis. ℣. Sumite de optimis terræ frugibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera. Deus.

Lectio ix.

ET alij tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo. Vel in morem Eliæ ignem de ſublimi venire cupiebant, vel in ſimilitudinem Samuelis tempore æſtiuo mugire tonitrua, coruſcare fulgura, imbres ruere: quaſi non poſſent, & illa calumniari, & dicere, ex occultis, & varijs aeris paſſionibus accidiſſe. At tu, qui calum-

calumniaris ea quæ oculis vides, manu tenes, vtilitate ſentis, quid feceris de ijs, quæ de cælo venerint? Vtique reſpondebis, & magos in Aegypto multa ſigna feciſſe de cælo. ℟. Loquens Ioſeph fratribus ſuis, dixit: Pax vobis: nolite timere: Pro ſalute enim veſtra miſit me Dominus ante vos. ℣. Eleuauitque vocem cum fletu, quam audierunt Aegyptij, omniſque domus Pharaonis, & dixit fratribus ſuis. Pax. Gloria Patri. Pro ſalute. ℟. Loquens.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

Fac benigne in bona voluntate tua, vt ædificentur Domine muri Ieruſalem. Pſalm. Miſerere. 33. Aña. Dominus mihi adiutor eſt, non timebo quid faciat mihi homo. Pſal. Confitemini. ℣. 78. Aña. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis. Pſalm. Deus Deus. 39. Aña. Vim virtutis ſuæ oblitus eſt ignis: vt pueri tui liberarentur illæſi. Cantic. Benedicite. 98. Aña. Sol, & luna laudate Deum: quia exaltatum eſt nomen eius ſolius. Pſalm. Laudate. 97.

Ad Benedictus, Antiphona.

Et cum eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

Ad Primam, Antiphona.

Si in digito Dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei. Pſalm. vt in Septuages. 227.

Ad Tertiam, Antiphona.

Dum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet. Bonum mihi Domine, quòd humiliaſti me, Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti. ℣. Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me, da mihi intellectũ, vt diſcam mandata tua. Bonum. Gloria. Bonum. ℣. Dicet Domino. 247.

Ad Sextam, Antiphona.

Qui non colligit mecum, diſpergit: & qui non eſt mecum, contra me eſt. ℟. Seruus tuus ego ſum, Da mihi intellectum Domine. ℣. Vt diſcam mandata tua. Da. Gloria. Seruus. ℣. Ipſe liberauit. 248. Ad Nonam, Antiph. Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inuenit. ℟. Declara ſuper nos Deus, Tuam miſericordiam. ℣. Declaratio ſermonum tuorum dat intellectum Domine. Tuam. Gloria Patri. Declara. ℣. Scapulis ſuis. 250.

Reſponſoria prænotata dicuntur quotidie ad Horas, quando de Tempore agitur, vſque ad Dominicam in Paſſione excluſiue.

Ad Magnificat, Antiphona.

Extollens quædam mulier vocem de turba, dixit: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. At Ieſus dixit ei: Quinimmo, beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiũt illud.

FERIA SECVNDA.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 4.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Phariſæis: Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice, cura teipſũ: quãta audiuimus facta in Capharnaũ

fac

fac & hic in patria tua. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 4. in. c. 4. Lucæ.

NOn mediocris inuidia proditur quæ ciuicæ charitatis oblita, in acerba odia cauſas amoris inflectit. Simul hoc exemplo pariter, & oraculo declaratur; quòd fruſtra opẽ miſericordiæ cæleſtis expectes, ſi alienæ fructibus virtutis inuideas. Aſpernator enim Dominus inuidorum eſt: & ab ijs qui diuina beneficia in alijs perſequuntur, miracula ſuæ poteſtatis auertit.

Lectio ij.

DOminicæ quippe carnis actus, diuinitatis exemplum eſt: & inuiſibilia nobis eius, per ea quæ ſunt viſibilia, demonſtrantur. Non otioſe itaque Saluator excuſat, quòd nulla in patria ſua miracula virtutis operatus ſit: ne fortaſſis aliquis viliorem patriæ nobis eſſe debere putaret affectum. Neque enim ciues poterat non amare, qui amaret omnes: ſed ipſi ſe charitate patriæ, qui inuident, abdicarunt.

Lectio iij.

ET multi leproſi erant in Iudæa temporibus Eliſei prophetæ: & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus. Euidenter hic ſermo nos Domini ſalutaris informat, & ad ſtudium venerandæ diuinitatis hortatur: quòd nemo ſanatus oſtenditur, & maculoſi morbo corporis abſolutus, niſi qui religioſo officio ſtuduit ſanitati. Non enim dormientibus diuina beneficia, ſed obſeruantibus deferuntur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Amen amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua.

Oratio.

COrdibus noſtris, quæſumus Domine, gratiam tuam benignus infunde: vt ſicut ab eſcis carnalibus abſtinemus, ita ſenſus quoque noſtros à noxijs retrahamus exceſſibus. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ieſus autem tranſiens per medium illorum ibat.

Oratio.

SVbueniat nobis Domine miſericordia tua: vt ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante ſaluari. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 18.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 16. de verbis Domini, tom. 10.

QVare illum corripis? Quia tu doles, quòd peccauerit in te? Abſit. Si amore tui id facis: nihil facis: ſi amore illius facis, optime facis. Deniq. in ipſis verbis attende cuius amore id facere debeas, vtrum tui, an illius. Si te audierit, inquit, lucratus eris fratrem tuum. Ergo propter illum fac, vt lucreris illum. Sic faciendo lucraris: niſi feciſſes, perierat. Quid eſt ergo, quòd pleriq. homines iſta peccata contemnunt, & dicunt:

Quid

Quid magnum feci? In hominem peccaui. Lectio ij.

Noli contemnere, quòd in hominem peccaſti. Vis noſcere, quia in hominem peccando, periſti? Si te ille, in quem peccaſti, corripuerit inter te, & ipſum ſolum, & audieris illum, lucratus eſt te. Quid eſt, lucratus eſt te, niſi quia perieras, ſi non lucraretur te? Nam ſi non perieras, quomodo te lucratus eſt? Nemo ergo contemnat, quando peccat in fratrem. Ait enim in quodam loco Apoſtolus: Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis: ideo quia membra Chriſti omnes facti ſumus. Lectio iij.

Qvomodo non peccas in Chriſtum, qui peccas in membrum Chriſti? Nemo ergo dicat, quia non peccaui in Deum, ſed peccaui in fratrem: in hominem peccaui, leue, vel nullum peccatum eſt. Forte inde dicis, quòd leue eſt, quia cito curatur. Peccaſti in fratrem: fac ſatisfactionem, & ſanatus es. Cito feciſti rem mortiferam, ſed remedium cito inueniſti. Ad Benedictus, Aña. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram: de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt, dicit Dominus.

Oratio.

Exaudi nos omnipotens, & miſericors Deus: & continentiæ ſalutaris propitius nobis dona concede. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum, dicit Dominus. Oratio.

Tva nos Domine protectione defende: & ab omni ſemper iniquitate cuſtodi. Per Dominum.

FERIA QVARTA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 15.

In illo tempore: Acceſſerunt ad Ieſum ab Ieroſolymis Scribæ, & Phariſæi, dicentes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Libr. 2. Com. in c. 15. Matth.

Mira Phariſæorum Scribarumq. ſtultitia. Dei Filium arguunt, quare diſcipuli eius hominum traditiones, & præcepta non ſeruent. Non enim lauant manus ſuas, cum panem manducant. Manus, ideſt opera, non corporis vtique, ſed animæ lauandæ ſunt, vt fiat in illis verbum Dei. Ipſe autem reſpondens ait illis: Quare, & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtrã? Falſam calumniam vera reſponſione confutat. Lectio ij.

Cvm, inquit, vos propter traditionem hominum præcepta Dei negligatis, quare diſcipulos meos arguendos putatis, quòd ſeniorum iuſſa paruipendant, vt Dei ſcita cuſtodiant? Nam Deus dixit, Honora patrem, & matrem: &, Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

Digitized by Google

tur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, aut matri: Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit: & honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam. Honor in Scripturis non tantum in ſalutationibus, & officijs deferendis, quantum in eleemoſynis, ac munerum oblatione ſentitur.

Lectio iij.

Honora, inquit Apoſtolus, viduas, quæ verè viduæ ſunt. Hic honor donum intelligitur. Et in alio loco: Presbyteri duplici honore honorandi ſunt, maxime qui laborant in verbo, & doctrina Dei. Et per hoc mandatum iubemur, vt boui trituranti os non claudamus: & dignus ſit operarius mercede ſua. Præceperat Dominus, vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum conſiderans, vt filij honorarēt, etiā in vitæ neceſſarijs miniſtrandis, parentes ſuos.

Ad Benedictus, Antiphona.

Audite, & intelligite traditiones quas Dominus dedit vobis.

Oratio.

Præſta nobis, quæſumus Domine, vt ſalutaribus ieiunijs eruditi: à noxijs quoque vitijs abſtinentes, propitiationem tuam faciliùs impetremus. Per Dominum noſtrum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem. Oratio.

Concede, quæſumus omnipotens Deus: vt qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati à malis omnibus, ſecura tibi mente ſeruiamus. Per Dominum noſtrum.

FERIA QVINTA.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 4.

In illo tempore: Surgens Ieſus de ſynagoga, introiuit in domum Simonis: ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 4. in cap. 4. Lucæ.

Vide clementiam Domini Saluatoris. Nec indignatione commotus, nec ſcelere offenſus, nec iniuria violatus Iudæam deſerit, quin etiam immemor iniuriæ, memor clementiæ, nunc docendo, nunc liberando, nunc ſanando, infidæ plebis corda demulcet. Et bene ſanctus Lucas virum ab ſpiritu nequitiæ liberatum ante præmiſit, & ſubdidit feminæ ſanitatē. Vtrumque enim ſexum Dominus curaturus aduenerat.

Lectio ij.

Sed prior ſanari debuit, qui prior creatus eſt: nec prætermitti illa, quæ mobilitate magis animi, quàm prauitate peccauerat. Sabbato medicinæ Dominicæ opera cœpta ſignificat, vt inde noua creatura cœperit, vbi vetus creatura ante deſiuit: nec ſub lege eſſe Dei Filium, ſed ſupra legem in ipſo principio deſignaret: nec ſolui legem, ſed impleri. Neque enim per legem, ſed verbo factus eſt mundus, ſicut legimus: Verbo Domini cæli firmati ſunt. Lectio iij.

Non ſoluitur ergo lex, ſed impletur: vt fiat renouatio homi-

nis iam labentis. Vnde, & Apoſtolus ait: Expoliantes vos veterem hominem, induite nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt. Et bene ſabbato cœpit, vt ipſum ſe oſtenderet creatorem, & qui opera operibus intexeret, & proſequeretur opus, quod ipſe iam cœperat: vt ſi faber domum renouare diſponat, non à fundamentis, ſed à culminibus incipit ſoluere vetuſtatem. Itaque ibi prius manum admouet, vbi ante defierat.

Ad Benedictus, Antiphona.

Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia, Tu es Filius Dei. Et increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.

Oratio.

CONcede, quæſumus omnipotens Deus: vt ieiuniorum nobis ſancta deuotio, & purificationem tribuat, & maieſtati tuæ nos reddat acceptos. Per Dominum noſtrum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Omnes qui habebant infirmos, ducebant illos ad Ieſum, & curabantur.

Oratio.

SVbiectum tibi populum, quæſumus Domine, propitiatio cæleſtis amplificet: & tuis ſemper faciat ſeruire mandatis. Per Dominum.

FERIA SEXTA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio i. C. 4.

IN illo tempore: Venit Ieſus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 15. in Ioan. poſt init.

IAm incipiunt myſteria. Non enim fruſtra fatigatur Ieſus: non enim fruſtra fatigatur virtus Dei: non enim fruſtra fatigatur, per quem fatigati recreantur: non enim fruſtra fatigatur, quo deſerente fatigamur, quo præſente firmamur. Fatigatur tamen Ieſus, & fatigatur ab itinere, & ſedet, & iuxta puteum ſedet, & hora ſexta fatigatus ſedet. Omnia iſta innuunt aliquid, indicare volunt aliquid, intentos nos faciunt: vt pulſemus, hortantur. Lectio ij.

IPſe ergo aperiat, & nobis, & vobis, qui dignatus eſt ita hortari, vt diceret: Pulſate, & aperietur vobis. Tibi fatigatus eſt ab itinere Ieſus. Inuenimus virtutem Ieſu, & inuenimus infirmum Ieſum, fortem, & infirmum. Fortem, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deũ, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Vis videre quàm iſte Filius Dei fortis ſit? Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil: & ſine labore facta ſunt.

Lectio iij.

QVid ergo illo fortius, per quem ſine labore facta ſunt omnia? Infirmum vis noſſe? Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Fortitudo Chriſti te creauit: infirmitas Chriſti te recreauit. Fortitudo Chriſti fecit, vt quod non erat, eſſet: infirmitas Chriſti fecit, vt quod erat, non periret. Condidit nos fortitudine

ne ſua, quæſiuit nos infirmitate ſua. Nutriuit ergo ipſe infirmus infirmos tanquam gallina pullos ſuos: huic enim ſe ſimilem fecit. Ad Bns Ana. Domine, vt video, propheta es tu: patres noſtri in monte hoc adorauerunt. Oratio.

IEiunia noſtra, quæſumus Domine, benigno fauore proſequere: vt ſicut ab alimẽtis abſtinemus in corpore; ita à vitijs ieiunemus in mẽte. Per.

Ad Magnificat, Antiphona.

Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus; vt qui in tua protectione confidimus: cuncta nobis aduerſantia te adiuuante vincamus. Per Dominũ.

SABBATO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 8.

IN illo tempore: Perrexit Ieſus in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi. *Tract. 33. in Ioan. poſt. init.*

IEſus perrexit in montem Oliueti, in montem fructuoſum, in montem vnguenti, in montem chriſmatis. Vbi enim decebat docere Chriſtum, niſi in monte Oliueti? Chriſti enim nomen à chriſmate dictum eſt: chriſma autem Græcè, Latinè vnctio nominatur. Ideo autem nos vnxit, quia luctatores contra diabolum fecit. Et diluculo iterum venit in templum: & omnis populus venit ad eum: & ſedens docebat eos, & non tenebatur, quia nondum pati dignabatur.

Lectio ij.

NVnc iam attendite, vbi ab inimicis tentata ſit Domini manſuetudo. Adducunt autem illi Scribæ, & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio: in lege autem Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare: tu ergo quid dicis? Hæc autem dicebant tentantes eum, vt poſſent accuſare eum. Vnde accuſare?

Lectio iij.

NVmquid ipſum in aliquo facinore deprehenderant? aut illa mulier ad eum aliquo modo pertinuiſſe dicebatur? Intelligamus, fratres, admirabilem manſuetudinem in Domino fuiſſe. Animaduertebant eum nimium eſſe mitem, nimium eſſe manſuetum. De illo quippe fuerat ante prædictum: Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam. Cum ergo de duobus iſtis, ideſt, de veritate, & manſuetudine eius, inimici liuore, & inuidia torquerentur: in tertio, ideſt, iuſtitia, ſcandalum poſuerunt.

Ad Benedictus, Antiphona.

Inclinauit ſe Ieſus, & ſcribebat in terra: Si quis ſine peccato eſt, mittat in eam lapidem. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt qui ſe, affligẽdo carnem, ab ali-

ab alimentis abſtinent, ſectando iuſtitiam à culpa ieiunent. Per Dñm.

DOMINICA IIII.
In Quadrageſima.

Sabbato præcedenti ad Veſper. ℞. Audi Iſrael. ix. Ad Magnif. Antiph. Nemo te condemnauit mulier? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo: iam amplius noli peccare.

Oratio.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus: vt qui ex merito noſtræ actionis affligimur, tuæ gratiæ conſolatione reſpiremus. Per Dñm.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Populus Domini, & oues paſcuæ eius: Venite adoremus Dominum.

IN I. NOCTVRNO.

De Libro Exodi. Lectio j. C. 3.

Moyſes autem paſcebat oues Iethro ſoceri ſui ſacerdotis Madian. Cumq. minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & nõ combureretur. Dixit ergo Moyſes: Vadam,& videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyſes, Moyſes. Qui reſpondit: Adſum. At ille: Ne appropies, inquit, huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. ℞. Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Deſcende in Aegyptum, & dic Pharaoni, vt dimittat populum meum: induratum eſt cor Pharaonis: non vult dimittere populum meum, niſi In manu forti. ℣. Videns vidi afflictionem populi mei qui eſt in Aegypto, & gemitum eius audiui: & deſcendi liberare eum. In manu.

Lectio ij.

Et ait: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Abſcondit Moyſes faciem ſuam: non enim audebat aſpicere contra Deum. Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præſunt operibus. Et ſciens dolorem eius, deſcendi, vt liberem eum de manibus Aegyptiorum, & educam de terra illa in terrã bonam, & ſpatioſam, in terram, quæ fluit lacte, & melle. ℞. Stetit Moyſes coram Pharaone, & dixit: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto. ℣. Dominus Deus Hebræorum miſit me ad te, dicens. Dimitte populum.

Lectio iij.

Clamor ergo filiorum Iſrael venit ad me: vidique afflictionem eorum, qua ab Aegyptijs opprimuntur. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Iſrael de Aegypto. Dixitque Moyſes ad Deum: Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de Aegypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habebis ſignum,

gnum, quòd miſerim te. Cum eduxeris populum meum de Aegypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum. ℟. Cantemus Domino, glorioſe enim honorificatus eſt: equum, & aſcenſorem proiecit in mare: Adiutor, & protector factus eſt mihi Dominus In ſalutem. ℣. Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Adiutor. Gloria Patri. In ſalutem.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Baſilij Magni.

Lectio iv.

Homil. 1. de Ieiun. ante med.

Moyſen per ieiuniũ nouimus in montem aſcendiſſe: neque enim aliter auſus eſſet verticem fumantem adire, atque in caliginem ingredi, niſi ieiunio munitus. Per ieiunium mandata digito Dei in tabulis conſcripta ſuſcepit. Item ſupra montem, ieiunium legis latæ conciliator fuit: inferius vero gula ad idololatriam populum deduxit, ac contaminauit. Sedit, inquit, populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. ℟. In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis: deduxiſti ſicut oues populũ tuum, In manu Moyſi, & Aaron. ℣. Tranſtuliſti illos per mare Rubrum: & tranſuexiſti eos per aquam nimiam. In manu.

Lectio v.

Quadraginta dierum laborem, ac perſeuerantiam, Dei ſeruo continuo ieiunante ac orante, vna tantum populi ebrietas caſſam irritamque reddidit. Quas enim tabulas Dei digito conſcriptas ieiunium accepit, has ebrietas contriuit: Propheta ſanctiſſimo indignum exiſtimante, vinolentum populum à Deo legem accipere. Vno temporis momento ob gulam populus ille per maxima prodigia Dei cultum edoctus, in Aegyptiacam idololatriam turpiſſime deuolutus eſt. ℟. Qui perſequebantur populum tuum Domine, demerſiſti eos in profundum: Et in columna nubis ductor eorum fuiſti Domine. ℣. Deduxiſti ſicut oues populum tuum in manu Moyſi, & Aaron. Et in.

Lectio vj.

Ex quo ſi vtrumque ſimul conferas, videre licet, ieiunium ad Deum ducere, delicias vero ſalutem perdere. Quid Eſau inquinauit ſeruumque fratris reddidit? nonne eſca vna, propter quam primogenita vendidit? Samuelem vero nonne per ieiunium oratio largita eſt matri? Quid fortiſſimum Samſonem inexpugnabilẽ reddidit? nonne ieiunium, cum quo in matris ventre conceptus eſt? Ieiunium concepit, ieiunium nutriuit, ieiunium virum effecit. Ieiunium Prophetas genuit, potentes confirmat atque roborat. ℟. Moyſes famulus Domini, ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: Vt legem Domini mereretur accipere. ℣. Aſcendit Moyſes in montem Sinai. Vt legem Domini. Gloria Patri. Vt legem.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio vij. C. 6.

IN illo tempore: Abijt Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis & ſequebatur eũ multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 24. in Ioan.

MIracula, quæ fecit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſunt quidem diuina opera, & ad intelligendum Deum de viſibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non eſt talis ſubſtantiæ, quæ videri oculis poſſit, & miracula eius, quibus totum mundum regit, vniuerſamq. creaturam adminiſtrat, aſſiduitate viluerunt, ita vt pene nemo dignetur attendere opera Dei mira, & ſtupenda in quolibet ſeminis grano: ſecundum ipſam ſuam miſericordiam ſeruauit ſibi quædam, quæ faceret opportuno tempore præter vſitatum curſum ordinemq. naturæ: vt non maiora, ſed inſolita videndo ſtuperent, quibus quotidiana viluerunt. ℟. Splendida facta eſt facies Moyſi, dum aſpiceret in eum Dominus. Videntes ſeniores claritatem vultus eius, admirantes timuerunt valde. ℣. Deſcendit Moyſes de monte, portans duas tabulas lapideas in manibus ſuis, ſcriptas vtraſque digito Dei. Videntes. Lectio viij.

MAius enim miraculum eſt gubernatio totius mundi, quàm ſaturatio quinq. millium hominum de quinque panibus. Et tamen hoc nemo miratur: illud mirantur homines, non quia maius eſt, ſed quia rarum eſt. Quis enim, & nunc paſcit vniuerſum mundum, niſi ille qui de paucis granis ſegetes creat? Fecit ergo quo modo Deus: vnde enim multiplicat de paucis granis ſegetes, inde in manibus ſuis multiplicauit quinque panes. ℟. Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat ſemper: obſerua, & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam: Et præcedet te Angelus meus. ℣. Iſrael ſi me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis deum alienum: ego enim Dominus. Et præcedet.

Lectio ix.

POteſtas enim erat in manibus Chriſti: panes autem illi quinque, quaſi ſemina erant, non quidem terræ mandata, ſed ab eo qui terram fecit, multiplicata. Hoc ergo admotum eſt ſenſibus, quo erigeretur mens: & exhibitum oculis, vbi exerceretur intellectus: vt inuiſibilem Deum per viſibilia opera miraremur, & erecti ad fidem, & purgati per fidem, etiam ipſum inuiſibilem videre cuperemus, quem de rebus viſibilibus inuiſibilem noſceremus. ℟. Audi Iſrael præcepta Domini, & ea in corde tuo quaſi in libro ſcribe: Et dabo tibi terram fluentem lac, & mel. ℣. Obſerua igitur, & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis. Et dabo.

Glo-

Gloria. Et dabo. ℟. Audi Iſrael.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

TVnc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, ſi auerteris faciem tuam à peccatis meis. Pſalm. Miſerere. 33. Ant. Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus. Pſalm. Confitemini. iiij 78. Ant. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus. Pſalm. Deus Deus. 39. Ant. Potens es Domine eripere nos de manu mortis: libera nos Deus noſter. Cantic. Benedicite. 98. Ant. Reges terræ, & omnes populi laudate Deum. Pſalm. Laudate Dominum de cælis. 97. Ad Benedictus, Antiph. Abijt Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis: & ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna ſuper his qui infirmabantur. Subijt ergo in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Iudæorum. Ad Primam, Antiphona.

Accepit ergo Ieſus panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus. Pſalmi, vt in Septuageſ. 226.

Ad Tertiam, Antiphona.

De quinque panibus, & duobus piſcibus ſaturauit Dominus quinque millia hominum. ℟. Br. Honoratum, vt in præcedenti Dominica. 270.

Ad Sextam, Antiphona.

Satiauit Dominus quinque millia hominum de quinque panibus, & duobus piſcibus. Ad Nonam, Antiph.

Illi ergo homines cum vidiſſent ſignum, quod factum fuerat, glorificabant Deum, & dicebant: Quia hic eſt Saluator mundi.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cùm ſubleuaſſet oculos Ieſus, & vidiſſet maximam multitudinem venientē ad ſe, dixit ad Philippū: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat tētans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.

FERIA SECVNDA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 2.

IN illo tempore: Prope erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam: & inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 10. in Ioan. poſt. init.

QVid audiuimus fratres? Ecce templum illud figura adhuc erat, & eiecit inde Dominus omnes qui ſua quærebant, qui ad nundinas venerant. Et quæ ibi vendebant illi? Quæ opus habebant homines in ſacrificijs illius temporis. Nouit enim charitas veſtra, quòd ſacrificia illi populo pro eius carnalitate, & corde adhuc lapideo, talia data ſunt, quibus teneretur, ne in idola deflueret: & immolabant ibi ſacrificia, boues, & oues, & columbas. Noſtis quia legiſtis. Lectio ij.

NOn ergo magnum peccatum: ſi hoc vendebant in templo, quod emebatur, vt offerretur in templo: & tamen eiecit inde illos. Quid ſi ibi ebrioſos inueniret, quid faceret

Digitized by Google

Dominus, ſi vendentes ea, quæ licita ſunt, & contra iuſtitiam non ſunt (quæ enim honeſte emuntur, non illicite venduntur) expulit tamen, & non eſt paſſus, domum orationis, fieri domum negotiationis?

Lectio iij.

SI negotiationis domus non debet fieri domus Dei, potationis debet fieri? Nos autem quando iſta dicimus, ſtrident dentibus ſuis aduerſus nos: & conſolatur nos Pſalmus, quem audiſtis: Striderunt ſuper me dentibus ſuis. Nouimus, & nos audire vnde curemur: etſi ingeminantur flagella Chriſto, quia flagellatur ſermo ipſius. Congregata ſunt, inquit, in me flagella, & neſciebant. Flagellatus eſt flagellis Iudæorum: flagellatur blaſphemijs falſorũ Chriſtianorum.

Ad benedictus, Antiphona.

Auferte iſta hinc, dicit Dominus: & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt obſeruationes ſacras annua deuotione recolentes, & corpore tibi placeamus, & mente. Per Dominum. Ad Magnificat, Antiph. Soluite templum hoc, dicit Dominus: & poſt triduum reædificabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.

Oratio.

DEprecationem noſtram, quæſumus Domine, benignus exaudi: & quibus ſupplicandi præſtas affectum, tribue defenſionis auxilium. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 7.

IN illo tempore: Iam die feſto mediante, aſcendit Ieſus in templum, & docebat: & mirabantur Iudæi. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 29. in Ioan. ſub init.

ILle qui latebat, docebat, & palam loquebatur, & non tenebatur. Illud enim, vt lateret, erat cauſa exempli, hoc poteſtatis. Sed cum doceret, mirabantur Iudæi. Omnes quidem, quantum arbitror, mirabantur, ſed non omnes conuertebantur. Et vnde admiratio? Quia multi nouerant vbi natus, quemadmodum fuerat educatus. Numquam eum viderant diſcentem litteras: audiebant autem de lege diſputantem, Legis teſtimonia proferentem, quæ nemo poſſet proferre, niſi legiſſet: nemo legere, niſi litteras didiciſſet: & ideo mirabantur. Lectio ij.

EOrum autem admiratio, magiſtro facta eſt inſinuandæ altcius veritatis occaſio. Ex eorum quippe admiratione, & verbis, dixit Dominus profundum aliquid, & diligentius inſpici, & diſcuti dignum. Quid ergo Dominus reſpondit eis, admirantibus quomodo ſciret litteras, quas non didicerat? Mea doctrina, inquit, non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Hæc eſt profunditas prima. Videtur

Digitized by Google

detur enim paucis verbis quaſi contraria locutus. Lectio iij.

NOn enim ait: Iſta doctrina non eſt mea: ſed, Mea doctrina non eſt mea. Si non tua, quomodo tua? ſi tua, quomodo non tua. Tu enim dicis vtrumque: & mea doctrina, & non mea. Quæ eſt doctrina Patris, niſi verbum Patris? Ipſe ergo Chriſtus doctrina Patris, ſi Verbum Patris. Sed quia Verbum non poteſt eſſe nullius, ſed alicuius: & ſuam doctrinam dixit ſeipſum, & non ſuam, quia Patris eſt Verbum. Quid enim tam tuum, quàm tu? & quid tam non tuum, quàm tu, ſi alicuius es quod es? Ad Benedictus, Antiph. Quid me quæritis interficere, hominem qui vera locutus ſum vobis?

Oratio.

SAcræ nobis, quæſumus Domine, obſeruationis ieiunia, & piæ conuerſationis augmentum, & tuæ propitiationis continuum præſtent auxilium. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Vnum opus feci, & omnes admiramini: quia totum hominem ſanum feci in ſabbato. Oratio.

MIſerere Domine populo tuo: & continuis tribulationibus laborantem, propitius reſpirare concede. Per Dominum.

FERIA QVARTA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 9.

IN illo tempore: Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate: & interrogauerunt eum diſcipuli eius: Rabbi quis peccauit hic, aut parētes eius, vt cæcus naſceretur? Et rel.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 44 in Ioan. circa init.

EA quæ fecit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſtupenda atque miranda, & opera, & verba ſunt: opera, quia facta ſunt: verba, quia ſigna ſunt. Si ergo quid ſignificet hoc quod factum eſt, cogitemus: genus humanum eſt ille cæcus. Hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus, non ſolum mortis, ſed etiam inquitatis. Si enim cæcitas eſt infidelitas, & illuminatio fides: quem fidelem, quando venit Chriſtus, inuenit? Lectio ij.

QVandoquidem Apoſtolus natus in gente Prophetarum dicit: Fuimus, & nos aliquando natura filij iræ, ſicut & ceteri. Si filij iræ, filij vindictæ, filij pœnæ, filij gehennæ. Quomodo natura, niſi quia peccante primo homine, vitium pro natura inoleuit? Si vitium pro natura inoleuit, ſecundum mentem omnis homo cæcus natus eſt. Venit Dominus: quid fecit? Magnum myſterium commendauit. Expuit in terram, de ſaliua ſua lutum fecit: quia Verbum caro factum eſt: & inunxit oculos cæci.

Lectio iij.

INunctus erat, & nondum videbat. Miſit illum ad piſcinam, quæ vocatur Siloe. Pertinuit autem ad Euan-

Euangeliſtam commendare nobis nomen huius piſcinæ, & ait: Quod interpretatur, Miſſus. Iam qui ſit miſſus agnoſcitis. Niſi enim ille fuiſſet miſſus, nemo noſtrum eſſet ab iniquitate dimiſſus. Lauit ergo oculos in ea piſcina, quæ interpretatur, Miſſus: baptizatus eſt in Chriſto.

Ad Benedictus, Antiphona.

Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, quia cæcus natus eſt? Reſpondit Ieſus, & dixit: Neque hic peccauit, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.

Oratio.

Deus, qui & iuſtis præmia meritorum, & peccatoribus per ieiunium veniam præbes: miſerere ſupplicibus tuis: vt reatus noſtri confeſſio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ille homo qui dicitur Ieſus, lutum fecit ex ſputo, & liniuit oculos meos, & modo video. Oratio.

Pateant aures miſericordiæ tuæ Domine precibus ſupplicantium, & vt petentibus deſiderata concedas, fac eos quæ tibi ſunt placita poſtulare. Per Dominum.

FERIA QVINTA.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 7.

In illo tempore: Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim, & ibāt cum illo diſcipuli eius, & turba copioſa. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 5. Comment. in cap. 7. Lucæ.

Et hic locus ad vtramque redundat gratiam: vt & cito flecti diuinam miſericordiam matris viduæ lamentatione credamus, eius præcipue, quæ vnici filij, vel labore, vel morte frangatur: cui tamen viduæ grauitatis meritum exequiarū turba conciliet: & hanc viduam populorum turba ſeptam, plus videri eſſe quàm feminam, quæ reſurrectionem vnici, & adoleſcentis filij ſuis lacrymis meruerit impetrare: eo quòd ſancta Eccleſia populum iuniorem à pompa funeris, atq. à ſupremis ſepulchri ſuarum reuocet ad vitam contemplatione lacrymarum. Lectio ij.

Quæ flere prohibetur cum, cui reſurrectio debebatur. Qui quidem mortuus in loculo materialibus quatuor ad ſepulchrum ferebatur elementis: ſed ſpem reſurgendi habebat, quia ferebatur in ligno. Quod etſi nobis ante non proderat, tamen poſtea quàm Ieſus id tetigit, proficere cœpit ad vitam: vt eſſet indicio, ſalutem populo per crucis patibulum refundendam. Audito igitur Dei verbo, ſteterunt acerbi illius funeris portitores, qui corpus humanū lethali fluxu naturæ materialis vrgebant.

Lectio iij.

Quid enim aliud, niſi quaſi in quodam feretro, hoc eſt, ſupremi funeris inſtrumento, iacemus exanimes, cum vel ignis immodicæ cupiditatis exæſtuat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quadam

dam

Digitized by Google

dam terreni corporis habitudine vigor hebetatur animorum, vel concreta noſter ſpiritus labe, puræ lucis vacuus mentem alit? Hi ſunt noſtri funeris portitores.

Ad Benedictus, Antiphona.

Acceſſit Ieſus, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, ſteterunt, & ait: Adoleſcens tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt quos ieiunia votiua caſtigant, ipſa quoque deuotio ſancta lætificet: vt terrenis affectibus mitigatis facilius cæleſtia capiamus. Per.

Ad Magnificat, Antiphona.

Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam.

Oratio.

POpuli tui Deus inſtitutor, & rector: peccata, quibus inpugnatur, expelle: vt ſemper tibi placitus, & tuo munimine ſit ſecurus. Per Dominum.

FERIA SEXTA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 11.

IN illo tempore: Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de caſtello Mariæ, & Marthæ ſororum eius. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 49. in Ioan. poſt. init.

IN ſuperiori lectione meminiſtis, quòd Dominus exijt de manibus eorum qui lapidare illum voluerant, & diſceſſit trans Iordanem, vbi Ioannes baptizabat. Ibi ergo Domino conſtituto, infirmabatur in Bethania Lazarus, quod caſtellum erat proximum Ieroſolymis. Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Miſerunt ergo ſorores eius ad eum. Iam intelligimus quò miſerunt, vbi erat Dominus: quoniam abſens erat, trans Iordanem ſcilicet.

Lectio ij.

MIſerunt ad Dominum, nunciãtes quòd ægrotaret frater earum, vt dignaretur venire, & eum ab ægritudine liberaret. Ille diſtulit ſanare, vt poſſet reſuſcitare. Quid ergo nunciauerunt ſorores eius? Domine, ecce quem amas, infirmatur. Non dixerunt, Veni: amanti enim tantummodo nunciandum fuit. Non auſæ ſunt dicere, Veni, & ſana: non auſæ ſunt dicere, Ibi iube, & hic fiet. Cur enim non iſtæ, ſi fides illius Centurionis inde laudatur?

Lectio iij.

AIt enim: Non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nihil horum iſtæ, ſed tantummodo: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Sufficit, vt noueris: non enim amas, & deſeris. Sed dicet aliquis: Quomodo per Lazarum peccator ſignificabatur, & à Domino ſic amabatur? Audiat eum dicentem: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Si enim peccatores Deus non amaret, de cælo ad terram non deſcende-

ſcenderet. Ad Benedictus, Antiph. Lazarus amicus noſter dormit: eamus, & à ſomno excitemus eum.

Oratio.

Deus, qui ineffabilibus mundum renouas ſacramentis: præſta quæſumus, vt Eccleſia tua & æternis proficiat inſtitutis, & temporalibus non deſtituatur auxilijs. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Domine, ſi fuiſſes hic, Lazarus non eſſet mortuus: ecce iam fœtet quatriduanus in monumento. Oratio.

Da quæſumus omnipotēs Deus: vt qui infirmatis noſtræ conſcij de tua virtute confidimus, ſub tua ſemper pietate gaudeamus. Per Dominum noſtrum.

SABBATO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 8.

In illo tempore: Dicebat Ieſus turbis Iudæorum: Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 34. in Ioan. poſt init.

Quod ait Dominus, Ego ſum lux mundi, clarum puto eſſe eis, qui habent oculos, vnde huius lucis participes fiant: qui autem non habent oculos, niſi in ſola carne, mirantur quod dictum eſt à Domino Ieſu Chriſto, Ego ſum lux mundi. Et forte non deſit qui dicat apud ſemetipſum: Numquid forte Dominus Chriſtus eſt ſol iſte, qui ortu, & occaſu peragit diem? Non enim defuerunt hæretici, qui iſta ſenſerunt. Lectio ij.

Manichæi ſolem iſtum oculis carnis viſibilem, expoſitum, & publicum non tantum hominibus, ſed etiam pecoribus ad videndum, Chriſtum Dominū eſſe putauerunt. Sed catholicæ Eccleſiæ recta fides improbat tale commentum, & diabolicam doctrinam eſſe cognoſcit: nec ſolum agnoſcit credendo, ſed in quibus poteſt, conuincit etiam diſputando. Improbemus igitur huiuſmodi errorem, quem ſancta ab initio anathematizauit Eccleſia. Lectio iij.

Non eſt Dominus Chriſtus ſol factus, ſed per quem ſol factus eſt. Eſt ergo lux, quæ facit hanc lucem. Hanc amemus, hanc intelligere cupiamus, ipſam ſitiamus, vt ad ipſam duce ipſa aliquando veniamus: & in illa ita viuamus, vt numquam omnino moriamur. Iſta enim lux eſt, de qua prophetia olim præmiſſa, ita in Pſalmo cecinit: Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, dicit Dominus.

Oratio.

Fiat Domine quæſumus, per gratiam tuam fructuoſus noſtræ deuotionis affectus: quia tunc nobis proderunt ſuſcepta ieiunia, ſi tuæ ſint placi-

placita pietati. Per Dominum.

DOMINICA

In Paſſione.

Sabbato præcedenti ad Veſperas.

Capitulum. *Iere. 11.*

Tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iuſte, & probas renes & corda, videam vltionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui cauſam meam, Domine Deus meus. ℟. Multiplicati ij. Non dicatur Gloria. ſed repetatur Reſponſorium vſq. ad Verſum excluſiue. Et ab hac die, vſque ad Paſcha excluſiue, quando de Tempore agitur, in nullo Reſponſorio dicitur Gloria. nec ad Matutinum, nec ad alias Horas: ſed loco Gloria. repetitur ℟. In Feſtis tamen Sanctorum dicitur Gloria.

Hymnus.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis myſterium,
Quo carne carnis conditor
Suſpenſus eſt patibulo.

Quo vulneratus inſuper
Mucrone diro lanceæ,
Vt nos lauaret crimine,
Manauit vnda, & ſanguine.

Impleta ſunt quæ concinit
David fideli carmine, *Pſ. 95.*
Dicens, In nationibus *v. 10.*
Regnauit à ligno Deus. *iuxta*

Arbor decora, & fulgida, *veter.*
Ornata Regis purpura, *Edit.*
Electa digno ſtipite *& Pa-*
Tam ſancta membra tangere. *tres.*

Beata, cuius brachijs
Sæcli pependit pretium,
Statera facta corporis,
Prædamque tulit tartari.

Hic genuflectitur.

O Crux aue ſpes vnica,
Hoc paſſionis tempore,
Auge pijs iuſtitiam,
Reiſque dona veniam.

Te ſumma Deus Trinitas,
Collaudet omnis ſpiritus:
Quos per Crucis myſterium
Saluas, rege per ſæcula. Amen.

℣. Eripe me Domine ab homine malo. ℟. A viro iniquo eripe me.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de meipſo: & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me Pater. Oratio.

Quæſumus omnipotens Deus, familiam tuam propitius reſpice: vt te largiente, regatur in corpore: & te ſeruante, cuſtodiatur in mente. Per Dominum.

Ad Completorium.

℟. In manus. ſine Gloria Patri.

Ad Nunc dimittis, Antiphona.

O Rex glorioſe inter ſanctos tuos, qui ſemper es laudabilis, & tamen ineffabilis, tu in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos Deus noſter, vt in die iudicij nos collocare digneris inter ſanctos, & electos tuos, Rex benedicte. Hæc Antiphona dicatur quotidie ad Nunc dimittis, vſque ad Cœnam Domini excluſiue, niſi in Annunciatione, ſi infra hoc tempus euenerit.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Hodie

Hodie ſi vocem eius audieritis, Nolite obdurare corda veſtra.

Hic. ℣. intermittatur in Pſalmo, & eo dicto ſequitur: Sicut in exacerbatione. in fine Pſalmi Gloria. non dicatur: ſed poſt vltimum Verſum Inuitat. bis ex integro repetatur.

Hymnus.

Pange lingua glorioſi
Prælium certaminis,
Et ſuper Crucis trophæum
Dic triumphum nobilem,
Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit.
De parentis protoplaſti
Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morſu in mortem corruit:
Ipſe lignum tunc notauit,
Damna ligni, vt ſolueret.
Hoc opus noſtræ ſalutis
Ordo depopoſcerat.
Multiformis proditoris
Ars, vt artem falleret,
Et medelam ferret inde,
Hoſtis vnde læſerat.
Quando venit ergo ſacri
Plenitudo temporis,
Miſſus eſt ab arce Patris
Natus orbis conditor:
Ac de ventre virginali
Caro factus prodijt.
Vagit infans inter arcta
Conditus præſepia:
Membra pannis inuoluta
Virgo mater alligat,
Et manus, pedeſq. & crura
Stricta cingit faſcia.
Gloria, & honor Deo
Vſquequaque altiſſimo,
Vna Patri, Filioque,
Inclyto Paraclito:
Cui laus eſt, & poteſtas
Per æterna ſæcula. Amen.

IN PRIMO NOCTVR. Aña. Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me. Hæc Antiphona dicatur ſuper omnes Pſalmos primi Nocturni: qui tamen de more dicantur cum triplici. Gloria Patri. ℣. Erue à framea Deus animam meam. ℟. Et de manu canis vnicam meam.

Incipit Liber Ieremiæ Prophetæ. Lectio 1. C. 1.

Verba Ieremiæ filij Helciæ, de ſacerdotibus qui fuerunt in Anathoth, in terra Beniamin. Quod factum eſt verbū Domini ad eum in diebus Ioſiæ filij Amon regis Iuda, in tertiodecimo anno regni eius. Et factum eſt in diebus Ioachim filij Ioſiæ regis Iuda, vſque ad conſummationem vndecimi anni Sedechiæ filij Ioſiæ regis Iuda, vſque ad tranſmigrationem Ieruſalem, in menſe quinto. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, ſanctificaui te: & prophetam in Gentibus dedi te. Hæc dicit Dominus Deus: Conuertimini ad me, & ſalui eritis. ℟. Iſti ſunt dies, quos obſeruare debetis temporibus ſuis. Quartadecima die ad veſperum Paſchæ Domini eſt: & in quintadeci-

Digitized by Google

tadecima ſolemnitaté celebrabitis al tiſſimo Domino. ℣. Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos. Quattadecima die. Lectio ij.

Et dixi, A, a, a, Domine Deus: ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere, Puer ſum: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis: & vniuerſa quæcumque mandauero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum: quia tecum ego ſum, vt eruam te, dicit Dominus. Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum: & dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te hodie ſuper Gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Hæc dicit Dominus Deus. ℟. Multiplicati ſunt, qui tribulant me, & dicunt: Non eſt ſalus illi in Deo eius. Exurge Domine, ſaluum me fac, Deus meus. ℣. Nequando dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eum. Exurge Domine. Lectio iij.

Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Quid tu vides Ieremia? Et dixi: Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus ad me: Bene vidiſti: quia vigilabo ego ſuper verbo meo, vt faciam illud. Et factum eſt verbum Domini ſecundo ad me, dicens: Quid tu vides? Et dixi: Ollam ſuccenſam ego video: & faciem eius à facie Aquilonis. Et dixit Dominus ad me: Ab Aquilone pandetur omne malũ ſuper omnes habitatores terræ. Quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum Aquilonis, ait Dominus. Hæc dicit Dominus. ℟. Qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in vnum, dicentes: Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt qui liberet eũ. Deus meus ne elonges à me: Deus meus in adiutorium meum intende. ℣. Omnes inimici mei cogitabant mala mihi, verbum iniquum mandauerunt aduerſum me, dicentes. Deus dereliquit. ℟. Qui cuſtodiebant.

IN II. NOCTVRNO.

Super Pſalmos cum triplici Gloria. Ãna. Mittens hæc mulier in corpus meum hoc vnguentũ, ad ſepeliendũ me fecit. ℣. De ore leonis libera me Domine. ℟. Et à cornibus vnicornium humilitatem meam.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

Lectio iv.

Serm. 9. de Quadrageſ.

In omnibus, dilectiſſimi, ſolemnitatibus Chriſtianis, nõ ignoramus Paſchale ſacramentum eſſe præcipuum: cui condigne, & congrue ſuſcipiendo, totius quidem nos temporis inſtituta reformant: ſed deuotionem noſtram præſentes, vel maxime dies exigunt, quos illi ſublimiſſimo diuinæ miſericordiæ ſacramento ſcimus eſſe contiguos. In quibus merito à ſanctis Apoſtolis per doctrinã Spiritus ſancti maiora ſunt ordinata ieiunia, vt per commune conſortium

Crucis

Crucis Chriſti, etiam nos aliquid in eo, quod propter nos geſſit, ageremus, ſicut Apoſtolus ait: Si compatimur,& conglorificabimur. ℞. Deus meus es tu, ne diſcedas à me, Quoniam tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adiuuet. ℣. Deus Deus meus reſpice in me. Quoniam.

Lectio v.

Certa atque ſecura eſt expectatio promiſſæ beatitudinis, vbi eſt participatio Dominicæ paſſionis. Nemo eſt, dilectiſſimi, cui per conditionem temporis ſocietas huius gloriæ denegetur; tamquam tranquillitas pacis vacua ſit occaſione virtutis. Apoſtolus enim prædicat, dicens: Omnes qui volunt in Chriſto piè viuere, perſecutionem patientur: & ideo numquam deeſt tribulatio perſecutionis, ſi numquam deſit obſeruantia pietatis. ℞. Tota die contriſtatus ingrediebar Domine: quoniam anima mea impleta eſt illuſionibus: Et vim faciebant qui quærebant animam meam. ℣. Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates: & dolos tota die meditabantur. Et vim.

Lectio vj.

Dominus enim in exhortationibus ſuis dicit: Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Nec dubitare debemus, hanc vocem non ſolum ad diſcipulos Chriſti, ſed ad cunctos fideles, totamque Eccleſiam pertinere, quæ ſalutare ſuum in ijs qui aderant, vniuerſaliter audiebat. Sicut ergo totius eſt corporis piè viuere, ita totius eſt temporis crucem ferre: quæ merito ferri vnicuique ſuadetur, quia proprijs modis atque menſuris ab vnoquoque toleratur. ℞. Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui: Quoniam tu es patientia mea. ℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus in me, libera me. Quoniam. Deus meus.

IN III. NOCTVRNO.

Super Pſalmos cum triplici Gloria. Antiphona: Magiſter dicit: Tempus meum prope eſt: apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis. ℣. Ne perdas cum impijs Deus animam meam. ℞. Et cum viris ſanguinũ vitã meam.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio vij. C. 8.

In illo tempore: Dicebat Ieſus turbis Iudæorum, & principibus ſacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi? Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

Homil. 18. in Euang.

Penſate, fratres chariſſimi, manſuetudinem Dei. Relaxare peccata venerat, & dicebat: Quis ex vobis arguet me de peccato? Non dedignatur ex ratione oſtendere ſe peccatorem non eſſe, qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iuſtificare. Sed terribile eſt valde, quod ſubditur: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Si enim verba Dei

audit

Digitized by Google

audit qui ex Deo eſt, & audire verba eius non poteſt quiſquis ex illo non eſt: interroget ſe vnuſquiſque, ſi verba Dei in aure cordis percipit, & intelliget vnde ſit. ℞. Adiutor, & ſuſceptor meus es tu Domine, & In verbum tuum ſperaui: Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei. ℣. Iniquos odio habui: & legem tuam dilexi. Declinate.

Lectio viij.

CAeleſtem patriam deſiderare Veritas iubet, carnis deſideria cōterere, à mundi gloria declinare, aliena non appetere, propria largiri. Penſet ergo apud ſe vnuſquiſque veſtrum, ſi hæc vox Dei in cordis eius aure conualuit, & quia iam ex Deo ſit, agnoſcet. Nam ſunt nonnulli, qui præcepta Dei nec aure corporis percipere dignantur. Et ſunt nonnulli, qui hæc quidem corporis aure percipiunt, ſed nullo ea mentis deſiderio complectuntur. Et ſunt non nulli, qui libenter verba Dei ſuſcipiunt, ita vt etiam in fletibus compungantur, ſed poſt lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt. ℞. In te iactatus ſum ex vtero de ventre matris meæ, Deus meus es tu, ne diſcedas à me: Quoniam tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adiuuet. ℣. Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meā. Quoniam.

Lectio ix.

HI profecto verba Dei non audiunt, quia ea exercere opere contemnunt. Vitam ergo veſtram, fratres chariſſimi, ante mentis oculos reuocate, & alta conſideratione pertimeſcite hoc, quod ex ore Veritatis ſonat: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Sed hoc quod de reprobis Veritas loquitur, ipſi hoc de ſemetipſis reprobi iniquis ſuis operibus oſtendunt: nam ſequitur: Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? ℞. In proximo eſt tribulatio mea Domine, & non eſt qui adiuuet: vt fodiāt manus meas, & pedes meos: libera me de ore leonis: Vt enarrem nomen tuum fratribus meis. ℣. Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam. Vt. ℞. In proximo. ℣. Intende animæ meæ, & libera eam. ℞. Propter inimicos meos eripe me.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

VIde Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus meus. Pſalm. Miſerere. 3?. Antiphona In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine. Pſalm. Confitemini. iiij. 78. Antiphona. Iudicaſti Domine cauſam animæ meæ: defenſor vitæ meæ, Domine Deus meus. Pſal. Deus Deus. 39. Antiphona. Popule meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui? reſponde mihi. Cantic. Benedicite. 98. Antiphona. Numquid redditur pro bono malum, quia

foderunt foueam animæ meæ? Pſal. Laudate. 97. Capitulum. Tu autem Domine Sabaoth. 290. Hymnus.

Lvſtris ſex qui iam peractis,
Tempus implens corporis,
Se volente, natus ad hoc,
Paſſioni deditus,
Agnus in cruce leuatur,
Immolandus ſtipite.
Hic acetum, fel, arundo,
Sputa, claui, lancea:
Mite corpus perforatur,
Sanguis, vnda profluit,
Terra, pontus, aſtra, mundus,
Quo lauantur flumine.
Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis:
Nulla ſilua talem profert
Fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulces clauos,
Dulce pondus ſuſtinet.
Flecte ramos arbor alta,
Tenſa laxa viſcera,
Et rigor lenteſcat ille,
Qem dedit natiuitas:
Vt ſuperni membra Regis
Miti tendas ſtipite.
Sola digna tu fuiſti
Ferre ſæcli pretium,
Atque portum præparare
Nauta mundo naufrago:
Quem ſacer cruor perunxit,
Fuſus Agni corpore.
Gloria, & honor Deo
Vſquequaque altiſſimo,
Vna Patri, Filioque,
Inclyto Paraclito:
Cui laus eſt, & poteſtas
Per æterna ſæcula. Amen.

℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus. ℟. Et ab inſurgentibus in me libera me.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis: quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.

Ad Primam, Antiphona.

Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum, dicit Dominus. Pſalm. vt in Septuageſ. 227. In hac die, & deinceps vſque ad Dominicã in Albis excluſiue, non dicatur ad Primam ℟. Ieſu Chriſte, niſi in Feſtis Sanctorum, ſi occurrerint: ſed in hac die, & deinceps vſque ad Cœnam Domini excluſiue, quando de Tempore agitur, poſt Capitulum immediate ſubiungatur. ℣. Exurge Domine, adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum.

Ad Tertiam, Antiphona.

Ego gloriam meam non quæro: eſt qui quærat, & iudicet. Cap. Tu autem Domine. 285. ℟. Erue à framea Deus animam meam: Et de manu canis vnicam meam. ℣. Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Et de manu. ℟. Erue. ℣. De ore leonis libera me Domine. 286. Ad Sextam, Antiphona. Amen, amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum.

Capitulum. Iſa. 50.

Faciem

FAciem meam nō auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. Dominus Deus auxiliator meus, ideo nō ſum confuſus. ℟. De ore leonis libera me Domine: Et cornibus vnicornium humilitatem meam. ℣. Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam. Et ℟. De ore. ℣. Ne perdas cum impijs Deus animam meam. 288.

Ad Nonam, Antiphona.

Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt.

Capitulum. *Ier.* 17.

COnfundantur qui me perſequūtur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego: induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos, Domine Deus noſter. ℟. Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum: Lætabor ego ſuper eloquia tua. ℣. Quaſi qui inuēnit ſpolia multa. Lætabor. ℟. Principes. ℣. Eripe me de inimicis meis Deus meus. 290. Ad Veſper. Capitulum, Hymnus, Verſicul. vt in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Tulerunt lapides Iudæi, vt iacerent in eum. Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo. Ordo huius diei Capitulorum, Hymnorum Verſiculorum, Reſponſoriorum ad Horas, ſeruetur quotidie vſque ad Cœnam Domini excluſiue: quando de Tempore agitur.

FERIA SECVNDA.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Adoremus Dominum: Qui nos redemit per Crucem. & dicatur quotidie vſque ad Cœnam Domini in Ferialibus diebus, & in fine Pſalm. Venite. bis ex integro repetatur, prætermiſſo. Gloria Patri.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 7.

IN illo tempore: Miſerunt principes, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 31. in Ioan. circa med.

QVomodo apprehenderent adhuc nolentem? Quia ergo non poterant apprehendere nolentē, miſſi ſunt, vt audirent docentem. Quid docentē: Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicū tempus vobiſcū ſum. Quod modo vultis facere, facturi eſtis: ſed nō modo, quia modo nolo. Quare adhuc modo? Quia adhuc modicū tempus vobiſcum ſum, & tunc vado ad eum qui me miſit. Lectio ij.

IMplere debeo diſpenſationem meam, & ſic peruenire ad paſſionem meam. Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ſum ego, vos non poteſtis venire. Hic iam reſurrectionem ſuam prædixit. Noluerunt enim eum agnoſcere præſentem, & poſtea quæſierunt, cum viderent in eum multitudinem iam credentem. Magna enim ſigna facta ſunt etiam cum Dominus reſurrexit, & aſcendit in cælum. Tunc per diſcipulos

facta ſunt ſigna magna: ſed ille per illos, qui & per ſeipſum.

Lectio iij.

Ipſe quippe illis dixerat: Sine me nihil poteſtis facere. Quando claudus ille, qui ſedebat ad portam, ad vocem Petri ſurrexit, & ſuis pedibus ambulauit, ita vt homines mirarentur; ſic eos allocutus eſt Petrus, quia non in ſua poteſtate iſta fecit, ſed in virtute illius, quem ipſi occiderunt: multi compuncti dixerunt: Quid faciemus? Viderunt enim ſe ingenti crimine impietatis adſtrictos, quando illum occiderunt, quem venerari, & adorare debuerunt.

Ad Benedictus, Antiphona.

In die magno feſtiuitatis, ſtabat Ieſus, & clamabat, dicẽs: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Oratio.

Sanctifica, quæſumus Domine, noſtra ieiunia: & cunctarum nobis propitius indulgentiam largire culparum. Per Dominum.

Ad Primam, Antiphona.

Animæ impiorum fremebant aduerſum me: & grauatum eſt cor meum ſuper eos.

Ad Tertiam, Antiphona. Iudicaſti.

Ad Sextam, Antiph. Popule meus.

Ad Nonam, Antiphona.

Numquid redditur pro bono.

Prædictæ tres Antiphonæ quærantur in Laudibus præcedentis Dominicæ. 289. & dicantur ad Horas in Profeſtis diebus vſq. ad Cœnam Domini.

Ad Magnificat, Antiphona.

Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat: & de ventre eius fluent aquæ viuæ.

Oratio.

Da, quæſumus Domine, populo tuo ſalutem mentis, & corporis: vt bonis operibus inhærendo, tua ſemper mereatur protectione defendi. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 7.

In illo tempore: Ambulabat Ieſus in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 28. in Ioan. circa init.

In iſto Euangelij capitulo fratres, Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſecundum hominem ſe plurimum commendauit fidei noſtræ. Etenim ſemper hoc egit dictis, & factis ſuis, vt Deus credatur, & homo: Deus qui nos fecit, homo qui nos quæſiuit: Deus cum Patre ſemper, homo nobiſcum ex tempore. Non enim quæreret, quod fecerat, niſi ipſe quod fecerat, fieri voluiſſet. Verum hoc mementote, & de cordibus veſtris nolite dimittere: ſic eſſe Chriſtum hominẽ factum, vt non deſtiterit Deus eſſe.

Lectio ij.

Manens Deus accepit hominem, qui fecit hominem. Quando ergo latuit, vt homo, nõ potentiam perdidiſſe putandus eſt, ſed exemplum noſtræ infirmitati præbuiſſe. Ille enim quando voluit, detentus eſt: quãdo voluit, occiſus eſt. Sed quoniam

niam futura erant membra eius, ideſt fideles eius, qui non haberent illam poteſtatem quam habebat ipſe Dominus noſter, quòd latebat, quòd ſe tamquam ne occideretur, occultabat: hoc indicabat factura eſſe membra ſua, in quibus vtique mēbris ſuis ipſe erat. Lectio iij.

NOn enim Chriſtus in capite, & non in corpore: ſed Chriſtus totus in capite, & in corpore. Quod ergo membra eius, hoc ipſe: quod autem ipſe, non continuò membra eius. Nam ſi ipſi non eſſent membra eius, non diceret Saulo: Quid me perſequeris? Non enim Saulus ipſum, ſed membra eius, ideſt fideles eius, in terra perſequebatur. Noluit tamē dicere, ſanctos meos, ſeruos meos, poſtremo honorabilius, fratres meos: ſed me, hoc eſt membra mea, quibus ego ſum caput.

Ad Benedictus, Antiphona.

Tempus meum nondum aduenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Oratio.

NOſtra tibi, Domine quæſumus, ſint accepta ieiunia: quæ nos expiando, gratia tua dignos efficiant, & ad remedia perducant æterna. Per Dominum noſtrum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Vos aſcendite ad diem feſtum hunc: ego non aſcendam, quia tempus meum nondum aduenit.

Oratio.

DA nobis quæſumus Domine, perſeuerantem in tua, voluntate famulatum: vt in diebus noſtris, & merito, & numero populus tibi ſeruiens augeatur. Per Dominum. noſtrum.

FERIA QVARTA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 10.

IN illo tempore: Facta ſunt Encænia in Ieroſolymis, & hiems erat: & ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 48. in Ioan. circa init.

ENcænia feſtiuitas erat Dedicationis templi. Græce enim cænon dicitur nouum. Quandocumque nouum aliquid fuerit dedicatum, encænia vocantur. Iam & vſus habet hoc verbum, ſi quis noua tunica induatur, encæniare dicitur. Illum ergo diem, quo templum dedicatum eſt, Iudæi ſolemniter celebrabant, ipſe dies feſtus agebatur, cum ea, quæ lecta ſunt, locutus eſt Dominus.

Lectio ij.

HIems erat, & ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Non veritatem deſiderabant, ſed calumniam præparabant. Hiems erat, & ideo frigidi erant: ad illum enim diuinum ignem accedere pigri erant. Sed accedere, eſt credere: qui credit, accedit: qui negat, recedit. Non moue-

mouetur anima pedibus, ſed affectibus. Lectio iij.

FRiguerant diligendi charitate, & ardebant nocendi cupiditate. Longe aberant, & ibi erant: non accedebant credendo, & premebant perſequendo. Quærebant audire à Domino, ego ſum Chriſtus: & fortaſſe de Chriſto ſecundum hominem ſapiebant. Prædicauerunt enim Prophetæ Chriſtum: ſed diuinitatem Chriſti, & in Prophetis, & in ipſo Euangelio nec hæretici intelligunt: quanto minus Iudæi, quamdiu velamen eſt ſuper cor eorum?

Ad Benedictus, Antiphona.

Oues meæ vocem meam audiunt: & ego Dominus agnoſco eas.

Oratio.

SAnctificato hoc ieiunio Deus, tuorum corda fidelium miſerator illuſtra: & quibus deuotionis præſtas affectum, præbe ſupplicantibus pium benignus auditum. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Multa bona opera operatus ſum in vobis: propter quod opus vultis me occidere? Oratio.

ADeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus: & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges: conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum.

FERIA QVINTA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 7.

IN illo tempore: Rogabat Ieſum quidam Phariſæus, vt manducaret cum illo: & ingreſſus domum Phariſæi, diſcubuit. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 33. in Euang.

COgitanti mihi de Mariæ Magdalenæ pœnitentia, flere magis libet, quàm aliquid dicere. Cuius enim, vel ſaxeum pectus illæ huius peccatricis lacrymæ ad exemplum pœnitendi non emolliant? Conſiderauit namque, quod fecit, & noluit moderari quid faceret. Super conuiuantes ingreſſa eſt, non iuſſa venit, inter epulas lacrymas obtulit. Diſcite quo dolore ardet, quæ flere, & inter epulas non erubeſcit. Lectio ij.

HAnc vero, quam Lucas peccatricem mulierem, Ioannes Mariam nominat, illam eſſe Mariam credimus, de qua Marcus ſeptem dæmonia eiecta fuiſſe teſtatur. Et quid per ſeptem dæmonia, niſi vniuerſa vitia deſignantur? Quia enim ſeptem diebus omne tempus comprehenditur, recte ſeptenario numero vniuerſitas figuratur. Septem ergo dæmonia Maria habuit, quæ vniuerſis vitijs plena fuit. Lectio iij.

SEd ecce, quia turpitudinis ſuæ maculas aſpexit, lauanda ad fontem miſericordiæ cucurrit, conuiuantes non erubuit. Nam quia ſemetipſam grauiter erubeſcebat intus, nihil eſſe credidit, quòd verecundaretur foris. Quid igitur miramur, fratres? Mariam venientem, an Dominum ſuſcipientem? Suſcipientem dicam, an trahentem? Sed melius dicam,

tra-

Digitized by Google

trahentem, & ſuſcipientem: quia nimirum ipſe eam per miſericordiam traxit intus, qui per manſuetudinem ſuſcepit foris. Ad Benedictus, Aña. Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt dignitas conditionis humanæ per immoderantiam ſauciata, medicinalis parſimoniæ ſtudio reformetur. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Mittens hæc mulier in corpus meum hoc vnguentum, ad ſepeliendum me fecit. Oratio.

ESto, quæſumus Domine, propitius plebi tuæ: vt quæ tibi non placent, reſpuentes: tuorum potius repleantur delectationibus mandatorum. Per Dominum.

FERIA SEXTA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 11.

IN illo tempore: Collegerunt Pontifices, & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 49. in Ioan. ſub finem.

POntifices, & Phariſæi ſibi conſulebant: nec tamen dicebant, Credamus. Plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerent, vt perderent, quàm quomodo ſibi conſulerent, ne perirent. Et tamen timebant, & quaſi conſulebant. Dicebant enim: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem.

Lectio ij.

TEmporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt, ac ſic vtrumque amiſerunt. Nam, & Romani poſt Domini paſſionem, & glorificationem tulerunt eis locum, & gentem, expugnando: & illud eos ſequitur, quod alibi dictum eſt: Filij autem regni huius ibunt in tenebras exteriores. Hoc autem timuerant, ne ſi omnes in Chriſtum crederent, nemo remaneret, qui aduerſus Romanos ciuitatem Dei, templumque defenderet: quoniam contra ipſum templum, & contra ſuas paternas leges doctrinam Chriſti eſſe ſentiebant. Lectio iij.

VNus autem ex ipſis, Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius, dixit illis: Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetauit. Hic docemur, etiam homines malos prophetiæ ſpiritu futura prædicere. Quod tamen Euangeliſta diuino tribuit ſacramento, quia Pontifex fuit, ideſt, ſummus Sacerdos.

Ad Benedictus, Antiphona.

Appropinquabat autem dies feſtus: & quærebant principes ſacerdotum, quo-

quomodo Ieſum interficerent, ſed timebant plebem. Oratio.

Cordibus noſtris, quæſumus Domine, gratiam tuam benignus infunde: vt peccata noſtra caſtigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremur, quàm ſupplicijs deputemur æternis. Per Dñm.

Ad Magnificat, Antiphona.

Principes ſacerdotum conſilium fecerunt, vt Ieſum occiderent: dicebant autem: Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.

Oratio.

Concede quæſumus omnipotens Deus: vt qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati à malis omnibus, ſecura tibi mente ſeruiamus. Per Dominum noſtrum.

SABBATO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C.12.

In illo tempore: Cogitauerunt principes ſacerdotum, vt Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 50. in Ioan. in fine.

Viſo Lazaro reſuſcitato, quia tantum miraculum Domini tãta erat euidentia diffamatum, tanta manifeſtatione declaratum, vt non poſſent, vel occultare quod factum eſt, vel negare: quid inuenerunt, videte. Cogitauerunt autem principes ſacerdotum, vt Lazarum interficerent. O ſtulta cogitatio, & cæca ſæuitia: Dominus Chriſtus, qui ſuſcitare potuit mortuum, non poſſet occiſum. Quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebatis Domino poteſtatem?

Lectio ij.

Si aliud vobis videtur mortuus, aliud occiſus: ecce Dominus vtrũque fecit, & Lazarum mortuum, & ſeipſum ſuſcitauit occiſum. In craſtinum autem turba multa, quæ venerat ad diem feſtum, cum audiſſent, quia venit Ieſus Ieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obuiam ei, & clamabant: Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Iſrael. Rami palmarum laudes ſunt, ſignificantes victoriam, quia erat Dominus mortem moriendo ſuperaturus, & trophæo Crucis de diabolo mortis principe triumphaturus.

Lectio iij.

Has ei laudes turba dicebat: Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Iſrael. Quam crucem mentis inuidentia principum Iudæorum perpeti poterat, quando regem ſuum Chriſtum tanta multitudo clamabat? Sed quid fuit Domino regem eſſe Iſrael? Quid magnum fuit Regi ſæculorum, regem fieri hominum? Non enim rex Iſrael Chriſtus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hoſteſque viſibiliter debellandos: ſed rex Iſrael, quòd mentes regat, quòd in æternum conſulat, quòd in regnũ cælo-

cælorum credentes, ſperantes, amanteſque perducat.

Ad Benedictus, Antiphona.

Deſiderio deſideraui hoc Paſcha mãducare vobiſcum, antequam patiar.

Oratio.

PRoficiat, quæſumus Domine, plebs tibi dicata piæ deuotionis affectu: vt ſacris actionibus erudita, quanto maieſtati tuæ ſit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per Dominum noſtrum.

DOMINICA.
in ramis Palmarum.

Sabbato præcedenti ad Veſper. ℟. Circundederunt. ix.

Ad Magnificat, Antiphona.

Clarifica me Pater apud temetipſũ, claritate quam habui, priuſquam mundus fieret.

Oratio.

OMnipotẽs ſẽpiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Saluatorem noſtrum carnem ſumere, & Crucem ſubire feciſti: concede propitius: vt & patientiæ ipſius habere documenta, & reſurrectionis cõſortia mereamur. Per eundem Dominum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Ipſi vero non cognouerũt vias meas: Quibus iuraui in ira mea, Si introibunt in requiem meam. Dicto vltimo ℣. Pſalm Venite. vſque ad Hi errant corde. Inuitat. bis ex integro repetatur, prætermiſſo ℣ Gloria Patri. Antiphonæ in Nocturnis, vt in præcedenti Dominica.

IN I. NOCTVRNO.

De Ieremia Propheta.

Lectio j. C. 12.

IVſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum: verumtamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur: bene eſt omnibus, qui præuaricantur, & inique agunt? Plantaſti eos, & radicem miſerunt: proficiunt, & faciunt fructum. Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum. Et tu Domine noſti me: vidiſti me, & probaſti cor meum tecum. Congrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in die occiſionis. Hæc dicit. ℟. In die qua inuocaui te Domine, dixiſti: Noli timere: tu iudicaſti cauſam meam, & liberaſti me, Deus meus. ℣. In die tribulationis meæ clamaui ad te, quia exaudiſti me. Deus meus.

Lectio ij.

VSquequo lugebit terra, & herba omnis regionis ſiccabitur, propter malitiam habitantium in ea? Conſumptum eſt animal, & volucre, quoniam dixerunt: Non videbit nouiſſima noſtra. Si cum peditibus currens laboraſti: quomodo contendere poteris cum equis? Cum autem in terra pacis ſecurus non fueris, quid facies in ſuperbia Iordanis? Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipſi pugnauerunt aduerſum te: & clamauerunt poſt te plena voce: ne credas eis cum locuti fuerint tibi bona. Hæc dicit. ℟. Fratres mei elongauerunt ſe à me:

à me: & noti mei Quaſi alieni receſſe-runt à me. ℣. Derelinquerũt me proximi mei, & qui me nouerũt. Quaſi.

Lectio iij.

RElinqui domum meam, dimiſi hereditatem meam: dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius. Facta eſt mihi hereditas mea quaſi leo in ſilua: dedit contra me vocem, ideo odiui eam. Numquid auis diſcolor hereditas mea mihi? numquid auis tincta per totum? Venite, congregamini omnes beſtiæ terræ, properate ad deuorandum. Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcauerunt partem meã: dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis. Hæc dicit. ℟. Attende Domine ad me, & audi vocem aduerſariorum meorum: Numquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ? ℣. Recordare quòd ſteterim in coſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuã ab eis. Numquid. Attende.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo S. Athanaſij Epiſcopi.

De Paſſione, & Cruce Domini, è veteri Verſion. Tom. 3. Lectio iv.

SI cauſam diſcamus, & quamobrẽ paſſus fuerit vnigenitus Dei Filius, conſideremus, non iam erubeſcemus, ſed mirabimur bonitatem, humanitatemque eius: & gloriabimur nos quoque quemadmodum Paulus, in Cruce. Non enim Dominus ipſe propter ſeipſum, ſed nos in illo patiebamur. Nam hominum peccatum ingens erat, & hoc malum totum occupauerat orbem. Cum autem, & antea maximum eſſet, ac paulatim deinde creuiſſet, intolerabile factum eſt hominibus. Nam & mors in omnes, & in omnibus inualuit regnando: Dominus autem noſter immortalis, & incorruptibilis eſt, & quemadmodum immortalis, & incorruptibilis eſt, ita bonus quoque, & humanus. Nam boni patris bonus eſt ſermo, eoque non diſſimulauit perire, quod factum erat: neque ſuſtinuit, vt eorum, quæ ipſe condiderat, alius fieret dominus. Tu autem. ℟. Concluſit vias meas inimicus, inſidiator factus eſt mihi ſicut leo in abſcondito: repleuit, & inebriauit me amaritudine: deduxerunt in lacum mortis vitam meam, & poſuerunt lapidem contra me. Vide Domine iniquitates illorum: & iudica cauſam animæ meæ, defenſor vitæ meæ. ℣. Factus ſum in deriſum omni populo, canticum eorum tota die. Vide.

Lectio v.

VErum cum aſpicere ad malitiam intolerabilem, humanum genus non ſatis erat idoneum ad reſiſtendum morti: neque poterat pœnam pro peccatis diſſoluere. Superabat enim omnem pœnam malitiæ magnitudo. Rurſus cum reſpiceret, & Patris bonitatem, & ſuam potentiam, ac virtutem (Chriſtus enim Dei virtus, & Dei ſapientia) commotus eſt humanitate: & miſeratus infirmitatem

tem noſtram, hanc induit. Ipſe enim, vt ait Propheta, infirmitates noſtras portauit, morboſque geſtauit: ac miſeratus noſtram mortalitatem, induit illam. Ait enim Paulus: Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis. Tu autem. ℟. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam: ne auertas faciem tuam à me, quoniam tribulor exaudi me, Deus meus. ℣. Intende animæ meæ, & libera eam. Deus. Lectio vj.

CEterum videns, & illud nos non poſſe perſoluere; pœnas has in ſe recepit ipſe. (Nam Chriſtus factus eſt pro nobis maledictio.) Et ita tandem humana indutus, amictuſque carne, per ſeipſum nos adduxit ad Patrem, vt ipſe patiens, eum qui vere patiebatur, redderet innocuum, ac parua magnis permutaret. Deſcendit enim, vt nobis aſcenſum pararet: expertus eſt natiuitatem, vt nos per eam Patri innaſcibili reconciliaremur. Infirmatus eſt propter nos, vt nos erigeremur robore, vtque dicamus more Pauli. Omnia poſſum in eo, qui me corroborat, Ieſu Chriſto. Tu autem. ℟. Noli eſſe mihi Domine alienus, parce mihi in die mala: confundantur omnes qui me perſequuntur: Et non confundar ego. ℣. Confundantur omnes inimici mei, & qui quærunt animam meam, vt auferant eam. Et non. ℟. Noli.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 21.

IN illo tempore: Cum appropinquaſſet Ieſus Ieroſolymis, & veniſſet Bethphage ad montem Oliueti: tunc miſit duos diſcipulos ſuos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: ſoluite, & adducite mihi. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 23. in varios locos Matth.

FRequenter quidem Ieſus venit in Ieruſalem, ſicut Ioannes teſtatur: numquam tamen ſibi adhibuit miniſteria iumentorum, nec ramorum circa ſe virentia conſtituit ornamenta, nec ad terribilem laudem ſuæ diuinitatis animos populi excitauit, niſi modò, quando vt pateretur, aſcendit. Ideò ergo cum tanta gloria eſt ingreſſus, vt amplius eorum aduerſus ſe excitaret inuidiam: quia iam tempus paſſionis eius inſtabat, & non mors eum vrgebat, ſed ipſe magis aduerſus ſe compellebat mortem. Quoties enim de manibus ſacerdotum elapſus euaſit, cum eſſet inuiſibilis factus? Quando Iudæi Chriſtum voluerunt occidere, tangere eum non potuerunt: quando autem ipſe ſecutus eſt mortem, parcere ei Iudæi non potuerunt. ℟. Dominus mecum eſt tamquam bellator fortis: propterea perſecuti ſunt me, & intelligere non potuerunt, Domine probans renes, & corda: Tibi reuelaui cauſam meam. ℣. Vidiſti Domine iniquitates eorum aduerſum me,

iudi-

iudica iudicium meum. Tibi reuelaui.

Lectio viij.

Ergo ſi Chriſtus eos prouocauit, fortene de morte ſua fecit eos innoxios? Abſit. Excitauit eos, nō vt facerent quod ante noluerant, ſed vt poſſent facere quod prius volebant. Facultas eis data eſt, non mutata voluntas. Aſina, & pullus eius, Iudæi ſunt, & Gentes. Iudæa enim ſecundum Deum mater eſt Gentium. Sic enim dicit ad eam Deus per Iſaiam Prophetam: Et conſtituam principes tuos ſicut antea, & conſiliarios tuos ſicut ab initio. Et tunc vocaberis ciuitas iuſtitiæ, & mater ciuitatum ideſt Eccleſiarum fidelis Sion. Propter quaſdam tales ſimilitudines animalibus his aſſimilati ſunt homines, Deum, vel Dei Filium non cognoſcentes. ℟. Dixerunt impij apud ſe non recte cogitantes: Circumueniamus iuſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris: promittit ſe ſcientiam Dei habere: Filium Dei ſe nominat, & gloriatur Patrem ſe habere Deum: videamus ſi ſermones illius veri ſunt: Et ſi eſt verus Filius Dei, liberet illum de manibus noſtris. Morte turpiſſima condemnemus eum. ℣. Tamquam nugaces æſtimati ſumus ab illo: & abſtinet ſe à vijs noſtris tamquam ab immunditijs, & præfert nouiſſima iuſtorum. Morte.

Lectio ix.

Eſt enim animal hoc immundū, & præ ceteris pene iumentis magis irrationabile, & ſtultum, & infirmum, & ignobile, & oneriferum magis. Sic fuerunt, & homines ante Chriſti aduentum, idololatriæ paſſionibus diuerſis immundi, & irrationabiles, verbi ratione carentes: quantum ad Deum ſtulti. At vbi Chriſtus ſuper eos aſcendit, & induxit in templum: lauati per baptiſmum, facti ſunt de immundis animalibus homines ſancti. Percepta enim verbi ratione, ſapientia Dei facti ſunt rationabiles, & prudentes: & inuenta eſt irrationabilitas eorum eſſe ſimplicitas, & ſtultitia eorum manſuetudo. ℟. Circumdederunt me viri mendaces: ſine cauſa flagellis cæciderunt me: Sed tu Domine defenſor vindica me. ℣. Quoniam tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adiuuet. Sed tu Domine. ℟. Circumdederunt. ℣. Intēde animæ meæ, & libera eā. 289.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

Dominus Deus auxiliator meus: & ideo non ſum confuſus. Pſal. Miſerere. 33. Antiph. Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini vindicabor in eis. Pſalm. Confitemini. iv.78. Antiph. Iudica cauſam meam: defende me, quia potens es Domine. Pſal. Deus Deus. 39. Antiph. Cum Angelis, & pueris fideles inueniamur. Triumphatori mortis clamantes, Hoſanna in excelſis. Cantic. Benedicite. 98. Antiph. Confundantur qui perſequuntur, & non confundar ego, Domine Deus meus. Pſalm. Laudate. 97.

Ad Benedictus, Antiphona.

Tur-

Turba multa, quæ conuenerat ad diē feſtum, clamabat Domino: Benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis.

Ad Primam, Antiphona. Hoſanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini. Pſal. vt in Sep. 227.

Ad Tertiam, Antiphona. Pueri Hebræorum veſtimenta proſternebant in via, & clamabant, dicentes: Hoſanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini. ℟. Erue à framea. 290. Ad Sextam, Antiphona. Pueri Hebræorum tollentes ramos oliuarum, obuiauerunt Domino, clamantes: & dicentes: Hoſanna in excelſis. ℟. De ore leonis. 291.

Ad Nonam, Antiphona. Occurrunt turbæ cum floribus, & palmis Redemptori: & victori triumphanti digna dant obſequia: Filium Dei ore Gentes prædicant, & in laudem Chriſti voces tonant per nubila, Hoſanna. ℟. Principes. 291.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cœperunt omnes turbæ deſcendentium gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus, quas viderant, virtutibus, dicentes: Benedictus qui venit rex in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelſis.

FERIA SECVNDA.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 12.

ANte ſex dies Paſchæ venit Ieſus Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit Ieſus. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 50. in Ioan. poſt init.

NE putarent homines phantaſma eſſe factum, quia mortuus reſurrexit, Lazarus vnus erat ex recumbentibus: viuebat, loquebatur, epulabatur, veritas oſtendebatur, infidelitas Iudæorum confundebatur. Diſcumbebat ergo Dominus cum Lazaro, & ceteris: miniſtrabat Martha vna ex ſororibus Lazari.

Lectio ij.

MAria vero, altera ſoror Lazari, accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi, & vnxit pedes Ieſu, & extersit capillis ſuis pedes eius, & domus impleta eſt ex odore vnguenti. Factum audiuimus: requiramus myſterium. Quæcumque anima fidelis vis eſſe, cum Maria vnge pedes Domini pretioſo vnguento. Vnguentum illud iuſtitia fuit, ideo libra fuit. Erat autem vnguentum nardi piſtici pretioſi.

Lectio iij.

PIſtis Græce, fides Latine dicitur. Quærebas operari iuſtitiam: iuſtus ex fide viuit. Vnge pedes Ieſu bene viuendo: Dominica ſectare veſtigia. Capillis terge: ſi habes ſuperflua, da pauperibus, & Domini pedes terſiſti. Capilli enim ſuperflua corporis videntur: habes, quod agas de ſuperfluis tuis. Tibi ſuperflua ſunt, ſed Domini pedibus neceſſaria.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

FAciem meā non auerti ab increpātibus, & conſpuentibus in me.

Pſalm.

Pſalm. Miſerere. 33. Antiph. Framea ſuſcitare aduerſus eos, qui diſpergũt gregem meum. Pſalm. Verba. 2. Antiph. 110. Appenderũt mercedem meam triginta argenteis, quibus appretiatus ſum ab eis. Pſalm. Deus Deus. 39. Antiph. Inundauerunt aquæ ſuper caput meum: dixi, Perij: inuocabo nomen tuũ Domine Deus. Cant. Confitebor. 99. Añã. Labia inſurgentium, & cogitationes eorum vide Domine. Pſalm. Laudate. 97.

Ad Benedictus, Antiphona.

Non haberes in me poteſtatem, niſi deſuper datum tibi fuiſſet. Oratio.

DA quæſumus omnipotẽs Deus: vt qui in tot aduerſis ex noſtra infirmitate deficimus: intercedente vnigeniti Filij tui paſſione reſpiremus. Qui tecum viuit.

Ad Magnificat, Antiphona.

Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam.

Oratio.

ADiuua nos Deus ſalutaris noſter: & ad beneficia recolenda, quibus nos inſtaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per Dñm.

FERIA TERTIA.

De Ieremia Propheta.

Lectio j. C. 20.

SEduxiſti me Domine, & ſeductus ſum, fortior me fuiſti, & inualuiſti: factus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannant me. Quia iam olim loquor, vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito: & factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & in deriſum tota die. Et dixi: Non recordabor eius, neque loquar vltra in nomine illius: & factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſuſq. oſſibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinens. Hæc dicit.

Sermo S. Athanaſij Epiſcopi.

De Paſſione, & Cruce Domini, è veteri Verſione. Tom. 3. Lectio ij.

POſtquam ſeſe exuiſſet ad congreſſum Dominus, quo trophæũ aduerſus diabolum paratum, fieret omnibus conſpicuum: protinus induerunt eum, quemadmodum Ioannes dicit, purpura: vt vero Matthæus, & Marcus, chlamyde coccinea, coronamque de ſpinis ſuper caput illius, & arundinem in manum dabant: atque ita accedentes genua flectebant ei. Miraculum nouum, & incredibile: magnæque victoriæ reuera documentum. Tu autem. Lectio iij.

QVem enim, vt hominem condemnarant, hunc morientem deinceps, vt Deum adorabant, & quem pro nihilo duxerant ſeu vilem, hunc confitebantur regẽ: & à quo vulgaria veſtimenta abſtulerant, huic purpuram imponunt: & quem inſcientes contumelijs afficiebant, hunc, nolentes, prophetam appellabant, & quem illuſerant verberantes, huic victoriæ præmia tribuerunt, coccineam chlamydem, & ſpinis contextam coronam cum arundine. Quamquam enim per contumeliam iſta faciebant: tamen ignorabant, quòd etiam nolentes ſpoliaban-

bantur ab eo. Tu autem.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

Vide Domine, & conſidera, quoniam tribulor: velociter exaudi me. Pſal. Miſerere 33. Añã. Diſcerne cauſam meã Dñe: ab homine iniquo, & doloſo eripe me. Pſal. Iudica me Deus. 28. Añã. Dũ tribularer, clamaui ad Dominum de ventre inferi, & exaudiuit me. Pſal. Deus Deus. 39. Añã. Domine vim patior, reſponde pro me: quia neſcio quid dicam inimicis meis. Cantic. Ego dixi. 99. Añã. Dixerunt impij: Opprimamus virum iuſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris. Pſalm. Laudate. 97.

Ad Benedictus, Antiphona.

Nemo tollet animam meam, ſed ego pono eam, & iterum ſumo eam.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis ita Dominicæ paſſionis ſacramenta peragere: vt indulgentiam percipere mereamur. Per eundem Dominum noſtrum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quotidie apud vos eram in templo docens, & non me tenuiſtis: & ecce flagellatum ducitis ad crucifigendũ.

Oratio.

Tua nos miſericordia Deus; & ab omni ſubreptione vetuſtatis expurget: & capaces ſanctæ nouitatis efficiat. Per Dominum noſtrum.

FERIA QVARTA.

De Ieremia Propheta. Lect. j. C. 26.

Cvmque compleſſet Ieremias loquens omnia, quæ præceperat ei Dominus, vt loqueretur ad vniuerſum populum, apprehenderunt eum ſacerdotes, & prophetæ, & omnis populus, dicens: Morte moriatur. Quare prophetauit in nomine Domini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc: & vrbs iſta deſolabitur, eo quòd non ſit habitator? Et congregatus eſt omnis populus aduerſum Ieremiam in domo Domini. Et audierunt principes Iuda verba hæc, & aſcenderunt de domo regis in domum Domini, & ſederunt in introitu portæ domus Domini nouæ. Hæc dicit.

Sermo S. Athanaſij Epiſcopi.

De Paſſione, & Cruce Domini, è veteri Verſione. Tom. 3. Lectio ij.

Cvm omnia iam circa paſſionem Domini ſic eſſent facta: venit feſtinans ad locum vbi erat illi conſcendenda crux, vt chyrographum, quod erat aduerſus nos, ab hoſtibus abreptum affigeret cruci: ac ſpoliatos Principatus Poteſtateſque confidenter traduceret ligno, triumphum agens aduerſus illas, oſtendens ex ore leonis reuulſum hominem: mox proprio ſanguine rigans, purganſq. terram. Hoc autem facturus exuebat veſtimenta. Oportebat enim eum qui reduceret hominem in paradiſum: exuere tunicas, quas acceperat Adam, cum è paradiſo eijceretur. Poſtquam enim peccauerat, reſtabat, vt etiam moreretur. Acceperat autem tunicas pelliceas ex animantibus mortuis factas, ſignum mortificationis, quæ illi per peccatum acce-

acceſſerat. Lectio iij.

VErum Dominus, qui omnia noſtra propter nos in ſe recepit, induit hæc, vt exueret: proque his nos indueret vitam, & immortalitatem. Induit autem cum ijs etiam tunicam, quæ fuit deſuper contextilis per totum, quo vel hinc credere poſſint Iudæi, quis eſſet, & vnde eſſet, qui hæc induit: quòd Verbum erat non à terra, ſed è cælis veniens, quòdque non diuiſibile, ſed indiuiſibile Verbum eſt Patris, quòdque factus homo habuit corpus ex Virgine, ſola contextum Spiritus gratia. Vnde milites cetera quidē veſtimenta partiti ſunt. Poterant enim diuidi, & diuidunt in in partes quatuor, eo quòd pro peccatis mundi quadrifariam diuiſi, ad Exortum, Occaſum, Septentrionem, ac Meridiem geſtabat illa.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

LIbera me de ſanguinibus Deus Deus meus: & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam. Pſal. Miſerere. 33. Antiph. Contumelias, & terrores paſſus ſum ab eis, & Dominus mecum eſt tamquā bellator fortis. Pſal. Te decet. 40. Antiph. Ipſi vero in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ. Pſalm. Deus Deus. 39. Antiph. Omnes inimici mei audierunt malum meum: Domine lætati ſunt, quoniam tu feciſti. Cantic. Exultauit. 100. Antiphona. Alliga Domine in vinculis nationes Gentium, & reges earum in compedibus. Pſalm. Laudate. 97.

Ad Benedictus, Antiphona.

Simon dormis? non potuiſti vna hora vigilare mecum? Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt qui noſtris exceſſibus inceſſanter affligimur: per vnigeniti Filij tui paſſionem liberemur. Qui tecum. Ad Veſper. non dicatur Officiū B. Mariæ, nec Preces, nec fiāt Proſtrationes, nec aliqua Memoria.

Ad Magnificat, Antiphona.

Tanto tempore vobiſcum eram docens in templo, & non me tenuiſtis, & modo flagellatum ducitis ad crucifigendum. Oratio.

REſpice, quæſumus Domine, ſuper hanc familiam tuam, pro qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentū. Qui tecum. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias. Fidelium animæ per miſericordiam.

Complet. more ſolito abſque Proſtrationibus dicatur, & Benedictio poſt Complet. detur. In duobus vero diebus ſequentibus non detur Benedictio. Antiphona Salue Regina. hac die, & duobus ſequentibus non dicatur. Sed dicto Pater noſter. & Credo. Completorium terminetur.

FERIA QVINTA.

In Cœna Domini, & duabus ſequentibus ad Matut. non dicatur Domine labia. nec Deus in adiutorium. neque Inuitat. neque Hym. ſed dicto Pater noſter. & Credo. poſtquam verſis vultibus ad altare ſignaueri nt

ſe Fra-

Digitized by Google

ſe Fratres (quòd etiam fiat ad alias Horas) ſtatim incipiatur.

IN I. NOCTVRNO. Aña. ZElus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Pſalm. Saluum me fac. 34. Non dicatur Gloria Patri. in fine Pſalmorum, nec Canticorum. Antiph. Auertantur retrorſum, & erubeſcant, qui cogitant, mihi mala. Pſalm. Deus in adiutorium. 45. Antiph. Deus meus eripe me de manu peccatoris. Pſalm. In te Domine. ij. 45. ℣. Exurge Domine. ℟. Et iudica cauſam meam. Non pronuncietur, Et ne nos. ſed dicto Pater noſter ſecreto, & facto ſigno à Prælato, Lector incipiat legere. Et hoc etiam fiat ante quartam, & ſeptimam Lectionem, etiam in duobus diebus ſequentibus. Iube domne. & Tu autem. Non dicantur, ſed fini ta Lectione, ſiue Lamentatione, immediate inchoetur ℟. Iſte modus ad Matutinũ in duobus diebus ſequentibus obſeruetur.

Incipit Lamentatio Ieremiæ Prophetæ. Lectio j. Aleph. *Thre.* 1.

QVomodo ſedet ſola ciuitas plena populo: facta eſt quaſi vidua domina gentium: princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo? Beth. Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius: non eſt qui conſoletur eam ex omnibus caris eius. Omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici. Ghimel. Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem ſeruitutis: habitauit inter gentes, nec inuenit requiem. Omnes perſecutores eius apprehenderunt eam inter anguſtias. Ieruſalem, Ieruſalem, conuertere ad Dominum Deum tuum. & ita deinceps vſque ad Sabbatum ſanctũm incluſiue terminentur omnes Lectiones de Propheta Ieremia. ℟. In monte Oliueti orauit ad Patrem: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. Spiritus quidem promptus eſt: caro autem infirma, Fiat voluntas tua. ℣. Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Fiat voluntas tua.

Lectio ij. Daleth.

VIæ Sion lugent, eo quòd non ſint qui veniant ad ſolemnitatem: omnes portæ eius deſtructæ, ſacerdotes eius gementes, virgines eius ſqualidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine. He. Facti ſunt hoſtes eius in capite, inimici eius locupletati ſunt: quia Dominus locutus eſt ſuper eam propter multitudinem iniquitatum eius. Paruuli eius ducti ſunt in captiuitatem, ante faciem tribulantis. Vau. Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius: facti ſunt principes eius velut arietes non inuenientes paſcua, & abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis. Ieruſalem, Ieruſalem, conuertere ad Dominum Deum tuum. ℟. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: ſuſtinete, hic, & vigilate mecum: nunc videbitis turbam, quæ circumdabit me:

Vos fugam capietis, & ego vadam immolari pro vobis. ℣. Ecce appropinquat hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Vos fugam capietis.

Lectio iij. Zain.

Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ, & præuaricationis, omnium deſiderabiliũ ſuorũ, quæ habuerat à diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hoſtili, & non eſſet auxiliator. Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbata eius. Heth. Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Omnes qui glorificabant eam, ſpreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius. Ipſa autem gemens conuerſa eſt retrorſum. Teth. Sordes eius in pellibus eius, nec recordata eſt finis ſui. Depoſita eſt vehementer, non habens conſolatorem. Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus. Ieruſalem, Ieruſalem, conuertere ad Dominum Deum tuum. ℟. Ecce vidimus eum non habentem ſpeciem, neque decorem: aſpectus eius in eo non eſt: hic peccata noſtra portauit, & pro nobis dolet: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: Cuius liuore ſanati ſumus. ℣. Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Cuius. ℟. Ecce vidimus eum.

IN II. NOCTVRNO.

Antiph. Liberauit Dominus pauperem à potente: & inopem, cui non erat adiutor. Pſalm. Deus iudicium 46. Antiph. Cogitauerunt impij, & locuti ſunt nequitiam: iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Pſalm. Quàm bonus. 47. Antiph. Exurge Domine, & iudica cauſam meam. Pſalm. Vt quid Deus. 48. ℣. Deus meus eripe me de manu peccatoris. ℟. Et de manu contra legem agentis, & iniqui.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

Serm. 7. de Paſſione.

Lectio iv.

Incipientes, dilectiſſimi, de paſſione Domini tractare, diuino intelligimus diſpoſitum fuiſſe conſilio, vt Iudæorum principes, & ſacerdotes, non niſi in ſolemnitate Paſchali exercendi furoris ſui acciperent poteſtatem: vt implerentur quæ diu figurato fuerant promiſſa myſterio, & vno expleretur ſacrificio variarum differentia victimarum. Vt ergo vmbræ cederent corpori, antiqua obſeruantia nouo excluditur ſacramento. Hoſtia in hoſtiam tranſit, ſanguine ſanguis aufertur: & legalis feſtiuitas, dum mutatur, impletur. Incipiente enim feſtiuitate Paſchali, qui ornare templum, vaſa mundare, victimas prouidere debuerant, in vnum facinus coniurant, vt & noua myſteria non apprehenderent, & antiqua violarent. ℟. Amicus meus oſculi me tradidit ſigno. Quem oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum. Hoc malum fecit ſignum, qui per oſculum adimpleuit homicidium. Infelix prætermiſit pretium ſanguinis, & in

fine

ſine laqueo ſe ſuſpendit. ℣. Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de illo: væ autem homini illi per quem tradetur. Infelix.

Lectio v.

PRouidentibus ergo ne in die ſancto tumultus oriretur: non feſtiuitati, ſed facinori ſtudebatur. Metuebantque, non vt populus non peccaret, ſed ne Chriſtus euaderet. At Ieſus conſilij ſui certus, nouum teſtamentum conſummabat, & nouum Paſcha condebat: & cum in Caiphæ atrio tractaretur, quomodo Chriſtus deberet occidi, ille corporis, & ſanguinis ſui ordinans ſacramentum, docebat qualis Deo hoſtia deberet offerri, nec traditore ſubmoto: vt oſtenderetur nulla iniuria exaſperatus. Dicens quoque, Vnus veſtrum me traditurus eſt, non aſpera, nec aperta impium increpatione confudit: vt facilius corrigeret pœnitudo, quem nulla deformaſſet abiectio. ℟. Vnus ex vobis tradet me hodie: væ illi per quem tradar ego. Melius illi erat, ſi natus non fuiſſet. ℣. Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me traditurus eſt in manus peccatorum. Melius illi.

Lectio vj.

CVr infelix Iuda, tanta benignitate non vteris? Ecce Chriſtus nulli te niſi tibi indicat, nec nomen tuum nec perſona detegitur: non Apoſtolici ordinis honor, nec ſacramentorum tibi communio denegatur. Reſpice, clementia inuitat, ſalus pulſat, ad vitam te vita reuocat. (*Chryſoſt. Hom. de proditione Iudæ. Tom.3.*) Tunc abijt, inquit, vnus de duodecim. Ante proditionis tempus meretrix vnguentum ſupra Domini caput effudit. Grandem fidem, multam reuerentiam, mirandam correctionem oſtendit. Et quando proſtituta lupanar exiuit, tunc diſcipulus gehennam intrauit. Quando illa mercedem ſui corporis abdicabat, tunc iſte pretium magiſtri ſanguinis poſtulabat. Quando illa oſculabatur pedes, vt ſuſciperetur, tunc ille Domini oſculabatur labia, vt proderet. ℟. Eram quaſi agnus innocens: ductus ſum ad immolandum, & neſciebam: conſilium fecerunt inimici mei aduerſum me, dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. ℣. Omnes inimici mei aduerſum me cogitabant mala mihi: verbum iniquum mandauerunt aduerſum me, dicentes. Venite. ℟. Eram quaſi agnus innocens: ductus ſum &c.

IN III. NOCTVRNO.

Antiph. Dixi iniquis, Nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem. Pſalm. Confitebimur tibi Deus. 48. Antiph. Terra tremuit, & quieuit, dum reſurgeret in iudicium Deus. Pſal. Notus in Iudæa. 49. Antiph. In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis. Pſalm. Voce mea. 49. ℣. Homo pacis meæ in quo ſperaui. ℟. Ampliauit aduerſum me ſupplantationem.

Lectio vij.

ABijt, inquit. Non inuitatus à principibus, ſponte proceſſit. Vnus de duodecim. Septuaginta diſcipulis non tam interiora commiſſa ſunt. Hæc erat caterua regalis: de hoc choro Iudas egreſſus eſt. Iudas, inquit, Iſcariotes. Quid mihi eius patriam dicis? Vtinam ipſum quoque neſcire licuiſſet. Et dixit eis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? O puniendæ vocis temeritatem; Ideo magiſter te diuitias debere contemnere prædicabat? O crudelitatem; Dic quæ cauſa proditionis: forſitan quòd tibi dæmonum tradidit poteſtatem, quòd fecit languentibus ſubuenire, quòd mortuos ſuſcitare didiciſti? O verbum totius ſuperbiæ? Tradis eum, qui cuncta conſeruat, qui dæmonibus imperat: cui obtemperant maria: cui omnes ſubiacent poteſtates. ℟. Vna hora non potuiſtis vigilare mecum, qui exhortabamini mori pro me? Vel Iudam non videtis, quomodo non dormit, ſed feſtinat tradere me Iudæis? ℣. Dormite iam, & requieſcite: ecce appropinquabit, qui me tradet. Vel.

Lectio viij.

QVando Iudas de traditione tractabat, dicunt diſcipuli: Vbi vis paremus tibi Paſcha manducare? Vide diſcipulos, vide diſcipulum. Iſti ſunt de præparatione ſolliciti, ille Dominici ſanguinis mercator exiſtit. Et illud quidem Paſcha Iudæorum diſcipuli præparabant: iſtud autem quod noſtrum eſt, ipſe Chriſtus conſtituit. Et dixit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur. O Chriſti miſericordia! O Iudæ dementia! Ille eum paciſcebatur, vt venderet, Chriſtus ei ſanguinem quem vendidit offerebat, vt haberet remiſſionem peccatorum, ſi tamẽ impius exiſtere noluiſſet. Nam ſacrificij communicationem meruit: & pedes eius lauit Chriſtus, vt excuſationem ſuæ malitiæ non haberet. ℟. Seniores populi conſilium fecerunt, Vt Ieſum dolo tenerent, & occiderent: cum gladijs, & fuſtibus exierunt tamquam ad latronem. ℣. Collegerunt ergo Pontifices, & Phariſæi concilium. Vt Ieſum.

Lectio ix.

SEd iam ad terribilem menſam cum debita reuerentia, cum congrua vigilantia opportunum tempus inuitat. Nullus ibi Iudas reperiatur, nullus malignus accedat: nec inſidiæ mente condantur. Nullus falſus accedat, nullus fucato animo. Pura igitur ſit mens, pura cogitatio: quia & ſacrificium purum eſt. Dominus quidem noſter corpus aſſumptum ablaturus ex oculis noſtris, & ſideribus illaturus, in hac die ſacramentum corporis, & ſanguinis ſui conſecrauit: vt perennis illa victima viueret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia. Cum igitur ad reuerendum altare aſcendis, ſacrum Dei tui corpus, & ſanguinem

fide

fide reſpice: honore mirare, mente continge, cordis manu ſuſcipe, & hauſtu interiori aſſume. ℟. Reuelabunt cæli iniquitatem Iudæ, & terra aduerſus eum conſurget: & manifeſtum erit peccatum illius in die furoris Domini, Cum eis, qui dixerunt Domino Deo: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. ℣. In diem perditionis ſeruabitur: & ad diem vltionis ducetur. Cum eis qui. ℟. Reuelabunt cæli iniquitatem.

Finito ix. ℟. non dicatur ℣. ante Laudes, ſed ſtatim inchoetur.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

IVſtificeris Domine in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Pſal. Miſerere. 33. Antiph. Dominus tamquam ouis ad victimam ductus eſt: & non aperuit os ſuum. Pſalm. Domine refugium. 60. Antiph. Contritum eſt cor meum in medio mei, contremuerunt omnia oſſa mea. Pſalm. Deus Deus. 39. Antiph. Exhortatus es in virtute tua: & in refectione ſancta tua Domine. Canticum. Cantemus. 101. Antiph. Oblatus eſt, quia ipſe voluit: & peccata noſtra ipſe portauit. Pſal. Laudate. 97. Capitulum non dicatur, nec Hymnus, nec ℣. ſed finita quinta Antiphona inchoetur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Traditor autem dedit eis ſignum, dicens: Quem oſculatus fuero ipſe eſt, tenete eum.

Finita Antiphona poſt Benedictus, duo Fratres ſtantes ante gradus Altaris incipiant, vt in Ordinar. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Domine miſerere. Chriſtus Dominus factus eſt obediens vſque ad mortem. ℣. Qui paſſurus aduenisti propter nos. Chriſte eleiſon. ℣. Qui expanſis in Cruce manibus, traxiſti omnia ad te ſæcula. Chriſte eleiſon. ℣. Qui prophetice prompſiſti: Ero mors tua ò mors. Chriſte eleiſon. Domine miſerere. Chriſtus Dominus factus eſt obediens vſque ad mortem. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Domine miſerere. Chriſtus Dominus factus eſt obediens vſque ad mortem, Mortem autem Crucis.

Et Conuent. in Choro proſtratus ſuper Formas, quod etiam fiet in duobus diebus ſequent. dicat. Pater noſter. Pſalm. Miſerere. Oratio. Reſpice. ſine Dominus vobiſcũ. & ſine Oremus. & ſine Qui tecum. & non dicatur Amen. nec Benedicamus Domino, neque Fidelium. ſed ſolum poſt Orationem dicatur Pater noſter. & ſic Matutin. terminantur. vſque ad Complet. Sabbati excluſiue. Non dicatur, Deus in adiutorium. in principio Horarum, nec Conuerte nos. ad Completorium nec Gloria. in fine Pſalmorum, nec Canticorum, nec Capitulum, nec Hymnus, nec ℣. nec Dominus vobiſcum. nec Oremus. nec Qui tecum. nec Benedicamus. nec Fidelium. Poſt Horas, more ſolito dicatur. Pater noſter. Ad Primam, dicto Pater noſter. & Credo

inchoetur Antiphona. Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem: mortem autē Crucis. Pſal. Deus in nomine. 53. Pſalm. Beati immaculati. 80. Pſalm. Retribue. Dicta poſt Pſalm. Antiph. abſque Kyrie eleiſon. & Precibus. & ſine Pſalm. dicatur Oratio. Reſpice. Confiteor. non dicatur vſque ad Complet. Sabbati excluſiue. Pretioſa. more ſolito dicatur ſine Gloria. Tertia, Sexta, & Nona, dicantur ſupradicto modo cum Antiph. Chriſtus factus. & Oratione Reſpice. Finita Nona dicuntur in Choro Pſalmi Pœnitentiales, vt Feria iv. Cinerum notatur. 34.

AD VESPERAS.

Si Miſſa præceſſit, immediate finita Communione, incipiatur Antiph. Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Pſalm. Credidi. 77. Aña. Cum his qui oderunt pacem: eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis. Pſalm. Ad Dominum. 86. Antiph. Ab hominibus iniquis libera me Domine. Pſalm. Eripe me. 93. Antiph. Cuſtodi me à laqueo, quem ſtatuerunt mihi: & à ſcandalis operantium iniquitatem. Pſalm. Domine clamaui. 93. Aña. Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognoſceret me. Pſal. Voce mea. 94. Finita Antiphona, inchoetur.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis. Finita poſt Canticum Antiphona. ſequitur Dominus vobiſcum. & Poſtcommunio.

Refecti vitalibus alimentis quæſumus Domine Deus noſter: vt quod tempore noſtræ mortalitatis exequimur, immortalitatis tuæ munere conſequamur. Per Dominum. Si Miſſa præceſſerit. Deinde. Ite Miſſa eſt. Qui vero Miſſæ non interfuerint, dicant Orationem Reſpice. eo modo quo ad alias Horas. Ad Complet. non dicatur Iube domne. nec Lectio, Fratres ſobrij. ſed dicto Pater noſter. inchoetur Antiphona. Chriſtus factus. Pſalm. Cum inuocarem. 2. In te Domine. 18. Qui habitat. 60. Ecce nunc. 90. Cantic. Nunc dimittis. 108. Poſtea dicatur Antiphona. Chriſtus factus. Poſt Antiphonam. Oratio. Reſpice.

FERIA SEXTA.

In Paraſceue.

Ad Matutinū. Fratres proſtrati ſuper Formas, dicto Pater noſter, & Credo, ſurgant, & poſtquam ſignauerint ſe, incipiatur.

I N I. N O C T V R. Antiph.

Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnū, aduerſus Dñm, & aduerſus Chriſtum eius. Pſal. Quare fremuerunt. 1. Aña. Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea: & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Pſal. Deus Deus meus reſpice. 14. Aña. Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Pſalm. Dominus illuminatio mea. 17. ℣. Diuiſerunt

ſerunt ſibi veſtimenta mea. ℟. Et ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

De Lamentatione Ieremiæ Prophetæ. Lectio j. *Thren.* 2.

Aleph.

QVomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiã Sion: Proiecit de cælo in terram inclytam Iſrael, & non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum, in die furoris ſui. Beth. Præcipitauit Dominus, nec pepercit, omnia ſpecioſa Iacob: deſtruxit in furore ſuo munitiones virginis Iuda, & deiecit in terram, polluit regnum, & principes eius. Ghimel. Cõfregit in ira furoris ſui omne cornu Iſrael: auertit retrorſum dexteram ſuam à facie inimici: & ſuccendit in Iacob quaſi ignem flammæ deuorantis in gyro. Ieruſalem, Ieruſalem, conuertere ad Dominum Deũ tuum. ℟. Omnes amici mei dereliquerunt me, & præualuerunt inſidiantes mihi: tradidit me quem diligebã: & terribilibus oculis plaga crudeli percutientes, Aceto potabant me. ℣. Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea. Aceto potabant me.

Lectio ij. Daleth.

TEtendit arcum ſuum quaſi inimicus, firmauit dexteram ſuam quaſi hoſtis, & occidit omne quod pulchrum erat viſu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quaſi ignem indignationem ſuã. Hæ. Factus eſt Dominus velut inimicus: præcipitauit Iſrael, præcipitauit omnia mœnia eius: diſſipauit munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatum, & humiliatam. Vau. Et diſſipauit quaſi hortum tentorium ſuum, demolitus eſt tabernaculum ſuum: obliuioni tradidit Dominus in Sion feſtiuitatem, & ſabbatum: & in opprobrium, & in indignationem furoris ſui regem, & ſacerdotem. Ieruſalem, Ieruſalem, conuertere ad Dominum Deum tuum. ℟. Velum templi ſciſſum eſt, & omnis terra tremuit: latro de cruce clamabat, dicens: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. ℣. Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo. Memento.

Lectio iij. Zain.

REpulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ: tradidit in manu inimici muros turrium eius: vocem dederunt in domo Domini, ſicut in die ſolemni. Heth. Cogitauit Dominus diſſipare murũ filiæ Sion: tetendit funiculum ſuum, & non auertit manum ſuam à perditione. Luxitque antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt. Teth. Defixæ ſunt in terra portæ eius: perdidit, & contriuit vectes eius, regem eius, & principes eius in Gentibus. Non eſt lex, & prophetæ eius non inuenerunt viſionem à Domino. Ieruſalem, Ieruſalem, conuertere ad Dominum Deum tuum. ℟. Vinea mea electa, ego te plantaui: Quomodo conuerſa es in amaritudinem, vt me crucifigeres, & Barabbam dimitteres? ℣. Ego quidem plantaui te vineam meam electam, omne ſemen verum.

Quomodo. ℟. Vinea mea.

IN II. NOCTVRNO. Aña. Vim faciebant, qui quærebant animam meam. Pſalm. Domine in furore. ij. 25. Antiph. Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam, vt auferant eam. Pſalm. Expectans. 26. Antiph. Alieni inſurrexerunt in me, & fortes quæſierunt animam meam. Pſalm. Deus in nomine. 35. ℣. Ab inſurgentibus in me. ℟. Libera me Domine.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

Serm. de Paſſ. Decurſis. Lectio iv.

CVm verbis orationis ſuæ Dominus declaraſſet, veriſſime ſibi humanam, & diuinam ineſſe naturam: depulſa trepidatione infirmitatis, ſæuienti diabolo per miniſteria Iudæorum formam ſerui obiecit: vt per eum ageretur omnium cauſa, in quo erat omnium natura ſine culpa. Irruerunt ergo in lumen filij tenebrarum: & vtentes faculis, & laternis, non euaſerunt infidelitatis ſuæ noctem. Occupant volentem teneri, & trahunt volentem trahi. Quòd ſi vellet obniti, nihil impiæ manus poſſent: ſed mundi redemptio differretur, & nullum ſaluaret illæſus, qui pro omnium erat ſalute moriturus. Igitur ad Annam Caiphæ ſocerum, deinde ad Caipham perducitur: & poſt inſanas calumniantium voces, ad audientiã Pilati transfertur. ℟. Tamquam ad latronem exiſtis cum gladijs comprehendere me: quotidie apud vos eram in templo docens, & non me tenuiſtis, & ecce flagellatum ducitis, Ad crucifigendum. ℣. Filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de illo: væ autem homini illi per quẽ tradetur. Ad crucifigendum.

Lectio v.

QVi diuino iure neglecto, tamquam Romanis deuoti legibus expetierunt executorem, magis ſæuitiæ, quàm arbitrum cauſæ. Offerebant enim Ieſum duris nexibus vinctum, colaphis, & alapis frequentibus cæſum, ſputis oblitum, clamoribus prædamnatum: vt inter tot præiudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus abſoluere. Denique nec in accuſato reo reperiſſe ſe culpam, nec in ſententia ſua tenuiſſe conſtantiam docet iudex: cum innocentem pronunciat. (*Serm.* 10. *de. Paſſ.* (Sed cum vellet eum abſolui, conclamauerunt: Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. Omnis enim qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. Imprudenter Pilate timuiſti. Sed formidabile fuerit nomen regium, ſi dominandi conſilium tyrannicus tibi prodidit apparatus: ſi prouiſio armorum, ſi congregatiõ diuitiarum, ſi præſidia de tecta ſunt militum. ℟. Tenebræ factæ ſunt dum crucifixiſſent Ieſum Iudæi: & circa horam nonam exclamauit Ieſus voce magna: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti? Et inclinato capite emiſit ſpiritum. ℣. Cum ergo accepiſſet acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et.

Digitized by Google

Lectio vj.

QVid eum grauari finis, ò Pilate, de affectata potentia, cuius ſpecialis fuit de humilitate doctrina? Romanis legibus non contradixit, cenſum ſubijt, didrachma ſoluit, vectigalia non inhibuit, quæ ſunt Cæſaris Cæſari reddenda conſtituit, paupertatem elegit, obedientiam ſuaſit, manſuetudinem prædicauit. Hoc eſt vere non impugnare Cæſarem, ſed iuuare. Diſcute diligentius Præſes, quid de poteſtate eius compertum ſit. Cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, mutis donauit eloquium. Febres abegit, dolores reſoluit: dæmonia eiecit, mortuos viuificauit. Hanc ergo Iudæi obijciant poteſtatem: & hoc proferant ore, quod tenent corde. Quare de terrenis calumniantur, qui cæleſtia perſequuntur? ℟. Barabbas latro dimittitur, & innocens Chriſtus occiditur; nam & Iudas armis doctus ſceleris, qui per pacem didicit facere bellum, Oſculando tradidit Dominum Ieſum Chriſtum. ℣. Ecce turba, & qui vocabatur Iudas venit: & dum appropinquaret ad Ieſum. Oſculando tradidit. ℟. Barabbas.

IN III. NOCTVRNO. Aña. Ab inſurgentibus in me libera me Domine, quia occupauerũt animam meam. Pſalm. Eripe me de inimicis. 37. Antiphona. Longe feciſti notos meos à me: traditus ſum, & non egrediebar. Pſalm. Domine Deus ſalutis. 57. Antiph. Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt. Pſalm. Deus vltionum. 62. ℣. Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa. ℟. Et ſermonibus odij circumdederunt me.

Lectio viij.

EXceſſit quidem Pilati culpam facinus Iudæorum, qui illum nomine Cæſaris territum, ad effectum ſui ſceleris impulerunt. Sed nec ipſe euaſit reatum, qui reliquit iudicium proprium, & in crimen tranſiuit alienum. Quòd ergo Pilatus Ieſum dehoneſtari ludibrijs, vexari permiſit iniurijs, quòdque cum flagellis cæſum, ſpinis coronatum, & amictu irriſoriæ veſtis indutum oſtentauit, mitigandos inimicorum animos exiſtimauit: vt exſaturatis odijs, non vltra iam crederent perſequendum, quem tot modis intuebantur afflictũ. Sed cum inardeſceret ira clamantium, obtinuerunt in damnationem ſuam, quod pertinaciter exigebant. Traditus itaque Dominus ſæuientiũ voluntati, ad irriſionem regiæ dignitatis, ſupplicij ſui iuſſus eſt eſſe geſtator, vt impleretur illud: Cuius imperium ſuper humerum eius: quia pulchra ſpecie triumphi ſui portabat trophæum: & ſignum ſalutare adorandum regnis omnibus inferebat. ℟. Tradiderunt me in manus impiorum, & inter iniquos proiecerunt me, & non pepercerunt animæ meæ: congregati ſunt aduerſum me fortes, Et ſicut gigantes ſteterunt cõtra me. ℣. Aſtiterũt reges terræ: & principes conue-

conuenerunt in vnum. Et ſicut.

Lectio viij.

Euntibus autem cum Ieſu turbis, Simon quidam Cyrenæus inuẽtus eſt, in quem lignum ſupplicij transfertur à Domino, vt tali facto præſignaretur Gentium fides, quibus Crux Chriſti, non confuſio erat futura, ſed gloria. Non autem in templo, nec intra ſepta ciuitatis, ſed extra caſtra crucifixus eſt, vt veterum victimarum ceſſante myſterio, noua hoſtia nouo imponeretur altari: & Crux Chriſti non templi eſſet ara, ſed mundi. Exaltato igitur, dilectiſſimi, per Crucem Chriſto, non illa tantum ſpecies aſpectui mentis occurrat, quæ fuit in oculis impiorum, quibus per Moyſen dictum eſt: Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ: ſed intellectus noſter gloriam Crucis cælo terraque radiantem puro corde ſuſpiciat, & videat quod Dominus dixit: Nunc iudiciũ mundi eſt, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. O admirabilis potentia Crucis, ò ineffabilis gloria paſſionis, in qua & tribunal Domini, & iudiciũ mundi, & poteſtas eſt Crucifixi. ℟. Ieſũ tradidit impius ſummis principibus ſacerdotum, & ſenioribus populi: Petrus autem ſequebatur à longe, vt videret finem. ℣. Et ingreſſus eſt Petrus atrium principis ſacerdotum. Vt videret finem.

Lectio ix.

Traxiſti enim Domine omnia ad te: cum confitendæ maieſtatis tuæ ſenſum totus mundus accepit. Traxiſti Domine omnia ad te, cum in execrationem Iudaici ſceleris vnã protulerunt omnia elementa ſententiam, cum obſcuratis luminaribus cæli, terra quoque motibus quateretur inſolitis, vniuerſaq. creatura impiorum ſe vſui denegaret. Traxiſti Domine omnia ad te, quoniam ſciſſo tẽpli velo, ſancta ſanctorũ ab indignis pontificibus receſſerunt, vt figura in veritatem, prophetia in manifeſtationem, & lex in Euangelium verteretur. Traxiſti Domine omnia ad te: vt quod in vno Iudææ templo, obumbratis ſignificationibus tegebatur, aperto ſacramento, vniuerſarum nationum deuotio celebraret. Nunc enim, & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior ſeniorum, & ſacratior eſt vnctio Sacerdotũ: quia Crux tua omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum: per quã credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. ℟. Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt: & dum male tractaretur, non aperuit os ſuum: traditus eſt ad mortem, Vt viuificaret populum ſuum. ℣. Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Vt. ℟. Sicut.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

Proprio filio ſuo nõ pepercit Deus ſed pro nobis omnibus tradidit

Digitized by Google

dit illũ. Pſalm. Miſerere. 33. Antiphona. Anxiatus eſt in me ſpiritus meus: in me turbatum eſt cor meum. Pſalm. Domine exaudi orationem. ij. 94. Antiph. Ait latro ad latronem: Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuũ. Pſal. Deus Deus. 39. Antiph. Dum conturbata fuerit anima mea, Domine miſericordiæ memor eris. Cantic. Domine audiui. 102. Antiph. Memento mei Domine, dum veneris in regnũ tuuũ. Pſal. Laudate Dñm. 97.

Ad Benedictus, Antiphona.

Poſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Finita Antiphona ſequitur Kyrie eleiſon, &c. ſicut in præcedenti nocte, cum his Verſibus. ℣. Agno miti baſia cui lupus dedit venenoſa. ℣. Vita in ligno moritur: infernus, & mors lugens ſpoliatur. ℣. Te, qui vinciri voluiſti, noſq. à mortis vinculis eripuiſti. Ad Primam Fratres proſtrati ſuper formas, dicto Pater noſter, & Credo ſurgant poſtquam ſignauerint ſe, incipiatur. Aña. Chriſtus factus. Pſalm. Deus in nomine. 35. Pſalm. Beati immaculati. 80. Pſalm. Retribue. Finita poſt Pſalm. Antiph. iterum proſtrati dicant. Pater noſter. & Pſalm. Miſerere. Quo dicto ſtatim ſubſequatur Oratio. Reſpice. ſupradicto modo. Hic modus ſeruetur ad Tertiam, Sextam, Nonam, Veſp. & Complet. hac die, & in Sabbato ſequen. vſque ad Veſp. excluſiue. Ad Veſper. Antij h. Calicem. Pſalm. Credidi. Ceteræ Añ. cum ſuis Pſ. ſicut in die Cœnæ. 310.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cum accepiſſet acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum. Finita poſt Canticum Antiphona, dicatur Pater noſter. & Pſalm. Miſerere. poſt. Pſalm. dicatur Oratio. Reſpice. & ſic Veſperæ finiantur. Ad Complet. Antiphona, & Pſalm. & Cantic. ſicut in die Cœnæ: poſt Antiph. dicatur Pater noſter. & Pſalm. Miſerere. & Oratio. Reſpice.

IN SABBATO SANCTO.

Ante Matutin. fiat ſicut in vj. Feria dictum eſt: & poſtmodum incipiatur.

IN I. NOCTVRNO. Aña.

IN pace in idipſum, dormiã, & requieſcam. Pſalm. Cum inuocarem. 2. Aña. Habitabit in tabernaculo tuo, requieſcet in monte ſancto tuo. Pſalm. Domine, quis habitabit. 7. Aña. Caro mea requieſcet in ſpe. Pſalm. Conſerua me. 8. ℣. In pace in idipſum. ℟. Dormiã, & requieſcã.

De Lamentatione Ieremiæ Prophetæ. Lectio j.

Aleph. *Thre. 4.*

QVomodo obſcuratum eſt aurũ, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum? Beth. Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea opus manuũ figuli? Ghimel. Sed, & lamiæ nudauerunt mammam,

mam, lactauerunt catulos ſuos: filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto. Daleth. Adhæſit lingua lactentis ad palatum eius in ſiti: paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Ieruſalem, Ieruſalem, conuertere ad Dominum Deum tuũ. ℟. Sepulto Domino, ſignatum eſt monumentum, voluentes lapidem ad oſtium monumenti, Ponentes milites, qui cuſtodirent illud. ℣. Ne forte veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis. Ponentes. Lectio ij. He.

QVi veſcebantur voluptuoſe, interierunt in vijs: qui nutriebãtur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Vau. Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum: quæ ſubuerſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus. Zain. Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores. Heth. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis: adhæſit cutis eorum oſſibus: aruit, & facta eſt quaſi lignum. Ieruſalem, Ieruſalem, conuertere ad Dominum Deum tuum. ℟. Ieruſalem luge, & exue te veſtibus iucunditatis: induere cinere, & cilicio, Quia in te eſt occiſus Saluator Iſrael. ℣. Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem, & noctem, & non taceat pupilla oculi tui. Quia. Lectio iij. Teth.

MElius fuit occiſis gladio, quàm interfectis fame: quoniam iſti extabuerunt conſumpti à ſterilitate terræ. Iod. Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos: facti ſunt cibus earum in contritione filiæ populi mei. Caph. Compleuit Dominus furorem ſuum, effudit iram indignationis ſuæ: & ſuccendit ignẽ in Sion, & deuorauit fundamenta eius. Lamed. Non crediderunt reges terræ, & vniuerſi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hoſtis, & inimicus per portas Ieruſalem. Ieruſalem, Ieruſalem, conuertere ad Dominum Deum tuum. ℟. Plange quaſi virgo plebs mea: vlutate paſtores, in cinere, & cilicio: Quia veniet dies Domini magna, & amara valde. ℣. Vlulate paſtores, & clamate, aſpergite vos cinere. Quia veniet. ℟. Plãge

IN II. NOCTVRNO.

Antiph. Eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Pſalm. Domini eſt terra. 15. Aña. Credo videre bona Domini, in terra viuentium. Pſalm. Dominus illu. 16. Aña. Domine abſtraxiſti ab inferis animam meam. Pſalm. Exaltabo te Domine. 18. ℣. Tu autem Domine miſerere mei. ℟. Et reſuſcita me, & retribuam eis.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 137. in Temp. Lectio iiij.

DEus vltionum Dominus: Deus vltionum libere egit. Libere egit, de quo multo ante fuerat prophetatum: quia factus eſt, vt homo ſine adiutorio, inter mortuos liber. Vultis tamen ſcire quid egerit? Audite

dite quid fecerit. Nulla neceſſitate, ſed propria voluntate, in ligno ſe ſuſpendi permiſit: clauis corpus ſuum perforari non renuit, animam ponendo mortem ſuſtinuit, & carnem in ſepulchro repoſuit: & comitante ſecum anima ad inferna deſcendit: tenebrarum, & mortis principem colligauit: legiones illius perturbauit: portam inferni, vectes ferreos confregit: & omnes iuſtos, qui originali peccato aſtricti tenebantur, abſoluit. Captiuos in libertatem reuocauit priſtinam: peccatorum tenebris excæcatos ſplendida luce perfudit. ℟. Receſſit paſtor noſter, fons aquæ viuæ, ad cuius tranſitum ſol obſcuratus eſt: nam & ille captus eſt, qui captiuum tenebat primum hominem. Hodie portas mortis, & ſeras pariter Saluator noſter diſrupit. ℣. Deſtruxit quidem clauſtra inferni, & ſubuertit potentias diaboli. Hodie portas.

Lectio v.

CVm autem tenebrarum terminum, quaſi quidam deprædator ſplendidus, ac terribilis attigiſſet, aſpicientes eum impiæ ac tartareæ legiones, territæ ac trementes, inquirere cœperunt, dicentes: Quis eſt iſte tam fortis, tam ſplendidus, tam præclarus, tam terribilis? Mundus ille qui nobis ſubditus fuit, ſemperque noſtris vſibus mortis tributa perſoluit, numquam talem mortuum miſit, numquam talia inferis munera deſtinauit. Quis ergo iſte eſt qui ſic intrepidus fines noſtros ingreditur? Non ſolum noſtra ſupplicia non veretur, inſuper, & alios de vinculis noſtris abſoluit. An forte ipſe eſt ille, de quo princeps noſter paulo ante dicebat, quòd per eius mortem, mundi totius acciperet poteſtatem? Sed ſi iſte eſt, in contrarium noſtri præliatoris verſa eſt ſententia. ℟. O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte Si eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus. ℣. Attendite vniuerſi populi, & videte dolorem meum. Si eſt.

Lectio vj.

POſt iſtas autem crudelium, & infernalium voces ſine aliqua mora ad imperium Domini ac Saluatoris omnes ferrei confracti ſunt vectes & ecce ſubito innumerabiles Sanctorum populi, qui tenebantur in morte captiui, Saluatoris ſui genibus aduoluti, lacrymabili eum obſecratione depoſcunt, dicentes: Adueniſti Redemptor mundi. Adueniſti, quem deſiderantes quotidie ſperabamus. Adueniſti, quem nobis venturum Lex nunciauerat, & Prophetæ. Adueniſti, donans in carne viuis indulgentiam peccatoribus mundi: ſolue defunctos captiuos inferni. Deſcendiſti pro nobis ad inferos: noli nobis deeſſe, cum fueris reuerſus ad ſuperos. Poſuiſti titulum gloriæ in cælo, pone ſignum victoriæ in terra. ℟. Caligauerunt oculi mei à fletu meo, quia elongatus eſt à me qui conſolabatur me: videte omnes populi. Si eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus. ℣. O vos omnes

Digitized by Google

qui tranſitis per viam, attendite, & videte. Si eſt dolor ſimilis. ℟. Caligauerunt.

IN III. NOCTVRNO.

Antiph. Deus adiuuet me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. Pſalm. Deus in nomine. 35. Antiph. In pace factus eſt locus eius: & in Sion habitatio eius. Pſalm. Notus. 49. Antiph. Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber. Pſal. Domine Deus ſalutis. 57. ℣. In pace factus eſt locus eius. ℟. Et in Sion habitatio eius. Iſta Homilia legatur ſine titulo, ſcilicet vt non dicatur. ſecundum Matthæum, nec Homilia ſancti Hieronymi.

Lectio vij. *Mat.* 28.

VEſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulchrum.

QVòd diuerſa tempora iſtarum mulierum in Euangelijs deſcribuntur, non mendacij ſignũ eſt, vt impij obijciunt, ſed ſedulæ viſitationis officium: dum crebro abeũt ac recurrunt: & non patiuntur ſepulchro Domini diu abeſſe, vel longius. Et ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo: Dominus noſter vnus atque idem Filius Dei, & hominis, iuxta vtramque naturam diuinitatis, & carnis, nunc magnitudinis ſuæ, nunc humilitatis ſigna demonſtrat. Vnde & in præſenti loco, quamquam homo ſit qui crucifixus eſt, qui ſepultus eſt, qui clauſus tumulo, quem lapis oppoſitus cohibet: tamen, quæ foris aguntur, oſtendunt Filium Dei: ſol fugiens tenebræ ingruentes, terra commota, velum ſciſſum, ſaxa diruta, mortui ſuſcitati, Angelorum miniſteria quæ ab initio natiuitatis eius Deum probabant. ℟. Ecce quomodo moritur iuſtus, & nemo percipit corde: & viri iuſti tolluntur, & nemo conſiderat, à facie iniquitatis ſublatus eſt iuſtus, Et erit in pace memoria eius. ℣. In pace factus eſt locus eius, & in Sion habitatio eius. Et.

Lectio viij.

AD Mariam Gabriel venit: cum Ioſeph Angelus loquitur: idem paſtoribus nunciat: Angelorum poſtea auditur chorus, dicentium: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tentatur in ſolitudine, & poſt victoriam ſtatim ſeruiunt Angeli. Nunc quoque Angelus venit cuſtos ſepulchri Dominici, & in veſtitu candido ſignat gloriam triumphantis. Necnon aſcendente ad cælos Domino, Angeli in Oliueti monte cernuntur, pollicentes Apoſtolis ſecundum Saluatoris aduentum. Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Cuſtodes timore perterriti, inſtar mortuorum ſtupefacti iacent, & tamen Angelus non illos, ſed mulieres conſolatur: Nolite timere vos. ℟. Aeſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum, Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber. ℣. Poſuerunt me in lacu inferiori:

Digitized by Google

riori: in tenebroſis, & in vmbra mortis. Factus ſum. Lectio ix.

ILli, inquit, timeant: in his perſeueret pauor, in quibus permanet incredulitas. Ceterum vos, quia Ieſum quæritis crucifixum, audite quòd reſurrexerit, & promiſſa perfecerit. Venite, & videte locum, vbi poſitus erat: Vt ſi meis verbis non creditis, vacuo credatis ſepulchro: & gradu concito pergite ac nunciate diſcipulis eius. Quia ſurrexit, & ecce præcedet vos in Galilæam. Hoc eſt, in volutabrum Gentium, vbi ante error erat, & lubricum: & firmo ac ſtabili pede veſtigium non ponebat. Poſt ix. Lectionem ſine aliquo interuallo dicitur Oratio Ieremiæ Prophetæ, cum titulo hoc modo.

Oratio Ieremiæ Prophetæ.

RECordare Domine quid acciderit nobis: intuere, & reſpice opprobrium noſtrum. Hereditas noſtra verſa eſt ad alienos: domus noſtræ ad extraneos. Pupilli facti ſumus abſque patre: matres noſtræ quaſi viduæ: Aquam noſtram pecunia bibimus: ligna noſtra pretio comparauimus. Ceruicibus noſtris minabamur: laſſis non dabatur requies. Aegypto dedimus manum: & Aſſyrijs, vt ſaturaremur pane. Patres noſtri peccauerunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portauimus. Serui dominati ſunt noſtri: non fuit qui redimeret de manu eorum. In animabus noſtris afferebamus panem nobis, à facie gladij in deſerto. Pellis noſtra quaſi clibanus, exuſta eſt à facie tempeſtatum famis. Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda. Principes manu ſuſpenſi ſunt: facies ſenum non erubuerunt. Adoleſcentibus impudice abuſi ſunt: & pueri in ligno corruerunt. Senes defecerunt de portis: iuuenes de choro pſallentium. Defecit gaudium cordis noſtri: verſus eſt in luctum chorus noſter. Cecidit corona capitis noſtri: væ nobis, quia peccauimus. Propterea mæſtum factum eſt cor noſtrum, ideo contenebrati ſunt oculi noſtri. Propter montem Sion, quia diſperijt, vulpes ambulauerunt in eo. Tu autem Domine in æternum permanebis, ſolium tuum in generationem, & generationem. Quare in perpetuum obliuiſceris noſtri? derelinques nos in longitudine dierum? Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: innoua dies noſtros, ſicut à principio. Sed proijciens repuliſti nos, iratus es contra nos vehementer. Ieruſalem, Ieruſalem, conuertere ad Dominum Deum tuũ. ℞. Agnus Dei Chriſtus immolatus eſt pro ſalute mundi: nam de parentis protoplaſti fraude Factor condolens: quando pomi noxialis morſu in mortem corruit: ipſe lignum tunc notauit, Damna ligni, vt ſolueret. ℣. Luſtris ſex qui iam peractis tempus implens corporis: ſe volente natus ad hoc, paſſioni deditus Agnus in cruce leuatur, immolandus ſtipite. Damna. ℞. Agnus Dei.

Digitized by Google

IN LAVDIBVS ANTIPHONA. O Mors, ero mors tua, morſus tuus ero inferne. Pſalm. Miſerere mei Deus. 33. Antiph. Plangent eum quaſi vnigenitum, quia innocens Dominus occiſus eſt. Pſalm. Iudica me Deus, & diſcerne. 28. Antiph. Attendite vniuerſi populi,& videte dolorem meum. Pſalm. Deus Deus. 39. Antiph. A porta inferi erue Domine animam meam. Cantic. Ego dixi, In dimidio. 99. Antiph. O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus. Pſalm. Laudate. 97.

Ad Benedictus, Antiphona. Mulieres ſedentes ad monumentum lamentabantur, flentes Dominum. Kyrie eleiſon.

Cetera omnia ſicut in nocte Cœnæ. 309. Hodie, Prima, Tertia, Sexta, Nona, dicantur ſicut in die heſterna. 315. Ad Veſper. Antiph Alleluia, alleluia, alleluia, tota dicatur ante Pſalm. Laudate Dñm oẽs gẽtes. 78. Gloria Patri. Repetita Antiph. poſt Pſalm. ſequitur.

Ad Magnificat, Antiphona. Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre ſepulchrum, alleluia.

Quæ dicitur tota ante Canticum, & dicto Magnificat, & Antiph. repetita ſequitur Dominus vobiſcũ. Oremus.

Oratio.

SPiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde: vt quos ſacramentis Paſchalibus ſatiaſti: tua facias pietate concordes. Per Dominum. In vnitate eiuſdẽ Spiritus ſancti Deus. Deinde Dominus vobiſcum, & Benedicamus Domino, alleluia, alleluia, alleluia. niſi quando Veſperæ, & Miſſa ſimul terminantur, quia tunc dicitur Ite Miſſa eſt. Complet. hac die dicatur hoc modo. Dicto Iube domne benedicere. & Confiteor. dicatur: Conuerte nos, Deus in adiutorium. Poſtea incipiatur Antiph. Alleluia. Pſalm. Cum inuocarem. 2. In te Domine. 18. Ecce nunc. 99. Cant. Nunc dimittis. 108. cum Gloria Patri. dicantur: & poſtea ſequitur Antiph. Alleluia, alleluia, alleluia, alleluia. Deinde Dominus vobiſcum. Oremus. Oratio. Spiritum nobis, vt ſupra in Veſper. Deinde Dominus vobiſcum. & Benedicamus. Poſtea ſequitur Benedictio, & Antiph. de B. Virgine. Salue Regina.

IN DIE SANCTO PASCHAE, SEV DOMINICA RESVRRECTIONIS DOMINI.

Ad Matut. Domine labia mea. Deus in adiut.&c. Inuitat. Allel.allel.allel. Hac die,& per totã Hebd.vſq. ad Veſper ſeq. Sabbati excluſ. ad Horas tam diei quã noctis, nullus dicatur Hymn.

IN NOCTVRNO. Antiph.

EGO ſum qui ſum,& conſiliũ meũ non eſt cũ impijs, ſed in lege Dñi voluntas mea eſt, allel. Pſal Beatus vir. 1. Aña. Poſtulaui Patrem meũ, allel. dedit mihi gẽtes, allel. in hæreditatẽ, allel. Pſ. Quare fremuerunt. 1. Aña. Ego dormiui,& ſomnum cepi,& exurrexi, quia Dñs ſuſcepit me, allel. allel. Pſ. Dñe quid multiplicati. 2. ℣. Reſurrexit Dominus allel. ℟. Sicut dixit vobis, allelluia. Hic ℣. ſic dicatur in Noct. in Domin. & Fer. ij. & v. vſque ad Aſcenſionem, quando de Tempore agitur.

Lectio S. Euangelij ſecundum Marcum. Lectio j. C. 6.

IN illo tempore: Maria Magdalene, & Maria Iacobi,& Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum. Et valde mane vna ſabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam ſole. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 21. in Euang.

AVdiſtis, fratres chariſſimi, quòd ſanctæ mulieres, quæ Dñm fuerant ſecutæ, cum aromatibus ad monumentum venerunt,& ei quem viuentẽ dilexerant, etiã mortuo, humanitatis ſtudio obſequuntur. Sed res geſta, aliquid in S. Eccleſia ſignat gerendũ. Sic quippe neceſſe eſt vt audiamus quæ facta ſunt, quatenus cogitemus etiã quæ nobis ſint ex eorũ imitatione faciẽda. Et nos ergo in eũ qui eſt mortuus, credentes, ſi odore virtutum referti cum opinione bonorũ operum Dñm quærimus, ad monumentũ profectò illius cũ aromatibus venimus. ℟. Angelus Dñi deſcendit de cælo, & accedẽs reuoluit lapidẽ,& ſuper eũ ſedit,& dixit mulieribus: Nolite timere: ſcio enim quia crucifixũ quæritis: Iam ſurrexit: venite,& videte locũ, vbi poſitus erat Dominus, allel. ℣. Angelus Dñi locutus eſt mulieribus, dicens: Quẽ quæritis? an Ieſum quæritis? Iam. Lect. ij.

ILlæ autẽ mulieres Angelos vidẽt, quæ cũ aromatibus venerũt: quia videlicet illæ mentes ſupernos ciues aſpiciunt, quæ cum virtutũ odoribus ad Dñm per ſancta deſideria proficiſcũtur. Notandũ vero nobis eſt, quidnam ſit, quòd in dextris ſedere Angelus cernitur. Quid namq. per ſiniſtrã, niſi vita præſens; quid vero per dextẽrã, niſi perpetua vita deſignatur? Vnde in Canticis Canticorum ſcriptum eſt: Læua eius ſub capite meo,& dextera illius amplexabitur me. Quia ergo Redemptor noſter iam præſentis vitæ corruptionẽ trãſierat, recte Angelus, qui

qui nunciare perennem eius vitã venerat, in dextera ſedebat. Qui ſtola cãdida coopertus apparuit: quia feſtiuitatis noſtræ gaudia nũciauit. ℟. Angelus Dñi locutus eſt mulieribus dicens: Quem quæritis? an Ieſum quæritis? iã ſurrexit: Venite, & videte, allel. allel. ℣. Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit; non eſt hic. Venite. Lectio iij.

CAndor etenim veſtis, ſplendorẽ noſtræ denũciat ſolẽnitatis. Noſtræ dicamus, an ſuæ? Sed vt fateamur verius, & ſuæ dicamus, & noſtræ. Illa quippe Redẽptoris noſtri reſurrectio, & noſtra feſtiuitas fuit, quia nos ad immortalitatẽ reduxit: & Angelorum feſtiuitas extitit, quia nos reuocando ad cæleſtia, eorũ numerũ impleuit. In ſua ergo ac noſtra feſtiuitate Angelus in albis veſtibus apparuit: quia dum nos per reſurrectionem Dominicam ad ſuperna reducimur, cæleſtis patriæ damna reparãtur. ℟. Dum trãſiſſet Sabbatũ, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerũt aromata, Vt venientes vngerent Ieſum, Allel. allel. ℣. Et valde mane vna Sabbatorum, veniũt ad monumentum, orto iam ſole. Vt. Gloria Patri. Alleluia. Canticum Te Deum. Et dicatur per totam Hebdomadam. ℣. In reſurrectione tua Chriſte, allel. ℟. Cæli & terra lætentur, allel. Hic ℣. dicatur quotidie ante Laudes, vſque ad Aſcenſionem excluſiue, niſi in Feſtis Sanctorum.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

ANgelus autem Dñi deſcẽdit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum, allel. allel. Pſ. Dominus regnauit. 61. Aña. Et ecce terræ motus factus eſt magnus: Angelus autem Dñi deſcendit de cælo, allel. Pſ. Iubilate. 65. Aña. Erat autem aſpectus eius, ſicut fulgur, veſtimenta eius ſicut nix, allel. allel. Pſalm. Deus Deus. 39. Aña. Præ timore autẽ eius, exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt veluti mortui, allel. Cantic. Benedicite. 98. Aña. Reſpõdens autẽ Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere: ſcio enim quòd Ieſum quæritis, allel. Pſal. Laudate. 97. Poſt prædictã Antiphonam ſtatim incipiatur ad Benedictus Aña. Et valde mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam ſole, alleluia. Oratio.

DEus qui hodierna die per Vnigenitum tuũ æternitatis nobis aditũ deuicta morte reſeraſti: vota noſtra, quæ præueniendo aſpiras, etiam adiuuando proſequere. Per eumdem. ℣. Benedicamus Dño, allel. allel. ℟. Deo gratias, allel. allel. Et ſic cũ dupli ci. Allelũia. dicatur in Laudib. & in Veſp. per totã Hebd. & per Hebdomadam Pentec. & in omnibus Dñicis, & in Feſtis Simplicibus, & ſupra, & in terrijs Ferijs, quando de beato Dominico, & in quintis, quãdo de Corpore Chriſti, vel de Sanctis Ordinis, & in Sabbatis, quãdo de B. Virgine agitur, vſque ad Veſp. Sabbati ante Trinitatem excluſiue. In Profeſtis autem diebus, & Feſtis trium Lectionum, & infra Octauas non Solemnes, quãdo de Octaua agitur præterquam in Dominica, dicatur tantum cum vno. Allel.

Digitized by Google

Ad ceteras autem Horas numquã dicatur cum Allelu. Ad Primam, dicto Deus in adiutorium. & Gloria Patri. ſtatim inchoetur Aña, ſimiliter & ad alias Horas. Et ſciendũ quòd per totã Hebd. vſque ad Veſp. ſequentis Sabbati excluſiue, nec Capitula, nec Reſponſoria, ad Horas, nec Verſiculi dicuntur, niſi in Nocturnis, & ante Laudes, Aña. Angelus autẽ Domini. Ceteræ ad ceteras Horas Pſ. Deus in nomine. 36. Beati immaculati. 80. Retribue. Finita Aña poſt Pſſ ſtatim inchoetur ℟. Hæc dies quã fecit Dñs, exultemus, & lætemur in ea. ſine ℣. Et ſic dicatur quotidie ad omnes Horas per Hebd. vſq. ad Sabbat. incluſiue: præterquã ad Matut. finito ℟. Hæc dies. Ad Primã dicatur Confiteor. deinde. Dñs vobiſcum. & Oratio. Deus, qui hodier. & ad Laud. 342. Dñs vobiſcũ. Benedicamus Dño. Prædicta Oratio dicatur ad j. hac die, & duobus ſeqq. diebus, & hoc modo dicatur Prima per totã Hebd. niſi quòd in quarta Feria, & deinceps dicatur Oratio. In hac hora. & in Sabbato antequam incipia tur ℟. Hæc dies. dicatur ſemel, Alleluia, & ſtatim ℣. Hæc dies.

AD VESPERAS.

Dicto Pater noſter. dicatur Deus in adiutorium, &c. Sic incipiãtur Veſp. per totam Hebd. Super Pſalmos. Aña. Angelus autem. ſola. Pſal. Dixit Dominus. 75. Cõfitebor. Beatus vir. Hi tres tantum Pſalmi cum præfata Antiph. dicantur ad Veſp. quotidie vſque ad Sabba. excluſiue. Finita Aña. poſt Pſal. ſequitur ℟. Hæc dies. ſine ℣. Et ſic dicatur per totam Hebd. vſque ad Sabb. excluſ. ante Añam ad Magnificat. Poſtea ſequitur ad Magnif. Aña. Et reſpicientes viderunt reuolutum lapidem: erat quippe magnus valde, alleluia. Oratio. Deus, qui hodierna. In hac vero prima die Paſchæ, & duabus ſeqq. dicta Oratione ſequitur ℣. Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quòd enim viuit, viuit Deo, alleluia, alleluia. ℣. Dicant nunc Iudæi, quomodo milites cuſtodientes ſepulchrum perdiderunt Regem ad lapidis poſitionem: quare non ſeruabant petram iuſtitiæ: aut ſepultum reddant, aut reſurgentem adorent nobiſcum, dicentes. Quòd. ℣. Dicite in nationibus, alleluia. ℟. Quia Dominus regnauit à ligno, allel.

Oratio.

Deus, qui pro nobis Filium tuum Crucis patibulum ſubire voluiſti, vt inimici à nobis expelleres poteſtatem: concede nobis famulis tuis, vt reſurrectionis gratiam conſequamur. Per eumdem Chriſtum.

Deinde dicatur Antiphona. Regina cæli lætare, alleluia: quia quem meruiſti portare, alleluia: reſurrexit ſicut dixit, alleluia: ora pro nobis Deũ, alleluia. ℣. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix, alleluia. ℟. Vt digni efficiamur, &c.

Oratio.

Gratiam tuam, quæſumus Dñe, mẽtibus noſtris infunde: vt qui

Angelo nunciãte, Chriſti Filij tui incarnationẽ cognouimus, per paſſionẽ eius,& Crucẽ,ad reſurrectionis gloriã perducamur.Per eumdem Dominum. Dñs vobiſcũ.Benedicamus Dño,allel. allel.Deo gratias, allel. allel. Et hoc modo his tribus diebus Veſperæ terminentur.Et ſciendum, quòd Inuit.& Añæ,& Reſponſoria Horarũ cum ſuis Verſiculis, & omnes alij Verſiculi vſque ad Feſtũ S. Trinitatis excluſ. debent terminari cum. Allel. Ad Complet.Aña. Allel.allel.allel.allel. Pſal. Cum inuocarem.2.In te Dñe. 18. Ecce nunc.90. Finita poſt Pſ. Aña.dicatur ℟. Hæc dies. Ad Nunc dimittis, Aña. Allel. Reſurrexit Dñs, alleluia, ſicut dixit vobis, allel.allel.Poſt Antiphonam.Oratio. Spiritũ nobis 320. cum Benedicamus Dño. Hoc modo dicatur Complet. per totã Hebdo.vſque ad Sabb.excluſiue:excepto quod prædicta Oratio non dicitur, niſi in duobus diebus ſequentibus.

FERIA SECVNDA.

Ad Matut. Inuit. Surrexit Dominus vere, Allel. Et dicatur per Hebdo. In Noct.Super Pſal.Aña. Surrexit Chriſtus,& illuxit populo ſuo, quem redemit ſanguine ſuo, allel. Hæc Aña dicatur per Hebd.ſuper Pſal.Noct.Pſal. Cum inuocarem.2.Verba mea.2. Domine ne in furore. 3. ℣. Reſurrexit Dominus, alleluia. 321.

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 24.

IN illo tempore:Duo ex diſcipulis Ieſu ibant ipſa die in caſtellũ, quod erat in ſpatio ſtadiorũ ſexaginta ab Ieruſalẽ,nomine Emmaus. Et reli.

Homilia S.Gregorij Papæ.

Homil. 23.in Euang.

AVdiſtis fratres chariſſimi, quia duobus diſcipulis ambulãtibus in via,non quidẽ credẽtibus,ſed tamẽ de ſe loquẽtibus, Dominus apparuit: ſed eis ſpeciem, quam recognoſcerẽt, non oſtendit.Hoc ergo egit foris Dñs in oculis corporis, quod apud ipſos agebatur intus in oculis cordis. Ipſi nãque apud ſemetipſos intus & amabant,& dubitabant: eis autem Dñs foris & præſens aderat,& quis eſſet non oſtendebat. De ſe igitur loquentibus præſentiã exhibuit:ſed de ſe dubitãtibus cognitionis ſuæ ſpeciẽ abſcondit. ℟. Maria Magdalene, & altera Maria ibant diluculo ad monumentũ. Ieſum quem quæritis non eſt hic,ſurrexit ſicut locutus eſt:Præcedet vos in Galilæam,ibi eum videbitis,alleluia,allel. ℣. Cito euntes dicite diſcipulis eius, & Petro,quia ſurrexit Dominus. Præcedet vos. Lectio ij.

VErba quidem cõtulit, duritiam intellectus increpauit, Scripturæ ſacræ myſteria; quæ de ipſo erant, aperuit: & tamen quia adhuc in eorũ cordibus peregrinus erat à fide, ire ſe longius finxit. Fingere namque componere dicimus: vnde & compoſitores luti, figulos vocamus. Nihil ergo ſimplex Veritas per duplicitatem fecit: ſed talem ſe eis exhibuit in corpore,qualis apud illos erat in mente. Probandi autem erant, ſi hi

ſi hi qui eum, etſi necdum, vt Deum diligerent, ſaltem vt peregrinum amare potuiſſent. ℟. Surgens Ieſus Dominus noſter,& ſtans in medio diſcipulorum ſuorum, dixit: Pax vobis, alleluia. Gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino, alluluia. ℣. Vna ergo Sabbatorum,cum fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati: venit Ieſus,& ſtetit in medio, & dixit. Pax vobis. Lectio iij.

SEd quia eſſe extranei à charitate non poterant hi, cum quibus Veritas gradiebatur: eum ad hoſpitium, quaſi peregrinum vocant. Cur autem dicimus, vocant: cum illic ſcriptum ſit: & coegerunt eum? Ex quo nimirum exemplo colligitur, quia peregrini ad hoſpitium nō ſolum inuitandi ſunt,ſed etiam trahendi. Mẽſam igitur ponunt, panes ciboſque offerunt: & Deum, quem in Scripturæ ſacræ expoſitione non cognouerant, in panis fractione cognoſcunt. Audiendo ergo præcepta Dei, illuminati non ſunt, faciendo illuminati ſunt: quia ſcriptum eſt: Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. ℟. Cũ gratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum: quia quem quærebam apparuit mihi, Et dum flerem ad monumentũ,vidi Dñm meũ:Alleluia. ℣. Recedẽtibus diſcipulis nō recedebã: & amoris eius igne ſuccenſa, ardebã deſiderio. Et. Gloria Patri. Alleluia.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

Angelus autem Domini Hæc ſola Antiph. dicatur quotidie per Octauã in Laudibus, ſuper Pſalmos Dominus regnauit. cum cæteris. Dicta poſt Pſalm. Antiph. ſtatim incipiatur Antiph. ad Benedictus,& hoc per totam Hebdom obſeruetur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Qui ſunt hi ſermones, quos confertis adinuicem ambulantes, & eſtis triſtes? alleluia, alleluia. Oratio.

DEus, qui ſolemnitate Paſchali mundo remedia contuliſti: populum tuum quæſumus cæleſti dono proſequere: vt & perfectam libertatem conſequi mereatur, & ad vitam proficiat ſempiternam. Per Dominũ. Hac die, & ſequentibus diebus per Hebdomadam, Tertia, & Sexta, & Nona dicantur ſicut in die Paſchæ cum proprijs Orationibus. Ad Magnificat, Aña. Nonne ſic oportuit pati Chriſtum,& intrare in gloriam ſuam? alleluia. Poſtea ſequitur. ℟. Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur. 323.

F E R I A T E R T I A.

In Nocturno.

Pſalm. Domine Deus meus. 3. Domine Dominus. 4. In Domino confido. 6. ℣. Surrexit Dominus verè, alleluia. ℟. Et apparuit Simoni alleluia. Hic Verſiculus dicatur in Noct. Feriæ tertiæ, & ſextæ, vſque ad Aſcenſionem, quando de tempore agitur.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 24.

IN illo tempore: Stetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorum, &

Digitized by Google

dicit eis: Pax vobis: ego ſum, nolite timere. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij. Epiſcopi.

Libr. 9. Commen. in Lucam.

NOn per incorpoream naturam, ſed per reſurrectionis corporeæ qualitatem, imperuia vſu clauſa Dominus penetrauit. Nam quod tangitur, corpus eſt: quod palpatur, corpus eſt. In corpore autem reſurgemus. Seminatur enim corpus animale, ſurgit corpus ſpiritale: ſed illud ſubtilius, hoc craſſius, vtpote adhuc terrenæ labis qualitate concretum. Nam quomodo non corpus, in quo manebant inſignia vulnerum, veſtigia cicatricum, quæ Dominus palpanda obtulit? In quo non ſolum fidem firmat, ſed etiam deuotionem acuit: quòd vulnera ſuſcepta pro nobis cælo inferre maluit, abolere noluit, vt Deo Patri noſtræ pretia libertatis oſtenderet. ℟. Surrexit Dominus de ſepulchro, alleluia: Qui pro nobis pependit in ligno, alleluia. ℣. Lætentur cæli, & exultet terra ante faciem Domini. Qui pro.

Lectio ij.

TAlem ſibi Pater ad dexteram locat, trophæum noſtræ ſalutis amplectens: tales illic martyres nobis cicatricis ſuæ corona monſtrauit. Et quoniam ſermo huc noſter euaſit, conſideremus qua gratia ſecundum Ioannem crediderint Apoſtoli, qui gauiſi ſunt: ſecundum Lucam quaſi increduli redarguantur: ibi Spiritum ſanctum acceperint, hic ſedere in ciuitate iubeantur, quoadusque induantur virtute ex alto. Et videtur mihi ille quaſi Apoſtolus maiora, & altiora tetigiſſe, hic ſequentia, & humanis proxima: hic hiſtorico vſus circuitu, ille compendio. Nam etſi primo Lucas eos non crediddiſſe dicat, poſtea tamen crediddiſſe demonſtrat: & ſi prima conſideremus, contraria ſunt: ſi ſequentia, certum eſt conuenire. ℟. Tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. Dicit ei Angelus: Noli flere Maria: Surrexit ſicut dixit: præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, alleluia. alleluia. ℣. Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis ſedentes, qui dicunt ei. Surrexit.

Lectio iij.

STetit, inquit, in medio eorum, & dixit: Pax vobis: ego ſum, nolite timere. Conturbati vero, & conterriti, exiſtimabant ſpiritum videre. Videtur ſeparatim ſe iſtis vndecim demonſtraſſe, ſicut ſe Amaoni, & Cleophæ ſeorſum iam veſpere demonſtrauerat. Et quemadmodum iſti duo, ita etiam & illi vident vndecim, ad confirmandos reliquos: Denique conturbati ſunt: & ideo aperuit ſenſum, vt intelligerent ea, quæ ſcripta ſunt. Spiritum autem ſanctum vel illis vndecim quaſi perfectioribus inſufflauit, & reliquis poſtea tribuendum eſſe promittit: vel iiſdem ibi inſufflauit, hic ſpondet. Nec videtur eſſe contrarium, cum

diui-

diuiſiones gratiarum ſint. Ibi remittendorum gratia tributa eſt peccatorum, quod eſſe videtur anguſtius, & ideo inſufflatur à Chriſto: Lucas autem linguarum gratiam deſcripſit effuſam. ℟. Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio: etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: Itaque epulemur in Domino: Alleluia. ℣. Non in fermento malitiæ, & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis. Itaque. Gloria Patri. Alleluia. Ad Bñs, Aña. Stetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorum, & dixit eis: Pax vobis, alleluia, alleluia. Oratio.

DEus qui Eccleſiam tuam nouo ſemper fœtu multiplicas: conce de famulis tuis, vt Sacramentum viuendo teneant, quod fide perceperunt. Per. Ad Magnificat, Antiph. Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum, alleluia, alleluia. Poſt Orat. ſequit. ℣. Chriſtus reſurgẽs ex mortuis. ſicut in die Paſchæ. 343.

FERIA QVARTA.

In Nocturno.

Pſalm. Saluum me. j. 6. Vſque quo. 7. Dixit inſipiens. j. 7. ℣. Surrexit Dominus de ſepulchro, alleluia. ℟. Qui pro nobis pependit in ligno, alleluia. Hic ℣. dicatur in Noctur. Feriæ iv. & Sabbato vſque ad Aſcenſion. quando de Tempore agitur.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 21.

IN illo tempore: Manifeſtauit ſe iterum Ieſus diſcipulis ſuis ad mare Tiberiadis. Manifeſtauit autẽ ſic. Erãt ſimul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 24 in Euang.

LEctio ſancti Euangelij, quæ modo in veſtris auribus lecta eſt, fratres chariſſimi, quæſtione animum pulſat: ſed pulſatione ſua vim diſcretionis indicat. Quæri etenim poteſt, cur Petrus, qui piſcator ante conuerſionem fuit, poſt conuerſionem ad piſcationem rediit: & cum Veritas dicat: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dei, cur repetijt quod reliquit? Sed ſi virtus diſcretionis inſpicitur, cito videtur: quia nimirum negotium, quod ante conuerſionem ſine peccato extitit, hoc etiam poſt conuerſionem repetere culpa non fuit. ℟. Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius, Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Et vnus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleueris, dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & fortitudinem, Alleluia.

Lectio ij.

NAm piſcatorem Petrum, Matthæum vero teloneariumn ſcimus: & poſt conuerſionem ſuam ad piſcationem Petrus redijt, Matthæus vero ad telonei negotium non reſedit: quia aliud eſt, victum per piſcationẽ quærere, aliud autẽ, telonei lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ ſine peccatis exhiberi

Digitized by Google

aut vix, aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt, vt poſt conuerſionem animus non recurrat. ℟. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram, alleluia. ℣. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto. Quæ.

Lectio iij.

QVæri etiam poteſt, cur diſcipulis in mari laborantibus, poſt reſurrectionem ſuam Dominus in littore ſtetit, qui ante reſurrectionem ſuam coram diſcipulis in fluctibus maris ambulauit. Cuius rei ratio feſtine cognoſcitur, ſi ipſa quæ tunc inerat, cauſa penſetur. Quid enim mare, niſi præſens ſæculum deſignat, quod ſe caſuum tumultibus, & vndis vitæ corruptibilis illidit? Quid per ſoliditatem littoris, niſi illa perpetuitas quietis æternæ figuratur? Quia igitur diſcipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant. Quia autem Redemptor noſter iam corruptionem carnis exceſſerat: poſt reſurrectionem ſuam in littore ſtabat. ℟. Surrexit paſtor bonus, qui poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis: Et pro ſuo grege mori dignatus eſt, Alleluia, alleluia. ℣. Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Et pro. Gloria Patri. Alleluia.

A[illegible]nedictus, Antiphona. Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis, alleluia.

Oratio.

DEus, qui nos reſurrectionis Dominicæ annua ſolemnitate lætificas: concede propitius: vt per temporalia feſta quæ agimus, peruenire ad gaudia æterna mereamur. Per eundem Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona. Hoc iam tertio manifeſtauit ſe Ieſus, poſtquam reſurrexit à mortuis, alleluia.

Poſt Orationem fiat Memoria de Cruce, ſicut in die Paſchæ. 324. excepto quod Verſ. ℟. ſcilicet. Dicant nunc Iudæi. non dicatur: & hoc quotidie fiat in Veſper. vſque ad Veſper. Sabbati excluſiue: Memoria vero de Beata Virgine non fiat.

FERIA QVINTA.

In Nocturno.

Pſal. Domine quis habitabit. 7. Conſerua. 8. Exaudi Domine iuſtitiam. 8. ℟. Reſurrexit Dominus. 321.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 20.

IN illo tempore: Maria ſtabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis, ſedentes. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorij Papæ.

Homil. 25. in Euang.

MAria Magdalene, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem lauit lacrymis maculas criminis: & vox Veritatis impletur, qua dicitur: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Digitized by Google

Quæ enim prius frigida peccando remanſerat, poſtmodum amando fortiter ardebat. Nam poſtquam venit ad monumentum, ibique corpus Dominicum non inuenit, ſublatum credidit, atque diſcipulis nunciauit: qui venientes viderunt, atque ita eſſe, vt mulier dixerat, crediderunt. ℞. vt in Feria ij. 325. Lectio ij.

ET de eis protinus ſcriptum eſt: Abierunt ergo diſcipuli ad ſemetipſos: ac deinde ſubiungitur: Maria ſtabat ad monumentum foris, plorans. Qua in re penſãdũ eſt, huius mulieris mentem quanta vis amoris accenderat; quæ à monumento Domini, etiam diſcipulis recedentibus, non recedebat. Exquirebat, quem non inueniebat: flebat inquirendo, & amoris ſui igne ſuccenſa, eius quem ablatum credidit, ardebat deſiderio.

Lectio iij.

VNde contigit, vt eum tunc ſola videret, quæ remanſerat vt quæreret: quia nimirum virtus boni operis, perſeuerantia eſt: & voce Veritatis dicitur: Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Maria ergo cum fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum. Certe iam monumentum vacuum viderat, iam ſublatum Dominum nunciauerat. quid eſt quòd ſe iterum inclinat, iterum videre deſiderat? Sed amanti ſemel aſpexiſſe non ſufficit: quia vis amoris intentionem multiplicat inquiſitionis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Maria ſtabat ad monumentum foris, plorans: & vidit duos Angelos in albis, ſedentes, & ſudarium quod fuerat ſuper caput Ieſu, alleluia. Oratio.

DEus, qui diuerſitatem gentium in cõfeſſione tui nominis adunaſti: da vt renatis fonte baptiſmatis vna ſit fides mentium, & pietas actionum. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerũt eum: ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, alleluia: & ego eum tollam, alleluia.

FERIA SEXTA.

In Nocturno.

Pſalm. Cæli enarrant. 11. Exaudiat. 12. Domine in virtute: 13. ℣. Surrexit Dominus vere. 326.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio j. C. 28.

IN illo tempore: Vndecim diſcipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi conſtituerat illis Ieſus. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 4. Commen. in Matth. in fine.

POſt reſurrectionem Ieſus in Galilææ monte conſpicitur, ibique adoratur: licet quidam dubitent, & dubitatio eorum noſtram augeat fidẽ. Tunc manifeſtius oſtẽdit Thomæ & latus lancea vulneratũ, & manus fixas demõſtrat clauis. Accedens Ieſus locutus eſt eis, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Illi poteſtas data eſt, qui paulo ante crucifixus, qui ſepultus in tumulo,

qui

Digitized by Google

qui mortuus iacuerat, qui poſtea reſurrexit. In cælo autem & in terra ei poteſtas data eſt: vt qui ante regnabat in cælo, per fidem credentium regnet in terris. R. vt in Feria iij. 326.

Lectio ij.

EVntes autem docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Primum docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aqua. Non enim poteſt fieri, vt corpus baptiſmi recipiat ſacramentum, niſi ante anima fidei ſuſceperit veritatem. Baptizantur autem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: vt quorum vna eſt diuinitas, vna ſit largitio: nomenque Trinitatis, vnus Deus eſt. Lectio iij.

DOcentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis. Ordo præcipuus: iuſſit Apoſtolis, vt primum docerent omnes gentes, deinde fidei intingerent ſacramento: & poſt fidem ac baptiſma, quæ eſſent obſeruanda præciperent. Ac ne putemus leuia eſſe quæ iuſſa ſunt, & pauca, addidit: Omnia quæcumque mandaui vobis: vt quicumque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præcepta ſunt. Et ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.

Ad Benedictus, Antiphona.

Vndecim diſcipuli in Galilæa videntes Dominum adorauerunt, alleluia.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Paſchale ſacramentum in reconciliationis humanæ fœdere contuliſti: da mentibus noſtris, vt quod profeſſione celebramus, imitemur effectu. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra, alleluia, alleluia.

SABBATO.

In Nocturno.

Pſalmi Dominus regit. 15. Domini eſt terra. 15. Iudica me Domine. 16. ℣. Surrexit Dominus de ſepulchro. 327.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 20.

IN illo tempore: Vna Sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorij Papæ.

Homil. 22. in Euang.

LEctio S. Euangelij, quam modo fratres audiſtis, valde in ſuperficie hiſtorica eſt aperta: ſed eius nobis ſunt myſteria ſub breuitate requirenda. Maria Magdalene, cũ adhuc tenebræ eſſent, venit ad monumẽtũ. Iuxta hiſtoriam notatur hora: iuxta intellectum vero myſticum, requirentis ſignatur intelligentia. Maria enim auctorem omnium, quem carne viderat mortuum, quærebat in monumento: & quia hunc minime inuenit, furatum credidit. R. ſicut in Feria iv. 328.

Lectio ij.

ADhuc ergo erant tenebræ, quando venit ad monumentum. Cucurrit citius, diſcipuliſque nunciauit: ſed

ſed illi præ ceteris cucurrerũt, qui præ ceteris amauerũt, videlicet Petrus & Ioannes. Currebãt autem duo ſimul; ſed Ioannes præcucurrit citius Petro, & venit prior ad monumentum, & ingredi nõ præſumpſit. Venit ergo poſterior Petrus, & intrauit. Quid fratres, quid curſus iſte ſignificat? Numquid hæc tam ſubtilis Euãgeliſtæ deſcriptio, à myſterijs vacare credenda eſt? Minime. Quid ergo per Ioannem, niſi Synagoga? quid per Petrum, niſi præſens Eccleſia deſignatur?

Lectio iij.

NEc mirum eſſe videatur, quòd per iuniorem Synagoga, per ſeniorem verò Eccleſia ſignari perhibetur: quia etſi ad Dei cultum prior eſt Synagoga, quàm Eccleſia Gentium, ad vſum tamen ſæculi prior eſt multitudo Gentiũ, quàm Synagoga, Paulo atteſtante, qui ait: Quia non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale. Per ſeniorẽ ergo Petrum ſignificatur Eccleſia Gentium: per iuniorem verò Ioannem Synagoga Iudæorum. Venit Synagoga prior ad monumẽtum, ſed minime intrauit: quia Legis quidem mãdata percepit, prophetias de incarnatione ac paſſione Dominica audiuit, ſed credere in mortuum noluit. Ad Benedictus, Antiphona. Currebant duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citius Petro, & venit prior ad monumentum, alleluia.

Oratio.

COncede quæſumus omnipotens Deus: vt qui feſta Paſchalia venerando egimus: per hæc contingere ad gaudia æterna mereamur. Per Dominum. Hac die non dicatur. R. Hæc dies. ad Horas: ſed dicatur poſt Antiph. loco eius ſemel: Alleluia. V. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Poſt. V. Alleluia. non repetatur, & ita dicatur ad omnes Horas.

D O M I N I C A.

In Octaua Paſchæ.

Sabbato præcedenti ad Veſper. Super Pſalmos Antiph. Alleluia, allel. allel. Hæc ſola dicatur ſuper omnes Pſalmos Pſal. Benedictus. cum reliquis de Sabbato. 95.

Capitulum. *Rom. 6.*

CHriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quòd enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quòd autem viuit, viuit Deo.

Hymnus.

AD cœnam Agni prouidi,
Et ſtolis albis candidi,
Poſt tranſitum maris Rubri,
Chriſto canamus principi.
Cuius corpus ſanctiſſimum,
In ara crucis torridum,
Cruore eius roſeo
Guſtando viuimus Deo.
Protecti Paſchæ veſpere
A deuaſtante Angelo,
Erepti de duriſſimo
Pharaonis imperio.
Iam Paſcha noſtrum Chriſtus eſt,
Qui immolatus Agnus eſt,
Sinceritatis azyma.

Caro

Caro eius oblata eſt.
Cucre digna hoſtia,
Per quam fracta ſunt tartara,
Redempta plebs captiuata,
Reddita vitæ præmia.
Conſurgit Chriſtus tumulo,
Victor redit de barathro,
Tyrannum tradens vinculo,
Et reſerans Paradiſum.
Quæſumus auctor omnium
In hoc Paſchali gaudio.
Ab omni mortis impetu,
Tuum defende populum.
Gloria tibi Domine,
Qui ſurrexiſti à mortuis,
Cum Patre, & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Iſti duo ℣℣. ſcilicet Quæſumus, & Gloria tibi Domine. dicantur in fine omnium Hymnon eiuſdem metri, vſque ad primas Veſp. Aſcenſion. Domini: niſi in Annunciatione Dominica, quando poſt Paſcha celebratur: & in Sabbatis, quando de B. Virgine fit. Tunc enim in fine Hymn. dicetur. ℣. Quæſumus ℣. Maria mater gratiæ. ℣. Gloria tibi Domine, qui natus es &c. Et quando fit de Sacramento, ubi tunc etiam poſt ℣. Quæſumus auctor. dicitur Gloria tibi Domine, qui natus. & niſi aliter ſuis proprijs locis ſit notatum. ℣. Mane nobiſcum Domine, alleluia. ℟. Quoniam adueſperaſcit, alleluia. Hic ordo ſeruetur omni die Sabbati, vſque ad Aſcenſionem, ſcilicet de Ant. ſuper Pſal. & de Pſal. & de Cap. de Hymno, & de ℣. quando de Dominica agitur. Ad Magnificat, Aña. Cum eſſet ſero die illa vna Sabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati, ſtetit Ieſus in medio, & dixit eis: Pax vobis, alleluia. Oratio.

Præſta quæſumus omnipotens Deus: vt qui Paſchalia feſta peregimus: hæc te largiente, moribus, & vita teneamus. Per Dominum.

Poſtea fiat Memoria de Cruce per Antiph. Crucem ſanctam ſubijt, qui infernum confregit, accinctus eſt potentia, ſurrexit die tertia, alleluia. ℣. Dicite in nationibus, alleluia. Oratio. Deus, qui pro nobis. 324.

Ad Compl. Antiph. Alleluia, alleluia, alleluia alleluia. Pſal. Cum inuocarem. In te Domine. Qui habitat. Ecce nunc. Prædicta Antiphona dicatur ad Complet. ſuper Pſalm. per totum tempus Paſchale, niſi in Annunciatione, quando poſt Paſcha celebratur: & in Sabbatis, quando de B. Virgine agitur. Capit. Tu in nobis. ℟. In manus tuas Domine, commendo ſpiritum meum, Alleluia, alleluia. In manus. ℣. Redemiſti me Domine, Deus veritatis. Alleluia. Gloria. In manus. Hymnus.

Ieſu noſtra redemptio,
Amor & deſiderium,
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum.
Quæ te vicit clementia,
Vt ferres noſtra crimina,
Crudelem mortem patiens,
Vt nos à morte tolleres?

Infer-

I nferni clauſtra penetrans,
Tuos captiuos redimens,
Victor triumpho nobili,
Ad dexteram Patris reſidens.
I pſa te cogat pietas,
Vt mala noſtra ſuperes
Parcendo, & voti compotes
Nos tuo vultu ſaties.
Q uæſumus auctor.
G loria tibi Domine. &c.
Iſte Hymn. dicatur ad Complet. vſq. ad Feſtum S. Trinitatis excluſiue. ℣. Cuſtodi nos Dñe. Ad Nunc dimittis. Antiphona. Alleluia. Reſurrexit. 324. Prædicta Antiphona dicatur ad Nũc dimittis vſque ad Aſcẽſionem excluſiue, niſi in Annunciatione, quando poſt Paſcha celebratur, & in Sabbatis, quando de Beata Virgine agitur. Oratio. Viſita quæſumus Domine.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Alleluia, Surrexit Dominus vere: Venite adoremus, alleluia. Hoc Inuitat. dicatur ſingulis diebus vſq. ad Aſcenſionem, quando de Tempore agitur.

Hymnus.

A Vrora lucis rutilat,
Cælum laudibus intonat,
Mundus exultans iubilat,
Gemens infernus vlulat.
C um Rex ille fortiſſimus,
Mortis confractis viribus,
Pede conculcans tartara,
Soluit à pœna miſeros.
I lle qui clauſus lapide
Cuſtoditur ſub milite,
Triumphans pompa nobili,
Victor ſurgit de funere.
S olutis iam gemitibus,
Et inferni doloribus,
Quia ſurrexit Dominus,
Reſplendens clamat Angelus.
T riſtes erant Apoſtoli,
De nece ſui Domini:
Quem pœna mortis crudeli
Serui damnarant impij.
Q uæſumus auctor.
G loria tibi Domine. &c.

Antiphona, Pſal. ℣. ℟. ſicut in die Paſchæ. 321.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 20.

IN illo tempore: Cum eſſet ſero die illa, vna Sabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

Homil. 26. in Euang.

PRima lectionis huius Euangelicæ quæſtio animum pulſat: quomodo poſt reſurrectionem corpus Dominicum verum fuit, quod clauſis ianuis ad diſcipulos ingredi potuit. Sed ſciendum nobis eſt, quòd diuina operatio, ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sed hæc ipſa Redemptoris noſtri opera, quæ ex ſe metipſis comprehendi nequaquam poſſunt, ex alia eius operatione penſanda ſunt: vt rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabiliora.

Lectio

Lectio ij.

Illud enim corpus Domini intrauit ad diſcipulos clauſis ianuis, quod videlicet ad humanos oculos per natiuitatem ſuam clauſo exijt vtero Virginis. Quid ergo mirum, ſi clauſis ianuis poſt reſurrectionem ſuam in æternum iam victurus intrauit, qui moriturus veniens, non aperto Virginis vtero exijt? Sed quia ad illud corpus, quod videri poterat, fides intuentium dubitabat, oſtendit eis protinus manus & latus: palpandam carnem præbuit, quam clauſis ianuis introduxit.

Lectio iij.

Qva in re duo mira, & iuxta humanam rationem ſibi valde contraria oſtendit: dum poſt reſurrectionem ſuam corpus ſuum incorruptibile, & tamen palpabile demonſtrauit. Nam & corrumpi neceſſe eſt quod palpatur: & palpari non poteſt quod non corrumpitur. Sed miro modo atque inæſtimabili Redemptor noſter & incorruptibile poſt reſurrectionem, & palpabile corpus exhibuit: vt monſtrando incorruptibile, inuitaret ad præmium: & præbendo palpabile, firmaret ad fidem. ℣. In reſurrectione tua Chriſte alleluia. 322.

In Laudibus Antiphonæ, ſicut in die Paſchæ, quæ etiam dicant ad Horas. Cap. Chriſtus reſurgens. 331.

Hymnus.

Sermone blando Angelus
Prædixit mulieribus:
In Galilæa Dominus
Videndus eſt quantocyus.

Illæ dum pergunt concitæ,
Apoſtolis hoc dicere,
Videntes eum viuere,
Oſculantur pedes Domini.

Quo agnito diſcipuli
In Galilæam propere
Pergunt videre faciem
Deſideratam Domini.

Claro Paſchali gaudio
Sol mundo nitet radio,
Cum Chriſtum iam Apoſtoli
Viſu cernunt corporeo.

Oſtenſa ſibi vulnera,
In Chriſti carne fulgida,
Reſurrexiſſe Dominum
Voce fatentur publica.

Rex Chriſte clementiſſime,
Tu corda noſtra poſſide:
Vt tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.

Quæſumus auctor.

Gloria tibi Domine, &c.

℣. Gauiſi ſunt diſcipuli, alleluia.
℟. Viſo Domino, alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Poſt dies octo ianuis clauſis ingreſſus Dominus, dixit eis: Pax vobis, alleluia, alleluia. Oratio. Præſta quæſumus. Memoria de Cruce, Aña. Crucifixus ſurrexit à mortuis, & redemit nos, alleluia, alleluia. ℣. Dicite in nationibus, allel. ℟. Quia. Oratio. Deus, qui pro nobis. 323. Prædicto modo, in Veſper. & in Laudib. poſt alias Memorias, quæ occurrunt, fiat Memoria de Cruce quotidie vſque ad

Digitized by Google

ad Vigil. Aſcenſionis in Veſp. excluſiue, niſi in Inuentione S. Crucis: & niſi in Feſtis Duplicibus, & Totis Duplicibus. Ad Primam, Hymnus Iam lucis. Capit. Regi ſæculorum. ℟. Ieſu Chriſte Fili Dei viui, miſerere nobis, Alleluia, alleluia. Ieſu. ℣. Qui ſurrexiſti à mortuis. Alleluia. Iſte ℣. dicatur quotidie vſq.ad Aſcenſionem excluſiue, niſi in Feſto Annũciationis, quando poſt Paſcha celebratur, & in Ferijs quintis quando de Sacramento, & in Sabbatis, quando de B.Virg.agitur. ℣. Exurge. Ad Tertiam.Cap. Chriſtus reſurgens. ℟. Reſurrexit Dominus, Alleluia, alleluia. Reſurrexit. ℣. Sicut dixit vobis. Alleluia. Gloria. Reſurrexit. ℣. Surrexit Dominus vere. 325.

Ad Sextam, Capit. *Col.3.*

SI conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. ℟. Surrexit Dominus vere, Alleluia, alleluia. Surrexit. ℣. Et apparuit Simoni. Alleluia. Gloria Patri. Surrexit. ℣. Surrexit Dominus de ſepulchro. 327.

Ad Nonam, Capit. *Col.3.*

CVm autem Chriſtus apparuerit, vita veſtra: tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. ℟. Surrexit Dominus de ſepulchro, Alleluia, alleluia. Surrexit. ℣. Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluia. Gloria Patri. Surrexit. ℣. Gauiſi ſunt. vt ſupra.

Ad Veſp. ſuper Pſalm. Antiph.

ALleluia, alleluia, alleluia, allel. Pſal. Dixit Dominus. 77. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri. In exitu Iſrael.

Prædicta Antiph. cum Pſalmis dicitur omnibus Dominicis diebus vſque ad Aſcenſionem, quando de Tempore agitur Capitulũ Hym. ℣. vt in primis Veſp. Ordo huius diei, ſcilicet Hymnorum, Verſic. Capit. Reſponſ. ad Horas ſeruetur, vſque ad Aſcenſionem excluſiue, tam in Dominicis, quam in Ferialibus diebus, quando de Tempore agitur.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quia vidiſti me Thoma credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt, alleluia.

Quod ſi aliquod Feſtũ Dup. vel maius immediate occurrerit celebrandum, ſolam Memoriam habebit in primis Veſper. excepto Feſto Annunciationis B.Mariæ, & Feſtis SS. noſtri Ordinis, quæ integras Veſperas habebunt, & in fine fiet Mem. de Octa. per Antiph. Quia vidiſti. Per Hebdomadam quando de Tempore agitur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, alleluia, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Hæc autem ſcripta ſunt vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine ipſius, alleluia.

FERIA

Digitized by Google

FERIA SECVNDA.

In Ferialibus diebus abhinc vſque poſt Oct. Corporis Chriſti non fiant Proſtrationes ad Matut. nec ad alias Horas, nec dicantur Preces ad Matut. Tertiam, Sextam, Nonam, & Veſper

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Alleluia, alleluia, Alleluia.

IN NOCTVRNO.

Super Pſal. Antiph. **Alleluia.** Pſalm. **Dominus illuminatio. 16. Ad te Domine. 17. Afferte. 18.** Inuitat. & Aña prædicta dicatur omnibus Ferialibus diebus, vſque ad Aſcenſionem excluſiue, quando de Feria agitur. Hodie incipit Hiſtoria. **Dignus es.** niſi Feſta impediant: & cantatur in hac Hebdomada, & duabus ſequentibus, quando de Tempore agitur.

Incipit Liber Apocal. B. Ioannis Apoſtoli. Lectio j. **C. 1.**

APocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus palam facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri cito: & ſignificauit, mittẽs per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni, qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti, quæcunque vidit. Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius: & ſeruat ea, quæ in ea ſcripta ſunt: tempus enim prope eſt. ℟. **Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo, In ſanguine tuo, allel.** ℣. **Feciſti enim nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes. In ſanguine.**

Lectio ij.

IOannes ſeptem Eccleſijs quæ ſunt in Aſia. Gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt: & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt: & à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo: & fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri ſuo: ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen. ℟. **Ego ſicut vitis fructificaui ſuauitatem odoris, alleluia. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini, alleluia, alleluia.** ℣. **Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. Tranſite.**

Lectio iij.

ECce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ: etiam, amen. Ego ſum alpha & omega, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens. Ego Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione & regno & patientia in Chriſto Ieſu, fui in inſula quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Ieſu. ℟. **Audiui vocem de cælo, tamquam vocem tonitrui magni, alleluia: Regnabit Deus noſter in æternum, alleluia: Quia facta eſt ſalus, & virtus, & poteſtas Chriſti eius, Alleluia, alleluia.**

Digitized by Google

alleluia. ℣. Et vox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis Deũ puſilli, & magni. Quia. Gloria Patri. Alleluia, alleluia.

In Laudibus, Antiphona. Alleluia, alleluia. Hæc Antiphona dicatur vſque ad Aſcenſionem, tam in Dominicis, quàm in Profeſtis diebus, quando de Tempore agitur. Pſalm. Dominus regnauit. & ceteri dicantur per totum tempus Paſchale. Reliquæ Antiphonæ ad Horas tam in Dñicis, quàm in Ferialibus diebus, vſque ad Aſcenſionem, habentur in Pſalterio poſt Pſal. Horarum. Ad Veſper. ſuper Pſal. Antiph. Alleluia. Prædicta Antiph. dicatur ſuper Pſal. ad Veſp. in Profeſtis diebus vſque ad Aſcenſionem Domini, quando de Tempore agitur.

FERIA TERTIA.

Pſal. Dixi, Cuſtodiam 26. Expectans. 26. Beatus qui intelligit. 28.

De Libro Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 2.

ANgelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum: Scio opera tua, & laborem & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos: & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inueniſti eos mendaces: & patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti. Sed habeo aduerſum te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti. ℟. Locutus eſt ad me vnus de ſeptem Angelis, dicens: Veni oſtendam tibi nouam nuptam ſponſam Agni. Et vidi Ieruſalem deſcentem de cælo, ornatam monilibus ſuis, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum. Et vidi.

Lectio ij.

ET Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit primus, & nouiſſimus, qui fuit mortuus, & viuit: Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed diues es, & blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt ſynagoga ſatanæ. Nihil horum timeas, quæ paſſurus es. Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. ℟. Audiui vocem in cælo Angelorum multorum dicentium: Timete Dominum, & date claritatem illi, & adorate eum qui fecit cælum & terram, mare, & fontes aquarum, alleluia, alleluia. ℣. Vidi Angelum Dei volantem per medium cæli, voce magna clamantem, & dicentem. Timete.

Lectio iij.

ET Angelo Pergami Eccleſiae ſcribe: Hæc dicit qui habet romphæam vtraque parte acutam: Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt ſatanae: & tenes nomen meum, & non negaſti fidem meam. Et in diebus illis Antipas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos, vbi ſatanas habitat. Sed habeo aduerſus te

pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam. ℞. Oſtendit mihi Angelus fontem aquæ viuæ, Et dixit ad me, alleluia: Hic Deum adora, Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Poſtquam audiſſem & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtēdebat, & dixit. Hic Deum. Gloria Alleluia.

FERIA QVARTA.

Pſalm. Dixi inſipiens. ij. 34.
Exaudi Deus orationem. 35.
Miſerere. ij. 36.

De Libro Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 2.

ET Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco: Noui opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & miniſterium, & patientiam tuam, & opera tua nouiſſima plura prioribus. Sed habeo aduerſus te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit propheten, docere, & ſeducere ſeruos meos fornicari, & manducare de idolothytis. ℞. Vidi portam ciuitatis ad Orientem poſitam, & Apoſtolorum nomina, & Agni ſuper eam ſcripta: Et ſuper muros eius Angelorum cuſtodiam, alleluia. ℣. Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo, ornatam tamquam ſponſam viro ſuo. Et ſuper.

Lectio ij.

VObis autem dico, & ceteris qui Thyatiræ eſtis: Quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt altitudines ſatanæ, quæmadmodum dicunt, non mittam ſuper vos aliud pondus: tamen id quod habetis, tenete donec veniam. Et qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes. ℞. Vidi Ieruſalem deſcendentem de cælo ornatam auro mundo: Et lapidibus pretioſis intextam, alleluia, alleluia. ℣. Ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietate. Et lapidibus.

Lectio iij. C. 3.

ET Angelo Eccleſiæ Sardis ſcribe: Hæc dicit, qui habet ſeptem ſpiritus Dei, & ſeptem ſtellas: Scio opera tua, quia nomen habes quòd viuas, & mortuus es. Eſto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris, & ſerua, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tamquam fur, & neſcis qua hora veniam ad te. ℞. In diademate capitis Aaron lapides pretioſi fulgebant: Dum perficeretur opus Dei, Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Corona aurea ſuper caput eius, expreſſa ſigno ſanctitatis. Dum. Gloria Patri. Alleluia.

FERIA QVINTA.

Pſalm. Saluum me fac. ij. 43.
Deus in adiutorium. 45. In te Domine. ij. 45.

De Libro Apocal. B. Ioānis Apoſtoli.

Lectio i. C. 3.

ET Angelo Philadelphiæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit Sanctus & Verus, qui habet clauem Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit: Scio opera tua. Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere: quia modicam habes virtutem, & ſeruaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum. Ecce dabo de ſynagoga ſatanæ, qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt: ſed mentiuntur.

Lectio ij.

ECce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos: & ſciẽt quia ego dilexi te, quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt in orbem vniuerſum tentare habitantes in terra. Ecce venio cito: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum.

Lectio iij.

QVi habet aurem, audiat, quid ſpiritus dicat Eccleſijs. Et Angelo Laodiciæ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit: Amen, teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei. Scio opera tua: quia neque frigidus es, neque calidus: vtinam frigidus eſſes, aut calidus: ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.

FERIA SEXTA.

Pſal. Exultate Deo. 54. Deus ſtetit in ſynagoga. 55. Deus, quis ſimilis. 55.

De Libro Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli.

Lectio j. C. 4.

POſt hæc vidi: & ecce oſtium apertum in cælo: & vox prima quam audiui tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc, & oſtendam tibi, quæ oportet fieri poſt hæc. Et ſtatim fui in ſpiritu: & ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſupra ſedem ſedens. Et qui ſedebat ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis & ſardinis: & iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ.

Lectio ij.

ET in circuitu ſedis, ſedilia vigintiquatuor: & ſuper thronos, vigintiquatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimẽtis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: & ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei. Et in conſpectu ſedis tamquam mare vitreum, ſimile cryſtallo: & in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis ante & retro.

Lectio iij.

ET animal primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habẽs faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile

Digitized by Google

mile aquilæ volanti. Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas: & in circuitu, & intus plena ſunt oculis: & requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.

S A B B A T O.

Pſal. Cantate. ij. 64. Dominus regnauit, iraſcantur. 64. Iubilate. ij. 65.

De Libro Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 5.

ET vidi in dextera ſedentis ſupra thronum, librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna: Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius? Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neq. ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus eſt aperire librum, nec videre eum.

Lectio ij.

ET vnus de ſenioribus dixit mihi: Ne fleueris: ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius. Et vidi: & ecce in medio throni & quatuor animaliũ, & in medio ſeniorum, Agnum ſtantem tamquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem: qui ſunt ſeptem Spiritus Dei, miſſi in omnem terram. Et venit: & accepit de dextera ſedentis in throno librum.

Lectio iij.

ET cum aperuiſſet librum, quatuor animalia, & vigintiquatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum: & cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.

D O M I N I C A I.

Poſt Oct. Paſchæ. Sabbato præcedenti.

Ad Magnificat Antiphona.

Hæc autem. vt ſupra in Dominica præcedenti. 335. Oratio.

DEus, qui in Filij tui humilitate iacentem mundum erexiſti: fidelibus tuis perpetuam concede lætitiã: vt quos perpetuæ mortis eripuiſti caſibus, gaudijs facias ſempiternis perfrui. Per eundem Dominum.

Ad Matutinum, inuitatorium.

Vt in Dominica præcedenti. 333. In Nocturno. Super Pſal. Aña. Surrexit Chriſtus, & illuxit populo ſuo, quem redemit ſanguine ſuo, alleluia. Pſal. Beatus vir. 1. Quare fremuerunt. 1. Domine quid. 2. Prædicta Antiph. cũ ſuis Pſalmis dicatur in Dominicis diebus vſque ad Aſcenſionem, quando de Temp. agitur.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio i. C. 10.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Phariſæis: Ego ſum paſtor bonus. Bonus.

Bonus paſtor animam ſuam dat pro quibus ſuis. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

Hom. 41. in Euang.

AVdiſtis, fratres chariſſimi, ex lectione Euangelica eruditionẽ veſtram: audiſtis & periculum noſtrum. Ecce enim is, qui non ex accidenti dono, ſed eſſentialiter bonus eſt, dicit: Ego ſum paſtor bonus. Atque eiuſdem bonitatis formam, quam nos imitemur, adiungit, dicens: Bonus paſtor animã ſuam ponit pro ouibus ſuis. Fecit quod monuit: oſtendit quod iuſſit. ℟. Dignus es. 336.

Lectio ij.

BOnus paſtor pro ouibus ſuis animam ſuam poſuit, vt in ſacramento noſtro corpus ſuum & ſanguinem verteret, & oues quas redemerat, carnis ſuæ alimento ſatiaret. Oſtẽſa nobis eſt igitur de contemptu mortis via, quam ſequamur: appoſita eſt forma, cui imprimamur. Primum nobis eſt, exteriora noſtra miſericorditer ouibus impendere: poſtremum vero, ſi neceſſe ſit, etiam vitam noſtram pro eiſdem ouibus miniſtrare. ℟. Ego ſicut. 336.

Lectio iij.

A Primo autem hoc minimo peruenitur ad poſtremum maius. Sed cum incomparabiliter longe ſit melior anima qua viuimus, terrena ſubſtãtia quam exterius poſſidemus: qui non dat pro ouibus ſubſtantiam ſuam, quando pro his daturus eſt animam ſuam? Et ſunt nõnulli, qui dum plus terrenam ſubſtantiam, quàm oues diligunt, merito nomen paſtoris perdunt: de quibus protinus ſubditur: Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. ℟. Audiui 336.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ego ſum paſtor bonus, qui paſco oues meas, & pro ouibus meis pono animam meam, alleluia, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ego ſum paſtor ouium: ego ſum via, veritas, & vita: ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcũt me meæ, alleluia, alleluia.

Per Hebdom. quando de Temp. agitur, ad Benedictus, Antiphona.

Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient: & fiet vnum ouile, & vnus paſtor, alleluia.

FERIA SECVNDA.

Pſalm. Exaltabo. 18. In te Domine. 18. Beati quorum. 20.

De Libro Apocalypſis beati Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 6.

ET vidi quòd aperuiſſet Agnus vnum de ſeptem ſigillis, & audiui vnum de quatuor animalibus, dicens, tamquam vocem tonitrui: Veni, & vide. Et vidi: & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret. Et cum aperuiſſet ſigillum ſecundum, audiui

ſecundum animal, dicens: Veni, & vide. Lectio ij.

ET exiuit alius equus rufus: & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei vt ſumeret pacem de terra, & vt inuicem ſe interficiant: & datus eſt ei gladius magnus. Et cum aperuiſſet ſigillum tertium, audiui tertium animal, dicens: Veni, & vide. Et ecce equus niger: & qui ſedebat ſuper illum, habebat ſtateram in manu ſua. Et audiui tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum, & oleum ne læſeris. Lectio iij.

ET cum aperuiſſet ſigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis: Veni, & vide. Et ecce equus pallidus: & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors; & infernus ſequebatur eum, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtijs terræ.

FERIA TERTIA.

Pſal. Quemadmodum. 28. Deus auribus. 29. Eructauit. 30.

De Libro Apocalypſis beati Ioannis Apoſtoli. Lect. j. C. 8.

ET vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei: & datæ ſunt illis ſeptem tubæ. Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum: & data ſunt illi incenſa multa: vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo. Lectio ij.

ET accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & miſit in terram, & facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus. Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, parauerunt ſe vt tuba canerent. Et primus Angelus tuba cecinit, & facta eſt grando, & ignis mixta in ſanguine, & miſſum eſt in terram. Lectio iij.

ET tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt, & omne fœnum viride combuſtũ eſt. Et ſecundus Angelus tuba cecinit; & tamquam mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris ſanguis, & mortua eſt tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interijt.

FERIA QVARTA.

Pſalm. Miſerere. iij. 37. Si vere. 37. Eripe me de inimicis. 37.

De Libro Apocalypſis beati Ioannis Apoſtoli. Lect. j. C. 10.

ET vidi alium Angelum fortem deſcendentem de cælo amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt ſol, & pedes eius tamquã columnæ ignis: & habebat in manu ſua libellum apertum: & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare: ſiniſtrum autem ſuper terrã: & clamauit voce magnã, quemadmodũ cum leo rugit. Et cum clamaſſet, locuta ſunt

ſeptem

ſeptem tonitrua voces ſuas.

Lectio ij.

ET cum locuta fuiſſent ſeptē tonitrua voces ſuas, ego ſcripturus eram: & audiui vocem de cælo dicentem mihi: Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua: & noli ea ſcribere. Et Angelus, quem vidi ſtantem ſuper mare, & ſuper terram, leuauit manum ſuam ad cælum: & iurauit, per viuentem in ſæcula ſæculorum, qui creauit cælum, & ea quæ in eo ſunt: & terram, & ea quæ in ea ſunt: & mare, & ea quæ in eo ſunt: Quia tempus non erit amplius. Lectio iij.

SEd in diebus vocis ſeptimi Angeli, cum cœperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei, ſicut euangelizauit per ſeruos ſuos Prophetas. Et audiui vocem de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli ſtantis ſuper mare, & ſuper terram. Et abij ad Angelum, dicens ei, vt daret mihi librum.

FERIA QVINTA.

Pſalm. Deus iudicium. 46. Quàm bonus. 47. Vt quid Deus. 48.

De Libro Apocalypſis beati Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 11.

ET datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ, & dictum eſt mihi: Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo. Atrium autem, quod eſt foris templum, eijce foras, & ne metiaris illud: quoniam datum eſt Gentibus, & ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus. Lectio ij.

ET dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducētis ſexaginta, amicti ſaccis. Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes. Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum, & ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi.

Lectio iij.

HI habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum: & poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint. Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet aduerſum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.

FERIA SEXTA.

Pſal. Quàm dilecta tabernacula. 55. Benedixiſti Domine. 56. Inclina. 56.

De Libro Apocalypſis beati Ioannis Apoſtoli. Lect. j. C. 11. & 12.

ET apertum eſt templum Dei in cælo, & viſa eſt arca teſtamenti eius in templo eius, & facta ſunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna. Et ſignum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim: & in vtero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariat. Lectio ij.

ET viſum eſt aliud ſignum in cælo & ecce draco magnus rufus

habens capita ſeptem, & cornua decem: & in capitibus eius diademata ſeptem, & cauda eius trahebat tertiã partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram. Et draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cum peperiſſet, filium eius deuoraret. Lectio iij.

ET peperit filium maſculum, qui recturus erat omnes Gentes in virgã ferrea: & raptus eſt filius eius ad Deum, & ad thronum eius, & mulier fugit in ſolitudinem vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta.

S A B B A T O.

Pſal. Miſericordiam. 65. Domine exaudi. 65. Benedic. 66.

De Libro Apocalypſis beati Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 13.

ET vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua eius decem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ. Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat pardo, & pedes eius ſicut pedes vrſi, & os eius ſicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam.

Lectio ij.

ET vidi vnum de capitibus ſuis, quaſi occiſum in mortem: & plaga mortis eius curata eſt. Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiã. Et adorauerunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ: & adorauerunt beſtiam, dicentes: Quis ſimilis beſtiæ; Et quis poterit pugnare cum ea? Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias. Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.

Lectio iij.

ET apperuit os ſuum in blaſphemias ad Deũ, blaſphemare nomẽ eius, & tabernaculũ eius & eos qui in cælo habitãt. Et eſt datũ illi bellũ facere cum ſanctis, & vincere eos. Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum & linguam, & gentem: & adorauerunt eam omnes qui in habitant terram: quorum non ſunt ſcripta nomina in Libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.

D O M I N I C A II.

Poſt Octa. Paſchæ.

Sabbato præcedenti.

Ad Magnificat, Antiphona.

Alias oues habeo. vt in Dominica præcedenti. 341. Oratio.

DEus qui errantibus, vt in viam poſſint redire iuſtitiæ, veritatis tuæ lumen oſtendis: da cunctis, qui Chriſtiana profeſſione cẽſentur, & illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt nomini, & ea quæ ſunt apta, ſectari. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem. Lect. j. C. 16.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Modicum & iam nõ videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi. *Tract.*

Digitized by Google

Tract. 101. in c. Ioan. ſub finem.

MOdicum eſt hoc totum ſpatiũ, quo præſens peruolat ſæculũ. Vnde dicit idem ipſe Euangeliſta in Epiſtola ſua: Nouiſſima hora eſt. Ideo namq. addidit: Quia vado ad Patrem: quod ad priorem ſententiam referendum eſt, vbi ait: Modicum & iam nõ videbitis me: non ad poſteriorem, vbi ait: Et iterum modicum, & videbitis me. Eundo quippe ad Patrem, facturus erat vt eum non viderent.

Lectio ij.

ILlis ergo ait: Modicum & iam, non videbitis me, qui eum corporaliter tunc videbant: quia iturus erat ad Patrem, & eum deinceps mortalẽ viſuri non erant, qualem, cum iſta loquerentur, videbant. Quod vero addidit, Et iterũ modicum, & videbitis me: vniuerſæ promiſit Eccleſiæ. Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Non tardat Dominus promiſsum. Lectio iij.

MOdicum & videbimus eum: vbi iam nihil rogemus, nihil interrogemus, quia nihil deſiderandum remanebit, nihil quærendum latebit. Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur: cum finitum fuerit, tunc ſentiemus quàm modicũ fuerit. Non ergo ſit gaudium noſtrũ quale habet mundus, de quo dictum eſt: Mundus autem gaudebit. Nec tamen in huius deſiderij parturitione, ſine gaudio triſtes ſimus: ſed, ſicut ait Apoſtolus: Spe gaudentes.

Ad Benedictus, Antiphona.

Modicum & non videbitis me, dicit Dominus: iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem, alleluia, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Iterum autem videbo vos: & gaudebit cor veſtrum, alleluia: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis, alleluia.

Per Hebdomadam, quando de Tempore agitur. Ad Benedictus Antiph.

Amen amen dico vobis, quia plorarabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudiũ, alleluia. Magnificat, Antiphona.

Triſtitia impleuit cor veſtrum: & gaudiũ veſtrũ nemo tollet à vobis allelu.

FERIA SECVNDA.

Pſalm Exultate iuſti. 20. Benedicam. 21. Iudica Domine. 22.

De Libro Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 18.

VIdi alium Angelum deſcendentem de cælo, habentem poteſtatem magnam: & terra illuminata eſt à gloria eius. Et exclamauit in fortitudine dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ, & odibilis: quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes: & reges terræ cum illa fornicati ſunt: & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti ſunt.

Lectio ij.

ET audiui aliam vocem de cælo, dicentem: Exite de illa populus meus:

meus: ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cælum: & recordatus eſt Dominus iniquitatum eius. Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis: & duplicate duplicia ſecundum opera eius. In poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum. Lectio iij.

QVantum glorificauit ſe & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum: quia in corde ſuo dicit: Sedeo regina: & vidua non ſum: & luctum non videbo. Ideo in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis eſt Deus, qui iudicabit illam. Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam reges terræ.

FERIA TERTIA.

Pſalm. Deus noſter. 30. Omnes gentes. 31. Magnus Dominus. 31.

De Libro Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 19.

AVdiui quaſi vocem turbarum multarum in cælo dicentium: Alleluia. Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt: quia vera & iuſta iudicia ſunt eius qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua, & vindicauit ſanguinem ſeruorum ſuorum de manibus eius. Et iterum dixerunt: Alleluia. Et fumus eius aſcendit in ſæcula ſæculorum. Lectio ij.

ET ceciderunt ſeniores viginti-quatuor, & quatuor animalia, & adorauerunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes: Amen; alleluia. Et vox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſerui eius: & qui timetis Deum, puſilli & magni. Lectio iij.

ET audiui quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorũ magnorum, dicentium: Alleluia: quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ Agni, & vxor eius præparauit ſe. Et datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido. Byſſinum enim, iuſtificationes ſunt Sanctorum.

FERIA QVARTA.

Pſalm. Deus repuliſti. 38. Exaudi Deus deprecationem. 39. Nonne Deo ſubiecta. 39.

De Libro Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 20.

ET vidi Angelum deſcendentem de cælo, habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua. Et apprehendit draconem, ſerpentẽ antiquum, qui eſt diabolus, & ſatanas, & ligauit eum per annos mille: & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni: & poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore.

Lectio ij.

ET vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis: & animas decollatorum propter teſtimonium

Digitized by Google

monium Ieſu, & propter verbum Dei, & qui non adorauerunt beſtiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus ſuis, & vixerunt, & regnauerunt cum Chriſto mille annis.

Lectio iij.

CEteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima. Beatus, & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima: in his ſecunda mors non habet poteſtatem: ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.

FERIA QVINTA.

Pſalm. Confitebimur. 48. Notus in Iudæa. 49. Voce mea. 49.

De Libro Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 21.

ET vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim cælum, & prima terra abijt, & mare iam non eſt. Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendẽtem de cælo à Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cũ hominibus, & habitabit cum eis.

Lectio ij.

ET ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus: & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorũ: & mors vltra nõ erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt. Et dixit qui ſedebat in throno: Ecce noua facio omnia.

Lectio iij.

ET dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt, & vera. Et dixit mihi: Factum eſt. Ego ſum alpha, & omega: initium, & finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis. Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.

FERIA SEXTA.

Pſalm. Fundamenta. 57. Domine Deus ſalutis. 57. Miſericordias. 58.

De Libro Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 21.

ET ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum, & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei: & lumen eius ſimile lapidi pretioſo tamquam lapidi iaſpidis, ſicut cryſtallum. Et habebat murum magnum, & altum, habẽtem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſrael.

Lectio ij.

ET erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide: ipſa vero ciuitas aurum mundum ſimile vitro mundo. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum, iaſpis: ſecundum, ſapphirus: tertium, calcedonius: quartum, ſmaragdus: quintum, ſardonyx, ſextum, ſardius: ſeptimum, chriſolythus: octauum, beryllus: nonum, topatius: decimum chryſopraſus: vndecimum, hyacinthus: duodecimum amethyſtus.

Lectio

Lectio iij.

ET duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas: & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis: & platea ciuitatis aurũ mundum, tamquam vitrum perlucidum. Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & Agnus. Et ciuitas non eget ſole, neque luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt Agnus.

SABBATO.

Pſal. Benedic. ij. 67. Confitemini. j. 70. Confitemini ij. 71.

De Libro Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 22.

ET dixit mihi: Hæc verba fideliſſima ſunt, & vera: & Dominus Deus ſpirituum Prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis quæ oportet fieri cito. Et ecce venio velociter. Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ libri huius. Et ego Ioannes, qui audiui & vidi hæc: & poſtquàm audiſſem & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hoc oſtendebat. Lectio ij.

ET dixit mihi: Vide ne feceris: conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum qui ſeruant verba prophetiæ libri huius: Deum adora. Et dixit mihi: Ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius: tempus enim prope eſt. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc. Lectio iij.

ECce venio cito, & merces mea mecum eſt reddere vnicuique ſecundum opera ſua. Ego ſum alpha, & omega, primus, & nouiſſimus, principium, & finis. Beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine Agni: vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.

DOMINICA III.

Poſt Octau. Paſchæ.

Sabbato præcedenti ad Veſper. ℟. Viderunt. ij. Ad Magnificat, Antiph. Triſtitia. 345. Oratio.

DEus qui fidelium mentes vnius efficis volũtatis: da populis tuis id amare quod præcipis, id deſiderare quod promittis: vt inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda, vbi vera ſunt gaudia. Per Dominum.

Ad Matut. Hodie incipit Hiſtoria Si oblitus. niſi Feſta impediant, & dicitur in hac Hebdomada, & ſequentibus, vſque ad Feſtum Aſcenſionis exclusiue, quando de Tempore agitur.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 16.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vado ad eum, qui miſit me: & nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 94. in Ioan. init.

CVm Dominus Ieſus prædixiſſet diſcipulis ſuis perſecutiones, quas paſſuri erãt poſt eius abſceſſum, ſubiunxit atque ait: Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram:

eram: nunc autem vado ad eum, qui miſit me. Vbi primum videndum eſt, vtrum eis futuras non prædixerit ante paſſiones. Sed alij tres Euangeliſtæ ſatis eum prædixiſſe iſta demonſtrant, antequam ventum eſſet ad cœnam. ℟. Si oblitus fuero tui, alleluia, obliuiſcatur mei dextera mea: Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, alleluia. ℣. Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion, Ad hæreat.

Lectio ij.

Qua peracta, ſecundum Ioannē iſta locutus eſt, vbi ait: Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcū eram. An forte hinc iſta ſoluitur quæſtio, quia & illi eum narrant paſſioni proximū fuiſſe cum hæc diceret? Non ergo ab initio, quando cū illis erat: quia iam diſceſſurus, iāq; ad Patrem perrecturus hæc dixit. Et ideo etiam ſecundū illos Euangeliſtas verum eſt quod hic dictum eſt: Hæc autem vobis ab initio non dixi. ℟. Viderūt te aquæ Deus, viderūt te aquæ; & timuerunt: Multitudo ſonitus aquarum, vocem dederunt nubes, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, cōmota eſt, & contremuit terra. Multitudo.

Lectio iij.

Sed quid agimus de fide Euangelij ſecundū Matthæum, qui hæc eis à Domino nō ſolum cum iam Paſcha eſſet cum diſcipulis cœnaturus, imminente paſſione, verum & ab initio denunciata eſſe commemorat, vbi primum nominatim duodecim exprimūtur Apoſtoli, & ad opera diuina mittuntur? Quid ſibi ergo vult, quod hic ait: Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram: niſi quia ea, quæ hic dicit de Spiritu ſancto, quòd ſit venturus ad eos, & teſtimonium perhibiturus, quando mala illa paſſuri ſunt, hæc ab initio non dixit, quia cum ipſis erat? ℟. Narrabo nomen tuum fratribus meis, alleluia, in medio Eccleſiæ Laudabo te, Alleluia, alleluia. ℣. Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo graui. Laudabo. Gloria. Alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Vado ad eum, qui miſit me: ſed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrū, allel. Ad Magnif. Aña. Ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam: ſi enim non abiero, Paraclitus nō veniet ad vos, alleluia.

Per Hebdomadam, quando de Tempore agitur. Ad Benedictus. Antiph.

Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo: cum autē venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis, alleluia.

FERIA SECVNDA.

Pſal. Dixit iniuſtus. 23. Noli æmulari. 23. Domine ne in furore. 25.

Incipit Epiſtola Catholica B. Iacobi Apoſtoli. Lectio 1. C. 1.

Iacobus, Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus, duodecim tribu-

tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem. Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: ſcientes quòd probatio ſi dei veſtræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet: vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes. ℟. Si oblitus. 348. Lect. ij.

SI quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet, à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo æſtimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino. Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis. ℟. Viderunt. 349. Lectio iij.

GLorietur autem frater humilis in exaltatione ſua: diues autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit. Exortus eſt enim ſol cum ardore, & areſecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt: ita & diues in itineribus ſuis marceſcet. Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligẽtibus ſe. ℟. Narrabo nomen tuũ fratribus meis. 349.

FERIA TERTIA.

Pſal. Audite hæc. 32. Deus Deorum. 32. Quid gloriaris. 34.

℟. De Epiſtola B. Iacobi Apoſtoli.

Lectio j.

NOlite plures magiſtri fieri, fratres mei, ſciẽtes quoniã maius iudicium ſumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir: poteſt etiam fræno circumducere totum corpus. Si autem equis fræna in ora mittimus ad conſentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus. ℟. In toto corde meo, alleluia, exquiſiui te, alleluia: Ne repellas me à mandatis tuis, alleluia, allleluia. ℣. Benedictus es tu Domine, doce me iuſtificationes tuas. Ne repellas.

Lectio ij.

ECce, & naues, cum magnæ ſint, & à ventis validis minentur, circumferuntur à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrũ eſt, & magna exaltat. Ecce quantus ignis, quàm magnam ſiluam incendit Et lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis. ℟. In Eccleſijs benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael, Alleluia, alleluia. ℣. Cantate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra. Alleluia.

Lectio iij.

LIngua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ inflammata à gehenna. Omnis enim natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium, & ceterorum domantur, & domita ſunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, plena veneno mortifero. ℟. Hymnum cantate nobis, alleluia, de canticis

Sion,

Digitized by Google

Sion, alleluia. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Alleluia, alleluia. ℣. Illic interrogauerũt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba canticorum. Quomodo. Gloria. Alleluia.

FERIA QVARTA.

Pſalm. Exaudi Deus orationem. 39. Iubilate. 41. Exurgat. 42.

De Epiſtola prima B. Petri Apoſtoli.

Lectio j. C. 2.

CHariſsimi, obſecro vos tamquam aduenas, & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam, conuerſationem veſtram inter Gentes habentes bonam: vt in eo quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderãtes, glorificent Deum in die viſitationis. ℟. Deus canticum nouum cantabo tibi, alleluia: In pſalterio decem chordarum pſallam tibi, alleluia. ℣. Deus meus es tu, & cõfitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. In.

Lectio ij.

SVbiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſiue regi quaſi præcellenti: ſiue ducibus tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorũ: quia ſic eſt voluntas Dei, vt benefacientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiã: quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui Dei. ℟. Alleluia: Audiuimus eum in Ephrata: inuenimus eum in campis ſiluæ. Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius, alleluia, alleluia. ℣. Surge Domine in requiem tuam: tu & arca ſanctificationis tuæ. Introibimus.

Lectio iij.

OMnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: Regem honorificate. Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſte. Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes, & collaphizati ſuffertis? Sed ſi bene facientes patienter ſuſtinetis: hæc eſt gratia apud Deum. ℟. Deduc me ſemitam mandatorum tuorum, alleluia: quoniã ipſam volui, alleluia. Inclina cor meũ in teſtimonia tua, Allelluia, alleluia, alluia. ℣. Auerte oculos meos ne videant vanitatẽ: in via tua viuifica me. Inclina. Gloria. Alleluia.

FERIA QVINTA.

Pſalm. Attendite popule. 50. Deus venerunt. 53. Qui regis Iſrael. 53.

De Epiſtola prima B. Petri Apoſtoli.

Lectio j. C. 3.

CHriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem ſpiritu. In quo, & his qui in carcere erãt, ſpiritibus veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua

pauci,

pauci, ideſt octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Lectio ij.

QVod & vos nunc ſimilis formæ ſaluos facit baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed cõſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti, qui eſt in dextera Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ heredes efficeremur: profectus in cælum ſubiectis ſibi Angelis, & poteſtatibus, & virtutibus.

Lectio iij. C. 4.

CHriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui paſſus eſt in carne, deſijt à peccatis: vt iam non deſiderijs hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne viuat, temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam his, qui ambulauerunt in luxurijs, vinolentijs, comeſſationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus.

FERIA SEXTA.

Pſalm. Deus vltionum. 62. Cantate j. 63. Dominus regnauit, exultet. 63.

De Epiſtola prima B. Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 3.

VIdete qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. Propter hoc mundus non nouit nos: quia non nouit eum. Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus: nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cũ apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Et omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſãctus eſt.

Lectio ij.

OMnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum eſt iniquitas. Et ſcitis quia ille apparuit, vt peccata noſtra tolleret: & peccatum in eo non eſt. Omnis, qui in eo manet, non peccat: & omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. Filioli, nemo vos ſeducat. Qui facit iuſtitiã, iuſtus eſt: ſicut & ille iuſtus eſt.

Lectio iij.

QVi facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli. Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatũ non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus. In hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij diaboli.

SABBATO.

Pſal. Confitemini. ij. 70. Paratum. 73. Deus laudem 73.

De Epiſtola prima Beati Ioannis Apoſtoli. Lect. j. C. 4.

CHariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei. Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtũ in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis quoniam venit, & nunc iam in mundo eſt. Lectio ij.

VOs ex Deo eſtis filioli, & viciſtis eum: quoniam maior eſt qui in vo-

Digitized by Google

in vobis eſt, quàm qui in mundo. Ipſi de mundo ſunt: ideo de mūdo loquūtur, & mundus eos audit. Nos ex Deo ſumus. Qui nouit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos. In hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris.

Lectio iij.

CHariſſimi, diligamus nos inuicē: quia charitas ex Deo eſt. Et, omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum. Qui non diligit, non nouit Deum: quoniam Deus charitas eſt. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum.

DOMINICA IIII. Poſt Octa. Paſchæ. Sabbato præcedēti. Ad Magnificat, Aña. Ille me clarificabit. vt in prædenti Dominica. 349.

Oratio.

DEus, à quo bona cuncta procedunt, largire ſupplicibus tuis: vt cogitemus te inſpirante, quæ recta ſunt, & te gubernante, eadem faciamus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 16.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et reliqua.

Homilia S. Aguſtini Epiſcopi.

Tract. 102. in Ioan. init.

IAm dictum eſt in ſuperioribus huius Dominici ſermonis partibus propter eos qui nonnulla petunt à Patre in Chriſti nomine, nec accipiunt: non peti in nomine Saluatoris, quidquid petitur contra rationem ſalutis. Non enim ſonum litterarum, ac ſyllabarum, ſed quod ſonus ipſe ſignificat, & quod eo ſono recte, ac veraciter intelligitur, hoc accipiendus eſt dicere, cum dicit: In nomine meo.

℞℞. vt in Dominica præcedenti 348.

Lectio ij.

VNde qui hoc ſentit de Chriſto, quod nō eſt de vnico Dei Filio ſentiendum, non petit in eius nomine, etiamſi non taceat litteris ac ſyllabis Chriſtum: quoniom in eius nomine petit, quem cogitat, cum petit. Qui vero quod eſt de illo ſentiendum ſentit, ipſe in eius nomine petit: & accipit quod petit, ſi non contra ſuam ſalutem ſempiternam petit: accipit autem quando debet accipere. Quædā enim non negantur: ſed vt congruo dentur tempore, differuntur.

Lectio iij.

ITa ſane itelligendum eſt quod ait, Dabit vobis: vt ea beneficia ſignificata ſciantur his verbis, quæ proprie ad eos pertinent, qui petunt. Exaudiuntur quippe omnes ſancti pro ſeipſis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis ſuis, vel quibuslibet alijs: quia non vtcumque dictum eſt, dabit, ſed dabit vobis. Vſque modo, inquit, non petiſtis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Hoc quod

dicit, gaudium plenum, non profecto carnale, ſed ſpiritale gaudium eſt.

Ad Benedictus, Antiphona.

Vſque modo non petiſtis quidquã in nomine meo: petite, & accipietis, allel.

Ad Magnificat, Antiphona.

Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum plenũ ſit: ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, alleluia.

FERIA SECVNDA.

In Rogationibus ad Matutinum.

Pſalm. Dominus illuminatio. 16.

Pſalm. Ad te Domine. 17.

Pſalm. Afferte. 18.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 11.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, accommoda mihi tres panes. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 29. de verbis Domini.

VEnit amicus tibi de via, ideſt, de vita huius ſæculi, in quo omnes velut peregrini tranſeunt: nec vllus quaſi poſſeſſor manet, ſed omni homini dicitur: Refectus tranſi, age iter, da venturo locum. Aut forte de via mala, hoc eſt, de vita mala fatigatus neſcio quis amicus tuus, non inueniens veritatem, qua audita & percepta beatus fiat: ſed laſſatus in omni cupiditate & egeſtate ſæculi, venit ad te tamquam ad Chriſtianum, & dicit: Redde mihi rationem, fac me Chriſtianum. Et interrogat forte, quod tu per ſimplicitatem fidei neſciebas. ℟. Si obli. 348. Niſi ſterius Fer. ſuge oporteat legi, vt tota Hiſtoria dicatur.

Lectio ij.

ET non eſt vnde reficias eſurientem, & te admonitus indigentẽ: & dum erubeſcis eum qui te interrogauit, quod quærebat non in te inueniens, compelleris quærere, vt merearis inuenire. Vrget interrogator: ipſum Paulum, aut Petrum, aut aliquem prophetam interrogare non ſineris. Iam enim requieſcit familia iſta cum domino ſuo, & ſæculi huius ignorantia valida eſt, hoc eſt, nox media, & vrget amicus eſuriens. Tibi forte ſufficiebat ſimplex fides, illi non ſufficit, numquid deſerendus eſt? numquid de domo proijciendus eſt? ℟. Viderunt. 349.

Lectio iij.

ERgo ad ipſum dominum, ad ipſum cum quo familia requieſcit, pulſa orando, pete, inſta. Non quomodo amicus ille in ſimilitudine poſitus, tædio victus ſurget, & dabit. Dare vult. Tu pulſans nondum accepiſti: pulſa, dare vult. Et quod dare vult, differt, vt amplius deſideres dilatum, ne vileſcat cito datum. Cum autem perueneris ad tres panes, hoc eſt, ad cibum, & intelligentiam Trinitatis: habes & vnde viuas, & vnde paſcas. Cibus, & panis æternus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, diſce, & doce: viue, & paſce. ℟. Narrabo. 371. Ad Benedictus, Antiph. Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis,

Digitized by Google

vobis, alleluia. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt qui in afflictione noſtra de tua pietate confidimus: contra aduerſa omnia, tua ſemper protectione muniamur. Per Dominum noſtrum.

Hæc Oratio in hac die, & ſeq. ad Laud. tantum dicatur: Ad alias autem Horas, & ad Veſp. Oratio Dominicalis. Si Feſtum Simplex, vel maius in hac Feria ij. venerit, prædicta Homil. legatur in iij. Feriæ ſeq. niſi aliud Feſtum immediate occurrerit: tunc enim dimittitur.

Ad Magnificat, Antiphona.

Omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur, alleluia.

FERIA TERTIA.

In Rogationibus.

Pſal. Dixi, Cuſtodiam. 26. Expectans. 26. Beatus qui intelligit. 27.

Incipit Epiſtola ſecunda B. Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 1.

SEnior Electæ dominæ, & natis eius, quos ego diligo in veritate, & non ego ſolus, ſed & omnes qui cognouerunt veritatem, propter veritatem quæ permanet in nobis, & nobiſcum erit in æternum. Sit vobiſcum gratia, miſericordia, pax à Deo Patre, & à Chriſto Ieſu Filio Patris, in veritate & charitate. Gauiſus ſum valde, quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in veritate, ſicut mandatum accepimus à Patre. Et nunc rogo te domina, non tamquam mandatum nouum ſcribens tibi, ſed quod habuimus ab initio, vt diligamus alterutrum. ℟. In toto corde. 350.

Ex S. Sidonio Apollinari Epiſcopo Aruernenſi lib. 7. Epiſt. 1. & lib. 5. Epiſt. 14. & B. Alcimo Auito Epiſc. Viennenſi Hom. de Rogat. Lectio ij.

CVm Rogationum vſus in Eccleſia antiquiſſimus eſſe noſcatur, celebriores tamen illæ habitæ ſunt, ac ferme ab omnibus Eccleſijs receptæ, quas Sanctus Mamertus Viennenſis Epiſcopus in Gallijs reſtituit. Eius ſiquidem temporibus apud Viennam Galliæ contigerunt incendia crebra, terræ motus aſſidui, nocturni ſonitus, populoſis hominum conuentibus feræ ſiluestres ſe ingerebāt, pauidi cerui per anguſta portarum vſque ad fori lata penetrabant. Tracta ſunt hæc inter timores publicos & rumores priuatos, vſq. ad noctem Vigiliarum Dominicæ Reſurrectionis: quā omnes laborum opem, & malorum finem communibus animis operiebantur. ℟. In Eccleſijs. 350.

Lectio iij.

SEd ea nocte Aedes publica, quam præcelſo ciuitatis vertici ſublimitas in immenſum faſtigiata prætulerat, flammis terribilibus conflagrare crepuſculo cœpit. Interpellatur itaque iucunditas ſolemnitatis, pleno timoris populo Eccleſia vacuatur. Perſtitit tamen coram feſtiuis altaribus inuictus Antiſtes Sanctus Mamertus, & calorem fidei ſuæ accendens flumine lacrymarum, permiſſam ignibus poteſtatem incendio abſcendente compeſcuit. Atque

Digitized by Google

ibi tunc cum Deo tacitus definiuit, quidquid hodie Pſalmis ac precibus mundus inclamat. ℟. Hymn. 350.

Aña ad Benedictus, & Oratio ſicut in præcedenti Feria ij. 355. Ad Magnificat, Antiphona. Omnis qui petit. vt ſupra in ſecunda Feria. 355.

FERIA QVARTA.

In Rogationibus, & Vigilia Aſcenſionis Pſal. Dixit inſipiens. ij. 34. Exaudi Deus orationẽ. 35. Miſerere. j. 36.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 17.

IN illo tempore: Subleuatis Ieſus oculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filiũ tuum. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 104. in Ioan. ſub med.

POterat Dominus noſter, vnigenitus & coæternus Patri, in forma ſerui, & ex forma ſerui, ſi hoc opus eſſet, orare ſilentio: ſed ita ſe Patri exhibere voluit precatorem, vt meminiſſet noſtrum ſe eſſe doctorem. Proinde eam, quam fecit orationem pro nobis, notam fecit & nobis: quoniam tanti magiſtri non ſolum ad ipſos ſermocinatio, ſed etiam ipſius pro ipſis ad Patrem oratio, diſcipulorum eſt ædificatio. ℟. Deus canticum. 351.

Lectio ij.

QVapropter hoc quod ait: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum: oſtendit, omne tempus, & quid, & quando faceret, vel fieri ſineret, ab illo eſſe diſpoſitum, qui tẽpori ſubditus non eſt: quoniã quæ futura erant per ſingula tempora, in Dei ſapientia cauſas efficientes habent, in qua nulla ſunt tempora. Non ergo credatur hæc hora fato vrgente veniſſe, ſed Deo potius ordinante: nec ſiderea neceſſitas Chriſti contexuit paſſionem: abſit enim, vt ſidera mori cogerent ſiderum conditorem. ℟. Alleluia. Audiuimus. 351.

Lectio iij.

CLarificatum à Patre Filium nõnulli accipiunt in hoc, quòd ei non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum. Sed ſi paſſione clarificatus dicitur, quanto magis reſurrectione? Nam in paſſione magis eius humilitas, quàm claritas commendatur, Apoſtolo atteſtante, qui dicit: Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Deinde ſequitur, & de eius clarificatione iam dicit: Propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen. ℟. Deduc. 351.

Ad Benedictus, Antiphona. Clarifica Pater apud temetipſum claritate, quam habui priuſquam mundus fieret, alleluia.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotẽs Deus: vt noſtræ mentis intentio, quò ſolemnitatis vẽturæ glorioſus Auctor ingreſſus eſt, ſemper intendat: & quò fide pergit, conuerſatione perueniat. Per eundem. Dñm. Horæ diei vt ſupra, cũ Oratione de Vig. Si Feſtũ Simplex, vel maius in hac Vigil. venerit, Homil. de Vigil. nõ legitur illo anno.

IN

IN ASCENSIONE DOMINI.

AD VESPERAS.

Super Pſalmos, Antiphona.

Aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus, alleluia. Pſalm. **Laudate pueri,** cum ceteris.

Capitulum. *Act.* 1.

PRimum quidem ſermonem feci de omnibus, ò Theophile, quæ cœpit Ieſus facere & docere, vſque in diem qua præcipiens Apoſtolis, per Spiritum ſanctum, quos elegit, aſſumptus eſt. ℟. **Omnis pulchritudo.** ij.

Hymnus.

AEterne Rex altiſſime,
Redemptor fidelium,
Quo mors ſoluta deperit,
Datur triumphus gratiæ.
Scandens tribunal dexteræ
Patris, poteſtas omnium
Collata Ieſu cælitus,
Quæ non erat humanitus.
Vt trina rerum machina,
Cæleſtium, terreſtrium,
Et infernorum condita,
Flectant genu iam ſubdita.
Tremunt videntes Angeli
Verſa vice mortalium:
Culpat caro, purgat caro,
Regnat Deus, Dei caro.
Tu eſto noſtrum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Sit noſtra in te gloria,
Per cuncta ſemper ſæcula.
Gloria tibi Domine,
Qui ſcandis ſuper ſidera,
Cum Patre ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Iſti duo. ℣℣. ſcilicet **Tu eſto.** & **Gloria tibi Domine.** dicantur in fine omnium Hymn. eiuſdem metri vſque ad Vigiliam Pentecoſtes in Veſp. excluſiue, niſi aliter ſuis proprijs locis ſit notatum. ℣. **Eleuata eſt magnificentia tua, alleluia.** ℟. **Super cælos Deus, alleluia.** Ad Magnificat, Antiphona. **Pater, manifeſtaui nomen tuum hominibus quos dediſti mihi: nunc autem pro eis rogo, non pro mundo, quia ad te venio, alleluia.** Oratio. **Præſta quæſumus omnipotens Deus: vt noſtræ.** Ad Nunc dimittis, Antiphona. **Alleluia. Aſcendens Chriſtus in altum, alleluia, captiuam duxit captiuitatem, alleluia, alleluia.** Hæc Antiph. dicatur ſuper Nunc dimittis, vſque ad Compl. Vigiliæ Pentecoſtes excluſiue. Ad Matut. Inuitatorium. **Alleluia. Chriſtum Dominum aſcendentem, in cælum, Venite adoremus, alleluia.** Hymn. **Aeterne.** In Nocturno, Antiphona. **Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos Deus, alleluia.** Pſalm. **Domine Dominus noſter. 4.** Antiph. **Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo, alleluia.** Pſal. **In Domino cōfido. 6.** Antiph. **A ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, allel.** Pſalm. **Cæli enarrant. 11.** ℣. **Eleuata eſt &c.**

Lectio S. Euangelij ſecundum Marcum. Lectio j. C. 16.

IN illo tempore: Recumbentibus vndecim diſcipulis, apparuit illis Ieſus: & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis: quia his, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 29. in Euang.

QVòd reſurrectionem Dominicam diſcipuli tarde crediderũt, non tam illorum infirmitas, quàm noſtra, vt ita dicam, futura firmitas fuit. Ipſa namq. reſurrectio illis dubitantibus per multa argumenta monſtrata eſt: quæ dum nos legentes agnoſcimus, quid aliud quàm de illorum dubitatione ſolidamur? Minus enim nobis Maria Magdalene praeſtitit, quae citius credidit, quàm Thomas, qui diu dubitauit. Ille etenim dubitando, vulnerum cicatrices tetigit, & de noſtro pectore dubitationis vulnus amputauit. ℟. Poſt paſſionem ſuam per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei, alleluia, & videntibus illis eleuatus eſt, alleluia: Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, alleluia. ℣. Et conueſcens praecepit eis, ab Ieroſolymis ne diſcederent: ſed expectarent promiſſionem Patris. Et nubes. Lectio ij.

AD inſinuandam quoque veritatem Dominicae reſurrectionis, notandum nobis eſt quid Lucas referat, dicens: Conueſcens praecepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent. Et poſt pauca: Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Notate verba, ſignate myſteria. Conueſcens eleuatus eſt. Comedit, & aſcendit: vt videlicet per effectum comeſtionis, veritas pateſceret carnis. Marcus vero, priuſquam caelum Dominus aſcendat, eum de cordis atque infidelitatis duritia increpaſſe diſcipulos memorat. Qua in re quid conſiderandum eſt, niſi quòd idcirco Dominus tunc diſcipulos increpauit, cum eos corporaliter reliquit: vt verba, quae recedens diceret, in cordibus audientiũ arctius impreſſa remanerent? ℟. Omnis pulchritudo Domini exaltata eſt ſuper ſidera: ſpecies eius in nubibus caeli, Et nomen eius in aeternum permanet, alleluia. ℣. A ſummo caelo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius. Et. Lectio iij.

INcrepata igitur eorũ duritia, quid admonendo dicat, audiamus. Euntes in mundum vniuerſum, praedicate Euangelium omni creaturae. Numquid fratres mei, ſanctum Euangeliũ vel inſenſatis rebus, vel brutis animalibus fuerat praedicandum, vt de eo diſcipulis dicatur: Praedicate Euangeliũ omni creaturæ? Sed omnis creaturæ nomine ſignatur homo. Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, iuxta

aliquid

aliquid omnis creatura eſt homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Euangelium, cum ſoli homini prædicatur. ℟. Viri Galilæi quid admiramini aſpiciẽtes in cælum? Quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cælum, ita veniet, Alleluia, allel. allel. ℣. Cumq. intuerentur in cælum euntem illum: ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt. Quemadmodum, Gloria Patri. Alleluia. ℣. Aſcendo ad patrem meum, & Patrem veſtrum, alleluia. ℟. Deum meum, & Deum veſtrum, alleluia. Hic ℣. dicatur quotidie per Octau. quando de ipſis agitur, in Octau. die.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

VIri Galilæi, quid aſpicitis in cælum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum ſic veniet, alleluia. Pſal. Dominus regnauit. 63. Aña. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, dixerunt, allel. Pſalm. Iubilate. 65. Antiph. Eleuatis manibus benedixit eis, & ferebatur in cælum, alleluia. Pſalm. Deus Deus. 39. Aña. Exaltate Regem regum, & hymnum dicite Deo, allel. Cant. Benedicite. 98. Aña. Videntibus illis eleuatus eſt & nubes ſuſcepit eum in cælum, allel. Pſal. Laudate. Cap. Primum quidẽ.

Hymnus.

TV Chriſte noſtrum gaudium,
Manens olympo praeditum:
Mundi regis qui fabricam,
Mundana vincens gaudia.
Hinc te praecantes quaeſumus,
Ignoſce culpis omnibus,
Et corda ſurſum ſubleua
Ad te ſuperna gratia.
Vt cum repente cœperis
Clarere nube iudicis,
Pœnas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.
Tu eſto. Gloria tibi Domine.

℣. A ſummo caelo egreſſio eius, alleluia. ℟. Et occurſus eius vſq. ad ſummum eius, allel. Ad Benedictus, Aña. Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum, alleluia. Oratio.

COncede quaeſumus omnipotens Deus: vt qui hodierna die Vnigenitum tuum Redemptorem noſtrũ ad caelos aſcẽdiſſe credimus: ipſi quoque mente in caeleſtibus habitemus. Per eundem Dominum. Ad Horas Antiph. Laud. ad Primam. ℟. Ieſu Chriſte. ℣. Qui ſcandis ſupra ſidera. Iſte ℣. dicatur quotidie vſque ad Pentecoſten, excluſiue.

Ad Tertiam, Capitulum.

Primum quidem. ℟. Eleuata eſt magnificentia tua, Alleluia, alleluia. Eleuata. ℣. Super caelos Deus. Alleluia. Gloria Patri. Eleuata. ℣. Aſcendit Deus in iubilatione, alleluia. ℟. Et Dominus in voce tube, alleluia.

Ad Sextam, Capit. *Act.* 1.

ET conueſcens, praecepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quã audiſtis, inquit, per os meum. ℟. Aſcendit Deus in iubilatione, Alleluia, alleluia. Aſcendit. ℣. Et Dominus in voce tubae. Alleluia.

Gloria Patri. Aſcendit. ℣. Aſcendens Chriſtus in altum, alleluia. ℟. Captiuam duxit captiuitatem, alleluia.

Ad Nonam, Capitulum. *Act.* 1.

VIri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodũ vidiſtis eum euntem in cælum. ℟. Aſcendens Chriſtus in altum, Alleluia, alleluia. Aſcendẽs ℣. Captiuam duxit captiuitatem. Alleluia. Gloria Patri. Aſcendens. ℣. A ſummo cælo egreſſio eius, alleluia. ℟. Et occurſus eius vſq. ad ſummum eius, alleluia. Prædicto modo dicantur Horæ per Octa. quando de Aſcenſione agitur. Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiph. Viri Galilæi. Pſal. Dixit Dominus. 75. Cõfitebor. Beatus vir. Laudate pueri. Laudate Dominũ omnes gentes. 78. Hi Pſalmi dicantur per Octau. quando de Octau. agitur, cum prædicta. Aña. & Capit. Primum quidem. & Hym. Aeterne Rex. & ℣. Eleuata. Ad Magnificat, Antiphona. O Rex gloriae, Domine virtutum, qui triũphator hodie ſuper omnes cœlos aſcendiſti, ne derelinquas nos orphanos: ſed mitte promiſſum Patris in nos, Spiritum veritatis, alleluia.

FERIA SEXTA.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Aſcendens Chriſtus in altum, Alleluia.

Hoc Inuitat. dicatur per Octau. quando de Octau. agitur, niſi in Dominica Hymn. ſicut in die Aſcenſionis.

In Nocturno. Super Pſalm. Antiphona. Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus, & pſallemus, alleluia. Pſalm. Domine in virtute. 13. Exaltabo te Domine. 18. Omnes gentes. 31. ℣. Aſcendit Deus in iubilatione, alleluia. &c.

Incipit Liber Actuum Apoſtolorum.

Lectio j. C. 1.

PRimum quidem ſermonem feci de omnibus, ò Theophile, quae cœpit Ieſus facere & docere, vſque in diem, qua praecipiens Apoſtolis per Spiritum ſanctum, quos elegit, aſſumptus eſt: quibus & praebuit ſeipſum viuum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et conueſcens, praecepit eis ab Ieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis (inquit) per os meum: quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto nõ poſt multos hos dies. ℟. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos: cum autẽ venerit ille, docebit vos omnem veritatem, Alleluia. ℣. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quaecumque audiet loquetur: & quae ventura ſunt annunciabit vobis. Allel. Lectio ij.

IGitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Dñe, ſi in tempore hoc reſtitues regnũ Iſrael? Dixit autem eis: Non eſt veſtrũ noſſe tẽpora, vel momenta, quae Pater poſuit in ſua poteſtate: ſed accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni

Digitized by Google

omni Iudaea & Samaria; & vſque ad vltimum terrae. Et cum haec dixiſſet, videntibus illis, eleuatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorũ. ℟. Aſcendens Chriſtus in altum, alleluia: captiuam duxit captiuitatem, Dedit dona hominibus alleluia, alleluia. ℣. Aſcendit Deus in iubilatione: & Dominus in voce tubae. Dedit.

De Sermone ſancti Leonis Papae.

Serm. 2. de Aſcenſione Domini.

Lectio iij.

SIcut ergo in ſolemnitate Paſchali reſurrectio Domini fuit nobis cauſa laetandi: ita aſcenſio eius in caelos praeſentium nobis eſt materia gaudiorum, recolentibus illam diem, & rite venerantibus, qua naturae noſtrae humilitas in Chriſto ſuper omnem caeli militiam, ſuper omnes ordines Angelorum, & vltra omnium altitudinem poteſtatum, ad Dei Patris eſt prouecta conſeſſum. Quo ordine operum diuinorum nos fundati, nos aedificati ſumus: vt mirabilior fieret gratia Dei, cum remotis à conſpectu hominum, quae merito reuerentiam ſui ſentiebantur indicere, fides non deficeret, ſpes non fluctuaret, charitas non teperet. ℟. Non relinquam vos orphanos, alleluia: vado, & venio ad vos: Et gaudebit cor veſtrum, Alleluia, alleluia. ℣. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Et gaudebit. Gloria Patri. Alleluia. Per Octauas quando de Octau. agitur, Antiphona. Viri Galilæi. ſola dicatur in Laudibus, niſi in Dominica, & in Octau. die, & Capitul. & Hymn. ℣℣. & Oratio de Aſcenſion. Sequentes vero Antiphonæ dicantur per Octau. etiam in Dominica ad Benedictus, vel ad Memoriam.

Ad Benedictus, Antiphona.

Rogabo Patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis, alleluia.

Ad Magnif. vel ad Memor. in Veſp. Antiphona. Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ, allelluia: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, allel. qui vero nõ crediderit, cõdemnabitur, allel.

SABBATO.

Ad Matut. ſuper Pſalm. Antiphona. Nimis exaltatus es, alleluia, ſuper cælos Deus, allel. Pſalm. Dominus regnauit. 63. Dominus regnauit, iraſcantur. 64. Benedic. 66. ℣. Aſcendens Chriſtus in altum, alleluia. ℟. Captiuam duxit captiuitatem, alleluia.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 2.

ET cum complerentur dies Penteceſtes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus eſt repente de cælo ſonus tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes. Et apparuerũt illis diſpertitæ linguæ tamquã ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. ℟. Exaltare Domine, alleluia, In virtute tua, alleluia ℣. Cantabimus, & pſallemus. In.

Lectio

Lectio ij.

ERant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cælo eſt. Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & mente confuſa eſt: quoniam audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes iſti qui loquũtur, Galilæi ſunt? & quomodo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus? ℟. Ponis nubem aſcẽſum tuum Domine, Qui ambulas ſuper pennas ventorum, alleluia. ℣. Confeſſionem, & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento. Qui ambulas.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

Serm. 2. de Aſcenſione Domini.

Lectio iij.

QVod itaque Redemptoris noſtri conſpicuum fuit, in ſacramenta tranſiuit, & vt fides excellentior eſſet ac firmior, viſioni doctrina ſucceſſit, cuius auctoritatem ſupernis illuminata radijs credentiũ corda ſequerentur. Hanc fidem aſcenſione Domini auctam, & Spiritus ſancti munere roboratam, non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquiſita perſequentium crudelitatibus ſupplicia terruerunt. Pro hac fide per vniuerſum mundum non ſolũ viri, ſed etiam feminæ: nec tantum impubes pueri, ſed etiam teneræ virgines vſq. ad effuſionem ſanguinis decertarunt. ℟. Non turbetur cor veſtrum, ego vado ad Patrem: & dum aſſumptus fuero à vobis, mittam vobis, alleluia, Spiritum veritatis, Et gaudebit cor veſtrum, Alleluia. ℣. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Et gaudebit. Gloria Patri. Alleluia.

DOMINICA

Infra Oct. Aſcenſ. Sabbato præcedenti in Veſper. nihil de Dominica fiat. Ad Matutinum, Inuitat. Hymn. Antiph. ℣. ℟℟. ſicut in die Aſcenſionis. 357.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 15.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit: ille teſtimonium perhibebit de me. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Epiſcopi.

Comment. in c. 15. Ioan.

IDemtitatem ſubſtantiæ Filij, ac Patris oſtendens, cum veritatis ſpiritum dixerit, à Patre illum procedere aſſeruit, vt in vnam rationem Deitatis Trinitas conſtringeretur. Quando igitur venerit Paraclitus, ait, Spiritus veritatis, ideſt meus, qui à Patre procedit: ille teſtimonium perhibebit de me. Quomodo autem perhibebit? Magna in vobis, & per vos miracula faciens: diuinæ meæ poteſtatis, atque virtutis teſtis erit grauiſſimus. Spiritus enim meus eſt, qui operabitur in vobis: ſed ſicut meus eſt, ſic & Dei Patris.

Le-

Lectio ij.

HAec locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini. Si enim, inquit, vobis teſtibus, tot, tantaque mirabilia feci, ſic Paraclitus quoque in vobis ſimilia faciet, nec tamen Iudæi ad meliora reducentur. Nolite conturbari, ſi oratione veſtra conuertere illos non poteritis: ſed mementote vbique ſermonis mei, non eſſe diſcipulum ſuper magiſtrum, ſed nec ſeruum domino ſuo maiorem.

Lectio iij.

ABſque ſynagogis facient vos: ſed venit hora vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Summum omnium periculorum prædixit: non vt formidine ad ignauiam diſcipulorum reduceret animos, ſed vt maximus mortis pauor (quoniam præſciretur) contemptus, fortiores ad ſubeunda pericula redderet. Nam qui maius contemnunt, ij quomodo minora timebunt?

In Laudibus, Antiphona. **Viri Galilæi**, cum ceteris. 359.

Ad Benedictus, Antiphona. **Rogabo.** Oratio. **Concede.** Ad Memor. de Domini. Antiph. **Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, alleluia.** ℣. **Aſcendit Deus in iubilatione, alleluia.** ℟. **Et Dominus in voce tubæ, alleluia.**

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, fac nobis tibi ſemper & deuotam gerere voluntatem, & maieſtati tuæ ſincero corde ſeruire. Per Dominum.

Veſperæ de Oct. Ad Magnificat, Antiphona. **Euntes.** Ad Memoriam de Dominica, Antiph. **Hæc locutus ſum vobis, vt cum venerit hora eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis, alleluia.** ℣. **Aſcendens Chriſtus in altum, alleluia.** ℟. **Captiuam duxit captiuitatem, alleluia.** Oratio. **Omnipotens ſempiterne Deus.**

FERIA SECVNDA.

Ad Matutin. ſuper Pſal. Antiph. **Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo, alleluia**, Pſalm. ℣. & ℟℟. ſicut in die Aſcenſionis. 357.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 2.

STans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem ſuam, & locutus eſt eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ieruſalem vniuerſi, hoc vobis notum ſit, & auribus percipite verba mea. Non enim, ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia: ſed hoc eſt, quod dictum per prophetam Ioel: Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt.

Lectio ij.

ET quidem ſuper ſeruos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in cælo ſur-

Digitized by Google

ſurſum, & ſigna in terra deorſum, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi: ſol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifeſtus. Et erit: omnis quicumq. inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

Serm. de Aſcenſ. Domini Tom. 3.

Lectio iij.

CHriſtus aſcendens in cælum, noſtræ naturæ primitias obtulit Patri, & oblatum donum miratus eſt Pater, quod & tanta dignitas offerebat, & quod offerebatur, nulla macula fœdabatur. Nam & ſuis manibus ſuſcepit oblatum, & ſuæ ſedis fecit eſſe participem, & quod plus eſt, ad partem ſuæ dexteræ collocauit. Cognoſcamus quis eſt ille qui audiuit, Sede ad dexteram meam: quæ natura eſt, cui Deus dixit, Eſto meæ particeps ſedis, Illa natura eſt, quæ audiuit: Terra es, & in terram ibis.

FERIA TERTIA.

Ad Matutinum ſuper Pſalm. Antiph. Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, alleluia.

Pſalm. ℣. ℟. ℟. ſicut in præcedenti Feria vj. 393.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 2.

HIs autem auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum: & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt repromiſſio, & filijs veſtris, & omnibus qui longe ſunt, quoſcumque aduocauerit Dominus Deus noſter.

Lectio ij.

ALijs etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos, dicens: Saluamini à generatione iſta praua. Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia. Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Fiebat autẽ omni animæ timor: multa quoque prodigia, & ſigna per Apoſtolos in Ieruſalem fiebant, & metus erat magnus in vniuerſis.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

Serm. 1. de Aſcenſ.

Lectio iij.

QVia igitur Chriſti aſcenſio noſtra prouectio eſt, & quò præceſſit gloria capitis, eò ſpes vocatur & corporis: dignis, dilectiſſimi, exultemus gaudijs, & pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non ſolum Paradiſi poſſeſſores firmati ſumus, ſed etiam cælorum in Chriſto ſuperna penetrauimus: ampliora adepti per ineffabilem Chriſti gratiam, quàm per diaboli amiſeramus inuidiam. Nam quos virulentus inimicus, primi habitaculi felicitate deiecit, eos ſibi concorporatos Dei Filius ad dexteram Patris collocauit.

FE-

Digitized by Google

FERIA QVARTA. Ad Matut. ſuper Pſal. Aña. **Dominus in Sion, alleluia, magnus, & excelſus, allel.** Pſal. ℣. ℟. ℟. ſicut in præcedenti Sabbato. 361.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 3.

PEtrus autem & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Specioſa, vt peteret eleemoſynã ab introeuntibus in templum. Is cum vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemoſynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Reſpice in nos: At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Lect. ij.

PEtrus autem dixit: Argentum & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu eius dextera, alleuauit eum: & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ. Et exiliens ſtetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

Ser. de Aſcenſ. To. 3.

Lectio iij.

HOdierna die, dilectiſſimi fratres, Deo ſumus mira reconciliatione ſociati. Hodierna die humanum genus cæleſtem miſericordiam meruiſſe cognoſcitur. Hodie vetus illud iurgium diſſolutum eſt. Hodie nobis pax miranda donata eſt: quæ numquam ſperabatur poſſe concedi. Nam quæ ſpes erat, Deum velle humanæ reconciliari naturæ? Non quia crudelis Dominus: ſed quia contumax ſeruus. Vis audire quòd noſtro vitio Deus ad commotionem prouocatus eſt? Delebo, inquit, hominem, quem feci, à facie terræ. In tantum enim genus humanum peſſime conuerſabatur, vt ipſius terræ habitatione carere ſperaretur. Sed nos, qui & terra videbamur indigni, hodie eleuati ſumus ad cælum, & cælorum tranſiuimus fines: & ipſa ſede regali decoramur.

IN OCT. ASCENSIONIS.

In primis Veſp. ſuper Pſal. Aña. **Viri Galilæi.** Pſal. **Dixit Dominus.** 75. & ceteri. 361.

Cetera omnia ad Veſper. & ad Matut. & ad Horas ſicut in die Aſcenſionis, excepto ℟. in j. Veſp.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 4.

LOquentibus autem illis ad populum, ſuperuenerunt ſacerdotes, & magiſtratus templi, & Sadducæi dolentes quòd docerent populum, & annunciarent in Ieſu reſurrectionem ex mortuis: & iniecerũt in eos manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam in craſtinum: erat enim iam veſpera. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus eſt numerus virorum quinque millia. Factum eſt autem

tem in craſtinum, vt congregarentur principes eorum, & ſeniores, & Scribæ in Ieruſalem: & Annas princeps ſacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere ſacerdotali.

Lectio ij.

ET ſtatuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos? Tunc repletus Spiritu ſancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, & ſeniores audite: Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſaluus factus eſt, notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael: quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quē vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 117. de Tempore.

Lectio iij.

AScenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctus & ſolemnis dies hodie illuxit, exultemus & lætemur in eo. Chriſtus deſcendit, inferi patuerunt. Chriſtus aſcendit, ſuperna claruerunt. Chriſtus in ligno pependit, inſultent furentes. Chriſtus in ſepulchro, mentiantur cuſtodientes. Chriſtus in inferno, viſitentur quieſcentes. Chriſtus in cælo, credant omnes Gentes. Dum humanam conditionem Dominus ſideribus importauit, credentibus cælum poſſe patere monſtrauit. Et dum victorem mortis in cæleſtia eleuauit, victorem eiuſdē mortis quò ſequamur, oſtendit.

Quod ſi Homil. Dominicalis infra iſtas Octauas lecta non fuerit propter Feſta impedientia, neque poſtmodum ſit alia Feria vacans, legatur hic in Octaua die: & tertia Lectio ſit ſupradicta de Sermone ſancti Auguſtini. Aſcenſionis.

FERIA SEXTA.

Poſt Oct. Aſcenſionis.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Alleluia, alleluia, alleluia.

Hymnus. **Aeterne.**

Super Pſalm. Antiphona.

Regnabit Deus ſuper omnes Gentes: Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuā, alleluia. Pſalm. ℣. & ℟. ſicut in præcedenti Feria vj. 361.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 4.

DImiſſi autem venerunt ad ſuos: & annunciauerunt eis quanta ad eos principes ſacerdotum, & ſeniores dixiſſent. Qui cum audiſſent, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine, tu es qui feciſti cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt: qui Spiritu ſancto per os patris noſtri Dauid, pueri tui dixiſti: Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius?

Lectio ij.

COnuenerunt enim vere in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti; Herodes,

Digitized by Google

des, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & populis Iſrael, facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri. Et nunc Domine reſpice in minas eorum, & da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad ſanitates, & ſigna, & prodigia fieri per nomen ſancti Filij tui Ieſu.

Lectio iij.

ET cum oraſſent, motus eſt locus in quo erant congregati: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Multitudinis autem credentium erat cor vnũ, & anima vna: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erãt illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri: & gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Non dicatur hac die, & ſequenti Cãt. **Te Deum.** niſi Feſtum fuerit: quia quaſi de Feria agitur. ℣. **Aſcendo ad Patrem.** In Laudibus, Antiphona. **Viri Galilæi.** ſola dicatur. Capitul. Hym. ℣. de Aſcenſione.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, alleluia. Oratio de Dominica. Ad Primam Antiph. **Viri Galilæi.** Capit. **Pacem, & veritatem.** Ad ceteras Horas diei, Antiph. Cap. ℟. ℣. de Aſcenſione. Oratio de Dominica. Ad Veſper. Antiph. Pſalm. Capitul. Hymn. ℣. de Aſcenſione.

Ad Magnificat, Antiphona.

Hæc locutus ſum vobis: vt cum venerit hora eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis, alleluia.

Oratio de Domin. ſi Feſtum in hac ſexta Feria euenerit, nulla Memoria fiat de Aſcenſione.

SABBATO.

In Vigilia Pentecoſtes.

Ad Matut. Inuitat. **Alleluia, alleluia, alleluia.** Hymn. **Aeterne.**

In Nocturno.

Antiph. **Dominus in cælo, alleluia, parauit ſedem ſuam, alleluia.** Pſalm. ℣. & ℟. ſicut in Sabbato præcedenti. 361.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 14.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si diligitis me, mandata mea ſeruate: & ego rogabo Patrẽ, & alium Paraclitum dabit vobis. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 74. in Ioann.

HIc eſt in Trinitate Spiritus Sanctus: quem Patri, & Filio conſubſtantialem, & coæternum fides catholica confitetur. Ipſe eſt de quo dicit Apoſtolus: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Quomodo ergo Dominus dicit, Si diligitis me, mandata mea ſeruate, & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit

Digitized by Google

dabit vobis: cum hoc dicat de Spiritu ſancto, quem niſi habeamus, nec Deũ diligere poſſumus, nec eius mandata ſeruare? Quomodo dilegimus vt eum accipiamus, quem niſi habeamus, diligere non valemus? Aut quomodo mandata ſeruabimus vt eum accipiamus, quem niſi habeamus, mandata ſeruare non poſſumus?

Lectio ij.

AN forte præcedit in nobis charitas, qua diligamus Chriſtum, vt diligendo Chriſtum, eiuſque mandata faciendo mereamur accipere Spiritum ſanctum, vt charitas, non Chriſti, quæ iam præceſſerat, ſed Dei Patris, diffundatur in cordibus noſtris? Peruerſa eſt iſta ſententia. Qui enim ſe Filium Dei diligere credit, & Patrem non diligit: profecto nec Filium diligit, ſed quod ſibi ipſe confinxit. Deinde Apoſtolica vox eſt: Nemo dicit Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Et quis Dominum Ieſum, niſi qui eum diligit, dicit: ſi eo modo dicit, quo Apoſtolus intelligi voluit?

Lectio iij.

IAm itaque Apoſtoli dicebant Dominus Ieſus. Etſi eo modo dicebant, vt non ficte dicerent, ore confitentes, corde & factis negantes: prorſus, ſi veraciter hoc dicebant, proculdubio diligebant. Quomodo igitur diligebant, niſi in Spiritu ſancto? Reſtat ergo vt intelligamus Spiritum ſanctum habere qui diligit, & habendo mereri vt plus habendo, plus diligat. Iam itaque habebant Spiritum diſcipuli, quem Dominus promittebat, ſine quo eum Dominum non dicebant: nec tamen eum adhuc habebant, ſicut eum Dominus promittebat.

In Laudibus, Antiphona.

Viri Galilæi. Pſal. **Dominus regnauit.** cum ceteris. Capitulum, Hymnus, ℣. vt in Aſcenſione. Ad Benedictus, Antiphona. **Si diligitis me, mandata mea ſeruate, alleluia, alleluia, alleluia.**

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt claritatis tuæ ſuper nos ſplendor effulgeat: & lux tuæ lucis corda eorum, qui per gratiam tuam renati ſunt, ſancti ſpiritus illuſtratione confirmet. Per Dominum noſtrum, eiuſdem.

Horæ diei, vt in præcedenti ſexta Feria. 366. cum Oratione de Vigilia.

Digitized by Google

IN FESTO PENTECOSTES.

AD VESPERAS.

Super Pſalmos, Antiph.

VENI ſanctę Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diuerſitatem linguarum multarum Gentes in vnitate fidei cōgregaſti, alleluia, alleluia, alleluia. *Pſ.* Lauda anima. 96. Laudate Dominum, quoniam. Lauda Ieruſalem.

Capitulum. *Act.* 2.

FActus eſt repente de cælo ſonus, tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant Apoſtoli ſedentes. ℟. Repleti. ij.

Hymnus.

Beata nobis gaudia
Anni reduxit orbita,
Cum Spiritus paraclitus
Effulſit in diſcipulos.

Ignis vibrante lumine
Linguæ figuram detulit,
Verbis vt eſſent proflui,
Et charitate feruidi.

Linguis loquuntur omnium,
Turbæ pauent Gentilium,
Muſto madere deputant,
Quos Spiritus repleuerat.

Patrata ſunt hæc myſtice,
Paſchæ peracto tempore,
Sacro dierum numero,
Quo lege fit remiſſio.

Te nunc Deus piiſſime,
Vultu precamur cernuo,
Illapſa nobis cælitus
Largire dona Spiritus.

Dudum ſacrata pectora
Tua repleſti gratia:
Dimitte nunc peccamina,
Et da quieta tempora.

Sit laus Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paraclito:
Nobiſq. mittat Filius,
Chariſma ſancti Spiritus.
Amen.

Iſti duo ℣℣. *ſcilicet* Dudū. *&* Sit laus. *dicātur in fine Hym. per totam Hebd. niſi in Hymn.* Veni creat. *In quo tantum dicitur,* Sit laus. ℣. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, alleluia. ℟. Et cœperunt loqui, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Non vos relinquam orphanos, allel. vado, & venio ad vos, allel. & gaudebit cor veſtrum, alleluia. *Oratio.* Præſta quæſumus. *Ad Complet. Antiph.* Alleluia, allel. allel. allel. *Pſal.* Cum inuocarem. In te. Ecce nunc. *& dicantur vſque ad Sabbat. excluſiue.*

Ad Nunc dimittis, Antiphona.

Alleluia. Spiritus paraclitus, alleluia, docebit vos omnia, alleluia, alleluia.

Hæc An[illegible] dicatur vſque ad Complet.[illegible] Sabbat. excluſ.

DOMINICA PENTECOST.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Alleluia. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: Venite adoremus, alleluia.

Hymnus.

Iam Chriſtus aſtra aſcenderat,
Regreſſus vnde venerat,
Promiſſus Patris munere
Sanctus daturus Spiritum.
Solemnis vrgebat dies,
Quo myſtico ſeptemplici
Orbis volutus ſepties,
Signat beata tempora.
Dum hora cunctis tertia
Repente mundus intonat,
Orantibus Apoſtolis
Deum veniſſe nunciat.
De Patris ergo lumine
Decorus ignis miſſus eſt,
Qui fida Chriſti pectora
Calore verbi compleuit.
Dudum. Sit. vt ſupra.

In Nocturno, Antiphona.

Factus eſt repente de cælo ſonus aduenientis ſpiritus vehemẽtis, alleluia, alleluia. Pſal. Magnus Dominus. 31. Aña. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: à templo ſancto tuo, quod eſt in Ieruſalẽ, alleluia, alleluia. Pſal. Exurgat Deus. 42. Aña. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ, allel. allel. Pſal. Benedic anima mea. [illegible]67. ℣. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, alleluia. ℟. Et cœperunt loqui, alleluia.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 14.

In illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eũ, & ad eum veniemus, & manſionem apud eũ faciemus. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 30. in Euangel.

Libet, fratres chariſſimi, Euangelicæ verba lectionis ſub breuitate tranſcurrere, vt poſt diutius liceat in cõtẽplatione tantæ ſolemnitatis immorari. Hodie namq. Spiritus ſanctus repentino ſonitu ſuper diſcipulos venit, mẽteſq. carnalium in ſui amorem permutauit, & foris apparentibus linguis igneis, intus facta ſunt corda flãmantia: quia dum Deum in ignis viſione ſuſceperunt, per amorem ſuauiter arſerunt. Ipſe namq. ſpiritus ſanctus amor eſt: vnde & Ioannes dicit: Deus charitas eſt. Qui ergo mente integra Deum deſiderat, profecto iam habet, quem amat. Neque enim quiſquã poſſet Deum diligere, ſi eũ quem diligit, non haberet. ℟. Dum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter dicentes, alleluia, & ſubito factus eſt ſonus de cælo, alleluia, Tamquam ſpiritus vehementis, & repleuit totam domũ, alleluia, alleluia. ℣. Dum ergo eſſent in vnum diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, ſonus repente de cælo venit ſuper eos. Tamquam.

Lectio ij.

Sed ecce, ſi vnuſquiſque veſtrum requiratur, an diligat Deum: tota fiducia,

fiducia, & ſecura mente reſpondet, Diligo. In ipſo autem lectionis exordio audiſtis quid Veritas dicit: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Probatio ergo dilectionis, exhibitio eſt operis. Hinc in epiſtola ſua idem Ioannes dicit: Qui dicit, Diligo Deũ, & mandata eius non cuſtodit, mẽdax eſt. Vere etenim Deum diligimus, ſi mandata eius cuſtodimus, ſi nos à noſtris voluptatibus coarctamus. Nam qui adhuc per illicita deſideria diffluit, profecto Deum non amat: quia ei in ſua voluntate contradicit. ℟. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto: & cœperunt loqui, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Et conuenit multitudo dicentium, alleluia. ℣. Loquebantur varijs linguis Apoſtoli magnalia Dei. Et conuenit.

Lectio iij.

SEd videte quid Veritas dicat: Veniemus, & manſionem apud eum faciemus. In quorundam etenim corda venit, & manſionem non facit: quia per compunctionem quidem Dei reſpectum percipiunt, ſed tentationis tempore hoc ipſum quod compuncti fuerant, obliuiſcuntur: ſicq. ad perpetranda peccata redeunt, ac ſi hæc minime planxiſſent. Qui ergo Deum vere diligit, qui eius mandata cuſtodit, in eius corde Dominus & venit, & manſionem facit: quia ſic eũ amor penetrat diuinitatis, vt ab hoc amore, tentationis tempore non recedat. Ille ergo vere amat, cuius videlicet mentem delectatio praua ex conſenſu non ſuperat. ℟. Spiritus ſanctus procedens à throno, Apoſtolorum pectora inuiſibiliter penetrauit: nouum ſanctificationis ſignum, Vt in ore eorum, omnium genera naſcerentur linguarum, Alleluia. ℣. Aduenit ignis diuinus non comburens, ſed illuminans: & tribuit eis chariſmatum dona. Vt. Gloria Patri. Alleluia.

Cantic. Te Deum. ℣. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, alleluia. ℟. Et renouabis faciem terræ, alleluia. Cant. Te Deum. & ℣. Emitte. dicantur per totam Hebdomadam.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

DVm complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter dicentes, alleluia. Pſal. Dominus regnauit. 63. Aña. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, alleluia. Pſal. Iubilate 65. Aña. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui, alleluia. Pſal. Deus Deus. 39. Aña. Fontes, & omnia quæ mouentur in aquis, hymnum dicite Domino, alleluia. Cantic. Benedicite. 98. Aña. Loquebantur varijs linguis Apoſtoli, magnalia Dei, alleluia, alleluia, alleluia. Pſal. Laudate. 97. Capit. Factus eſt repente.

Hymnus.

IMpleta gaudent viſcera
Afflata ſancto Spiritu,
Voces diuerſas intonant:
Fantur Dei magnalia.

Ex omni gente cogniti,
Græcis, Latinis, Barbaris,
Cunctiſq. admirantibus,
Linguis loquuntur omnium.

Iudæa tunc incredula,
Veſana toruo ſpiritu,
Ructare muſti crapulam
Alumnos Chriſti concrepat.
Sed ſignis, & virtutibus
Occurrit, & docet Petrus
Falſa profari perfidos,
Ioelis teſtimonio.
Laudum. Sit laus. 369.
℣. Spiritus paraclitus, alleluia.
℟. Docebit vos omnia, alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, alleluia.

Oratio.

DEus, qui hodierna die corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper cõſolatione gaudere. Per Dominum. In vnitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus.

Ad Primam. ℟. Ieſu Chriſte. ℣. Qui ſedes ad dexteram Patris.

Ad Tertiam, Hymnus.

Hic genuflectitur, vſque ad Qui.

VEni creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Quæ tu creaſti pectora.
Qui Paraclitus diceris,
Donum Dei altiſſimi,
Fons viuus, ignis, charitas,
Et ſpiritalis vnctio.
Tu ſeptiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus,
Tu rite promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hoſtem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore ſic te præuio,
Vitemus omne noxium.
Per te ſciamus da Patrem,
Noſcamus atque Filium:
Te vtriuſque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Sit laus. Iſte Hym. dicatur per totam Hebdomadam. Capit. Factus eſt. ℟. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto: Alleluia, allel. Repleti. ℣. Et cœperunt loqui. Allel. Gloria Patri. Repleti. ℣. Loquebantur varijs linguis Apoſtoli, alleluia. ℟. Magnalia Dei, alleluia.

Ad Sextam, Capit. *Act. 2.*

APparuerunt Apoſtolis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum Spiritus ſanctus. ℟. Loquebãtur varijs linguis Apoſtoli, Alleluia, alleluia. Loquebantur. ℣. Magnalia Dei. Alleluia. Gloria Patri. Loquebantur. ℣. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, alleluia. ℟. Et hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis, alleluia.

Ad Nonam, Capit. *Act. 2.*

FActa autem hac voce conuenit multitudo, & mente confuſa eſt: quoniam audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes. ℟. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, Alleluia, alleluia. Spiritus. ℣. Et hoc quod cõtinet omnia, ſcientiam habet vocis. Alleluia. Gloria Patri. Spiritus.

℣. Spi-

℣. Spiritus paraclitus, alleluia. ℟. Docebit vos omnia, alleluia.

Ad Veſperas, Antiphona.

Dum complerentur. 371. Pſalm. Dixit Dominus. 75. Confitebor. Beatus vir. Prædictæ Añæ, & hi tres tantum Pſal. dicantur quotidie ad Veſp. vſque ad Veſp. ſequentis Sabbati excluſiue. Capit. Hymn. ℣. vt in primis Veſperis. Ad Magnificat, Antiphona. Hodie completi ſunt dies Pentecoſtes, alleluia: hodie Spiritus ſanctus in igne diſcipulis apparuit, & tribuens eis chariſmatum dona, miſit eos in vniuerſum mundum prædicare, & teſtificari: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, alleluia.

FERIA SECVNDA.

Et per Hebdom. ad Matut. Inuitatorium. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, Alleluia. Hymnus. Iam Chriſtus.

In Nocturno, Antiphona.

Factus eſt. Dicantur ſingulæ ſingulis diebus ſuper Pſalm. vt ſunt in ordine: & cum dictæ fuerint, reincipiantur. Pſal. vt in præcedenti Die: & dicantur per totam Hebd. ℣. Repleti ſunt. 370.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 3.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Nicodemo: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in ipſum, nõ pereat, ſed habeat vitã æternã. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 12. in Ioan. ſub finem.

NOtandum, quòd eadem de Filio Dei vnigenito in cruce exaltato præmiſerat, dicens: Vt omnis qui credit in ipſum nõ pereat, ſed habeat vitam æternam. Profecto idem conditor, & Redemptor noſter, Filius Dei ante ſæcula exiſtens, Filius hominis factus eſt in fine ſæculorum: vt qui per diuinitatis ſuæ potẽtiam nos creauerat ad perfruendã vitæ perennis beatitudinem, ipſe per fragilitatem humanitatis noſtræ nos reſtauraret ad recipiendam, quam perdidimus vitã. ℟. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos meos, quia omnia cognouiſtis, quæ operatus ſum in medio veſtri, alleluia: Accipite Spiritum ſanctum in vobis paraclitum: ipſe eſt quem Pater mittet vobis, alleluia. ℣. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Accipite.

Lectio ij.

NOn enim miſit Deus Filiũ ſuũ in mundum vt iudicet mundũ, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Ergo quantum in medico eſt, ſanare venit ægrotum. Ipſe ſe interimit, qui præcepta medici obſeruare non vult. Venit Saluator in mundum. Quare Saluator dictus eſt mundi, niſi vt ſaluet mundum, non vt iudicet mundũ? Saluari nõ vis ab ipſo, ex te iudicaberis. Et quid dicam, iudicaberis? Vide quid ait: Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit: quid dicturum ſperabas, niſi, Iudicatur? Quod addit: Iam, inquit, iudicatus eſt. ℟. Diſciplinam, & ſapientiam docuit eos Dominus, alleluia. firmauit in illis gratiam Spiritus ſancti:

Et intellectu adimpleuit corda eorum, alleluia, alleluia. ℣. Repentino namque ſonitu Spiritus ſanctus ſuper eos venit. Et intellectu.

Lectio iij.

NOndum apparuit iudicium, ſed iam factum eſt iudicium. Nouit enim Dominus qui ſunt eius: nouit qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam. Nouit in area ſua triticum, nouit & paleam: nouit ſegetem, nouit & zizania. Iam iudicatus eſt qui nõ credit. Quare iudicatus? Quia non credidit in nomine vnigeniti Filij Dei. Hoc eſt autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Erant enim mala opera eorum. ℟. Vltimo feſtiuitatis die dicebat Ieſus: Qui in me credit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, Alleluia. ℣. Hoc autẽ dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Alleluia. Gloria. Alleluia.

In Laud. per Hebdom. hæc ſola Aña. Dum complerentur. dicatur Cap. Factus eſt. Hymn. Impleta gaudent. ℣. Spiritus paraclitus.

Ad Benedictus, Antiphona.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, alleluia.

Oratio.

DEus, qui Apoſtolis tuis ſanctum dediſti Spiritum: concede plebi tuæ piæ petitionis effectum: vt quibus dediſti fidem, largiaris & pacem. Per Dominum. eiuſdem.

Ad Horas Antiphonæ, Capitula, ℟℟. ℣℣. de die præcedenti, & dicantur per totam Hebdom.

Ad Magnificat, Antiphona.

Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum: ſed vt ſaluetur mundus per ipſum, alleluia.

FERIA TERTIA.

℣. Loquebantur varijs. 372.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 10.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Phariſæis: Amen, amen dico vobis: Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro: qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 45. in Ioan. poſt init.

DOminus de rege ſuo, & de oſtio quo intratur ad ouile, ſimilitudinẽ propoſuit in hodierna lectione. Dicant ergo Pagani: Bene viuimus. Si per oſtium non intrant, quid eis prodeſt vnde gloriantur? Ad hoc enim debet vnicuique prodeſſe bene viuere, vt detur illi ſemper viuere: nam cui nõ datur ſemper viuere, quid prodeſt bene viuere? Quia nec bene viuere dicendi ſunt, qui finem bene viuendi, vel per cæcitatem neſciunt, vel per inflationem contemnunt. Non eſt autem cuiquã ſpes vera & certa ſemper viuendi, niſi agnoſcat vitam, quæ eſt Chriſtus, & per ianuã intret in ouile. ℟. Loquebantur varijs linguis Apoſtoli magnalia Dei, Prout Spiritus ſan-

Digitized by Google

ſanctus dabat eloqui illis, alleluia. ℣. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui. Prout.

Lectio ij.

FVerunt ergo quidam Philoſophi de virtutibus & vitijs ſubtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, ratiocinantes, acutiſſime concludentes, libros implentes, ſuam ſapientiam buccis concrepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus: Nos ſequimini, ſectam noſtram tenete, ſi vultis bene viuere. Sed non intrabant per oſtium: perdere volebant, mactare & occidere. ℟. Apparuerũt Apoſtolis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, alleluia: Seditque ſupra ſingulos eorum Spiritus ſanctus, alleluia, alleluia. ℣. Spiritus Domini repleuit totam domũ, vbi erant Apoſtoli ſedentes. Seditque.

Lectio iij.

QVid de iſtis dicam? Ecce ipſi Phariſæi legebãt, & in eo quod legebant, Chriſtum ſonabant, venturum ſperabant, & præſentem non agnoſcebant. Iactabant ſe etiam ipſi inter Videntes, hoc eſt, inter ſapientes, & negabant Chriſtum, & non intrabant per oſtium. Et hos dimittamus. Videamus illos, ſi forte ipſi intrant per oſtium in ouile, qui ipſius Chriſti nomine gloriantur. Innumerabiles enim ſunt, qui ſe Videntes non ſolum iactant, ſed à Chriſto illuminatos videri volunt. Sunt autem hæretici. ℟. Spiritus Domini repleuit orbẽ terrarũ, Et hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis, Alleluia, alleluia. ℣. Omnium eſt enim artifex, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens. Et hoc. Gloria Patri. Alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Amen amen dico vobis: Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro: qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium, alleluia.

Oratio.

ADſit nobis, quæſumus Domine virtus Spiritus ſancti: quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduerſis. Per Dominum. eiuſdem.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ego ſum oſtium, dicit Dominus, per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & paſcua inueniet, alleluia.

FERIA QVARTA

Quatuor Temporum.

℣. Spiritus Domini repleuit. 372.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 6.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis Iudæorum: Nemo poteſt venire ad me: niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 26. in Ioann.

MAgna gratiæ commendatio. Nemo venit, niſi tractus. Quem trahat, & quem nõ trahat, quare iſtum trahat, & illum non trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare. Semel accipe, & intellige. Nondum traheris, ora vt traharis. Quid hic dici-

dicimus fratres? Si trahimur ad Chriſtum, ergo inuiti credimus, ergo violẽtia adhibetur: non voluntas excitatur. Noli cogitare te inuitũ trahi: trahitur animus & amore. ℟. Aduenit ignis diuinus, non cõburens, ſed illuminans: non conſumens, ſed lucens: & inuenit corda diſcipulorũ receptacula mũda, Et tribuit eis chariſmatum dona, alleluia, alleluia. ℣. Inuenit eos concordes charitate, & illuſtrauit eos, inundans diuitias Deitatis. Et tribuit.

Lectio ij.

EST quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cæleſtis. Porro ſi Poetæ dicere licuit: Trahit ſua quemq. voluptas: non neceſſitas, ſed voluptas: non obligatio, ſed delectatio: quanto fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totũ Chriſtus eſt? Da amantem, & ſentit quod dico: da deſiderantem, da feruentem, da in iſta ſolitudine peregrinantem, atque ſitientem, & fontem æternæ patriæ ſuſpirantem: da talem, & ſcit quid dicã. ℟. Facta autẽ hac voce, conuenit multitudo, & mente confuſa eſt, quia audiebat vnuſquiſq. lingua ſua Illos loquentes magnalia Dei, alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Nonne omnes iſti qui loquuntur, Galilæi ſunt, & quomodo nos audiuimus vnuſquiſq. lingua ſua? Illos. Lectio iij.

ET ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Reddo illi quod amat, reddo quod ſperat. Videbit quod adhuc non videndo credidit, manducabit quod eſurijt, ſaturabitur eo quod ſitiuit. Vbi? In reſurrectione mortuorum: quia ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Scriptum eſt enim in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Quare hoc dixi, ò Iudæi? Pater vos non docuit, quomodo me poteſtis agnoſcere? Omnes regni illius homines docibiles Dei erunt: non ab hominibus audient. Et ſi ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruſcat, intus reuelatur. ℟. Spiritus ſanctus repleuit totam domum, vbi erant Apoſtoli: & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditq. ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, Alleluia, alleluia, alleluia. ℣. Dum eſſent diſcipuli in vnum congregati propter metum Iudæorum: ſonus repente de cælo venit ſuper eos. Et repleti. Gloria Patri. Alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Amen amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam, alleluia, alleluia.

Oratio.

MEntes noſtras, quæſumus Domine, Paraclitus qui à te procedit, illuminet: & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem. Qui tecum viuit. eiuſdem.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem

ego

Digitized by Google

ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, alleluia, alleluia.

FERIA QVINTA.

℣. Repleti ſunt. 369.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 9.

IN illo tempore: Conuocatis Ieſus duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutẽ & poteſtatẽ ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent. Et reliqua. Homilia S. Ambroſij Epiſcopi. *Lib. 6. in cap. 9. Lucæ, init.*

QValis debeat eſſe, qui euangelizat regnum Dei, præceptis Euangelicis deſignatur: vt ſine virga, ſine pera, ſine calceamento, ſine pane, ſine pecunia, hoc eſt ſubſidij ſæcularis adminicula non requirens, fideq. tutus, putet ſibi quo minus ea requirat, magis poſſe ſuppetere. Quæ poſſunt, qui volunt, ad eum deriuare tractatũ; vt ſpiritualem tantummodo locutus iſte formare videatur affectũ: qui velut indumentũ quoddam videatur corporis exuiſſe, non ſolum poteſtate reiecta, contemptiſque diuitijs, ſed etiam carnis ipſius illecebris abdicatis. ℟ ℟. de Feria ij. 373.

Lectio ij.

QVibus primo omnium datur pacis atque conſtantiæ generale mandatum, vt pacem ferant, conſtantiam ſeruent, hoſpitalis neceſſitudinis iura cuſtodiant; alienum à prædicatore regni cæleſtis aſſerẽs curſitare per domos, & inuiolabilis hoſpitij iura mutare. Sed vt hoſpitij gratia deferenda cenſetur: ita etiam, ſi non recipiantur, excutiendum puluerem, & egrediendum de ciuitate mandatur. Quo mandato non mediocris boni remuneratio docetur hoſpitij: vt non ſolum pacem tribuamus hoſpitibus, verum etiam, ſi qua eos terrenæ obumbrant delicta leuitatis, receptis Apoſtolicæ prædicationis veſtigijs auferantur.

Lectio iij.

NEc otioſe ſecundum Matthæũ, domus quam ingrediantur Apoſtoli, eligenda decernitur: vt mutandi hoſpitij, neceſſitudiniſque violandæ cauſa non ſuppetat. Non tamen eadem cautio receptori mandatur hoſpitij: ne, dum hoſpes eligitur, hoſpitalitas ipſa minuatur. Sed hæc, vt ſecundum litteram de hoſpitij religione venerabilis eſt forma præcepti: ita etiam de myſterio ſententia cæleſtis arridet. Etenim cum domus eligitur, dignus hoſpes inquiritur. Videamus, ne forte Eccleſia præferenda deſignetur, & Chriſtus.

Ad Benedictus, Antiphona.

Conuocatis Ieſus duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent: & miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos, alleluia, alleluia.

Oratio.

DEus, qui hodierna die corda fideliũ ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodẽ Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Dominũ. eiuſdẽ.

Ad Magnificat, Antiph. Egreſſi duodecim Apoſtoli, circuibant per caſtella, euangelizantes, & curantes vbique, alleluia, alleluia.

FERIA SEXTA.

℣. Loquebantur. 372.

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 5.

IN illo tempore: Factum eſt in vna dierum, & Ieſus ſedebat docens: & erant Phariſæi ſedentes, & legis doctores. qui venerant ex omni caſtello Galilææ, & Iudææ, & Ieruſalem: & virtus Domini erat ad ſanandum eos. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 5. in c. 5. Lucæ, poſt init.

NOn otioſa huius paralytici, nec anguſta medicina eſt, quando Dominus & oraſſe præmittitur: non vtique propter ſuffragium, ſed propter exemplum. Imitandi enim ſpeciem dedit, non precandi ambitum requiſiuit. Et conuenientibus ex omni Galilæa, & Iudæa, & Ieruſalem legis doctoribus, inter ceterorum remedia debilium, paralytici iſtius medicina deſcribitur. Primum omnium, quod ante diximus, vnuſquiſque æger petendæ precatores ſalutis debet adhibere: per quos vitæ noſtræ compago reſoluta, actuumque noſtrorũ clauda veſtigia, verbi cæleſtis remedio reformẽtur. ℟℟. ſicut in Feria iij. 374.

Lectio ij.

SInt igitur aliqui monitores mentis, qui animũ hominis, quamuis exterioris corporis debilitate torpentem ad ſuperiora erigant: quorum rurſus adminiculis & attollere, & humiliare ſe poſſit, vt facilius ante Ieſum locetur, Dominico videri dignus aſpectu. Humilitatem enim reſpicit Dominus: quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Quorum fidem, inquit, vt vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.

Lectio iij.

MAgnus Dominus, qui aliorum merito ignoſcit alijs: & dum alios probat, alijs relaxat errata. Cur apud te, ò homo, collega non valeat, cum apud Deum ſeruus, & interueniendi meritum, & ius habeat impetrandi? Diſce qui iudicas, ignoſcere: diſce qui æger es, impetrare. Si grauium peccatorum diffidis veniã, adhibe precatores, adhibe Eccleſiam, quæ pro te precetur, cuius contemplatione, quod tibi Dominus negare poſſet, ignoſcat. Ad Benedictus, Antiph. Factum eſt in vna dierum, & Ieſus ſedebat docens, & erant Phariſæi ſedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni caſtello Galilææ, & Ieruſalem: & virtus Domini erat ad ſanandum eos, alleluia, alleluia.

Oratio.

DA quæſumus Eccleſiæ tuæ miſericors Deus: vt Spiritu ſancto congregata, hoſtili nullatenus incurſione turbetur. Per Dominũ. eiuſdẽ.

Ad Magnificat, Antiphona.

Tulit ergo paralyticus lectum ſuum, in quo iacebat, magnificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo, alleluia.

Digitized by Google

S A B B A T O.

℣. Spiritus Domini. 372.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 4.

IN illo tempore: Surgens Ieſus de ſynagoga, introiuit in domum Simonis: ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri. *In Comment. Luca.* 4.

DOmus Petri, quæ dicitur, vetus lex intelligitur, ſocrus autẽ Petri, ſynagoga: quæ ſtimulis inuidiæ agitabatur aduerſus Eccleſiam Gentium, ne locum eius præriperet credendo in Chriſtum, & voluntati eius famulando. Siue aliter poteſt intelligi. Si virum à dæmonio liberatum moraliter animum ab immunda cogitatione purgatum ſignificare dixerimus, conſequenter femina febribus tenta, ſed ad imperium Domini curata, carnem oſtendit concupiſcentiæ ſuæ feruore, per continentiæ præcepta frænatam. Omnis enim amaritudo, ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia, ſpiritus immundi furor eſt. ℟℟. ſicut in Feria iv. 376.

Lectio ij.

FOrnicationem vero, & immunditiam, libidinem, concupiſcentiã malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus, hæc omnia, & his ſimilia febrem humanæ naturæ, vel illecebroſæ carnis intellige. A quibus quamdiu animæ fidelium tenentur, ægritudine tanta oppreſſæ ſunt, vt ne quaquam digne Deo quid boni operis valeat exhibere. Vnde neceſſe eſt, vt ad verum medicum confugiant animarum Chriſtum Dominũ noſtrũ.

Lectio iij.

QVisquis ſe moleſtia huius ægritudinis fatigari cognoſcit, recurrat ad Eccleſiam, oſtendat ægritudinem medico, ideſt confiteatur Domino peccata ſua, pœnitentiam agat malorum quæ fecit, petat à Domino indulgentiam, roget ſibi patrocinio eſſe ſanctos & iuſto viros in Eccleſia, vt veram à Domino percipere ſanitatem animæ mereatur. Ad Benedictus, Antiph. Veſpere autem facto, cum ſol occubuiſſet, veniebant ad Ieſum omnes male habentes: at ille ſingulis manus imponens curabat eos, alleluia. Oratio.

MEntibus noſtris, quæſumus Domine, Spiritum ſanctum benignus infunde: cuius & ſapientia conditi ſumus, & prouidentia gubernamur. Per Dominum. eiuſdem.

I N F E S T O.

Sanctiſſimæ Trinitatis.

Ad Veſp. ſuper Pſalmos, Antiphona. O beata, & benedicta, & glorioſa Trinitas: Pater Filius, & Spiritus ſanctus. Pſal. Laudate pueri. cũ ceteris.

Capitulum. *Ro.* 11.

O Altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. ℟. Honor virtus. vj. Hymnus.

ADeſto ſancta Trinitas,
Per ſplendor, vna Deitas.

Quæ

Quæ extas rerum omnium
Sine fine principium.
Te cælorum militia.
Laudat, adorat, prædicat:
Triplexque mundi machina
Benedicit per ſæcula.
Adſumus & nos cernui
Te adorantes famuli:
Vota preceſque ſupplicum
Hymnis iunge cæleſtium.
Vnum te lumen credimus,
Quod & ter idem colimus:
Alpha & O quem dicimus,
Te laudat omnis ſpiritus.
Laus Patri ſit ingenito,
Laus eius Vnigenito,
Laus ſit ſancto Spiritui,
Trino Deo & ſimplici. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum ſancto Spiritu. ℟. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Ad Magnificat, Antiphona.

Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & vna Trinitas, vna & ſumma Deitas, ſancta & vna Vnitas. Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare vnitatem: quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate, ab omnibus ſemper muniamur aduerſis. Per Dominum. Ad Complet. Antiphona. Miſerere. Pſalm. Cum inuocarem. cum ceteris. Ad Nunc dimittis, Antiphona. Salua nos.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Deum verum, vnum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate, Venite adoremus. Hymnus. Adeſto.

IN I. NOCTVRNO.

Antiph. Adeſto Deus vnus omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Pſalm. Domine Dominus 4. Antiph. Te vnum in ſubſtantia, Trinitatem in Perſonis confitemur. Pſalm. Cæli enarrant. 11. Añā. Te ſemper idem eſſe, viuere, & intelligere, profitemur. Pſalm. Domini eſt terra. 15.

℣. Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu. ℟. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C. 6.

In anno, quo mortuus eſt rex Ozias, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum: & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sãctus, Dñs Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius. Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamãtis, & domus repleta eſt fumo. ℟. Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus: Et metuant eum omnes fines terræ. ℣. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nos Deus. Et metuant eum.

De Libro Apocalypſis beati Ioannis Apoſtoli. Lectio ij. C. 4.

Vidi, & ecce oſtium apertum in cælo: & ecce ſedes poſita erat

in

Digitized by Google

in cælo, & ſupra ſedem ſedens. Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis & ſardinis: & iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ. Et in circuitu ſedis ſedilia vigintiquatuor: & ſuper thronos, vigintiquatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua: & ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei. Et in conſpectu ſedis tamquam mare vitreum, ſimile cryſtallo: & in medio ſedis, & in circuitu ſedis, quatuor animalia plena oculis ante & retro. Et requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. ℟. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus: Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum. ℣. Replebitur maieſtate eius omnis terra, fiat, fiat. Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum.

De Epiſtola prima beati Ioannis Apoſtoli. Lectio iij. C. 5.

OMne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit quoniã Ieſus eſt Filius Dei? Hic eſt qui venit per aquam, & ſanguinem Ieſus Chriſtus: non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Et Spiritus eſt qui teſtificatur quoniã Chriſtus eſt veritas. Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. ℟. Quis Deus magnus ſicut Deus noſter? Tu es Deus, Qui facis mirabilia. ℣. Notam feciſti in populis virtutem tuam: redemiſti in brachio tuo populum tuum. Tu es Deus, Gloria Patri. Qui facis.

IN II. NOCTVRNO.

Antiph. Te inuocamus, te adoramus, te laudamus, ò beata Trinitas. Pſalm. Omnes gentes. 31. Antiph. Spes noſtra, ſalus noſtra, honor noſter, ò beata Trinitas. Pſal. Magnus Dominus. 31. Antiph. Libera nos, ſalua nos, iuſtifica nos, ò beata Trinitas. Pſalm. Deus iudicium. 46. ℣. Benedictus es Domine in firmamento cæli. ℟. Et laudabilis, & glorioſus in ſæcula.

Sermo ſancti Hilarij Epiſcopi.

Libr. 2. de Trinitate.

Lectio iv.

SVfficiebat quidẽ credentibus Dei ſermo, qui in aures noſtras Euangeliſtæ teſtimonio cum ipſa veritatis ſuæ virtute transfuſus eſt, cum dicit Dominus: Euntes nunc docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis. Et ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi. Quid enim in eodem ſacramento ſalutis humanæ non continetur? Aut quid eſt, quod reliquũ ſit, aut obſcurũ? Plena sũt omnia & perfecta, vt à pleno & perfecto.

Nam

Digitized by Google

Nam & verborum ſignificationem, & efficientiam rerum, & negotiorum ordinem, & naturæ intelligentiã comprehendunt. Baptizari iuſſit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ideſt, in confeſſione Auctoris, Vnigeniti, & Doni. ℟. Magnus Dominus, & magna virtus eius, Et ſapientiæ eius non eſt numerus. ℣. Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non eſt finis. Et ſapientiæ.

Lectio v.

AVctor vnus eſt omnium. Vnus eſt enim ingenitus Deus Pater ex quo omnia, & vnus Vnigenitus Dominus Ieſus Chriſtus per quẽ omnia, & vnus Spiritus donum in omnibus. Omnia ergo ſunt ſuis virtutibus, ac meritis ordinata: vna poteſtas innaſcibilis ex qua omnia: vna progenies per quam omnia: perfectæ ſpei munus vnum. Nec deeſſe quicquã conſummationi tantæ reperietur intra quam ſit in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto infinitas in æterno, ſpecies in imagine, vſus in munere. ℟. Gloria Patri, genitæq. Proli, & tibi compar vtriuſque ſemper Spiritus alme, Deus vnus, Omni tempore ſæcli. ℣. Da gaudiorum præmia, da gratiarum munera: diſſolue litis vincula, aſtringe pacis fœdera. Omni.

Lectio vj.

SEd compellimur hæreticorum, & blaſphemantium vitijs illicita agere, ardua ſcandere, ineffabilia eloqui, inconceſſa præſumere. Et cum ſola fide expleri, quæ præcepta sũt, oporteret, perſonis, ac rebus adorare ſcilicet Patrem, & venerari cum eo Filium, ſancto Spiritu abundare, cogimur ſermonis noſtri humilitatem ad ea, quæ inenarrabilia ſunt, extendere: & in vitiũ vitio coarctamur alieno: vt quæ contineri religione mentium oportuiſſet, nunc in periculũ humani eloquij proferantur. Extiterunt enim plures, qui cæleſtium verborum ſimplicitatẽ pro voluntatis ſuæ ſenſu, non pro veritatis ipſorum abſolutione ſuſciperent aliter interpretandam quàm dictorum virtus poſtularet. De intelligentia enim hæreſis, non de ſcriptura eſt: & ſenſus, non ſermo fit crimen. ℟. Honor, virtus, & poteſtas, & imperium ſit Trinitati in Vnitate, Vnitati in Trinitate, In perenni ſæculorũ tempore. ℣. Trinitati lux perennis, Vnitati ſit decus perpetim. In perenni. Gloria Patri. In perenni.

IN III. NOCTVRNO.

Antiph. Charitas Pater eſt, gratia Chriſtus, communicatio Spiritus ſanctus, ò beata Trinitas. Pſalm. Cantate. j. 63. Antiph. Verax eſt Pater, veritas Filius, veritas Spiritus, ò beata Trinitas. Pſalm. Dominus regnauit, exultet. 64. Antiph. Vna igitur Pater, Logos, Paraclituſque ſubſtantia eſt, ò beata Trinitas. Pſ. Cãtate. ij 64. ℣. Verbo Domini cæli firmati sũt. ℟. Et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 28.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Euntes ergo,

go, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Nazianzeni.

In Tract. de Fide, poſt init.

QVis catholicorum ignorat, Patrem vere eſſe Patrem, Filium vere Filium, & Spiritum ſanctum vere eſſe Spiritum ſanctum? ſicut ipſe Dominus ad Apoſtolos ſuos dicit: Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Hæc eſt perfecta Trinitas in vnitate cõſiſtens, quam ſcilicet vnius ſubſtantiæ profitemur. Non enim nos ſecundum corporum conditionem, diuiſionem in Deo facimus: ſed ſecundum diuinæ naturæ potentiam, quæ in materia non eſt, & nominum perſonas vere conſtare credimus, & vnitatem diuinitatis eſſe teſtamur. ℟. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, ſæcula ſempiterna, ô beata Trinitas. ℣. Et benedictum nomen gloriæ tuæ ſanctum, & laudabile, & ſuperexaltatum. In.

Lectio viij.

NEc extenſionem partis alicuius ex parte, vt quidam putauerũt, Dei Filium dicimus: nec verbum ſine re, velut ſonum vocis accipimus: ſed tria nomina, & tres perſonas, vnius eſſe eſſentiæ, vnius maieſtatis atque potentiæ credimus. Et ideo vnum Deum confitemur: quia vnitas maieſtatis, plurium vocabulo Deos prohibet appellari. Denique Patrem, & Filium catholice nominamus: duos autem Deos dicere, nec poſſumus, nec debemus. ℟. Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu: laudemus & ſuperexaltemus eum, In ſæcula. ℣. Benedictus es Domine in firmamento cæli, & laudabilis & glorioſus. In.

Lectio ix.

NOn quòd Filius Dei Deus non ſit; immo verus Deus de Deo vero: ſed quia non aliunde, quàm de ipſo vno Patre, Dei Filium nouimus, perinde vnum Deum dicimus. Hoc enim Prophetæ, hoc Apoſtoli tradiderunt: hoc ipſe Dominus docuit, cũ dicit: Ego & Pater vnum ſumus. Vnum ad vnitatem diuinitatis, vt dixi, refert, ſumus autem, perſonis aſſignat. ℟. Summæ Trinitati ſimplici Deo, vna diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas, Patri, Prolique, ſanctoque Flamini: Qui totum ſubdit ſuis orbem legibus. ℣. Præſtet nobis gratiam Deitas beata Patris, ac Nati, pariterque Spiritus almi. Qui. Gloria Patri. Qui. ℣. Magnus Dominus, & laudabilis nimis. ℟. Et magnitudinis eius non eſt finis.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

GLoria tibi Trinitas æqualis, vna Deitas, & ante omnia ſæcula, & nunc & in perpetuum. Pſalm. Dominus regnauit. 63. Ant. Laus, & perennis gloria Deo Patri & Filio, ſancto ſimul Paraclito in ſæcula ſæculorum. Pſalm. Iubilate. 65. Ant. Gloria laudis reſonet in ore omnium Patri genitæque Proli, Spiritui ſancto pariter reſultet laude perenni. Pſalm.

Deus

Deus Deus. 39. Aña. Laus Deo Patri, pariliq. Proli, & tibi ſemper ſtudio perenni Spiritus, noſtro reſonet ab ore omne per æuum. Cant. Benedicite. 98. Aña. Ex quo omnia per quem omnia, in quo omnia, ipſi gloria in ſæcula. Pſalm. Laudate. 97. Capitul. O altitudo diuitiarum.

Hymnus.

O Trinitas laudabilis,
Et vnitas mirabilis:
In ſimplici ſubſtantia,
Virtus manens intermina.

Tu charitas, tu puritas,
Tu pax, & immortalitas:
Patris, Nati, Paraclyti,
Decore pollens perpeti.

Fides corona ſupplicum,
In te pie fidentium:
Exterge ſordes mentium,
Sorti miſertus pauperum.

Laus Patri ſit ingenito,
Laus eius Vnigenito,
Laus ſit ſancto Spiritui,
Trino Deo, & ſimplici. Amen.

℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & vſque in ſæculum.

Ad Benedictus Antiphona.

Benedicta ſit creatrix, & gubernatrix omnium, ſancta, & indiuidua Trinitas, nunc, & ſemper, & per infinita ſæculorum ſæcula. Oratio. Omnipotens ſempiterne. Ad Horas, Antiph. Laud. Ad Tertiam, Capitul. O altitudo. ℟. Benedicamus Patrem, & Filium, cum ſancto Spiritu, Alleluia, alleluia. Benedicamus. ℣. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula. Alleluia. Gloria. Benedicamus. ℣. Benedictus es Domine in firmamẽto cæli. ℟. Et laudabilis & glorioſus in ſæcula. Ad Sextã, Cap. 2. *Cor.* 13.

GRatia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit ſemper cum omnibus vobis. Amen. ℟. Benedictus es Domine in firmamẽto cæli, Alleluia, alleluia. Benedictus. ℣. Et laudabilis & glorioſus in ſæcula. Alleluia. Gloria. Benedictus. ℣. Verbo Domini, &c. ℟. Et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Ad Nonam, Capitulum. 1. *Io.* 5.

TRes ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. ℟. Verbo Domini cæli firmati, ſunt, Alleluia. alleluia. Verbo. ℣. Et Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Alleluia. Gloria. Verbo. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum. Ad ſecundas Veſper. ſuper Pſalm. Antiph. Gloria tibi Trinitas. Pſalm. Dixit Dominus. 75. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri. Laudate Dominum. 78. Cap. Hymn. ℣. in primis Veſper. Ad Magnificat, Antiphona. Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum ſanctum paraclitum, ſanctam & indiuiduam Trinitatem, toto corde & ore confitemur, laudamus, atque benedicimus: tibi gloria in ſæcula. Per Octauas, quando de Octau. agitur, ad Matutin. Inuitator. Deum verum vnum in Trinitate, Venite

nite adoremus. Ad Benedict. vel ad Memor. in Laud. Aña. **Benedicta ſit creatrix.** Ad Magnifica, vel ad Memoriam in Veſp. Aña. **Te Deum Patrem.** Cetera per Octau. fiunt ſecundum ordinem, qui infra in Rubrica de Octau. Sanctorum notatus eſt, vſque ad Veſp. ſequ. quartæ Feriæ excluſiue, & dicuntur ſequentes Lectiones.

FERIA SECVNDA.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 5.

PEr manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis: ſed magnificabat eos populus: Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita vt in plateas eijcerét infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Lectio ij.

COncurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatem Ieruſalem, afferentes ægros, & vexatos à ſpiritibus immundis: qui curabantur omnes. Exurgens autem princeps ſacerdotũ, & omnes, qui cum illo erant, (quæ eſt hæreſis Sadducæorum) repleti sũt zelo: & iniecerũt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in cuſtodia publica.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

Ser. 2. de Pentecoſte.

Lectio iij.

B. P.

CVm ad intelligendam dignitaté ſummæ Trinitatis, dilectiſſimi, aciem mentis intendimus, nihil diuerſum in illa excellẽtia cogitemus: quia in nullo ab vnitate ſua diſcrepat diuinitatis eſſentia. Sempiternum eſt Patri, conſempiterni ſibi Filij ſui eſſe Genitorem. Sempiternum eſt Filio intemporaliter à Patre eſſe progenitum. Sempiternum quoque eſt Spiritui ſancto, Spiritum eſſe Patris & Filij: vt numquam Pater ſine Filio, numquam Filius ſine Patre, numquam Pater & Filius fuerint ſine Spiritu ſancto: & omnibus exiſtentiæ gradibus excluſis, nulla ibi perſona ſibi anterior, nulla poſterior.

FERIA TERTIA.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 5.

VT autem audierunt hos ſermones magiſtratus templi, & principes ſacerdotum, ambigebant de illis quidnam fieret. Adueniens autem quidam, nunciauit eis: Quia ecce viri, quos poſuiſtis in carcerem, ſunt in templo ſtantes, & docentes populum. Tunc abijt magiſtratus cum miniſtris, & adduxit illos ſine vi: timebant enim populum ne lapidarentur. Lectio ij.

ET cum adduxiſſent illos, ſtatuerunt in concilio. Et interrogauit eos princeps ſacerdotum, dicens: Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto: & ecce repleſtis Ieruſalẽ doctrina veſtra: & vultis inducere ſuper nos ſanguinẽ hominis iſtius. Reſpondens autẽ Petrus, & Apoſtoli,

Bb dixe-

dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Libr. de Trinitate. Lectio iij.

CRedimus ſanctam Trinitatem, ideſt Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum vnum Deum omnipotentem, vnius ſubſtantiæ, vnius eſſentiæ, vnius poteſtatis, creatorem omnium creaturarum, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Credimus Patrem à ſemetipſo, non ab alio: Filium à Patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, ſed vnum lumen: Spiritum ſanctum à Patre, & Filio æqualiter procedentem, conſubſtantialem, coæternum Patri, & Filio.

FERIA QVARTA.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 8.

FActa eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ præter Apoſtolos. Curauerumt autē Stephanum viri timorati, & fecerūt planctum magnum ſuper eum. Saulus autem deuaſtabat Eccleſiam per domos intrans, & trahens viros ac mulieres, tradebat in cuſtodiam. Lectio ij.

IGitur qui diſperſi erant, pertranſibant, euangelizantes verbum Dei. Philippus autem deſcendens in ciuitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum. Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur vnanimiter audientes, & videntes ſigna quæ faciebat. Multi enim eorum, qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magna exibant. Multi autē paralytici, & claudi curati ſunt. Factum eſt ergo gaudium magnum in illa ciuitate.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

Ser. 2. de Pentecoſte. Lectio iij.

COgitatio de Deitate Trinitatis cōcepta, nihil per diſtantiā intelligat: nihil per gradus quærat. At ſi quid dignū de Deo ſenſerit: nulli hoc ibi audeat negante Perſonæ. Hanc autem fidē terrena ſapientia nō reperit, nec opinio humana perſuaſit, ſed ipſe vnigenitus Filius docuit, ipſe Spiritus ſāctus inſtituit: de quo nihil eſt aliter, quàm de Patre, & Filio ſentiendum: quia licet non ſit Pater, non ſit Filius, non tamen eſt à Patre Filioq. diuiſus.

FERIA QVINTA.

Celebratur Feſtum Corporis Chriſti. *Vide Rubricam 2. de Sanctis. Legitur autem Officium editum à Sancti Thomæ Aquinate, Opuſculo.* 57.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Ad primas Veſper. ſuper Pſalm. Aña.

SAcerdos in æternum Chriſtus Dominus ſecundum ordinē Melchiſedech, panem & vinum obtulit. Pſalmus. Laudate pueri. cum ceteris.

Capi-

Digitized by Google

Capitulum. 1. *Cor.* 11.

DOminus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. ℟. Homo quidam fecit cœnam magnam, & miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, Quia parata ſunt omnia. ℣. Venite, comedite panem meum: & bibite vinum quod miſcui vobis. Quia. Gloria. Quia.

Hymnus.

PAnge lingua glorioſi
Corporis myſterium,
Saguiniſque pretioſi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generoſi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus,
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conuerſatus,
Sparſo verbi ſemine,
Sui moras incolatus
Miro clauſit ordine.

In ſupremæ noctæ cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Obſeruata lege plene
Cibis in legalibus:
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.

Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit:
Fitque ſanguis Chriſti merum,
Et ſi ſenſus deficit,
Ad firmandum cor ſincerum
Sola fides ſufficit.

Hic genuflectitur.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Nouo cedat ritui:
Præſtet fides ſupplementum
Senſuum defectui.

Genitori, Genitoque
Laus & iubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit & benedictio:
Procedenti ab vtroque
Compar ſit laudatio. Amen.

℣. Panem de cælo præſtitiſti eis. ℟. Omne delectamentum in ſe habentē.

Ad Magnif. Aña. O quàm ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus! qui vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo de cælo præſtito, eſurientes reples bonis, faſtidioſoſque diuites dimittis inanes. Oratio.

DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili, paſſionis tuæ memoriā reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos Corporis, & Sanguinis tui ſacra myſteria venerari: vt redēptionis tuæ ſanctū in nobis iugiter ſētiamus. Qui viuis. Ad Cōpl. ſuper Pſal. Aña. Miſerere. Pſal. Cum inuocarē. cū ceteris. Ad Nūc dimittis, Aña. Allel. Panis, quem ego dedero, allel. caro mea eſt pro mūdi vita, allel. allel. Ad Matut. Inuitat. Chriſtū Regem adoremus dominantem Gentibus: Qui ſe manducantibus dat ſpiritus pinguedinem. Pſalm. Venite. Hymnus.

SAcris ſolemnijs iūcta ſint gaudia,
Et ex præcordijs ſonēt præconia:
Recedant vetera, noua ſint omnia,

Corda, voces, & opera.

Noctis recolitur cœna nouiſſima,
Qua Chriſtus creditur agnum & azyma
Dediſſe fratribus, iuxta legitima
Priſcis indulta patribus.

Poſt agnum typicum, expletis epulis
Corpus Dominicum datum diſcipulis,
Sic totum omnibus, quod totum ſingulis.
Eius fatemur manibus.

Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit & triſtibus ſanguinis poculum.
Dicens, Accipite, quod trado vaſculum,
Omnes ex eo bibite.

Sic ſacrificium iſtud inſtituit,
Cuius officium committi voluit
Solis Presbyteris, quibus ſic congruit,
Vt ſumant, & dent ceteris.

Panis Angelicus fit panis hominum,
Dat panis cælicus figuris terminũ:
O res mirabilis, manducat Dominũ
Pauper, ſeruus, & humilis!

Te trina Deitas, vnaque poſcimus,
Sic nos tu viſita, ſicut te colimus,
Per tuas ſemitas duc nos quò tendimus,
Ad lucem quam inhabitas. Amen.

IN I. NOCTVR. Antiph. Fructum ſalutiferũ guſtandũ dedit Dominus mortis ſuæ tempore. Pſalm. Beatus vir. 1. Antiph. A fructu frumenti, & vini multiplicati fideles in pace Chriſti requieſcunt. Pſalm. Cum inuocarem. 2. Antiph. Communione calicis, quo Deus ipſe ſumitur, non vitulorum ſanguine congregauit nos Dominus. Pſalm. Conſerua. 8. ℣. Panem cæli dedit eis. ℟. Panem Angelorum manducauit homo.

De Libro Exodi.

Lectio j. C. 12.

Dixit quoque Dominus ad Moyſen, & Aaron in Terra Aegypti: Menſis iſte, vobis principium menſiũ, primus erit in menſibus anni. Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſrael, & dicite eis: Decima die menſis huius, tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas. Sin autem minor eſt numerus, vt ſufficere poſſit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum, qui iunctus eſt domui ſuæ, iuxta numerum animarum quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. Erit autem agnus abſque macula, maſculus, anniculus: iuxta quem ritũ tolletis & hœdum. Et ſeruabitis eũ vſque ad quartam decimam diẽ menſis huius: immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam. Et ſument de ſanguine eius, ac ponent ſuper vtrumque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus. ℟. Immolabit hœdum multitudo filiorum Iſrael, ad veſperam Paſchæ: Et edent carnes, & azymos panes. ℣. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: itaquę epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis. Et edent.

Lectio ij. *Exo. 16.*

CVm loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Iſrael, reſpexerunt ad ſolitudinẽ: & ecce gloria Domini apparuit in nube. Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens: Audiui murmurationes filiorũ Iſrael, loquere ad eos: Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus: ſcietiſq. quòd ego ſum Dominus Deus veſter. Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix, cooperuit caſtra: mane quoq. ros iacuit per circuitum caſtrorum. Cumq. operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram. Quod cũ vidiſſent filij Iſrael, dixerunt ad inuicem. Manhu? quod ſignificat: Quid eſt hoc? ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes: Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum. ℟. Comedetis carnes, & ſaturabimini panibus: Iſte eſt panis, quẽ dedit vobis Dominus ad veſcendum. ℣. Non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verũ. Iſte.

De Libro tertio Regum.

Lectio iij. C. 19.

VEnit Elias in Berſabee Iuda, & dimiſit ibi puerum ſuum, & perrexit in deſertum viam vnius diei. Cumq. veniſſet, & ſederet ſubter vnã iuniperum, petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neq. enim melior ſum, quàm patres mei. Proiecitq. ſe, & obdormiuit in vmbra iuniperi. Et ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rurſum obdormiuit. Reuerſuſque eſt Angelus Domini ſecundo, & tetigit eum, dixitq. illi: Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via. Qui cum ſurrexiſſet, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vſq. ad montem Dei Horeb. ℟. Reſpexit Elias ad caput ſuum ſubcinericium panem: qui ſurgens comedit, & bibit: Et ambulauit in fortitudine cibi illius, vſq. ad montem Dei. ℣. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et ambulauit. Gloria Patri. Vſque.

IN II. NOCTVRNO.

Ana. Memor ſit Dominus ſacrificij noſtri, & holocauſtum noſtrũ pingue fiat. Pſal. Exaudiat. 12. Antiph. Paratur nobis menſa Domini aduerſus omnes qui tribulant nos. Pſal. Dominus regit. 15. Ana. In voce exultationis reſonent epulantes in menſa Domini. Pſalm. Quemadmodum. 28. ℣. Cibauit eos ex adipe frumenti. ℟. Et de petra, melle ſaturauit eos.

Sermo S. Thomæ Aquinatis.

In Opuſc. 57. Lectio iv.

IMmenſa diuinæ largitatis beneficia, exhibita populo Chriſtiano, inæſtimabilem ei conferunt dignitatem. Neq. enim eſt, aut fuit aliquãdo tam grandis natio, quæ habeat deos

appropinquantes ſibi, ſicut adeſt nobis Deus noſter. Vnigenitus ſiquidē Dei Filius ſuæ diuinitatis volens nos eſſe participes, noſtram naturam aſſumpſit: vt homines Deos faceret factus homo. Et hoc inſuper, quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem. Corpus namque ſuum pro noſtra reconciliatione in ara Crucis hoſtiā obtulit Deo Patri: ſanguinē ſuum fudit in pretium ſimul, & lauacrum: vt redempti à miſerabili ſeruitute, à peccatis omnibus mundaremur. ℟. Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita: litigabant ergo Iudæi dicentes: Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum? ℣. Locutus eſt populus contra Dominum: Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. Quomodo. Lectio v.

ET vt tanti beneficij iugis in nobis maneret memoria, corpus ſuum in cibum, & ſanguinem ſuum in potum, ſub ſpecie panis & vini ſumendum fidelibus dereliquit. O pretioſum & admirandum conuiuium, ſalutiferum, & omni ſuauitate repletum! Quid enim hoc cōuiuio pretioſius eſſe poteſt? in quo nō carnes vitulorum & hircorum, vt olim in lege, ſed nobis Chriſtus ſumendus proponitur verus Deus. Quid hoc Sacramento mirabilius? In ipſo namque panis, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti ſubſtantialiter conuertuntur: ideoque Chriſtus Deus & homo perfectus ſub modici panis ſpecie continetur. ℟. Cœnantibus illis accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit, deditq. diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc eſt corpus meum. ℣. Dixerūt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius, vt ſaturemur? Accipite. Lectio vj.

MAnducatur itaque à fidelibus, ſed minime laceratur. Quinimmo, diuiſo Sacramento, ſub qualibet diuiſionis particula integer perſeuerat. Accidentia etiam ſine ſubiecto in eodem exiſtunt, vt fides locum habeat, dum inuiſibile viſibiliter ſumitur ſub aliena ſpecie occultatum: & ſenſus à deceptione immunes redduntur, qui de accidentibus iudicant ſibi notis. Nullum etiam Sacramentū eſt iſto ſalubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium ſpiritualium chariſmatum abundantia impinguatur. Offertur in Eccleſia pro viuis, & mortuis: vt omnibus proſit, quod eſt pro ſalute omniū inſtitutum. ℟. Accepit Ieſus calicem, poſtquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine: Hoc facite in meam commemorationem. ℣. Memoria memor ero & tabeſcet in me anima mea. Hoc Gloria Patri. Hoc.

IN III. NOCTVRNO.

Antiphona. Introibo ad altare Dei: ſumam Chriſtum, qui renouat iuuentutem meam. Pſalm. Iudica. 28. Antiphona. Cibauit nos Dominus ex adipe frumenti, & de petra, melle ſaturauit nos. Pſalm. Exultate Deo. 54.

Antipho-

Digitized by Google

Antiphona. Ex altari tuo Domine, Chriſtum ſumimus: in quem cor, & caro noſtra exultant. Pſalm. Quàm dilecta tabernacula. 55. ℣. Educas panem de terra. ℟. Et vinum lætificet cor hominis.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio vij. C. 6.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis Iudæorum: Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 26. in Ioan. ſub finem.

CVm cibo & potu id appetant homines, vt non eſuriant neque ſitiant: hoc vere non præſtat, niſi iſte cibus & potus, qui eos à quibus ſumitur: immortales, & incorruptibiles facit: ideſt, ſocietas ipſa ſanctorum: vbi pax erit, & vnitas plena, atque perfecta. Propterea quippe, ſicut etiam ante nos hoc intellexerũt homines Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus corpus & ſanguinẽ ſuũ in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur. Ex multis namq. granis vnus panis efficitur: & ex multis racemis vinum confluit. ℟. Qui mãducat meam carnem, & bibit meũ ſanguinẽ, In me manet, & ego in eo. ℣. Nõ eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis. In.

Lectio viij.

DEnique iam exponit quomodo id fiat quod loquitur: & quid ſit manducare corpus eius, & ſanguinẽ bibere: &, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Hoc eſt ergo mãducare illam eſcam, & illũ bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere. Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio non mãducat eius carnem, nec bibit eius ſanguinem, licet carnaliter, & viſibiliter premat dentibus ſacramẽta corporis, & ſanguinis Chriſti: ſed magis tantæ rei ſacramentum ad iudiciũ ſibi mãducat & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti ſacramenta accedere, quæ alius non digne ſumit, niſi qui mũdus eſt, de quibus dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. ℟. Miſit me Pater viuens, & ego viuo propter Patrem, Et qui manducat me, viuet propter me. ℣. Cibauit eum Dominus pane vitæ, & intellectus. Et qui.

Lectio ix.

SIcut miſit me, inquit, viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe viuet propter me. Ac ſi diceret: Vt ego viuam propter Patrem, ideſt, vt ad illum tamquam ad maiorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me miſit: vt autem quiſque viuat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaque humiliatus viuo propter Patrem: ille erectus viuit propter me. Si autem ita dictum eſt, Viuo propter Patrem, quia ipſe de illo, non ille de ipſo eſt: ſine detri-

detrimento æqualitatis dictum eſt. Nec tamen dicendo, Et qui manducat me, & ipſe viuet propter me: eandem ſuam, & noſtram æqualitatem ſignificauit, ſed gratiam mediatoris oſtendit. ℟. Vnus panis, & vnum corpus multi ſumus, Omnes qui de vno pane, & de vno calice Participamus. ℣. Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus: qui habitare facis vnanimes in domo. Omnes. Gloria. Participamus. ℣. Comedi fauũ cum melle meo. ℟. Bibi vinum meum cum lacte meo.

IN LAVDIBVS ANTIPHONA.

Sapientia ædificauit ſibi domum, miſcuit vinum, & poſuit menſam, alleluia. Pſal. Dominus regnauit, decorem. 61. Antiph. Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & panem de cælo præſtitiſti eis, alleluia. Pſalm. Iubilate. 65. Antiph. Pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias regibus alleluia. Pſalm. Deus Deus meus. 39. Antiphona. Sacerdotes ſancti incenſum, & panes offerunt Deo, alleluia. Cant. Benedicite. 98. Antiph. Vincenti dabo manna abſconditum, & nomen nouum, alleluia. Pſal. Laudate. 97. Cap. Dñs Ieſus. Hymn.

Verbum ſupernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus ſuum exiens,
Venit ad vitæ veſperam.
In mortem à diſcipulo
Suis tradendus æmulis,
Prius in vitæ ferculo
Se tradidit diſcipulis.
Quibus ſub bina ſpecie
Carnem dedit & ſanguinem:
Vt duplicis ſubſtantiæ
Totum cibaret hominem.
Se naſcens dedit ſocium,
Conueſcens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.
O ſalutaris hoſtia,
Quæ cæli pandis oſtium:
Bella premunt hoſtilia,
Da robur, fer auxilium.
Vni trinoque Domino
Sit ſempiterna gloria:
Qui vitam ſine termino
Nobis donet in patria. Amen.

℣. Poſuit fines tuos pacem. ℟. Et adipe frumenti ſatiat te. Ad Benedictus, Antiphona. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, alleluia. Oratio vt ſupra in primis Veſper. Ad Primam ad alias Horas Antiph. Laud. ℟. Ieſu Chriſte. ℣. Qui natus es. Iſte ℣. dicatur per totam Oct. etiam in Feſtis Sanctorum. ℣. Gloria tibi Domine, Qui natus es de Virgine. dicitur in Die, & per Oct, ad omnes Hymn. eiuſdem metri, præterquam ad Hymn. Verbum ſupernũ prodiens etiam in Feſtis Sanctorum. Ad Tertiã, Cap. Dominus Ieſus. ℟. Panẽ cæli dedit eis, Allel. allel. Panẽ. ℣. Panẽ Angelorum manducauit homo, Allel. Gloria. Panem. ℣. Cibauit eos ex adipe frumenti. ℟. Et de petra, &c. Ad Sext. Cap. 1. Cor. 11.

Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem

bibetis:

bibetis: mortem Domini annunciabitis, donec veniat. ℟. Cibauit eos ex adipe frumenti, Alleluia, alleluia. Cibauit. ℣. Et de petra, melle ſaturauit eos. Alleluia. Gloria Patri. Cibauit eos. ℣. Educas, &c.

Ad Nonam, Capitul. 1. *Cor.* 11.

QVicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini. ℟. Educas panem de terra, Alleluia, alleluia. Educas. ℣. Et vinum lætificet cor hominis. Alleluia. Gloria. Educas. ℣. Poſuit fines tuos pacem. ℟. Et adipe frumenti ſatiat te. Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiph. Sapientia ædificauit. Pſalm. Dixit Dominus. 75. Confitebor. Credidi. 77. Beati omnes. 88. Lauda Ieruſalem. 97. Capit. Hymn. ℣. vt in j. Veſper. Ad Magnificat, Antiph. O ſacrum conuiuium in quo Chriſtus ſumitur: recolitur memoria paſſionis eius: mens impletur gratia: & futuræ gloriæ nobis pignus datur, alleluia, alleluia. Oratio. Deus, qui nobis ſub Sacramento.

INFRA OCTAVAS.

Ad Matutinum, Inuitatorium. ſicut in Die. Pſalmi cum vna Antiphona, & tribus Lectionibus ſicut in alijs Octauis. Ad Benedictus, Antiphona. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: qui manducat ex hoc pane, viuet in æternum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus: eſcam dedit timentibus ſe.

FERIA SEXTA.

Poſt Feſtum Corporis Chriſti.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 9.

IN Ioppe autem fuit quædam diſcipula, nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemoſynis, quas faciebat. Factū eſt autem in diebus illis, vt infirmata moreretur. Quam cum lauiſſent, poſuerunt eam in cœnaculo. Cum autem prope eſſe Lydda ad Ioppen, diſcipuli audientes, quia Petrus eſſet in ea, miſerunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire vſque ad nos. Exurgens autem Petrus venit cum illis.

Lectio ij.

ET cum aduenifſet, duxerunt illũ in cœnaculum: & circumſteterũt illum omnes viduæ flentes, & oſtendẽtes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas. Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit: & conuerſus ad corpus, dixit: Tabitha, ſurge. At illa aperuit oculos ſuos: & viſo Petro, reſedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocaſſet ſanctos, & viduas: aſſignauit eam viuam. Notum autẽ factum eſt per vniuerſam Ioppen: & crediderunt multi in Domino.

De Sermone S. Thomæ Aquinatis. *Opuſc.* 57. Lectio iij.

COnuenit itaque deuotioni fidelium, ſolemniter recolere inſtitutionem tam ſalutiferi, tamq. mirabilis Sacra-

Sacramenti: vt ineffabilem modum diuinæ præſentiæ in Sacramento viſibili veneremur: & laudetur Dei potentia, quæ in Sacramento eodem tot mirabilia operatur: nec non & de tam ſalubri, tamque ſuaui beneficio exoluantur Deo debitæ gratiarum actiones. Romanus autem Pontifex Vrbanus Quartus, huius Sacramenti deuotione affectus, pie ſtatuit, præfatæ inſtitutionis memoriam prima Quinta Feria poſt Octauã Pentecoſtes à cunctis fidelibus celebrari.

Fiat Memoria de Octau. Trinit. in Laudib. & in Veſperis.

S A B B A T O.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 11.

ET illi quidem, qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulauerunt vſque Phoenicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum; niſi ſolis Iudæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprij, & Cyrenæi, qui cum introiſſent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annunciantes Dominum Ieſum. Et erat manus Domini cum eis: multuſque numerus credentium conuerſus eſt ad Dominum.

Lectio ij.

PEruenit autem ſermo ad aures Eccleſiæ, quæ erat Ieroſolymis ſuper iſtis: & miſerunt Barnabam vſq. ad Antiochiam. Qui cum perueniſſet, & vidiſſet gratiam Dei, gauiſus eſt: & hortabatur omnes in propoſito cordis permanere in Domino: quia erat vir bonus, & plenus Spiritu ſancto, & fide. Et appoſita eſt multa turba Domino. Profectus eſt autem Barnabas Tarſum, vt quæreret Saulum: quem cũ inueniſſet, perduxit Antiochiam.

Sermo ſancti Cyrilli Epiſcopi.

Cyrill. lib. 3. in Ioann. c. 37.

Lectio iij.

SCiant baptizari homines, & diuinæ gratiæ participes facti, ſi rarius in Eccleſiam proficiſcantur, & longo temporum ſpatio propter ſimulatam religionem myſtice communicare Chriſto recuſent: ab æterna ſe vita procul depellere. Quippe recuſatio huiuſmodi quamuis ex religione proficiſci videatur: & ſcandalum facit, & laqueos inſtruit. Quare oportet omnibus viribus à peccato mundari: & recte viuendi iactis fundamentis, magna cum fiducia ad ſumendam vitam concurrere. Sed variæ ſunt diaboli, multiplicesque ad decipiendum inſidiæ. Quare demus operam, oro, vt vinculis eius abruptis, & iugo ſeruitutis peccatorum excuſſo, in timore Domino ſeruiamus, & carnis voluptate per continentiam ſuperatã, ad cæleſtem gratiam accedamus, corporiſq. Chriſti participes efficiamur.

Fiat Memoria de Octaua Trinitatis in Laudibus tantum.

D O M I N I C A

Infra Octa. Corporis Chriſti. Sabbato præcedenti in Veſperis nihil fiat de Dominica. Ad Matutinum, Inuitatorium. Antiph. Hymn. ℣℣. ℟℟. vt in die Corporis Chriſti.

IN I. NOCTVRNO.

Incipit Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Hebræos.

Lectio j. C. 1.

MVltifariam, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: nouiſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit heredem vniuerſorũ, per quem fecit & ſæcula. Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit.

Lectio ij.

CVi enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi virga æquitatis, virga regni tui.

Lectio iij.

DIlexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et, Tu in principio Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes vt veſtimentum veteraſcent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, quoadusq. ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?

IN II. NOCTVRNO.

Sermo Sancti Ioannis Chryſoſtomi.

Hom. 60. ad populum Antioch.

Lectio iv.

QVot nunc dicunt: Vellem ipſius Chriſti formam aſpicere, figuram, veſtimenta, calceamenta? Ecce eum vides, ipſum tangis, ipſum manducas. Et tu quidem veſtimenta cupis videre: ipſe vero tibi concedit non tantum videre, verum & manducare, & tangere, & intra te ſumere. Igitur accedat nemo cum nauſea, nemo reſolutus, omnes accenſi, omnes feruentes, & excitati. Nam ſi Iudæi ſtantes, & calceamenta in pedibus habentes, & baculos manibus geſtantes, agnum cum feſtinatione comedebant: te multo magis oportet eſſe ſolertem.

Lectio v.

QVapropter in omnibus oportet te vigilare: nec enim parua pœna proponitur indigne ſumentibus. Conſidera quantum aduerſus proditorem indignaris, & contra eos, qui illum crucifixerunt: itaq. conſidera, ne tu quoque ſis reus corporis & ſanguinis Chriſti. Illi ſanctiſſimum corpus occiderunt, tu vero polluta ſuſcipis anima, poſt tot beneficia. Nec enim ſatis fuit, hominem

fieri,

Digitized by Google

fieri, colaphis cædi, & crucifigi: verum & ſemetipſum nobis commiſcet, & non fide tantum, verum & ipſa re nos ſuum efficit corpus.

Lectio vj.

QVo non oportet igitur eſſe puriorem, tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? os quod igni ſpiritali repletur, linguam quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Cogita, quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris. Quod Angeli videntes horreſcunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde ſplendorem, hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus, & vna caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis paſtor oues proprio paſcit cruore?

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 14.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Phariſæis parabolam hanc: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Hom. 36. in Euang.

HOc diſtare, fratres chariſſimi, inter delicias corporis & cordis ſolet: quòd corporales deliciæ; cum non habentur, graue in ſe deſiderium accendunt: cum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. At contra ſpiritales deliciæ, cum non habentur, in faſtidio ſunt: cum vero habentur, in deſiderio: tantoque à comedente amplius eſuriuntur, quanto & ab eſuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia diſplicet: in iſtis appetitus vilis eſt, & experientia magis placet.

Lectio viij.

AVgent enim ſpiritales deliciæ deſiderium in mente, dum ſatiant: quia quanto magis earum ſapor percipitur, eo amplius cognoſcitur quod auidius ametur: & idcirco non habitæ amari non poſſunt, quia earum ſapor ignoratur. Quis enim amare valeat quod ignorat? Proinde Pſalmiſta nos admonet, dicens: Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Ac ſi aperte dicat: Suauitatem eius non cognoſcitis, ſi hanc minime guſtatis: ſed cibum vitæ ex palato cordis tangite, vt probantes eius dulcedinem, amare valeatis.

Lectio ix.

HAs autem homo delicias tunc amiſit, cum in Paradiſo peccauit: extra exijt, cum os à cibo internæ dulcedinis clauſit. Vnde nos quoque nati in huius peregrinationis ærumna, huc faſtidioſi iam venimus, neſcimus quid deſiderare debeamus. Tantoque ſe amplius faſtidij noſtri morbus exaggerat, quanto ſe magis ab eſu illius dulcedinis animus elongat. Et eo iam internas delicias non appetit, quo eas comedere, diu longeque diſſueuit. Faſtidio ergo noſtro

Digitized by Google

ſtro tabeſcimus, & lónga inediæ peſte fatigamur.

In Laudibus, Antiphonæ, Pſal. & ℣. ſicut in Die Corporis Chriſti. Antiph. ad Benedictus. **Ego ſum panis.** vt in fra Oct. Oratio. **Deus, qui nobis ſub Sacramento.** Ad Memoriam de Dominica in Laudibus, Antiphona. **Homo quidam fecit coenam magnam, & vocauit multos: & miſit ſeruum hora coenæ dicere inuitatis vt venirent, quia omnia parata ſunt, alleluia.**

℣. Educas panem de terra.

℟. Et vinum lætificet cor hominis.

Oratio.

Sancti nominis tui Domine, timorem pariter & amorẽ fac nos habere perpetuum: quia numquam tua gubernatione deſtituis, quos in ſoliditate tuæ dilectionis inſtituis. Per Dom.

Veſperæ erunt de Octa. Antiphona ad Magnificat. **Memoriam fecit.** Oratio. **Deus, qui nobis ſub Sacramento.** Ad Memoriam de Dominica in Veſper. Aña. Exi cito in plateas & vicos ciuitatis: & pauperes ac debiles, cæcos & claudos compelle intrare, vt impleatur domus mea, alleluia. ℣. Cibauit eos ex adipe frumenti. ℟. Et de petra, melle ſaturauit eos.

Oratio. Sancti nominis tui.

FERIA SECVNDA.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 13.

Erant autem in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ, & doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenenſis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus. Miniſtrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponenteſq. eis manus, dimiſerunt illos.

Lectio ij.

Et ipſi quidem miſſi à Spiritu ſancto abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum. Et cum veniſſent Salaminam, prædicabant verbum Dei in ſynagogis Iudæorum. Habebant autem & Ioannem in miniſterio. Et cum perambulaſſent vniuerſam inſulam vſque Paphum, inuenerunt quemdam virum magnum pſeudoprophetam, Iudæum, cui nomen erat Barieſu, qui erat cum Proconſule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accerſitis Barnaba, & Saulo, deſiderabat audire verbum Dei.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

Ex Homil. 60. ad populum Antioch.

Lectio iij.

Vnicuique fidelium Chriſtus ſemetipſum per myſterium commiſcet, & quos genuit, & per ſemetipſum enutrit, nec alteri tradit, hoc tibi rurſum perſuadens, quòd carnem tuam aſſumpſit. Ne torpeamus igitur tanta digni charitate & honore putati. Nonne videtis quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacri-

alacritate ad hanc menſam: quinimmo cum longe maiori trahamus, tamquam infantes lactanei, ſpiritus gratiam, & vnus ſit nobis dolor hac eſca priuari.

FERIA TERTIA.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C.14.

ET quidam vir Lyſtris infirmus pedibus ſedebat, claudus ex vtero matris ſuæ, qui numquam ambulauerat. Hic audiuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns quia fidem haberet vt ſaluus fieret, dixit magna voce: Surge ſuper pedes tuos rectus. Et exiliuit, & ambulabat. Turbæ autem cum vidiſſent quod fecerat Paulus, leuauerunt vocem ſuam Lycaonice, dicentes: Dij ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iouem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipſe erat dux verbi.

Lectio ij.

SAcerdos quoque Iouis, qui erat ciuitatem, tauros, & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat ſacrificare. Quod vbi audierunt Apoſtoli Barnabas & Paulus, conſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas, clamantes, & dicentes: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuũ, qui fecit cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis ſunt.

Ex Epiſtola S. Cypriani Epiſcopi & martyris ad Cæcilium.

Lib. 2. Epiſt. 3. ſub init.

Lectio iij.

IN ſacerdote Melchiſedech ſacrificij Dominici ſacramentum præfiguratum videmus, ſecundum quod Scriptura diuina teſtatur, & dicit: Et Melchiſedech rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quòd autem Mechiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus ſanctus, ex perſona Patris ad Filium dicens: Ante luciferum genui te: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui ordo vtique hic eſt de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quòd Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit.

FERIA QVARTA.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C.15.

SVrrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſi. Conueneruntq. Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbũ Euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum ſanctum, ſicut & nobis: & nihil diſcreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum.

Le-

Digitized by Google

Lectio ij.

NVnc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo: & audiebant Barnabam & Paulum narrantes quanta Deus feciſſet ſigna & prodigia in Gentibus per eos. Et poſtquam tacuerunt, reſpondit Iacobus, dicens: Viri fratres audite me: Simon narrauit quemadmodũ primum Deus viſitauit ſumere ex Gentibus populum nomini ſuo.

Ex Libro S. Ambroſij Epiſcopi de Sacramentis. *Lib. 4. c. 4.*

Lectio iij.

AVctor Sacramentorum quis eſt, niſi Dominus Ieſus? De cælo iſta ſacramenta venerunt: conſilium enim omne de cælo eſt. Vere autem magnum eſt & diuinum miraculum, quòd populo pluit Deus manna de cælo: & non laborabat populus, & manducabat. Tu forte dicis: Meus panis eſt vſitatus. Sed panis iſte, panis eſt ante verba ſacramentorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur aſtruamus. Quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu.

FERIA V. IN OCTAVA Corporis Chriſti.

IN I. NOCTVRNO.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 15.

POſt hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit: & diruta eius reædificabo, & erigam illud, vt requirant ceteri hominum Dominum, & omnes gentes, ſuper quas inuocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. Notum à ſæculo eſt Domino opus ſuum. Propter quod ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum: ſed ſcribere ad eos, vt abſtineant ſe à contaminationibus ſimulacrorum, & fornicatione, & ſuffocatis, & ſanguine.

Lectio ij.

MOyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis ciuitatibus, qui eum prædicent in ſynagogis, vbi per omne ſabbatum legitur. Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barſabas, & Silam viros primos in fratribus, ſcribentes per manus eorum: Apoſtoli & ſeniores fratres, his qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus, ſalutem. Quoniam audiuimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbauerunt vos verbis, euertentes animas veſtras, quibus non mandauimus placuit nobis collectis in vnum, eligere viros, & mittere ad vos cum chariſſimis noſtris Barnaba & Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas ſuas

pro-

pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Lectio iij.

MIſimus ergo Iudam, & Silam, qui & ipſi vobis verbis referent eadem. Viſum eſt enim Spiritui ſancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc neceſſaria: Vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum,& ſanguine,& ſuffocato,& fornicatione, à quibus cuſtodientes vos, bene agetis. Valete. Illi ergo dimiſſi, deſcēderunt Antiochiā: & congregata multitudine tradiderūt epiſtolam.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract.26.in Ioan. Lectio iv.

CLamat Dominus noſter Ieſus Chriſtus: Ego ſum panis vitæ. Et vnde illi ſuperbiebant? Patres veſtri,inquit,manducauerunt manna, & mortui ſunt. Quid eſt, vnde ſuperbitis? Manducauerunt manna, & mortui ſunt.Quare manducauerūt,& mortui ſunt? Quia quod videbant, credebant: quod non videbant,non intelligebant. Ideo patres veſtri, quia ſimiles eſtis illorum. Nam quantum pertinet, fratres mei, ad mortem iſtam viſibilem & corporalem, nūquid nos non morimur, qui manducamus panem de cælo deſcendentem?

Lectio v.

SIc ſunt mortui & illi, quemadmodum & nos ſumus morituri:quātum attinet,vt dixi, ad mortem huius corporis viſibilem atque carnalem. Quantum autem pertinet ad illam mortem, de qua terret Dominus quia mortui ſunt patres iſtorum:manducauit manna & Moyſes, manducauit manna & Aaron, manducauerunt ibi multi qui Domino placuerunt, & mortui non ſunt. Quare? Quia viſibilem cibum ſpiritaliter intellexerunt, ſpiritaliter eſurierunt,ſpiritaliter guſtauerunt, vt ſpiritaliter ſatiarentur. Nam & nos hodie accipimus viſibilem cibum:ſed aliud eſt Sacramētum, aliud eſt virtus Sacramenti.

Lectio vj.

QVàm multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur! Vnde dicit Apoſtolus:Iudicium ſibi manducat & bibit. Nonne buccella Dominica venenum fuit Iudæ? & tamen accepit,& cum accepit,in eum inimicus intrauit:non quia malum accepit, ſed quia bonum male malus accepit. Videte ergo fratres, panem cæleſtem ſpiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata, etſi ſunt quotidiana,vel non ſint mortifera.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

EXponens nobis Apoſtolus Paulus hunc panem: Vnus panis, inquit, vnum corpus multi ſumus. O ſacramentum pietatis, ò ſignum vnitatis, ò vinculum charitatis! Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat: accedat, credat, incorporetur, vt viuificetur. Non abhorreat à compage membrorum, non ſit putre membrum quod reſecari mereatur: non ſit diſtortum, de quo erubeſcatur: ſit pulchrum, ſit aptum, ſit ſanum:

Digitized by Google

ſanum: hæreat corpori, viuat Deo de Deo. Nunc laboret in terra, vt poſtea regnet in cælo.

Lectio viij.

HVnc itaque cibum & potum, ſocietatem vult intelligi corporis, & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia in prædeſtinatis, & vocatis, iuſtificatis, & glorificatis ſanctis & fidelibus eius: quorum primum iam factum eſt, ideſt prædeſtinatio: ſecundum, & tertium, & factum eſt, & fit, & fiet, ideſt vocatio, & iuſtificatio: quartum vero nunc in ſpe eſt, in re autem futurum eſt, ideſt glorificatio.

Lectio ix.

HVius rei ſacramentum, ideſt vnitatis corporis & ſanguinis Chriſti, alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierum in Dominica menſa præparatur: & de menſa Dominica ſumitur, quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium. Res vero ipſa cuius & ſacramentum eſt, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque eius particeps fuerit.

FERIA SEXTA,

Poſt Octau. Corporis Chriſti.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 19.

FActum eſt autem, cum Apollo eſſet Corinthi, vt Paulus peragratis ſuperioribus partibus veniret Epheſum, & inueniret quoſdam diſcipulos: dixitque ad eos: Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audiuimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt: In Ioannis baptiſmate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent, hoc eſt, in Ieſum.

Lectio ij.

HIs auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu. Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Erãt autem omnes viri fere duodecim. Ingreſſus autem ſynagogam, cum fiducia loquebatur per tres menſes, diſputans, & ſuadens de regno Dei. Cũ autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, diſcedens ab eis, ſegregauit diſcipulos, quotidie diſputans in ſchola tyranni cuiuſdã.

Lectio iij.

HOc autem factum eſt per biennium, ita vt omnes, qui habitabant in Aſia, audirent verbum Domini, Iudæi atque Gentiles. Virtuteſque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediabantur.

Hinc vſque ad Aduentum per Ferias Hebdomadæ quando de Tempore agitur, in Matutinis, & alijs omnibus Horis, omnia fiant, vt infra Hebdom. Dominicæ j. poſt Octau. Epiphaniæ, præter Lectiones.

Digitized by Google

SABBATO. | DOMINICA I.

De Actibus Apoſtolorum. Lectio j. C. 19.

TEntauerũt autem quidam & de circumeuntibus Iudæis exorciſtis, inuocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Ieſu, dicentes: Adiuro vos per Ieſum, quẽ Paulus prædicat. Erant autẽ quidam Iudæi Sceuæ principis Sacerdotũ, ſeptem filij, qui hoc faciebant. Reſpondẽs autem ſpiritus nequam, dixit eis: Ieſum noui, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? Lectio ij.

ET inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi, & vulnerati effugerẽt de domo illa. Hoc autem notum factum eſt omnibus Iudæis, atque Gentilibus, qui habitabant Epheſi: & cecidit timor ſuper omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Ieſu. Multiq. credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos.

Lectio iij.

MVlti autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus, & cõputatis pretijs illorũ, inuenerũt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Ita fortiter creſcebat verbum Dei, & confirmabatur. His autem expletis, propoſuit Paulus in Spiritu, trãſita Macedonia & Achaia, ire Ieroſolymam, dicens: Quoniam poſtquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.

Poſt Octa. Trinitatis.

Sabbato præcedenti ad Veſp. Antiph. Pſalm. Capit. ℣. ſicut in Sabbato ante Dominicam primam poſt Octa. Epiphaniæ. ℟. Dominus, qui eripuit. ij.

Ad Magnificat, Antiphona.

Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Orationes Dominicales vſque ad Aduentum excluſiue, ſicut infra, & deinceps in ordine Homiliarum ſunt notatæ dicantur. Ad Matut. Inuitat. Hymnus, Pſalmi, Antiphonæ, ℣℣. Nocturnorũ vt in Pſalterio, & in Dominica. Domine ne in ira. 188. Et ſic ſemper in Dominicis vſq. ad Aduentum.

Incipit Liber primus Regum.

Lectio j. C. 1.

FVit vir vnus de Ramathaimſophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana, filius Ieroham filij Eliu, filij Thohu, filij Suph, Ephrathæus: & habuit duas vxores, nomẽ vni Anna, & nomen ſecundæ Phenenna. Fueruntq. Phenennæ filij, Annæ autẽ non erant liberi. Et aſcendebat vir ille de ciuitate ſua ſtatutis diebus, vt adoraret & ſacrificaret Domino exercituũ in Silo. Erant autem ibi duo filij Heli, Ophni & Phinees, ſacerdotes Domini. ℟. Deus omnium exauditor eſt: ipſe miſit Angelum ſuum, & tulit me de ouibus patris mei: Et vnxit me vnctione miſericordiæ ſuæ. ℣. Dominus, qui eripuit me de ore leonis, & de manu beſtiæ liberauit me. Et. Hiſtoria Deus omnium, legitur in Dominicis, quando de eis agitur,

vſque

Digitized by Google

vſque ad primam Dominicam Auguſti excluſiue.

Lectio ij.

VEnit ergo dies, & immolauit Elcana, deditq. Phenennæ vxori ſuæ, & cũctis filijs eius & filiabus partes: Annæ autem dedit partem vnam triſtis, quia Annam diligebat. Dominus autem concluſerat vuluam eius. Affligebat quoq. eam æmula eius, & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret quòd Dominus concluſiſſet vuluam eius: ſicque faciebat per ſingulos annos, cum redeunte tempore aſcenderent ad templum Domini: & ſic prouocabat eam. Porro illa flebat, & non capiebat cibum. ℟. Dominus, qui eripuit me de ore leonis, & de manu beſtiæ liberauit me, Ipſe me eripiet de manibus inimicorum meorũ. ℣. Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam: animã meam eripuit de medio catulorum leonum. Ipſe me.

Lectio iij.

DIxit ergo ei Elcana vir ſuus: Anna cur fles? & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? Numquid non ego melior tibi ſum, quàm decem filij? Surrexit autem Anna poſtquam comederat & biberat in Silò. Et Heli ſacerdote ſedente ſuper ſellam ante poſtes templi Domini, cum eſſet Anna amaro animo, orauit ad Dominum, flens largiter, & votum vouit, dicens: Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſeruæ tuæ ſexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non aſcendet ſuper caput eius. ℟. Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dominus, & poſui te paſcere gregem populi mei, & fui tecum in omnibus, vbicumque ambulaſti, Firmans regnum tuum In æternum. ℣. Fecique tibi nomen grande, iuxta nomen magnorum qui ſunt in terra: & requiem dedi tibi ab omnibus inimicis tuis. Firmans. Gloria Patri. In.

IN II. NOCTVRNO.

Añæ, Pſal. & Lect. pro ſecundo & tertio Noctur. infra in ordine Orationũ, & Homiliarum reperientur, & ita ſucceſſiue in omnibus Dominicis, vſq. ad Aduentũ. ℟. iv. Præparate corda veſtra Domino, & ſeruite illi ſoli: Et liberabit vos de manibus inimicorum veſtrorum. ℣. Auferte deos alienos de medio veſtri. Et liberabit. ℟. v. Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia, quia manus Domini erat cum illo: percuſſit Philiſthæum, Et abſtulit opprobrium ex Iſrael. ℣. Nonne iſte eſt Dauid de quo canebãt in choro, dicentes: Saul percuſſit mille, & Dauid decem millia in millibus ſuis? Et. ℟. vj. Montes Gelboe, nec ros nec pluuia veniant ſuper vos, Vbi ceciderunt Fortes Iſrael. ℣. Omnes montes in circuitu eius viſitet Dominus: à Gelboe autem tranſeat. Vbi. Gloria. Fortes. ℟. vij. Audi Domine hymnum, & orationem, quam ſeruus tuus orat coram te hodie: vt ſint oculi tui

li tui aperti, & aures tuæ intentæ Super domum iſtam, die ac nocte. ℣. Reſpice Domine de Sãctuario tuo, & de excelſo cælorum habitaculo. Super. ℟. viij. Peccaui ſuper numerum arenæ maris, & multiplicata ſunt peccata mea, & non ſum dignus videre altitudinem cæli præ multitudine iniquitatis meæ: quoniam irritaui iram tuam, Et malũ coram te feci. ℣. Quoniam iniquitatem meam ego agnoſco & delictum meum contra me eſt ſemper: tibi ſoli peccaui. Et. ℟. ix. Factum eſt, dũ tolleret Dominus Eliam per turbinem in cælum, Eliſæus clamabat, dicens: Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius. ℣. Oro Domine, vt fiat ſpiritus tuus duplex in me. At ille inquit: Si videris quando tollar à te, erit quod petiſti. Pater. Gloria Patri. Pater.

In qualibet Dominica à Deus omniũ. vſque ad Aduentum excluſiue, quando de Dominica agitur, & poſtquam Hiſtoria Dominicalis fuerit cantata, dicatur loco noni Reſpõſorij, ℟. Honor, virtus. quod eſt vj. in feſto Trinit. 382. In Laudib. Aña. Pſalm. Capitul. Hymn. ℣. ſicut in Dominica. Domine ne in ira tua. Antph. vero ad Benedict. & ad Magnificat, ſecundum quod infra in feriẽ Euangeliorum cũ Orationibus ſunt notatæ, dicuntur. Ad Primam, & ad alias Horas Antiphonæ, Capitul. ℟℟. ℣℣. dicantur ſicut in Dominica. Domine ne in ira. Et hic ordo in Laudib. & in Horis ſeruetur omnibus Dominicis, quando de Dominica agitur vſque ad Aduentum Domini excluſiue.

FERIA SECVNDA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 1.

ET factum eſt poſt circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocauitque nomen eius Samuel: eo quòd à Domino poſtulaſſet eum. Aſcendit autem vir eius Elcana, & omnis domus eius, vt immolaret Domino hoſtiam ſolemnem, & votum ſuum, & Anna non aſcendit: dixit enim viro ſuo: Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conſpectum Domini, & maneat ibi iugiter.

Lectio ij.

ET ait ei Elcana vir ſuus: Fac quod bonum tibi videtur, & mane donec ablactes eum: precorque vt impleat Dominus verbum ſuum. Manſit ergo mulier, lactauit filium ſuum, donec amoueret eum à lacte. Et adduxit eum ſecum, poſtquam ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, & amphora, vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo.

Lectio iij.

PVer autem erat adhuc infantulus: & immolauerunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli. Et ait Anna: Obſecro mi domine, viuit anima tua domine: ego ſum illa mulier, quæ ſteti coram te hic orans Dominum. Pro puero iſto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam

quam poſtulaui eum. Idcirco & ego commodaui eum Domino cũctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino.

FERIA TERTIA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 2.

POrro filij Heli, filij Belial, neſcientes Dominum, neque officium ſacerdotum ad populum: ſed quicumq. immolaſſet victimam, veniebat puer ſacerdotis, dũ coquerentur carnes, & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua,& mittebat eã in lebetem,vel in caldariã, aut in ollam, ſiue in cacabum: & omne quod leuabat fuſcinula, tollebat ſacerdos ſibi.

Lectio ij.

SIc faciebant vniuerſo Iſraeli, venientium in Silo.Etiam antequã adolerent adipem, veniebat puer ſacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, vt coquam ſacerdoti: non enim accipiam à te carnem coctam, ſed crudam. Dicebatque illi immolans: Incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quãtumcumque deſiderat anima tua.

Lectio iij.

QVi reſpondens, aiebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à ſacrificio Domini. Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini, puer accinctus ephod lineo. Et tunicam paruam faciebat ei mater ſua, quam afferebat ſtatutis diebus, aſcendens cum viro ſuo, vt immolaret hoſtiam ſolemnem.

FERIA QVARTA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 3.

PVer autem Samuel miniſtrabat Domino coram Heli, & ſermo Domini erat pretioſus in diebus illis, non erat viſio manifeſta. Factum eſt ergo in die quadam, Heli iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerunt, nec poterat videre: lucerna Dei antequam extinqueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, vbi erat Arca Dei. Et vocauit Dominus Samuel. Qui reſpondens, ait: Ecce ego.

Lectio ij.

ET cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: vocaſti enim me. Qui dixit: Non vocaui: reuertere, & dormi. Et abijt, & dormiuit. Et adiecit Dominus rurſum vocare Samuelem. Conſurgenſque Samuel, abijt ad Heli, & dixit: Ecce ego, quia vocaſti me. Qui reſpondit: Non vocaui te fili mi: reuertere, & dormi. Porro Samuel necdum ſciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei ſermo Domini.

Lectio iij.

ET adiecit Dominus, & vocauit adhuc Samuelem tertio. Qui conſurgens abijt ad Heli, & ait: Ecce ego, quia vocaſti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum, & ait ad Samuelem: Vade, & dormi: & ſi deinceps vocauerit

te, dices: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Abijt ergo Samuel, & dormiuit in loco ſuo. Et venit Dominus, & ſtetit, & vocauit ſicut vocauerat ſecundo: Samuel, Samuel.

FERIA QVINTA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 3.

ET dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Iſrael: quod quicumq. audierit, tinnient ambæ aures eius. In die illa ſuſcitabo aduerſum Heli omnia quæ locutus ſum ſuper domum eius: incipiam, & complebo. Prædixi enim ei, quòd iudicaturus eſſem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eo quòd nouerat indignè agere filios ſuos, & non corripuerit eos.

Lectio ij.

IDcirco iuraui domui Heli quòd nō expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vſq. in æternum. Dormiuit autem Samuel vſq. mane, aperuitq. oſtia domus Domini. Et Samuel timebat indicare viſionem Heli. Vocauit ergo Heli Samuelem, & dixit: Samuel fili mi? Qui reſpondens, ait: Præſto ſum.

Lectio iij.

ET interrogauit eum: Quis eſt ſermo, quem locutus eſt Dominus ad te? Oro te, ne celaueris me. Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, ſi abſconderis à me ſermonem ex omnibus verbis, quæ dicta ſunt tibi. Indicauit itaq. ei Samuel vniuerſos ſermones, & non abſcondit ab eo. Et ille reſpondit: Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.

FERIA SEXTA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 4.

ET factum eſt in diebus illis, conuenerunt Philiſthijm in pugnā: & egreſſus eſt Iſrael obuiam Philiſthijm in prœlium, & caſtrametatus eſt iuxta Lapidem adiutorij. Porro Philiſthijm venerunt in Aphec, & inſtruxerunt aciem contra Iſrael. Inito autem certamine, terga vertit Iſrael Philiſthæis: & cæſa ſunt in illo certamine paſſim per agros quaſi quatuor millia virorum.

Lectio ij.

ET reuerſus eſt populus ad caſtra: dixeruntq. maiores natu de Iſrael: Quare percuſſit nos Dominus hodie coram Philiſthijm? Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini: & veniat in medium noſtri, vt ſaluet nos de manu inimicorum noſtrorum. Miſit ergo populus in Silo: & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum ſedentis ſuper Cherubim.

Lectio iij.

ERantq. duo filij Heli cum Arca fœderis Dei, Ophni & Phinees. Cumq. veniſſet Arca fœderis Domini in caſtra, vociferatus eſt omnis Iſrael clamore grandi, & perſonuit terra. Et audierunt Philiſthijm vocem clamoris, dixeruntque: Quænam eſt hæc vox clamoris magni in caſtris Hebræorum? Et cognouerunt quòd Arca Domini veniſſet in caſtra.

SAB-

Digitized by Google

SABBATO.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 4.

CVrrens autem vir de Beniamin ex acie, venit in Silo in die illa, ſciſſa veſte, & conſperſus puluere caput. Cumq. ille veniſſet, Heli ſedebat ſuper ſellam contra viã ſpectans. Erat enim cor eius pauens pro Arca Dei. Vir autem ille poſtquam ingreſſus eſt, nunciauit vrbi, & vlulauit omnis ciuitas. Et audiuit Heli ſonitum clamoris, dixitq. Quis eſt hic ſonitus tumultus huius? At ille feſtinauit, & venit, & nunciauit Heli.

Lectio ij.

HEli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat. Et dixit ad Heli: Ego sũ qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum eſt fili mi? Reſpondens autem ille, qui nunciabat: Fugit, inquit, Iſrael coram Philiſthijm, & ruina magna facta eſt in populo: inſuper, & duo filij tui mortui ſunt, Ophni & Phinees: & Arca Dei capta eſt.

Lectio iij.

CVmque ille nominaſſet Arcam Dei, cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt. Senex enim erat vir & grandæuus: & ipſe iudicauit Iſrael quadraginta annis. Nurus autẽ eius, vxor Phinees, prægnans erat, vicinaq. partui: & audito nuncio quod capta eſſet Arca Dei, & mortuus eſſet ſocer ſuus, & vir ſuus, incuruauit ſe, & peperit.

B. P.

DOMINICA II.

Poſt Octau. Trinit.

Ad Magnificat, Ãña. Cognouerunt omnes à Dan vſq. Berſabee, quòd fidelis Samuel propheta eſſet Domini.

IN I. NOCTVRNO.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 7.

VEnerũt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt Arcam Domini, & intulerunt eam in domũ Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium eius ſanctificauerunt, vt cuſtodiret Arcam Domini. Et factum eſt, ex qua die mãſit Arca Domini in Cariathiarim, multiplicati ſunt dies (erat quippe iam annus vigeſimus) & requieuit omnis domus Iſrael poſt Dominum.

Lectio ij.

AIt autem Samuel ad vniuerſam domum Iſrael, dicens: Si in toto corde veſtro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio veſtri, Baalim & Aſtaroth: & præparate corda veſtra Domino, & ſeruite ei ſoli, & eruet vos de manu Philiſthijm. Abſtulerunt ergo filij Iſrael Baalim & Aſtaroth, & ſeruierunt Domino ſoli.

Lectio iij.

DIxit autem Samuel: Congregate vniuerſum Iſrael in Maſphat, vt orem pro vobis Dominum. Et conuenerunt in Maſphat: hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Iudicauitque Samuel filios Iſ-

Digitized by Google

Iſrael in Maſphat. Et audierunt Philiſthijm, quòd congregati eſſent filij Iſrael in Maſphat, & aſcenderunt ſatrapæ Philiſtinorum ad Iſrael.

FERIA SECVNDA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 8.

CVm ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos iudices Iſraell. Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioel: & & nomen ſecundi Abia, iudicum in in Berſabee. Et non ambulauerunt filij illius in vijs eius: ſed declinauerunt poſt auaritiam, acceperuntq. munera, & peruerterunt iudicium. Congregati ergo vniuerſi maiores natu Iſrael, venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntque ei: Ecce tu ſenuiſti, & filij tui non ambulant in vijs tuis: conſtitue nobis regem, vt iudicet nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes.

Lectio ij.

DIſplicuit ſermo in oculis Samuelis, eo quòd dixiſſent: Da nobis regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad Dominum. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.

Lectio iij.

IVxta omnia opera ſua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de Aegypto, vſque ad diem hanc: ſicut dereliquerunt me, & ſeruierunt dijs alienis, ſic faciunt etiam tibi. Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen conteſtare eos, & prædic eis ius regis, qui regnaturus eſt ſuper eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à ſe regem.

FERIA TERTIA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 8.

NOluit autem populus audire vocem Samuelis, ſed dixerunt: Nequaquam: rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes Gentes: & iudicabit nos rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis. Et audiuit Samuel omnia verba populi, & locutus eſt ea in auribus Domini.

Lectio ij.

DIxit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos regem. Et ait Samuel ad viros Iſrael: Vadat vnuſquiſque in ciuitatem ſuam. Et erat vir de Beniamin nomine Cis, filius Abiel, filij Seror, filij Bechorath, filij Aphia, filij viri Iemini, fortis robore. Et erat ei filius vocabulo Saul, electus & bonus: & non erat vir de filijs Iſrael melior illo. Ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum.

Lectio iij.

PErierant autem aſinæ Cis patris Saul: & dixit Cis ad Saul filium ſuum: Tolle tecum vnum de pueris, & conſurgens vade, & quære aſinas. Qui cum tranſiſſent per montem Ephraim, & per terram Saliſa, & non inueniſſent, tranſierunt etiam per terram Salim, & non erant: ſed & per terram Iemini, & minime repererunt.

FE-

Digitized by Google

FERIA QVARTA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 9.

ACceſſit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, & ait: Indica, oro, mihi, vbi eſt domus Videntis. Et reſpondit Samuel Sauli, dicens: Ego ſum Videns: aſcende ante me in excelſum, vt comedatis mecum hodie, & dimittam te mane: & omnia quæ ſunt in corde tuo, indicabo tibi. Et de aſinis quas nudiuſtertius perdidiſti, ne ſollicitus ſis, quia inuentæ ſunt. Et cuius erunt optima quæque Iſrael? nonne tibi, & omni domui patris tui?

Lectio ij.

REſpondens autẽ Saul ait: Numquid non filius Iemini ego ſum de minima tribu Iſrael, & cognatio mea nouiſſima inter omnes familias de tribu Beniamin? quare ergo locutus es mihi ſermonem iſtum? Aſſumens itaque Samuel Saulem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant inuitati: erant enim quaſi triginta viri.

Lectio iij.

DIxitque Samuel coco: Da partem, quam dedi tibi, & præcepi vt reponeres ſeorſum apud te. Leuauit autem cocus armum, & poſuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remanſit, pone ante te, & comede: quia de induſtria ſeruatum eſt tibi quando populum vocaui. Et comedit Saul cum Samuele in die illa.

FERIA QVINTA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 10.

TVlit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput [Saul,] & deoſculatus eſt eum, & ait: Ecce vnxit te Dominus ſuper hereditatem ſuam in principem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius ſunt. Et hoc tibi ſignum, quia vnxit te Deus in principem. Cum abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta ſepulchrum Rachel in finibus Beniamin, in Meridie, dicentque tibi: Inuentæ ſunt aſinæ, ad quas ieras perquirendas: & intermiſſis pater tuus aſinis, ſollicitus eſt pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo?

Lectio ij.

CVmque abieris inde, & vltra tranſieris, & veneris ad quercũ Thabor, inuenient te ibi tres viri aſcẽdentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. Cumque te ſalutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorũ.

Lectio iij.

POſt hæc venies in Collem Dei, vbi eſt ſtatio Philiſthinorum: & cum ingreſſus fueris ibi vrbem, obuiũ habebis gregem prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium & tympanum, & tibiam, & citharam, ipſoſque prophetantes. Et inſiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cũ eis, & mutaberis in virũ aliũ.

FERIA SEXTA.

De Libro primo Regum.

Lectio

Lectio j. C. 11.

AScendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduerſus Iabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Iabes ad Naas: Habeto nos foederatos, & ſeruiemus tibi. Et reſpondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiſcum foedus, vt eruam omnium veſtrum oculos dextros, ponamque vos opprobrium in vniuerſo Iſrael.

Lectio ij.

ET dixerunt ad eum ſeniores Iabes: Concede nobis ſeptem dies, vt mittamus nuncios ad vniuerſos terminos Iſrael: & ſi non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. Venerunt ergo nuncij in Gabaa Saulis, & locuti ſunt verba hæc, audiente populo: & leuauit omnis populus vocem ſuam, & fleuit. Lectio iij.

ET ecce Saul veniebat, ſequens boues de agro: & ait: Quid habet populus quòd plorat? Et narrauerunt ei verba virorum Iabes. Et inſiliuit Spiritus Domini in Saul, cum audiſſet verba hæc, & iratus eſt furor eius nimis. Et aſſumens vtrumque bouem, concidit in fruſta, miſitque in omnes terminos Iſrael per manum nunciorum, dicens: Quicumque non exierit, & ſecutus fuerit Saul, & Samuel, ſic fiet bobus eius.

SABBATO.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 15.

AIt autem Samuel ad Saul: Sine me, & indicabo tibi quæ locutus ſit Dominus ad me nocte. Dixitq. ei: Loquere. Et ait Samuel: Nonne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? Vnxitque te Dominus in regē ſuper Iſrael, & miſit te Dominus in viam, & ait: Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos vſque ad internecionem eorum. Lectio ij.

QVare ergo non audiſti vocem Domini; ſed verſus ad prædam es, & feciſti malum in oculis Domini? Et ait Saul ad Samuelem: Immo audiui vocē Domini, & ambulaui in via per quam miſit me Dominus, & adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interfeci. Tulit autem de præda populus oues & boues, primitias eorum quæ cæſa ſunt, vt immolet Domino Deo ſuo in Galgalis.

Lectio iij.

ET ait Samuel: Numquid vult Dominus holocauſta & victimas & non potius vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obedientia quàm victimæ: & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum. Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.

DOMINICA III.

Poſt Octau. Trinitatis.

Ad Magnificat, Antiph. Præualuit Dauid in Philiſthæum in funda, & lapide in nomine Domini.

IN I. NOCTVRNO.

De Libro primo Regū. Lect. j. C. 16.

DIxitque Dominus ad Samuelē: Vſquequo tu luges Saul, cum ego

ego proiecerim eum ne regnet ſuper Iſrael? Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittã te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi regem. Et ait Samuel: Quomodo vadam? Audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni. Et vocabis Iſai ad victimam, & ego oſtendam tibi quid facias: & vnges quemcumque monſtrauero tibi. Lectio ij.

FEcit ergo Samuel ſicut locutus eſt ei Dominus. Venitque in Bethlehem: & admirati ſunt ſeniores ciuitatis, occurrentes ei, dixeruntque: Pacificuſne eſt ingreſſus tuus? Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni, ſanctificamini, & venite mecum vt immolem. Sanctificauit ergo Iſai, & filios eius, & vocauit eos ad ſacrificium. Cumque ingreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino eſt Chriſtus eius? Lectio iij.

ET dixit Dominus ad Samuelem: Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius, quoniam abieci eum: nec iuxta intuitum hominis ego iudico. Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. Et vocauit Iſai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus. Adduxit autem Iſai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus. Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele: & ait Samuel ad Iſai: Non elegit Dominus ex iſtis.

FERIA SECVNDA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 16.

SPiritus autem Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam, à Domino. Dixeruntque ſerui Saul ad eum: Ecce Spiritus Dei malus exagitat te. Iubeat dominus noſter, & ſerui tui qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere cithare, vt quando arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſua, & leuius feras. Lectio ij.

ET ait Saul ad ſeruos ſuos: Prouidete ergo mihi aliquem bene pſallentem, & adducite eum ad me. Et reſpondens vnus de pueris, ait: Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus eſt cum eo. Miſit ergo Saul nuncios ad Iſai, dicens: Mitte ad me Dauid filium tuum, qui eſt in paſcuis.

Lectio iij.

TVlit itaque Iſai aſinum plenum panibus, & lagenam vini, & hœdum de capris vnum, & miſit per manum Dauid filij ſui Sauli. Et venit Dauid ad Saul, & ſtetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus eſt eius armiger. Miſitque Saul ad Iſai, dicẽs: Stet Dauid in cõſpectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis.

FERIA TERTIA.

De Libro primo Regũ. Lect. j. C. 17.

DIxit autem Iſai ad Dauid filium ſuum: Accipe fratribus tuis ephi

ephi polentæ, & decem panes iſtos, & curre in caſtra ad fratres tuos, & decem formellas caſei has deferes ad Tribunum: & fratres tuos viſitabis, ſi recte agant: & cum quibus ordinati ſunt, diſce. Saul autem, & illi, & omnes filij Iſrael in Valle terebinthi pugnabāt aduersū Philiſthijm. Lect. ij.

SVrrexit itaque Dauid mane, & commendauit gregem cuſtodi: & onuſtus abijt, ſicut præceperat ei Iſai. Et venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egreſſus ad pugnam vociferatus erat in certamine. Direxerat enim aciem Iſrael, ſed & Philiſthijm ex aduerſo fuerāt præparati. Lect. iij.

DErelinquens ergo Dauid vaſa, quæ attulerat ſub manu cuſtodis ad ſarcinas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat ſi omnia recte agerentur erga fratres ſuos. Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille ſpurius aſcendēs, Goliath nomine, Philiſthæus, de Geth, de caſtris Philiſthinorum: & loquente eo hæc eadem verba audiuit Dauid.

FERIA QVARTA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 17.

AVdita ſunt autem verba, quæ locutus eſt Dauid, & annunciata in conſpectu Saul. Ad quem cum fuiſſet adductus, locutus eſt ei: Non concidat cor cuiuſquā in eo: ego ſeruus tuus vadam, & pugnabo aduerſus Philiſthæum. Et ait Saul ad Dauid: Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduerſus eum, quia puer es, hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua. Lectio ij.

DIxitque Dauid ad Saul: Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregē, & veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis: & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos. Nam & leonem, & vrſum interfici ego ſeruus tuus. Lect. iij.

ERit igitur, & Philiſthæus hic incircumciſus, quaſi vnus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis eſt iſte Philiſthæus incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis? Et ait Dauid: Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrſi, ipſe me liberabit de manu Philiſtæi huius.

FERIA QVINTA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C. 17.

ET tulit [Dauid] baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus: & elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum, & fundam manu tulit: & proceſſit aduerſus Philiſtæum. Ibat autē Philiſtæus incedens, & appropinquās aduerſum Dauid, & armiger eius ante eum. Lectio ij.

CVmque inſpexiſſet Philiſthæus, & vidiſſet Dauid, deſpexit eum. Erat enim adoleſcens: rufus, & pulcher aſpectu. Et dixit Philiſthæus

ad

ad Dauid: Numquid ego canis ſum, quòd tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philiſthæus Dauid in dijs ſuis. Dixitq. ad Dauid: Veni ad me,& dabo carnes tuas volatilibus cæli, & beſtijs terræ. Lectio iij.

Dixit autẽ Dauid ad Philiſthæũ: Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo: ego autẽ venio ad te in nomine Dñi exercituũ Dei agminũ Iſrael, quibus exprobraſti hodie:& dabit te Dñs in manu mea, & percutiã te,& auferã caput tuũ à te:& dabo cadauera caſtrorũ Philiſthijm hodie volatilibus cæli,& beſtijs terræ: vt ſciat omnis terra quia eſt Deus in Iſrael.

FERIA SEXTA.

De Libro primo Regum.

Lectio j. C.18.

Porrò cũ reuerteretur percuſſo Philiſthæo Dauid, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſrael, cãtantes, chorosq. ducẽtes in occurſum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris. Et præcinebant mulieres, ludẽtes, atq. dicentes: Percuſſit Saul mille,& Dauid decem millia. Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis eius ſermo iſte, dixitq. Dederũt Dauid decẽ millia, & mihi mille dederunt: quid ei ſupereſt, niſi ſolum regnum? Lectio ij.

Non rectis ergo oculis Saul aſpiciebat Dauid à die illa,& deinceps. Poſt diẽ autẽ alterã, inuaſit ſpiritus Dei malus Saul,& prophetábat in medio domus ſuæ: Dauid autẽ pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies. Tenebatq. Saul lanceam,& miſit eam, putans quòd configere poſſet Dauid cum pariete:& declinauit Dauid à facie eius ſecundo. Lectio iij.

Et timuit Saul Dauid, eo quòd Dominus eſſet cũ eo, & à ſe receſſiſſet. Amouit ergo eũ Saul à ſe, & fecit eũ Tribunũ ſuper mille viros: & egrediebatur,& intrabat in conſpectu populi.

SABBATO.

De Libro primo Regum. Lect.j. C.20.

Et intellexit Ionathas quòd definitum eſſet à patre ſuo, vt interficeret Dauid. Surrexit ergo Ionathas à menſa in ira furoris, & nõ comedit in die calendarũ ſecunda panem. Contriſtatus eſt enim ſuper Dauid, eo quòd confudiſſet eum pater ſuus. Cumq. illuxiſſet mane, venit Ionathas in agrũ iuxta placitum Dauid,& puer paruulus cum eo. Lectio ij.

Et ait ad puerũ ſuum: Vade,& affer mihi ſagittas, quas ego iacio. Cumq. puer cucurriſſet, iecit aliam ſagittam trans puerum. Venit itaq. puer ad locũ iaculi, quod miſerat Ionathas: & clamauit Ionathas poſt tergũ pueri,& ait: Ecce ibi eſt ſagitta porro vltra te. Clamauitq. iterum Ionathas poſt tergum pueri, dicens: Feſtina velociter, ne ſteteris. Lectio iij.

Collegit autem puer Ionathæ ſagittas, & attulit ad dominum ſuum: & quid ageretur penitus ignorabat: tantummodo enim Ionathas & Dauid rem nouerant. Dedit ergo Ionathas arma ſua puero, & dixit ei: Vade, & defer in ciuitatem. Cumque abijſſet puer, ſurrexit Dauid de loco,

loco, qui vergebat ad Auſtrum, & cadens pronus in terram, adorauit tertio: & oſculantes ſe alterutrum, fleuerunt pariter.

DOMINICA IIII.
Poſt Octau. Trinitatis.

Ad Magnificat, Antiph. Nonne iſte eſt Dauid, de quo canebant in choro, dicentes: Saul percuſſit mille, & Dauid decem millia in millibus ſuis?

IN I. NOCTVRNO.
Incipit Liber ſecundus Regum.

Lectio j. C. 1.

FActum eſt autem poſtquam mortuus eſt Saul, vt Dauid reuerteretur à cæde Amalec, & maneret in Siceleg duos dies. In die autem tertia apparuit homo veniens de caſtris Saul, veſte conſciſſa, & poluere conſperſus caput. Et vt venit ad Dauid, cecidit ſuper faciem ſuam, & adorauit. Dixitque ad eum Dauid: Vnde venis? Qui ait ad eum: De caſtris Iſrael fugi. Et dixit ad eum Dauid: Quod eſt verbum quod factum eſt? indica mihi. Qui ait: Fugit populus ex prælio, & multi corruentes è populo mortui ſunt: ſed & Saul, & Ionathas filius eius interierunt. Lectio ij.

DIxitque Dauid ad adoleſcentē, qui nunciabat ei: Vnde ſcis quia mortuus eſt Saul, & Ionathas filius eius? Et ait adoleſcens, qui nunciabat ei: Caſu veni in montem Gelboe, & Saul incumbebat ſuper haſtam ſuā: porro currus & equites appropinquabant ei, & conuerſus poſt tergum ſuum, videnſque me vocauit. Cui cum reſpondiſſem: Adſum: dixit mihi: Quiſnam es tu? Et aio ad eum: Amalecites ego ſum. Lectio iij.

ET locutus eſt mihi: Sta ſuper me, & interfice me: quoniā tenēt me anguſtiæ, & adhuc tota anima mea in me eſt. Stanſque ſuper eum, occidi illum: ſciebam enim quòd viuere non poterat poſt ruinam: & tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc. Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri qui erant cum eo: & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Ionathan filium eius, & ſuper populum Domini, & ſuper domū Iſrael, eo quòd corruiſſent gladio.

FERIA SECVNDA.
De Libro ſecundo Regum.

Lectio j. C. 2.

IGitur poſt hæc conſuluit Dauid Dominum, dicens: Num aſcendā in vnam de ciuitatibus Iuda? Et ait Dominus ad eum: Aſcende. Dixitque Dauid: Quò aſcendam? Et reſpondit ei: In Hebron. Aſcendit ergo Dauid, & duæ vxores eius Achinoam Iezrahelites, & Abigail vxor Nabal Carmeli: ſed & viros qui erant cum eo, duxit Dauid ſingulos cum domo ſua: & manſerunt in oppidis Hebron.

Lectio ij.

VEneruntque viri Iuda, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret ſuper domum Iuda. Et nunciatum eſt Dauid, quòd viri Iabes Galaad ſepeliſſent

Digitized by Google

liſſent Saul. Miſit ergo Dauid nuncios ad viros Iabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum.

Lectio iij.

ET nunc retribuet vobis quidem Dominus miſericordiam & veritatem: ſed & ego reddam gratiam, eo quòd feciſtis verbum iſtud. Confortentur manus veſtræ, & eſtote filij fortitudinis. Licet enim mortuus ſit dominus veſter Saul, tamen me vnxit domus Iuda in regem ſibi.

FERIA TERTIA.

De Libro ſecundo Regum.

Lectio j. C. 5.

ET venerunt vniuerſæ tribus Iſrael ad Dauid in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum & caro tua ſumus. Sed & heri, & nudiuſtertius cum eſſet Saul rex ſuper nos, tu eras educens & reducens Iſrael. Dixit autem Dominus ad te: Tu paſces populum meum Iſrael, & tu eris dux ſuper Iſrael. Venerunt quoque & ſeniores Iſrael ad regem in Hebron, & percuſſit cum eis rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino. Lectio ij.

VNxeruntque Dauid in regem ſuper Iſrael. Filius triginta annorum erat Dauid, cum regnare cœpiſſet, & quadraginta annis regnauit. In Hebron regnauit ſuper Iudam ſeptem annis & ſex menſibus: in Ieruſalem autem regnauit triginta tribus annis ſuper omnem Iſrael, & Iudam. Et abiit rex, & omnes viri qui erant cum eo, in Ieruſalem, ad Iebuſæum habitatorem terræ. Lectio iij.

DIctumq. eſt Dauid ab eis: Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos dicentes: Non ingredietur Dauid huc. Cepit autem Dauid arcem Sion: hæc eſt ciuitas Dauid. Propoſuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percuſſiſſet Iebuſæum, & tetigiſſet domatum fiſtulas, & abſtuliſſet cæcos, & claudos odientes animam Dauid. Idcirco dicitur in prouerbio: Cæcus & claudus non intrabunt in templum.

FERIA QVARTA.

De Libro ſecundo Regum.

Lectio j. C. 6.

COngregauit autem rurſum Dauid omnes electos ex Iſrael triginta millia. Surrexitque Dauid, & abijt, & vniuerſus populus qui erat cum eo de viris Iuda, vt adducerent Arcam Dei, ſuper quam inuocatum eſt nomen Domini exercituum, ſedentis in Cherubim ſuper eam. Et impoſuerunt Arcam Dei ſuper plaſtrum nouum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa.

Lectio ij.

OZa autem, & Ahio filij Abinadab, minabant plauſtrum nouum. Cumque tuliſſent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, cuſtodiens Arcam Dei, Ahio præcedebat Arcam: Dauid autem & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis.

balis. Lectio iij.

POſtquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate: qui mortuus eſt ibi iuxta Arcam Dei. Contriſtatus eſt autem Dauid, eo quòd percuſſiſſet Dominus Ozam.

FERIA QVINTA.

De Libro ſecundo Regum.

Lectio j. C.6.

NVnciatumque eſt regi Dauid quòd benedixiſſet Dominus Obededom, & omnia eius propter Arcam Dei. Abijt ergo Dauid, & adduxit Arcam Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cum gaudio: & erant cum Dauid ſeptem chori, & victima vituli. Cumq. tranſcendiſſent qui portabant Arcam Domini ſex paſſus, immolabat bouem & arietem.

Lectio ij.

ET Dauid ſaltabat totis viribus ante Dominum. Porro Dauid erat accinctus ephod lineo. Et Dauid, & omnis domus Iſrael ducebant Arcam teſtamenti Domini in iubilo, & in clangore buccinæ. Cumq. intraſſet Arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul proſpiciens per feneſtram, vidit regem Dauid ſubſilientem, atq. ſaltantem coram Domino: & deſpexit eum in corde ſuo. Lect. iij.

ET introduxerunt Arcam Domini, & impoſuerunt eam in loco ſuo in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid: & obtulit Dauid holocauſta, & pacifica coram Domino. Cumque compleſſet offerẽs holocauſta & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum. Et partitus eſt vniuerſæ multitudini Iſrael tam viro quàm mulieri ſingulis collyridam panis vnam, & aſſaturam bubulæ carnis vnam, & ſimiliam frixam oleo.

FERIA SEXTA.

De Libro ſecundo Regum.

Lectio j. C.7.

FActum eſt autem cum ſediſſet rex [Dauid] in domo ſua, & Dominus dediſſet ei requiem vndique ab vniuerſis inimicis ſuis, dixit ad Nathan prophetam: Videſne quòd ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei poſita ſit in medio pellium? Dixitque Nathan ad regem: Omne quod eſt in corde tuo, vade fac: quia Dominus tecum eſt.

Lectio ij.

FActum eſt autem in illa nocte: & ecce ſermo Domini ad Nathan, dicens: Vade, & loquere ad ſeruum meum Dauid: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? Neq. enim habitaui in domo ex die illa, qua eduxi filios Iſrael de terra Aegypti, vſq. in diem hanc: ſed ambulabã in tabernaculo, & in tentorio: per cũcta loca, quæ trãſiui cum omnibus filijs Iſrael. Lectio iij.

NVmquid loquens locutus ſum ad vnam de tribubus Iſrael, cui præce-

præcepi, vt paſceret populum meum Iſrael, dicens: Quare non ædificaſtis mihi domum cedrinam? Et nunc hæc dices ſeruo meo Dauid: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te de paſcuis ſequentē greges, vt eſſes dux ſuper populum meum Iſrael: & fui tecum in omnibus vbicumq. ambulaſti.

SABBATO.

De Libro ſecundo Regum.

Lectio j. C. 8.

Factum eſt autem poſt hæc percuſſit Dauid Philiſthijm, & humiliauit eos, & tulit Dauid Frænum tributi de manu Philiſthijm. Et percuſſit Moab, & menſus eſt eos funiculo, coæquans terræ: menſus eſt autem duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum: factuſque eſt Moab Dauid ſeruiens ſub tributo.

Lectio ij.

Et percuſſit Dauid Adarezer filiū Rohob regem Soba, quando profectus eſt vt dominaretur ſuper flumē Euphratem. Et captis Dauid ex parte eius mille ſeptingentis equitibus, & viginti millibus peditum, ſubneruauit omnes iugales curruum. Dereliquit autem ex eis centum currus.

Lectio iij.

Venit quoque Syria Damaſci, vt præſidium ferret Adarezer regi Soba: & percuſſit Dauid de Syria viginti duo millia virorum. Et poſuit Dauid præſidium in Syria Damaſci: factaque eſt Syria Dauid ſeruiens ſub tributo: ſeruauitque Domius Dauid in omnibus ad quæcumq. profectus eſt. Et tulit Dauid arma aurea, quæ habebant ſerui Adarezer, & detuli: ea in Ieruſalem.

DOMINICA V.

Poſt Octau. Trinitatis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Iratus rex Saul, dixit: Mihi mille dederunt, & filio Iſai dederunt decem millia.

IN I. NOCTVRNO.

De Libro ſecundo Regum.

Lectio j. C. 11.

Factum eſt autem vertente anno, eo tempore quo ſolent reges ad bella procedere, miſit Dauid Ioab, & ſeruos ſuos cum eo, & vniuerſum Iſrael, & vaſtauerunt filios Ammon, & obſederunt Rabba: Dauid autem remanſit in Ieruſalem. Dum hæc agerentur, accidit, vt ſurgeret Dauid de ſtrato ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus regiæ: viditque mulierem ſe lauantem, ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum: erat autem mulier pulchra valde.

Lectio ij.

Miſit ergo rex, & requiſiuit quæ eſſet mulier: nunciatumque eſt ei, quòd ipſa eſſet Bethſabee filia Eliam, vxor Vriæ Hethæi. Miſſis itaque Dauid nuncijs, tulit eam. Quæ cum ingreſſa eſſet ad illum, dormiuit cum ea: ſtatimque ſanctificata eſt ab immunditia ſua: & reuerſa eſt in domum ſuam concepto fœtu. Mittenſque nunciauit Dauid, & ait: Concepi. Miſit autem Dauid ad Ioab, dicens: Mitte ad me Vriam Hethæum.

Digitized by Google

Lectio iij.

MIſitque Ioab Vriam ad Dauid. Et venit Vrias ad Dauid. Quæſiuitque Dauid quàm recte ageret Ioab, & populus: & quomodo adminiſtraretur bellum. Et dixit Dauid ad Vriam: Vade in domum tuam, & laua pedes tuos. Et egreſſus eſt Vrias de domo regis, ſecutuſque eſt eum cibus regius. Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ cum alijs ſeruis domini ſui, & non deſcendit ad domum ſuam.

FERIA SECVNDA.

De Libro ſecundo Regum.

Lectio j. C. 11.

ET ait Vrias ad Dauid: Arca Dei, & Iſrael, & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & ſerui Domini mei ſuper faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea? Per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ non faciam rem hanc. Ait ergo Dauid ad Vriam: Mane hic etiam hodie, & cras dimittam te. Lectio ij.

MAnſit Vrias in Ieruſalem in die illa & altera: & vocauit eũ Dauid, vt comederet coram ſe, & biberet, & inebriauit eum: qui egreſſus veſpere, dormiuit in ſtrato ſuo cum ſeruis domini ſui, & in domum ſuam non deſcendit. Factum eſt ergo mane, & ſcripſit Dauid epiſtolam ad Ioab, miſitque per manum Vriæ, ſcribens in epiſtola: Ponite Vriam ex aduerſo belli, vbi fortiſſimum eſt prælium: & derelinquite eum, vt percuſſus intereat. Lectio iij.

IGitur cum Ioab obſideret vrbem, poſuit Vriam in loco vbi ſciebat viros eſſe fortiſſimos. Egreſſique viri de ciuitate, bellabant aduerſum Ioab: & ceciderunt de populo ſeruorum Dauid, & mortuus eſt etiam Vrias Hethæus. Miſit itaque Ioab, & nunciauit Dauid omnia verba prælij.

FERIA TERTIA.

De Libro ſecundo Regum.

Lectio j. C. 12.

MIſit ergo Dominus Nathan ad Dauid: qui cum veniſſet ad eũ, dixit ei: Duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper. Diues habebat oues, & boues plurimos valde: pauper autem nihil habebat omnino, præter ouem vnam paruulã, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eũ cum filijs eius ſimul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens: eratque illi ſicut filia.

Lectio ij.

CVm autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille ſumere de ouibus & de bobus ſuis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad ſe: tulit ouem viri pauperis, & præparauit cibos homini, qui venerat ad ſe. Iratus autem indignatione Dauid aduerſus hominẽ illum nimis, dixit ad Nathan: Viuit Dominus, quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc. Ouem reddet in quadruplum, eo quòd fecerit verbum

bum iſtud,& nõ pepercerit. Lect.iij.

DIxit autem Nathan ad Dauid: Tu es ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Ego vnxi te in regem ſuper Iſrael, & ego erui te de manu Saul:& dedi tibi domum domini tui,& vxores domini tui in ſinu tuo, dedique tibi domum Iſrael, & Iuda: & ſi parua ſunt iſta, adijciam tibi multo maiora. Quare ergo comtempſiſti verbum Domini, vt faceres malum in conſpectu meo? Vriam Hethæum percuſſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon.

FERIA QVARTA.

De Libro ſecundo Regum.

Lectio j. C. 15.

IGitur poſt hæc fecit ſibi Abſalom currus & equites,& quinquaginta viros qui præcederent eum. Et mane conſurgens Abſalom, ſtabat iuxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium, vt veniret ad regis iudicium, vocabat Abſalom ad ſe, & dicebat: De qua ciuitate es tu? Qui reſpondens, aiebat: Ex vna tribu Iſrael ego ſum ſeruus tuus. Lectio ij.

REſpondebatque ei Abſalom: Videntur mihi ſermones tui boni, & iuſti: ſed non eſt qui te audiat, conſtitutus à rege. Dicebatque Abſalom: Quis me conſtituat iudicem ſuper terrã, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iuſte iudicẽ? Sed & cum accederet ad eũ homo, vt ſalutaret illũ,extendebat manum ſuã, & apprehendens, oſculabatur eum.

B.P. Lectio iij.

FAciebatque hoc omni Iſrael venienti ad iudicium, vt audiretur à rege, & ſollicitabat corda virorum Iſrael. Poſt quadraginta autem annos dixit Abſalom ad regem Dauid: Vadam, Domino in Hebron. Vouens enim vouit ſeruus tuus, cum eſſet in Geſſur Syriæ,dicens: Si reduxerit me Dñs in Ieruſalẽ, ſacrificabo Domino.

FERIA QVINTA.

De Libro ſecundo Regum.

Lectio j. C. 15.

ACcerſiuit quoque Abſalom Achitophel Gilonitem conſiliarium Dauid, de ciuitate ſua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta eſt coniuratio valida, populuſque concurrens augebatur cum Abſalom. Venit igitur nuncius ad Dauid, dicens: Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalom. Et ait Dauid ſeruis ſuis, qui erant cum eo in Ieruſalem: Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugium à facie Abſalom. Lectio ij.

FEſtinate egredi, ne forte veniens occupet nos, & impellat ſuper nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij. Dixeruntque ſerui regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit dominus noſter rex, libenter exequemur ſerui tui. Egreſſus eſt ergo rex, & vniuerſa domus eius pedibus ſuis, & derelinquit rex decem mulieres concubinas ad cuſtodiendam domum. Lectio iij.

EGreſſuſque rex, & omnis Iſrael pedibus ſuis, ſtetit procul à do-

mo: & vniuerſi ſerui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi, pugnatores validi, ſexcenti viri qui ſecuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem. Dixit autem rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiſcũ?

FERIA SEXTA.

De Libro ſecundo Regum.

Lectio j. C.18.

IGitur conſiderato Dauid populo ſuo cõſtituit ſuper eos Tribunos,& Cẽturiones,& dedit populi tertiã partẽ ſub manu Ioab,& tertiam partẽ ſub manu Abiſai filij Saruiæ, fratris Ioab, & tertiã partẽ ſub manu Ethai, qui erat de Geth. Dixitq. rex ad populum: Egrediar,& ego vobiſcum. Lectio ij.

ET reſpondit populus: Non exibis: ſiue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: ſiue media pars ceciderit è nobis, non ſatis curabunt: quia tu vnus pro decem millibus computaris: melius eſt igitur, vt ſis nobis in vrbe præſidio. Ad quos rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex iuxta portam.

Lectio iij.

EGrediebaturque populus per turmas ſuas centeni, & milleni. Et præcepit rex Ioab,& Abiſai, & Ethai, dicens: Seruate mihi puerum Abſalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Abſalom. Itaque egreſſus eſt populus in campum contra Iſrael, & factum eſt prælium in ſaltu Ephraim.

SABBATO.

De Libro ſecundo Regum.

Lectio j. C.18.

ACcidit autem, vt occurreret, Abſalom ſeruis Dauid, ſedens mulo. Cumque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum,& magnã adhæſit caput eius quercui: & illo ſuſpenſo inter cælum & terram, mulus, cui inſederat, pertranſiuit. Vidit autem hoc quiſpiam, & nunciauit Ioab, dicens: Vidi Abſalom pendere de quercu. Lectio ij.

ET ait Ioab viro, qui nunciauerat ei: Si vidiſti, quare non confodiſti eum cum terra, & ego dediſſem tibi decem argenti ſiclos, & vnum balteum? Qui dixit ad Ioab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, & Abiſai, & Ethai, dicens: Cuſtodite mihi puerum Abſalom. Lectio iij.

SEd, & ſi feciſſem contra animam meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuiſſet, & tu ſtares ex aduerſo? Et ait Ioab: Non ſicut tu vis, ſed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalom: cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem iuuenes armigeri Ioab & percutiẽtes interfecerũt eum.

DOMINICA VI.

Poſt Octau. Trinit.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quis enim in omnibus, ſicut Dauid fide-

fidelis inuentus eſt in regno tuo, egrediens, & regrediens, & pergens ad imperium regis?

IN I. NOCTVRNO.

Incipit Liber tertius Regum.

Lectio j. C. 1.

ET rex Dauid ſenuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumq. operiretur veſtibus, non calefiebat. Dixerunt ergo ei ſerui ſui: Quæramus domino noſtro regi adoleſcentulam virginem, & ſtet coram rege, & foueat eum, dormiatque in ſinu ſuo, & calefaciat dominum noſtrum regem. Quæſierunt igitur adoleſcentulam ſpecioſam in omnibus finibus Iſrael, & inuenerunt Abiſag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad regem.

Lectio ij.

ERat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege, & miniſtrabat ei, rex vero non cognouit eam. Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque ſibi currus & equites, & quinquaginta viros qui currerent ante eũ. Nec corripuit eum pater ſuus aliquando, dicens: Quare hoc feciſti? Erat autem, & ipſe pulcher valde, ſecundus natu poſt Abſalom. Et ſermo ei cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar ſacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ.

Lectio iij.

SAdoc vero ſacerdos, & Banaias filius Ioiadæ, & Nathan propheta, & Semei, & Rei, & robur exercitus Dauid non erat cum Adonia. Immolatis ergo Adonias arietibus, & vitulis, & vniuerſis pinguibus iuxta Lapidem zoheleth, qui erat vicinus Fonti rogel, vocauit vniuerſos fratres ſuos filios regis, & omnes viros Iuda ſeruos regis. Nathan autem prophetam, & Banaiam, & rabuſtos quoſque, & Salomonem fratrem ſuum non vocauit.

FERIA SECVNDA.

De Libro tertio Regum.

Lectio j. C. 1.

DIxit Nathan: Domine mi rex, tu dixiſti: Adonias regnet poſt me, & ipſe ſedeat ſuper thronum meum? Quia deſcendit hodie, & immolauit boues, & pinguia, & arietes plurimos, & vocauit vniuerſos filios regis, & principes exercitus, Abiathar quoque ſacerdotem: illiſque veſcentibus, & bibentibus coram eo, & dicentibus: Viuat rex Adonias. Me ſeruum tuum, & Sadoc ſacerdotem, & Banaiam filium Ioiadæ, & Salomonem famulum tuum non vocauit.

Lectio ij.

NVmquid à domino meo rege exiuit hoc verbum, & mihi non indicaſti ſeruo tuo quis ſeſſurus eſſet ſuper thronum domini mei regis poſt eum? Et reſpondit rex Dauid, dicens: Vocate ad me Bethſabbee. Quæ cum fuiſſet ingreſſa coram rege, & ſtetiſſet ante eum, iurauit rex, & ait: Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni anguſtia, quia ſicut iuraui tibi per Dominum Deum Iſrael, dicens: Salomõ filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit ſuper ſolium meũ

pro me: ſic faciam hodie.

Lectio iij.

DIxit quoque rex Dauid: Vocate mihi Sadoc ſacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaiam filiũ Ioiadæ. Qui cum ingreſſi fuiſſent coram rege, dixit ad eos: Tollite vobiſcum ſeruos domini veſtri, & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam: & ducite eum in Gihon. Et vngat eum ibi Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta in regem ſuper Iſrael: & canetis buccina, atque dicetis: Viuat rex Salomon.

FERIA TERTIA.

De Libro tertio Regum.

Lectio j. C. 1.

DEſcendit ergo Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta, & Banaias filius Ioiadæ, & Cerethi, & Phelethi: & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam regis Dauid, & adduxerunt eum in Gihon. Sumpſitque Sadoc ſacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem: cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Viuat rex Salomon. Et aſcendit vniuerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibijs, & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra à clamore eorum.

Lectio ij.

AVdiuit autem Adonias, & omnes, qui inuitati fuerunt ab eo, iamque conuiuiũ finitum erat: ſed & Ioab audita voce tubæ, ait: Quid ſibi vult clamor ciuitatis tumultuantis? Adhuc illo loquente, Ionathas filius Abiathar ſacerdotis venit: cui dixit Adonias: Ingredere quia vir fortis es, & bona nuncians.

Lectio iij.

REſponditque Ionathas Adoniæ: Nequaquam: dominus enim noſter rex Dauid regem conſtituit Salomonem: miſitque cum eo Sadoc ſacerdotem, & Nathan prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ, & Cerethi, & Phelethi, & impoſuerunt eum ſuper mulam regis. Vnxeruntque eum Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta regem in Gihon: & aſcenderunt inde lætantes, & inſonuit ciuitas: hæc eſt vox, quam audiſtis.

FERIA QVARTA.

De Libro tertio Regum.

Lectio j. C. 2.

APpropinquauerunt autem dies Dauid, vt moreretur, præcepitque Salomoni filio ſuo, dicens: Ego ingredior viam vniuerſæ terræ: confortare, & eſto vir. Et obſerua cuſtodias Dñi Dei tui, vt ambules in vijs eius, vt cuſtodias cæremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & teſtimonia, ſicut ſcriptũ eſt in lege Moyſi: vt intelligas vniuerſa quæ facis, & quocumque te verteris: vt confirmet Dominus ſermones ſuos, quos locutus eſt de me, dicens: Si cuſtodierint filij tui vias ſuas, & ambulauerint coram me in veritate, in omni corde ſuo, & in omni anima ſua, non auferetur tibi vir de ſolio Iſrael.

Lectio ij.

TV quoque noſti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſrael, Abner filio Ner, & Amaſæ, filio

Iether: quos occ[illegible]angui nem belli in pace, & poſuit cruorem prælij in balteo ſuo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento ſuo, quod erat in pedibus eius.

Lectio iij.

FAcies ergo iuxta ſapientiam tuã, & non deduces canitiem eius pacifice ad inferos. Sed & filijs Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in menſa tua: occurrerunt enim mihi quando fugiebam à facie Abſalom fratris tui.

FERIA QVINTA.

De Libro tertio Regum.

Lectio j. C. 2.

SAlomon autem ſedit ſuper Thronum Dauid patris ſui, & firmatũ eſt regnum eius nimis. Et ingreſſus eſt Adonias filius Haggith ad Bethſabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei: Pacificuſne eſt ingreſſus tuus? Qui reſpondit: Pacificus. Addiditque: Sermo mihi eſt ad te. Cui ait: Loquere. Et ille: Tu, inquit noſti, quia meum erat regnum, & me præpoſuerat omnis Iſrael ſibi in regem: ſed trãſlatum eſt regnum, & factum eſt fratris mei: à Domino enim conſtitutum eſt ei.

Lectio ij.

NVnc ergo petitionem vnam precor à te, ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum: Loquere. Et ille ait: Precor vt dicas Salomoni regi: (neque enim negare tibi quidquã poteſt,) vt det mihi Abiſag Sunamitidem vxorem. Et ait Bethſabee: Bene, ego loquar pro te regi.

Lectio iij.

VEnit ergo Bethſabee ad regem Salomonem, vt loqueretur ei pro Adonia: & ſurrexit rex in occurſum eius, adorauitque eam, & ſedit ſuper thronũ ſuum: poſituſq. eſt thronus matri regis, quæ ſedit ad dexterã eius. Dixitq. ei: Petitionẽ vnam paruulã ego deprecor à te, ne cõfundas faciem meam. Et dixit ei rex: Pete mater: neque enim fas eſt, vt auertam faciem tuam. Quæ ait. Detur Abiſag Sunamitis Adoniæ fratri tuo vxor.

FERIA SEXTA.

De Libro tertio Regum.

Lectio j. C. 4.

COnfirmatum eſt igitur regnum in manu Salomonis, & affinitate coniunctus eſt Pharaoni regi Aegypti: accepit namque filiam eius, & adduxit in ciuitatem Dauid, donec compleret ædificans domum ſuam, & domum Domini, & murum Ieruſalem per circuitum. Attamen populus immolabat in excelſis. Non enim ædificatum erat templum nomini Domini vſque in diem illum.

Lectio ij.

DIlexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis Dauid patris ſui, excepto quòd in excelſis immolabat, & accendebat thymiama. Abijt itaque in Gabaon, vt immolaret ibi: illud quippe erat excelſum maximum: mille hoſtias in holocauſtum obtulit Salomon ſuper altare illud in Gabaon.

Lectio iij.

APparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte, dicens: Poſtula quod vis, vt dem tibi. Et ait Salomon: Tu feciſti cum ſeruo tuo Dauid patre meo miſericordiam magnam, ſicut ambulauit in conſpectu tuo in veritate, & iuſtitia, & recto corde tecum: cuſtodiſti ei miſericordiam tuam grandem, & dediſti ei filium ſedentem ſuper thronum eius, ſicut eſt hodie.

SABBATO.

De Libro tertio Regum.

Lectio j. C. 9.

FActum eſt autem cum perfeciſſet Salomon ædificium domus Domini, & ædificium regis, & omne quod optauerat, & voluerat facere: apparuit ei Dominus ſecundo, ſicut apparuerat ei in Gabaon. Dixitque Dominus ad eum: Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: ſanctificaui domum hanc, quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei, & cor meũ ibi cunctis diebus. Lectio ij.

TV quoque ſi ambulaueris coram me, ſicut ambulauit pater tuus, in ſimplicitate cordis, & in æquitate, & feceris omnia, quæ præcepit tibi, & legitima mea, & iudicia mea ſeruaueris: ponam thronum regni tui ſuper Iſrael in ſempiternum, ſicut locutus ſum Dauid patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de ſolio Iſrael. Lectio iij.

SI autem auerſione auerſi fueritis vos & filij veſtri, nõ ſequẽtes me, nec cuſtodiẽtes mandata mea, & cæremonias meas, quas propoſui vobis, ſed abieritis, & colueritis deos alienos, & adoraueritis eos: auferam Iſrael de ſuperficie terræ quam dedi eis, & templum quod ſanctificaui nomini meo, proijciã à cõſpectu meo: eritq. Iſrael in prouerbiũ, & in fabulã cũctis pupulis.

DOMINICA VII.

Poſt Octau. Trinit.

Ad Magnif. Aña. Doleo ſuper te frater mi Ionatha, amabilis valde ſuper amorem mulierem: ſicut mater vnicũ amat filium, ita te diligebam: ſagitta Ionathæ numquam abijt retrorſum, nec declinauit clypeus eius in bello, & haſta non eſt auerſa.

IN PRIMO NOCTVRNO.

De Libro tertio Regum.

Lectio j. C. 10.

SEd & regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eũ in ænigmatibus. Et ingreſſa Ieruſalem multo cum comitatu & diuitijs, camelis portantibus aromata, & aurũ infinitum nimis, & gemmas pretioſas, venit ad regem Salomonẽ, & locuta eſt ei vniuerſa quæ habebat in corde ſuo. Et docuit eam Salomon omnia verba, quæ propoſuerat: non fuit ſermo, qui regem poſſet latere, & non reſponderet ei. Lectio ij.

VIdens autem regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum,

& ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta quæ offerebat in domo Domini: non habebat vltra ſpiritum, dixitq. ad regem: Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nunciata non fuerit: maior eſt ſapientia & opera tua, quàm rumor quem audiui.

Lectio iij.

BEati viri tui, & beati ſerui tui qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronũ Iſrael, eo quòd dilexerit Dñs Iſrael in ſempiternum, & conſtituit te regem, vt faceres iudicium & iuſtitiam. Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſas.

FERIA SECVNDA.

De Libro tertio Regum.

Lectio j. C. 10.

ERat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos ſingulos: ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri: excepto eo, quod afferebant viri, qui ſuper vectigalia erant, & negotiatores, vniuerſiq. ſcruta vendentes, & omnes reges Arabiæ, duceſque terræ.

Lectio ij.

FEcit quoque rex Salomon ducenta ſcuta de auro puriſſimo, ſexcentos auri ſiclos dedit in laminas ſcuti vnius. Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ auri vnam peltam veſtiebant: poſuitque eas rex in domo ſaltus Libani. Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem: & veſtiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat ſex gradus.

Lectio iij.

ET ſummitas throni rotunda erat in parte poſteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile: & duo leones ſtabant iuxta manus ſingulas. Et duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde: non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis.

FERIA TERTIA.

De Libro tertio Regum.

Lectio j. C. 10.

MAgnificatus eſt ergo rex Salomon ſuper omnes reges terræ diuitijs, & ſapientia. Et vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius. Et ſinguli deferebant ei munera, vaſa argentea & aurea, veſtes & arma bellica, aromata quoque & equos & mulos per annos ſingulos.

Lectio ij.

COngregauitque Salomon currus & equites, & facti ſunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & diſpoſuit eos per ciuitates munitas, & cum rege in Ieruſalem. Fecitque vt tanta eſſet abundantia argenti in Ieruſalem, quanta & lapidum: & cedrorum præbuit multitudinem, quaſi ſycomoros,

moros, quæ naſcuntur in campeſtribus.

Lectio iij.

ET educebantur equi Salomoni de Aegypto, & de Coa. Negotiatores enim regis emebant de Coa, & ſtatuto pretio perducebant. Egrediebatur autem quadriga ex Aegypto ſexcentis ſiclis argenti, & equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hetthæorum & Syriæ equos venundabant.

FERIA QVARTA.

De Libro tertio Regum.

Lectio j. C. 11.

REx autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hetthæas: de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filijs Iſrael: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſime enim auertent corda veſtra, vt ſequamini deos earum.

Lectio ij.

HIs itaque copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore. Fueruntque ei vxores quaſi reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecētæ: & auerterunt mulieres cor eius. Cumque iam eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres, vt ſequeretur deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris eius.

Lectio iij.

SEd colebat Salomon Aſtarthen deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum. Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, & non adimpleuit vt ſequeretur Dominum, ſicut Dauid pater eius. Tunc ædificauit Salomon fanum Chamos idolo Moab, in monte qui eſt contra Ieruſalem, & Moloch idolo filiorum Ammon.

FERIA QVINTA.

De Libro tertio Regum.

Lectio j. C. 11.

FActum eſt igitur in tempore illo, vt Ieroboam egrederetur de Ieruſalem, & inueniret eum Ahias Silonites propheta in via, opertus pallio nouo: erant autem duo tantum in agro. Apprehendenſque Ahias pallium ſuum nouū, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes. Et ait ad Ieroboam: Tolle tibi decē ſciſſuras: hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.

Lectio ij.

POrro vna tribus remanebit ei propter ſeruum meum Dauid, & Ieruſalem ciuitatem, quā elegi ex omnibus tribubus Iſrael: eo quòd dereliquerit me, & adorauerit Aſtarthen deam Sidoniorum, & Chamos deum Moab, & Moloch deum filiorum Ammon: & non ambulauerit in vijs meis, vt faceret iuſtitiam coram me, & præcepta mea, & iudicia ſicut Dauid pater eius.

Lectio iij.

NEc auferam omne regnum de manu eius, ſed ducem ponam eum

eum cunctis diebus vitæ ſuæ, propter Dauid ſeruum meum, quem elegi, qui cuſtodiuit mandata mea, & præcepta mea. Auferam autem regnum de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus: filio autem eius dabo tribum vnam.

FERIA SEXTA.

De Libro tertio Regum.

Lectio j. C.11.& 12.

DOrmiuitque Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Ciuitate Dauid patris ſui, regnauitque Roboam filius eius pro eo. Venit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Iſrael ad conſtituendum eum regem. At vero Ieroboam filius Nabat, cum adhuc eſſet in Aegypto profugus à facie regis Salomonis, audita morte eius, reuerſus eſt de Aegypto. Miſeruntque & vocauerunt eum.

Lectio ij.

VEnit ergo Ieroboam, & omnis multitudo Iſrael, & locuti ſunt ad Roboam, dicentes: Pater tuus duriſſimum iugum impoſuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui duriſſimo, & de iugo grauiſſimo, quod impoſuit nobis, & ſeruiemus tibi. Qui ait eis: Ite vſque ad tertium diem, & reuertimini ad me.

Lectio iij.

CVmque abijſſet populus, inijt conſilium rex Roboam cum ſenioribus, qui aſſiſtebant coram Salomone patre eius, cum adhuc viueret, & ait: Quod datis mihi conſilium, vt reſpondeam populo huic? Qui dixerunt ei: Si hodie obedieris populo huic, & ſeruieris, & petitioni eorum ceſſeris, locutuſque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi ſerui cunctis diebus.

SABBATO.

De Libro tertio Regum.

Lectio j. C.12.

VEni ergo Ieroboam, & omnis populus ad Roboam die tertia, ſicut locutus fuerat rex, dicens: Reuertimini ad me die tertia. Reſponditque rex populo dura, derelicto conſilio ſeniorum, quod ei dederant, & locutus eſt eis ſecundum conſilium iuuenum, dicens: Pater meus aggrauauit iugum veſtrum, ego autem addam iugo veſtro: pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.

Lectio ij.

ET non acquieuit rex populo: quoniam auerſatus fuerat eum Dominus, vt ſuſcitaret verbum ſuum, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ, ad Ieroboam filium Nabat. Videns itaque populus, quòd noluiſſet eos audire rex, reſpondit ei, dicens: Quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hereditas in filio Iſai? Vade in tabernacula tua Iſrael: nunc vide domum tuam Dauid.

Lectio iij.

ET abijt Iſrael in tabernacula ſua. Super filios autem Iſrael, quicumque habitabant in ciuitatibus Iuda, regnauit Roboam. Miſit ergo

rex

rex Roboam Aduram, qui erat ſuper tributa: & lapidauit eum omnis Iſrael, & mortuus eſt. Porro rex Roboam feſtinus aſcendit currum, & fugit in Ieruſalem.

DOMINICA VIII.

Poſt Octau. Trinitatis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Dixitque Dauid ad Dominum cum vidiſſet Angelum cædentem populum: Ego ſum qui peccauit, ego inique egi, iſti qui oues ſunt, quid fecerunt?

IN PRIMO NOCTVRNO.

Incipit Liber quartus Regum.

Lectio j. C. I.

PRæuaricatus eſt autem Moab in Iſrael, poſtquam mortuus eſt Achab. Ceciditq. Ochozias per cancellos cœnaculi ſui, quod habebat in Samaria, & ægrotauit: miſitq. nuncios, dicens ad eos: Ite, cóſulite Beelzebub deum Accaron, vtrum viuere queam de infirmitate mea hac. Angelus autem Domini locutus eſt ad Eliā Theſbiten, dicens: Surge, & aſcende in occurſum nunciorum regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendū Beelzebub deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: De lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes: ſed morte morieris.

Lectio ij.

ET abijt Elias: reuerſiq. ſunt nuncij ad Ochoziam. Qui dixit eis: Quare reuerſi eſtis? At illi reſponderunt ei: Vir occurrit nobis, & dixit ad nos: Ite, & reuertimini ad regem qui miſit vos, & dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid quia non erat Deus in Iſrael, mittis vt conſulatur Beelzebub deus Accaron? Idcirco de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.

Lectio iij.

QVi dixit eis: Cuius figuræ & habitus eſt vir ille qui occurrit vobis, & locutus eſt verba hæc? At illi dixerunt: Vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Theſbites eſt. Miſitque ad eum quinquagenarium principem, & quinquaginta qui erant ſub eo. Qui aſcendit ad eum: ſedentiq. in vertice montis, ait: Homo Dei, rex præcepit vt deſcendas. Reſpondenſque Elias, dixit quinquagenario: Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit itaque ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo.

FERIA SECVNDA.

De Libro quarto Regum.

Lectio j. C. I.

ITerum miſit principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta qui erant cum eo. Qui cum veniſſet, curuauit genua contra Eliam: & precatus eſt eum, & ait: Homo Dei, noli deſpicere animam meam, & animas ſeruorum tuorum qui mecum ſunt. Ecce ignis deſcendit de cælo, & deuorauit duos principes quinquagenarios primos, & quinquage-

quagenos qui cum eis erant: ſed nunc obſecro vt miſerearis animæ meæ.

Lectio ij.

LOcutus eſt autem Angelus Domini ad Eliam, dicens: Deſcende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & deſcendit cum eo ad regem, & locutus eſt ei: Hæc dicit Dominus: Quia miſiſti nuncios ad conſulendum Beelzebub deum Accaron, quaſi non eſſet Deus in Iſrael, à quo poſſes interrogare ſermonem, ideo de lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes, ſed morte morieris.

Lectio iij.

MOrtuus eſt ergo iuxta ſermonem Domini, quem locutus eſt Elias, & regnauit Ioram frater eius pro eo, anno ſecundo Ioram filij Ioſaphat regis Iudæ: non enim habebat filium. Reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ operatus eſt, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iſrael?

FERIA TERTIA.

De Libro quarto Regum.

Lectio j. C. 2.

FActum eſt autem, cum leuare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum, ibant Elias & Eliſæus de Galgalis. Dixitque Elias ad Eliſæum: Sede hic, quia Dominus miſit me vſq. in Bethel. Cui ait Eliſæus: Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. Cumq. deſcēdiſſent Bethel, egreſſi ſunt filij prophetarum, qui erant in Bethel, ad Eliſæum, & dixerunt ei: Numquid noſti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum à te? Qui reſpondit: Et ego noui: ſilete.

Lectio ij.

DIxit autem Elias ad Eliſæum: Sede hic, quia Dominus miſit me in Iericho. Et ille ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque veniſſent Iericho, acceſſerūt filij prophetarum, qui erant in Iericho, ad Eliſæum, & dixerunt ei: Numquid noſti, quia Dominus hodie tollet dominum tuum à te? Et ait: Et ego noui: ſilete.

Lectio iij.

DIxit autem ei Elias: Sede hic, quia Dominus miſit me vſque ad Iordanem. Qui ait: Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter & quinquaginta viri de filijs prophetarum ſecuti ſunt eos, qui & ſteterunt è contra, longe: illi autem ambo ſtabant ſuper Iordanem.

FERIA QVARTA.

De Libro quarto Regum.

Lectio j. C. 2.

TVlitque Elias pallium ſuum, & inuoluit illud, & percuſſit aquas, quæ diuiſæ ſunt in vtramque partem, & tranſierunt ambo per ſiccum. Cumque tranſiſſent, Elias dixit ad Eliſæum: Poſtula quod vis vt faciam tibi antequam tollar à te. Dixitque Eliſæus: Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.

Lectio ij.

QVi reſpondit: Rem difficilem poſtulaſti: attamen ſi videris me, quan-

quando tollar à te, erit tibi quod petiſti: ſi autem non videris, non erit. Cumque pergerent, & incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque: & aſcendit Elias per turbinem in cælum, Eliſæus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius.

Lectio iij.

ET non vidit eum amplius: apprehenditque veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes. Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reuerſuſq. ſtetit ſuper ripam Iordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percuſſit aquas, & non ſunt diuiſæ. Et dixit: Vbi eſt Deus Eliæ etiam nunc? Percuſſitq. aquas, & diuiſæ ſunt huc, atq. illuc, & tranſiit Eliſæus.

FERIA QVINTA.

De Libro quarto Regum.

Lectio j. C. 6.

DIxerunt autem filij prophetarũ ad Eliſæum: Ecce locus in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis. Eamus vſque ad Iordanem, & tollant ſinguli de ſilua materias ſingulas, vt ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit: Ite. Et ait vnus ex illis: Veni ergo & tu cum ſeruis tuis. Reſpondit: Ego veniam. Et abijt cum eis.

Lectio ij.

CVmque veniſſent ad Iordanem, cædebant ligna. Accidit autem, vt cum vnus materiam ſuccidiſſet, caderet ferrum ſecuris in aquam: exclamauitque ille, & ait: Heu heu heu domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam. Dixit autem homo Dei: Vbi cecidit? At ille monſtrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & miſit illuc: natauitq. ferrum, & ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud.

Lectio iij.

REx autem Syriæ pugnabat contra Iſrael, conſiliumq. inijt cũ ſeruis ſuis, dicens: In loco illo, & illo ponamus inſidias. Miſit itaque vir Dei ad regem Iſrael, dicens: Caue ne tranſeas in locum illum: quia ibi Syri in inſidijs ſunt. Miſit itaque rex Iſrael ad locũ, quem dixerat ei vir Dei, & præoccupauit eum, & obſeruauit ſe ibi non ſemel neque bis.

FERIA SEXTA.

De Libro quarto Regum.

Lectio j. C. 6.

COnſurgens autem diluculo miniſter viri Dei, egreſſus, vidit exercitũ in circuitu ciuitatis, & equos & currus: nunciauitque ei, dicens: Heu heu heu domine mi, quid faciemus? At ille reſpondit: Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. Cumque oraſſet Eliſæus, ait: Domine, aperi oculos huius, vt videat.

Lectio ij.

ET aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum, in circuitu Eliſæi. Hoſtes vero deſcenderunt ad eum: Porro Eliſæus orauit ad Dominum, dicens: Percute, obſecro, gentem hanc cæcitate. Percuſſitque

eos

eos Dominus, ne viderent, iuxta verbum Eliſæi. Dixit autem ad eos Eliſæus: Non eſt hæc via, neque iſta eſt ciuitas: ſequimini me, & oſtendam vobis virum, quem quæritis.

Lectio iij.

DVxit ergo eos in Samariam: Cumque ingreſſi fuiſſent in Samariam, dixit Eliſæus: Domine aperi oculos iſtorum, vt videant. Aperuitque Dominus oculos eorum, & viderunt ſe eſſe in medio Samariæ. Dixitque rex Iſrael ad Eliſæum, cum vidiſſet eos: Numquid percutiam eos pater mi? At ille ait: Non percuties: neque enim cepiſti eos gladio, & arcu tuo.

SABBATO.

De Libro quarto Regum.

Lectio j. C.8.

ELiſæus autem locutus eſt ad mulierem, cuius viuere fecerat filium, dicens: Surge, vade tu & domus tua, & peregrinare vbicumque reperis: vocauit enim Dominus famem, & veniet ſuper terram ſeptem annis. Quæ ſurrexit, & fecit iuxta verbum hominis Dei: & vadens cum domo ſua, peregrinata eſt in Terra Philiſthijm diebus multis.

Lectio ij.

CVmq. finiti eſſent anni ſeptem, reuerſa eſt mulier de Terra Philiſthijm: & egreſſa eſt vt interpellaret regem pro domo ſua, & pro agris ſuis. Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens: Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliſæus. Cumque ille narraret regi quo modo mortuum ſuſcitaſſet, apparuit mulier, cuius viuificauerat filium, clamans ad regem pro domo ſua, & pro agris ſuis.

Lectio iij.

DIxitque Giezi: Domine mi rex, hæc eſt mulier, & hic eſt filius eius, quem ſuſcitauit Eliſæus. Et interrogauit rex mulierem: quæ narrauit ei. Deditque ei rex eunuchum vnum, dicens: Reſtitue ei omnia quæ ſua ſunt, & vniuerſos redditus agrorum à die, qua reliquit terram, vſque ad præſens.

DOMINICA IX.

Poſt Octau. Trinitatis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos, quia ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul quaſi non eſſet vnctus oleo. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelſis tuis interfectus eſt, Saul & Ionathas amabiles, & decori valde in vita ſua, in morte quoque non ſunt ſeparati.

IN PRIMO NOCTVRNO.

De Libro quarto Regum.

Lectio j. C.8.

VEnit quoque Eliſæus Damaſcũ, & Benadad rex Syriæ ægrotabat: nunciaueruntque ei, dicentes: Venit vir Dei huc. Et ait rex ad Hazael: Tolle tecum munera, & vade in occurſum viri Dei, & conſule Dominum per eum, dicens: Si euadere potero de infirmitate mea hac? Iuit igitur Hazael in occurſum eius, habens

ſecum

Digitized by Google

ANno tertio Oſee filij Ela regis Iſrael, regnauit Ezechias filius Achaz regis Iuda. Vigintiquinque annorum erat, cum regnare cœpiſſet: & vigintinouem annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Abi filia Zachariæ. Fecitque quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius. Ipſe diſſipauit excelſa, & contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos.

Lectio ij.

COnfregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes: ſiquidem vſque ad illud tempus filij Iſrael adolebant ei incenſum: vocauitque nomẽ eius Noheſtan. In Domino Deo Iſrael ſperauit. Itaque poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis regibus Iuda, ſed neque in his qui ante eum fuerunt, & adhæſit Domino, & non receſſit à veſtigijs eius, fecitque mandata eius, quæ præceperat Dominus Moyſi.

Lectio iij.

VNde, & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, ſapienter ſe agebat. Rebellauit quoque contra regem Aſſyriorum, & non ſeruiuit ei. Ipſe percuſſit Philiſthæos vſque ad Gazam, & omnes terminos eorũ, à Turre cuſtodum vſque ad Ciuitatem munitam. Anno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus ſeptimus Oſee filij Ela regis Iſrael, aſcendit Salmanaſar rex Aſſyriorum in Samariam, & oppugnauit eam, & cepit.

B.P.

FERIA QVARTA.

De Libro quarto Regum.

Lectio j. C.20.

REliqua autem ſermonum Ezechiæ, & omnis fortitudo eius, & quomodo fecerit piſcinam, & aquæductum, & introduxerit aquas in ciuitatem, nonne hæc ſcripta ſunt in Libro ſermonum dierum regum Iuda? Dormiuitque Ezechias cum patribus ſuis, & regnauit Manaſſes filius eius pro eo.

Lectio ij. C.21.

DVodecim annorum erat Manaſſes cum regnare cœpiſſet, & quinquaginta quinque annis regnauit in Ieruſalem: nomen matris eius Haphſiba. Fecitque malum in conſpectu Domini, iuxta idola Gentium, quas deleuit Dominus à facie filiorum Iſrael. Conuerſuſque eſt, & ædificauit excelſa, quæ diſſipauerat Ezechias pater eius.

Lectio iij.

ET erexit aras Baal, & fecit lucos ſicut fecerat Achab rex Iſrael, & adorauit omnem militiam cæli, & coluit eam. Extruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus: In Ieruſalem ponam nomen meum. Et extruxit altaria vniuerſæ militiæ cæli in duobus atrijs templi Domini. Et traduxit filium ſuum per ignem: & ariolatus eſt, & obſeruauit auguria, & fecit pythones.

FERIA QVINTA.

De Libro quarto Regum.

Digitized by Google

Lectio j. C. 23.

ASconditque rex [Ioſias] templum Domini, & omnes viri Iuda, vniuerſique qui habitabant in Ieruſalem cum eo ſacerdotes & prophetæ, & omnis populus à paruo vſq. ad magnum: legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inuentus eſt in domo Domini. Stetitque rex ſuper gradum: & fœdus percuſſit coram Domino, vt ambularent poſt Dominum, & cuſtodirent præcepta eius, & teſtimonia, & cæremonias in omni corde, & in tota anima, & ſuſcitarent verba fœderis huius, quæ ſcripta erant in libro illo: acquieuitque populus pacto.

Lectio ij.

ET præcepit rex Helciæ pontifici, & ſacerdotibus ſecundi ordinis, & ianitoribus, vt proijcerent de templo Domini omnia vaſa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & vniuerſæ militiæ cæli: & combuſſit ea foris Ieruſalem in conualle Cedron, & tulit puluerem eorum in Bethel.

Lectio iij.

ET deleuit aruſpices, quos poſuerant reges Iuda ad ſacrificandum in excelſis per ciuitates Iuda, & in circuitu Ieruſalem: & eos qui adolebant incenſum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim ſignis; & omni militiæ cæli: Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Ieruſalem in conualle Cedron, & combuſſit eum ibi, & redigit in puluerem, & proiecit ſuper ſepulchra vulgi.

FERIA SEXTA.

De Libro quarto Regum.

Lectio j. C. 23.

INſuper & altare quod erat in Bethel, & excelſum, quod fecerat Ieroboam filius Nabat, qui peccare fecit Iſrael: & altare illud, & excelſum deſtruxit, atque combuſſit; & comminuit in puluerem, ſuccenditque etiam lucum. Et conuerſus Ioſias, vidit ibi ſepulchra, quæ erant in monte: miſitque, & tulit oſſa de ſepulchris, & combuſſit ea ſuper altare, & polluit illud iuxta verbum Domini, quod locutus eſt vir Dei, qui prædixerat verba hæc.

Lectio ij.

ET ait: Quis eſt titulus ille, quem video? Reſponderuntque ei ciues vrbis illius: Sepulchrum eſt hominis Dei, qui venit de Iuda, & prædixit verba hæc, quæ feciſti ſuper altare Bethel. Et ait: Dimittite eum, nemo commoueat oſſa eius. Et intacta manſerunt oſſa illius cum oſſibus prophetæ, qui venerat de Samaria.

Lectio iij.

SEd & pythones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Iuda & Ieruſalem, abſtulit Ioſias: vt ſtatueret verba Legis, quæ ſcripta ſunt in Libro quem inuenit Helcias ſacerdos in templo Domini. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in vniuerſa virtute ſua.

SAB-

SABBATO.

De Libro quarto Regum.

Lectio j. C. 24. & 25.

Receſſitq. Sedecias à rege Babylonis. Factum eſt autem anno nono regni eius, menſe decimo, decima die menſis, venit Nabuchodonoſor rex Babylonis, ipſe & omnis exercitus eius in Ieruſalem, & circumdederunt eam, & extruxerunt in circuitu eius munitiones. Et clauſa eſt ciuitas atque vallata vſque ad vndecimum annum regis Sedeciæ, nona die menſis: præualuitque fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ.

Lectio ij.

ET interrupta eſt ciuitas: & omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ eſt inter duplicem murum ad hortum regis: porro Chaldæi obſidebant in circuitu ciuitatem: fugit itaque Sedecias per viam, quæ ducit ad campeſtria ſolitudinis. Et perſecutus eſt exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in planitie Iericho.

Lectio iij.

ET omnes bellatores qui erant cum eo, diſperſi ſunt, & reliquerunt eum. Apprehenſum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha: qui locutus eſt cum eo iudicium. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem.

DOMINICA PRIMA Auguſti.

Et deinceps vſque ad primam Dominicam Septembris excluſiue legitur Hiſtoria. In principio. in Dominicis tantum, quando de Dominica agitur. Sabbato præcedenti ad Veſper. ℟. Gyrum cæli. ij.

Ad Magnificat, Antiphona.

Omnis ſapientia à Domino Deo eſt: & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum.

IN I. NOCTVRNO.

Incipiunt Parabolæ Salomonis.

Lectio j. C. 1.

PArabolæ Salomonis filij Dauid, regis Iſrael. Ad ſciendam ſapientiam & diſciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ, & ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem: vt detur paruulis aſtutia, adoleſcenti ſcientia & intellectus. Audiens ſapiens, ſapientior erit: & intelligens gubernacula poſſidebit. Animaduertet parabolam, & interpretationem, verba ſapientum, & ænigmata eorum. ℟. In principio Deus antequam terram faceret, priuſquam abyſſos conſtitueret, priuſquam produceret fontes aquarum, antequam montes collocarentur, Ante omnes colles generauit me Dominus. ℣. Quãdo præparabat cælos, aderam, cum eo eram cuncta componens. Ante omnes.

Lectio ij.

TImor Domini principiũ ſapientiæ. Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt. Audi, fili mi, diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Fili

mi, ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. Si dixerint: Veni nobiſcum, inſidiemur ſanguini, abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra: deglutiamus eum ſicut infernus viuentem, & integrum quaſi deſcendentem in lacum. ℟. Gyrum cæli circuiui ſola, & in fluctibus maris ambulaui, in omni gente & in omni populo primatum tenui: Superborum, & ſublimium colla propria virtute calcaui. ℣. Ego in altiſſimis habito, & thronus meus in columna nubis. Superborum. Lectio iij.

Omnem pretioſam ſubſtantiam reperiamus, implebimus domos noſtras ſpolijs. Sortem mitte nobiſcũ, marſupium vnum ſit omnium noſtrũ. Fili mi, ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à ſemitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, & feſtinant, vt effundant ſanguinem. Fruſtra autem iacitur rete ante oculos pennatorum. Ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas. ℟. Emitte Domine ſapientiam de ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret: Vt ſciam quid acceptum ſit corã te, Omni tempore. ℣. Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, Vt ſciam. Gloria Patri. Omni tempore. ℟. iv. Da mihi Domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis: Quoniam ſeruus tuus ego ſum, & filius ancillæ tuæ. ℣. Mitte illam de ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret. Quoniam ſeruus. ℟. v. Domine Pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno: extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & deſiderium malignum auerte à me Domine: aufer à me concupiſcentiam, Et animo irreuerenti, & infrunito ne tradas me Domine. ℣. Ne derelinquas me Domine, ne accreſcant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea. Et animo irreuerenti. ℟. vj. Super ſalutem, & omnem pulchritudinem dilexi ſapientiam: & propoſui pro luce habere illam: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. ℣. Dixi ſapientiæ: Soror mea es, & prudentiam vocaui amicam meam. Venerunt. Gloria Patri. Venerunt.

℟. vij. Initium ſapientiæ timor Domini: intellectus bonus omnibus facientibus eum: Laudatio eius manet in ſæculum ſæculi. ℣. Dilectio illius cuſtodia legum eſt: quia omnis ſapiẽtia timor Domini. Laudatio.

℟. viij. Magna enim ſunt iudicia tua Domine, & inenarrabilia verba tua: Magnificaſti populum tuum, & honoraſti. ℣. Deduxiſti ſicut oues populũ tuum, in manu Moyſi, & Aaron. Magnificaſti populum.

℟. ix. Verbum iniquum, & doloſum longe fac à me Domine: Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, Sed tantum victui meo tribue neceſſaria. ℣. Duo rogaui te, ne deneges mihi, antequam moriar. Diuitias. Gloria Patri. Sed tantum.

FERIA SECVNDA.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. C. 6.

SEx ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius: Oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia teſtem fallacem, & eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias. Conſerua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.

Lectio ij.

LIga ea in corde tuo iugiter, & circumda gutturi tuo. Cum ambulaueris, gradiantur tecum: cum dormieris, cuſtodiant te, & euigilans loquere cum eis: quia mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ: vt cuſtodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ. Non concupiſcat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius.

Lectio iij.

NOn grandis eſt culpa cum quis furatus fuerit: furatur enim, vt eſurientem impleat animam: deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet. Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam: turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur.

FERIA TERTIA.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. C. 9.

SApientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem. Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: Si quis eſt paruulus, veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.

Lectio ij.

RElinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ. Qui erudit deriſorem, ipſe iniuriam ſibi facit: & qui arguit impium, ſibi maculam generat. Noli arguere deriſorem, ne oderit te. Argue ſapientem, & diliget te. Da ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia.

Lectio iij.

DOce iuſtum, & feſtinabit accipere. Principium ſapientiæ timor Domini: & ſcientia ſanctorum, prudentia. Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ. Si ſapiens fueris, tibimetipſi eris: ſi autem illuſor, ſolus portabis malum.

FERIA QVINTA.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. C. 16.

HOminis eſt animam præparare: & Domini gubernare linguã. Omnes viæ hominis patent oculis eius: ſpirituum ponderator eſt Dominus. Reuela Domino opera tua, &

dirigentur cogitationes tuæ. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoque ad diem malum. Abominatio Domini eſt omnis arrogans: etiam ſi manus ad manum fuerit, non eſt innocens.

Lectio ij.

INitium viæ bonæ, facere iuſtitiam: accepta eſt autem apud Deum magis, quàm immolare hoſtias. Miſericordia & veritate redimitur iniquitas: & in timore Domini declinatur à malo. Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem. Melius eſt parum cum iuſtitia: quàm multi fructus cum iniquitate.

Lectio iij.

COr hominis diſponit viam ſuam: ſed Domini eſt dirigere greſſus eius. Diuinatio in labijs regijs, in iudicio non errabit os eius. Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt: & opera eius omnes lapides ſacculi. Abominabiles regi qui agunt impie: quoniam iuſtitia firmatur ſolium. Voluntas regum labia iuſta: qui recta loquitur, diligetur.

FERIA QVINTA.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. C. 18.

OCcaſiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis. Non recipit ſtultus verba prudentiæ: niſi ea dixeris: quæ verſantur in corde eius. Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium. Aqua profunda verba ex ore viri: & torrens redundans fons ſapientiæ.

Lectio ij.

ACcipere perſonam impij non eſt bonum, vt declines à veritate iudicij. Labia ſtulti miſcent ſe rixis: & os eius iurgia prouocat. Os ſtulti contritio eius: & labia ipſius, ruina animæ eius. Verba bilinguis, quaſi ſimplicia: & ipſa perueniunt vſque ad interiora ventris. Pigrum deiicit timor: animæ autem effeminatorum eſurient.

Lectio iij.

QVi mollis, & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis. Turris fortiſſima, nomen Domini: ad ipſum currit iuſtus, & exaltabitur. Subſtantia diuitis, vrbs roboris eius, & quaſi murus validus circumdans eum.

FERIA SEXTA.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. C. 22.

MElius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: ſuper argentum & aurum, gratia bona. Diues, & pauper obuiauerunt ſibi: vtriuſque operator eſt Dominus. Callidus vidit malum, & abſcondit ſe: innocens pertranſiit, & afflictus eſt damno. Finis modeſtiæ timor Domini, diuitiæ & gloria & vita.

Lectio ij.

ARma & gladij in via peruerſi: cuſtos autem animæ ſuæ longe recedit ab eis. Prouerbium eſt:

Ado-

Digitized by Google

Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. Diues pauperibus imperat: & qui accipit mutuum, ſeruus eſt fœnerantis. Qui ſeminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ ſuæ conſummabitur.

Lectio iij.

QVi pronus eſt ad miſericordiã, benedicetur: de panibus enim ſuis dedit pauperi. Victoriam & honorem acquiret qui dat munera: animam autem aufert accipientium. Eiice deriſorem, & exibit cum eo iurgium, ceſſabuntque cauſæ & contumeliæ. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum regem.

SABBATO.

De Parabolis Salomonis.

Lectio j. C. 23.

AVdi fili mi, & eſto ſapiens: & dirige in via animum tuum. Noli eſſe in conuiuiis potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur, & veſtietur pannis dormitatio. Audi patrem tuum, qui genuit te: & ne contemnas cum ſenuerit mater tua.

Lectio ij.

VEritatem eme, & noli vendere ſapientiam, & doctrinam, & intelligentiam. Exultat gaudio pater iuſti: qui ſapientem genuit, lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet quæ genuit te. Præbe fili mi cor tuum mihi: & oculi tui vias meas cuſtodiant. Fouea enim profunda eſt meretrix: & puteus anguſtus, aliena.

Lectio iij.

INſidiatur in via quaſi latro, & quos incautos viderit, interficiet. Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flaueſcit, & cum ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blande, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.

DOMINICA II.

Auguſti.

Ad Magnificat, Antiphona.

Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, ſubdidit ſibi gentes: ſuperborumque, & ſublimium colla propria virtute calcauit.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Incipit Liber Eccleſiaſtes.

Lectio j. C. 1.

VErba Eccleſiaſtæ, filij Dauid, regis Ieruſalem. Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole? Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat. Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem: luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.

Digitized by Google

Lectio ij.

OMnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locũ, vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant. Cunctæ res difficiles: non poteſt eas homo explicare ſermone. Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur. Quid eſt quod fuit? Ipſum quòd futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt? Ipſum quod faciendũ eſt. Nihil ſub ſole nouum, nec valet quiſquam dicere: Ecce hoc recens eſt. Iam enim præceſſit in ſæculis, quæ fuerunt ante nos.

Lectio iij.

NOn eſt priorum memoria: ſed nec eorum quidem, quæ poſtea futura ſunt, erit recordatio apud eos, qui futuri ſunt in nouiſſimo. Ego Eccleſiaſtes fui rex Iſrael in Ieruſalem, & propoſui in animo meo quærere, & inueſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole. Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filijs hominum, vt occuparentur in ea. Vidi cuncta quæ fiunt ſub ſole;& ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus.

FERIA SECVNDA.

De Libro Eccleſiaſtæ.

Lectio j. C.3.

VIdi afflictionem, quam dedit Deus filijs hominum, vt diſtendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio vſq. ad finem. Et cognoui quòd non eſſet melius niſi lætari, & facere bene in vita ſua.

Lectio ij.

OMnis enim homo, qui comedit, & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc donum Dei eſt. Didici quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perſeuerent in perpetuum. Non poſſumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus, vt timeatur. Quod factum eſt, ipſum permanet: quæ futura ſunt, iam fuerunt: & Deus inſtaurat quod abijt.

Lectio iij.

VIdi ſub ſole in loco iudicij impietatem, & in loco iuſtitiæ iniquitatem. Et dixi in corde meo: Iuſtum, & impium iudicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit. Dixi in corde filijs hominum, vt probaret eos Deus, & oſtẽderet ſimiles eſſe beſtijs. Idcirco vnus interitus eſt hominis, & iumentorũ, & æqua vtriuſq. conditio.

FERIA TERTIA.

De Libro Eccleſiaſtæ.

Lectio j. C.4.

MElior eſt puer pauper & ſapiẽs, rege ſene, & ſtulto, qui neſcit præuidere in poſterum. Quòd de carcere, catenisq. interdum quis egrediatur ad regnum: & alius natus in regno, inopia conſumatur. Vidi cunctos viuentes, qui ambulant ſub ſole cum adoleſcente ſecundo, qui conſurget pro eo.

Lectio ij.

INfinitus numerus eſt populi omnium, qui fuerunt ante eum: & qui poſtea futuri ſunt non lætabuntur in

in eo. Sed & hoc vanitas, & afflictio ſpiritus. Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei: & appropinqua vt audias. Multo enim melior eſt obedientia, quàm ſtultorum victimæ, qui neſciunt quid faciunt mali.

Lectio iij. C. 5.

NE temere quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu ſuper terram: idcirco ſint pauci ſermones tui. Multas curas ſequuntur ſomnia, & in multis ſermonibus inuenietur ſtultitia. Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere, diſplicet enim ei infidelis, & ſtulta promiſſio.

FERIA QVARTA.

De Libro Eccleſiaſtæ.

Lectio j. C. 7.

QVid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, cum ignoret quid conducat ſibi in vita ſua numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore, quod velut vmbra præterit? Aut quis ei poterit indicare quid poſt eum futurum ſub ſole ſit? Melius eſt nomen bonum, quàm vnguenta pretioſa: & dies mortis die natiuitatis.

Lectio ij.

MElius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum ſit. Melior eſt ira riſu: quia per triſtitiã vultus, corrigitur animus delinquentis. Cor ſapientum vbi triſtitia eſt, & cor ſtultorum vbi lætitia.

Lectio iij.

MElius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi: quia ſicut ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti: ſed & hoc vanitas. Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius. Melior eſt finis orationis, quàm principiũ. Melior eſt patiẽs arrogãte.

FERIA QVINTA.

De Libro Eccleſiaſtæ.

Lectio j. C. 9.

SVnt iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo vtrum amore, an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta, eo quòd vniuerſa æque eueniant iuſto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti.

Lectio ij.

SIcut bonus, ſic & peccator: vt periurus, ita & ille qui verum deierat. Hoc eſt peſſimum inter omnia, quæ ſub ſole fiunt: quia eadem cunctis eueniunt. Vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptum in vita ſua, & poſt hæc ad inferos deducentur. Nemo eſt qui ſemper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam.

Lectio iij.

MElior eſt canis viuus leone mortuo. Viuentes enim ſciunt ſe eſſe morituros, mortui vero nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem: quia obliuioni tradita eſt memoria eorum. Amor quoque, & odium, & inuidiæ ſimul perierunt, nec habent

Digitized by Google

habent partem in hoc ſæculo, & in opere quod ſub ſole geritur.

FERIA SEXTA.

De Libro Eccleſiaſtæ.

Lectio j. C. 10.

VAe tibi terra, cuius rex puer eſt, & cuius principes mane comedunt. Beata terra, cuius rex nobilis eſt, & cuius principes veſcuntur in tẽpore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam. In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus. In riſum faciunt panem, & vinum, vt epulentur viuentes: & pecuniæ obediunt omnia.

Lectio ij C. 11.

IN cogitatione tua regi ne detrahas, & in ſecreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia & aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annunciabit ſententiam. Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas: quia poſt tempora multa inuenies illum. Da partem ſeptem, necnõ & octo: quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terram.

Lectio iij.

SI repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent. Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit. Qui obſeruat ventum, non ſeminat: & qui cõſiderat nubes, numquam metet. Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis: ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium.

SABBATO.

De Libro Eccleſiaſtæ.

Lectio j. C. 12.

MEmento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas: Non mihi placent, antequam tenebreſcat ſol & lumen, & luna, & ſtellæ, & reuertantur nubes poſt pluuiam: quando commouebuntur cuſtodes domus, & nutabunt viri fortiſſimi, & otioſæ erunt molentes in minuto numero, & tenebreſcent videntes per foramina.

Lectio ij.

ET claudent oſtia in platea, in humilitate vocis molentis, & conſurgent ad vocem volucris, & obſurdeſcent omnes filiæ carminis. Excelſa quoque timebunt, & formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ, & circuibunt in platea plangentes. Lectio iij.

ANtequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea: & conteratur hydria ſuper fontẽ, & confringatur rota ſuper ciſternam, & reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deũ, qui dedit illum. Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, & omnia vanitas. Cumque eſſet ſapientiſſimus Eccleſiaſtes, docuit populum, & enarrauit quæ fecerat.

DOMINICA III. Auguſti.

Ad

Digitized by Google

Ad Magnificat, Antiphona.

Sapientia clamitat in plateis: Si quis diligit ſapientiam, ad me declinet, & & eam inueniet: & cum eam inuenerit, beatus eſt ſi tenuerit eam.

IN I. NOCTVRNO.

Incipit Liber Sapientiæ.

Lectio j. C. 1.

DIligite iuſtitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Peruerſæ enim cogitationes ſeparant à Deo: probata autem virtus corripit inſipientes. Quoniam in maleuolam animam nō introibit ſapientia: nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.

Lectio ij.

SPiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum: & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate. Benignus eſt enim ſpiritus ſapientiæ, & non liberabit maledicum à labijs ſuis: quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, & linguæ eius auditor. Quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc quod cōtinet omnia, ſcientiam habet vocis.

Lectio iij.

PRopter hæc, qui loquitur iniqua, non poteſt latere: nec præteriet illum corripiens iudicium. In cogitationibus enim impij interrogatio erit: ſermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abſcondetur. Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ.

FERIA SECVNDA.

De Libro Sapientiæ.

Lectio j. C. 2.

DIxerūt [impij] cogitantes apud ſe non recte: Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tamquam non fuerimus: quoniā fumus flatus eſt in naribus noſtris: & ſermo ſcintilla ad commouendum cor noſtrum: qua extincta, cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur tamquam mollis aer.

Lectio ij.

ET tranſibit vita noſtra tamquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt à radijs ſolis, & à calore illius aggrauata: & nomen noſtrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum noſtrorum. Vmbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri: quoniam conſignata eſt, & nemo reuertitur.

Lectio iij.

VEnite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis.

Digitized by Google

ris. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ.

FERIA TERTIA.

De Libro Sapientiæ.

Lectio j. C. 9.

MItte [ſapientiam] de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit apud te: ſcit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſua potẽtia. Et erunt accepta opera mea, & diſponã populum tuum iuſte, & ero dignus ſedium patris mei. Lectio ij.

QVis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam: & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantẽ.

Lectio iij.

ET difficile æſtimamus quæ in terra ſunt: & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore: quæ autem in cælis ſunt, quis inueſtigabit? Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſſimus: & ſic correctæ ſint ſemitæ eorum qui ſunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines?

FERIA QVARTA.

De Libro Sapientiæ.

Lectio j. C. 10.

HAec illum, qui primus formatus eſt à Deo pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia. Ab hac vt receſſit iniuſtus in ira ſua, per iram homicidij fraterni deperijt. Propter quem, cum aqua deleret terrã, ſanauit iterum ſapientia, per contemptibile lignum iuſtum gubernans. Lectio ij.

HAec & in conſenſu nequitiæ cũ ſe nationes contuliſſent, ſciuit iuſtum, & conſeruauit ſine querela Deo, & in filii miſericordia fortem cuſtodiuit. Hæc iuſtum à pereuntibus impiis liberauit fugientem, deſcẽdente igne in pentapolim: quibus in teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis. Lectio iij.

SApientiam enim prætereuntes nõ tantum in hoc lapſi ſunt, vt ignorarent bona, ſed & inſipientiæ ſuæ reliquerunt hominibus memoriam, vt in his quæ peccauerunt, nec latere potuiſſent. Sapientia autem hos qui ſe obſeruant, à doloribus liberauit. Hæc profugum iræ fratris iuſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei.

FERIA QVINTA.

De Libro Sapientiæ.

Lectio j. C. 10.

HAec populum iuſtum, & ſemen ſine querela liberauit à nationibus,

bus, quæ illum deprimebant. Intrauit in animam ſerui Dei, & ſtetit contra reges horrendos in portentis & ſignis. Et reddit iuſtis mercedem laborum ſuorum, & deduxit illos in via mirabili:& fuit illis in velamento diei, & in luce ſtellarum per noctem.

Lectio ij.

TRanſtulit illos per mare Rubrũ, & tranſuexit illos per aquam nimiam. Inimicos autem illorum demerſit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo iuſti tulerunt ſpolia impiorum, & decantauerunt Domine nomen ſanctum tuũ, & victricem manum tuam laudauerunt pariter.

Lectio iij. C. 11.

QVoniam ſapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas. Direxit opera eorum in manibus prophetæ ſancti. Iter fecerunt per deſerta, quæ non habitabantur: & in locis deſertis fixerunt caſas. Steterunt contra hoſtes, & de inimicis ſe vindicauerunt. Sitierunt, & inuocauerunt te, & data eſt illis aqua de petra altiſſima, & requies ſitis de lapide duro.

FERIA SEXTA.

De Libro Sapientiæ.

Lectio j. C. 11.

OMnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti. Multum enim valere, tibi ſoli ſupererat ſẽper: & virtuti brachii tui quis reſiſtet? Quoniam tamquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram. Sed misereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.

Lectio ij.

DIligis enim omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti. Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur? Parcis autem omnibus: quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.

Lectio iij. C. 12.

O Quàm bonus, & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones & alloqueris: vt relicta malitia, credant in te Domine.] Cum ergo ſis iuſtus, iuſte omnia diſponis: ipſum quoque, qui non debet puniri, cõdemnare, exterum æſtimas à tua virtute.

SABBATO.

De Libro Sapientiæ.

Lectio j. C. 16.

TV es enim, Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis: homo autem occidit quidem per malitiam, & cum exierit ſpiritus, non reuertetur, nec reuocabit animam quæ recepta eſt: ſed tuam manum effugere impoſſibile eſt. Negantes enim te noſſe impij, per fortitudinem brachij tui flagellati ſunt: nouis aquis, & grandinibus, & pluuijs perſecutionem paſſi, & per ignem conſumpti.

Lectio ij.

Lectio ij.

QVod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat: vindex eſt enim orbis iuſtorum. Quodam enim tempore, manſuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios miſſa erant animalia: ſed vt ipſi videntes ſcirent, quoniam Dei iudicio patiuntur perſecutionem. Lectio iij.

ET quodam tempore in aqua ſupra virtutem ignis, exardeſcebat vndique, vt iniquæ terræ nationem exterminaret. Pro quibus Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem.

DOMINICA IIII. Auguſti.

Ad Magnificat, Antiphona.

Dominus poſſedit me ab initio viarũ ſuarum, antequam quidquam faceret à principio: necdum erant abyſſi, & ego parturiebar: quando præparabat cælos aderam: cum eo, componens omnia.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Incipit Liber Eccleſiaſtici.

Lectio j. C. I.

OMnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies ſæculi quis dinumerauit? Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt? Sapientiam Dei præcedentẽ omnia, quis inueſtigauit? Prior omnium creata eſt ſapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo. Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata æterna.

Lectio ij.

RAdix ſapientiæ cui reuelata eſt, & aſtutias illius quis agnouit? Diſciplina ſapientiæ cui reuelata eſt, & manifeſtata? & multiplicationem ingreſſus illius quis intellexit? Vnus eſt altiſſimus creator omnipotens, & rex potens, & metuendus nimis, ſedens ſuper thronũ illius, & dominans Deus. Ipſe creauit illam in Spiritu ſancto: & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt. Lectio iij.

ET effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem ſecundum datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ſe. Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur. Dilectio Dei honorabilis ſapientia.

FERIA SECVNDA.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. C. I.

RAdix ſapientiæ eſt timere Dominum: & rami illius longæui. In theſauris ſapientiæ intellectus, & ſcientiæ religioſitas: execratio autem peccatoribus ſapientia. Timor Domini expellit peccatum: nam qui ſine timo-

timore eſt, non poterit iuſtificari: iracundia enim animoſitatis illius, ſubuerſio illius eſt. Lectio ij.

VSque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio iucunditatis. Bonus ſenſus vſque in tempus abſcondet verba illius, & labia multorum enarrabunt ſenſum illius. In theſauris ſapientiæ ſignificatio diſciplinæ: execratio autem peccatori, cultura Dei. Fili, concupiſcens ſapientiam, conſerua iuſtitiã: & Deus præbebit illam tibi. Lectio iij.

SApientia enim & diſciplina, timor Domini: & quod beneplacitum eſt illi, fides, & manſuetudo, & adimplebit theſauros illius. Ne ſis incredibilis timori Domini: & ne acceſſeris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conſpectu hominũ, & non ſcandalizeris in labijs tuis. Attende in illis, ne forte cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem.

FERIA TERTIA.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. C. 2.

MEtuentes Dominum ſuſtinete miſericordiam eius: & non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi: & non euacuabitur merces veſtra. Qui timetis Dominum, ſperate in illum: & in oblectationem veniet vobis miſericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum: & illuminabuntur corda veſtra. Lectio ij.

REſpicite filij nationes hominũ: & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum? Quoniam pius & miſericors eſt Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate.

Lectio iij.

VAe duplici corde, & labijs ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs. Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo: & ideo non protegentur ab eo. Væ his, qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui derelinquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas.

FERIA QVARTA.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. C. 3.

FIlij ſapientiæ, Eccleſia iuſtorum: & natio illorum, obedientia, & dilectio. Iudicium patris audite filij, & ſic facite vt ſalui ſitis. Deus enim honorauit patrem in filijs: & iudiciũ matris exquirens, firmauit in filios. Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit ſe ab illis: & in oratione dierum exaudietur.

Lectio ij.

ET ſicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat matrem ſuam. Qui honorat patrem ſuum, iucundabitur in filijs, & in die orationis ſuæ exaudietur. Qui honorat patrem ſuum, vita viuet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Dominum, honorat parentes: & quaſi domi-

dominis ſeruiet his qui ſe genuerunt.

Lectio iij.

IN opere, & ſermone, & omni patientia: honora patrem tuum: vt ſuperueniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in nouiſſimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta. Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim eſt tibi gloria, eius confuſio.

FERIA QVINTA.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. C. 3.

COr durum habebit male in nouiſſimo: & qui amat periculum, in illo peribit. Cor ingrediens duas vias, non habebit ſucceſſus: & prauus corde in illis ſcandalizabitur. Cor nequam grauabitur in doloribus: & peccator adijciet ad peccandum. Synagogæ ſuperborum non erit ſanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur. Lectio ij.

COr ſapientis intelligitur in ſapientia: & auris bona audiet cũ omni concupiſcentia ſapientiam. Sapiens cor, & intelligibile abſtinebit ſe à peccatis, & in operibus iuſtitiæ ſucceſſus habebit. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis: & Deus proſpector eſt eius, qui reddit gratiam: meminit eius in poſterum, & in tempore caſus ſui inueniet firmamentum.

Lectio iij. C. 4.

FIli, eleemoſynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne tranſuertas à paupere. Animam eſurientem ne deſpexeris: & non exaſperes pauperem in inopia ſua. Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum anguſtianti. Rogationem contribulati ne abijcias: & non auertas faciem tuam ab egeno.

FERIA SEXTA.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. C. 4.

SApientia filijs ſuis vitam inſpirat, & ſuſcipit inquirentes ſe, & præibit in via iuſtitiæ. Et qui illam diligit, diligit vitam: & qui vigilauerint ad illam, complectentur placorem eius. Qui tenuerint illam, vitam hereditabunt: & quò introibit, benedicet Deus. Qui ſeruiunt ei, obſequentes erunt ſancto: & eos, qui diligunt illam, diligit Deus. Lectio ij.

QVi audit illam, iudicabit Gentes: & qui intuetur illam, permanebit confidens. Si crediderit ei, hereditabit illam, & erunt in confirmatione creaturæ illius. Quoniam in tentatione ambulat cum eo, & in primis eligit eum. Timorem, & metum, & probationem inducet ſuper illum: & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ ſuæ, donec tentet eum in cogitationibus ſuis, & credat animæ illius. Lectio iij.

ET firmabit illum, & iter adducet directum ad illum, & lætificabit illum, & denudabit abſconſa ſua illi, & theſaurizabit ſuper illum ſcientiam & intellectum iuſtitiæ. Si autem oberrauerit, derelinque eum, & tradet

eum

eum in manus inimici eius. Fili conſerua tempus, & deuita à malo. Pro anima tua ne cõfundaris dicere verũ.

SABBATO.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. C. 5.

NOli attendere ad poſſeſſiones iniquas, & ne dixeris: Eſt mihi ſufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ, & obductionis. Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui, & ne dixeris: Quomodo potui? aut quis me ſubijciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Ne dixeris: Peccaui, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor.

Lectio ij.

DE propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adijcias peccatum ſuper peccatum. Et ne dicas: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.

Lectio iij.

SVbito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Noli anxius eſſe in diuitijs iniuſtis: nõ enim proderunt tibi in die obductionis, & vindictæ. Non ventiles te in omnẽ ventũ, & non eas in omnem viã. Sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. Eſto firmus in via Dñi, & in veritate ſenſus tui & ſcientia: & proſequatur te verbũ pacis & iuſtitię.

B.P.

DOMINICA V.

Auguſti.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ego in altiſſimis habito, & thronus meus in columna nubis. Cum menſis Auguſti habebit quinque Dominicas, in hac, & in ſua Hebdomada repetãtur Lectiones Hebdomadæ præcedẽtis, vel quæ ſuper fuerunt propter Feſta habentia Lectiones proprias.

DOMINICA I.

Septembris, & ij. legitur Hiſtoria. Si bona. in Dominicis tantum, quãdo de Dominica agitur. Sabbato præcedenti ad Veſper. ℞. Antequam. ij.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cum audiſſet Iob nunciorum verba, ſuſtinuit patienter, & ait: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſtineamus? In omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis, neque ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt.

IN I. NOCTVRNO.

Incipit Liber Iob. Lectio j. C. 1.

VIr erat in terra Hus, nomine Iob, & erat vir ille ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo: natique ſunt ei ſeptem filij, & tres filiæ. Et fuit poſſeſſio eius ſeptem millia ouium, & tria millia camelorum, quingenta quoque iuga bouũ, & quingentæ aſinæ, ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes Orientales. ℞. Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autẽ quare nõ ſuſtineamus? Dñs dedit, Dominus abſtulit: Sicut Dñoq placuit, ita

factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. ℣. Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Sicut Domino.

Lectio ij.

ET ibant filij eius,& faciebant cõuiuium per domos, vnuſquiſque in die ſuo: & mittentes vocabant tres ſorores ſuas, vt comederent & biberent cum eis. Cumque in orbem trãſiſſent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos: conſurgenſque diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis. Dicebat enim: Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis. Sic faciebat Iob cunctis diebus. ℟. Antequam comedam, ſuſpiro,& tamquam inundantes aquæ: ſic rugitus meus: quia timor quem timebam, euenit mihi, & quod verebar, accidit. Nonne diſſimulaui? nonne ſilui? nonne quieui? Et venit ſuper me indignatio tua Domine. ℣. Ecce non eſt auxilium mihi in me, & neceſſarij quoque mei receſſerunt à me. Et venit.

Lectio iij.

QVadam autem die cum veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan. Cui dixit Dominus: Vnde venis? Qui reſpondens, ait: Circuiui terram, & perambulaui eam. Dixitque Dominus ad eũ: Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex,& rectus, ac timens Deum, & recedens à malo? Cui reſpondens Satan, ait. Numquid Iob fruſtra timet Deum? Nonne tu vallaſti eum, ac domum eius, vniuerſamque ſubſtantiam per circuitum? ℟. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus irã merui, & calamitas quam patior, In ſtatera. ℣. Quaſi arena maris hæc grauior appareret. In. Gloria Patri. In. ℟. iv. Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis: & ad increpandum componitis, & ſubuertere nitimini amicum veſtrum? Verumtamen quæ cogitaſtis, explete. ℣. Quod iuſtum eſt iudicate: & non inuenietis in lingua mea iniquitatem. Verumtamen. ℟. v Induta eſt caro meo putredine, & ſordibus pulueris cutis mea aruit, & contracta eſt: Memento mei Domine, quia ventus eſt vita mea. ℣. Dies mei ſicut vmbra declinauerunt: & ego ſicut fœnum arui. Memento mei. ℟. vj. Paucitas dierum meorum finietur breui: dimitte me Domine, vt plangam paululum dolorem meũ antequam vadam Ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine. ℣. Remitte mihi, vt refrigerer priuſquã abeam. Ad terram. Gloria. Ad terram. ℟. vij. Memento mei Deus, quia ventus eſt vita mea, Nec aſpiciet me viſus hominis. ℣. Et non reuertetur oculus meus, vt videat bona. Nec aſpiciet. ℟. viij. Ne abſcondas me Domine à facie tua: manum tuam longe fac à me: Et formido tua non me terreat. ℣. Corripe me Domine in miſericordia,& non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Et formido. ℟. ix. Nocte os

meum

Digitized by Google

meum perforatur doloribus, & qui me comedunt, non dormiunt: à multitudine eorum conſumitur veſtimentum meum: Comparatus ſum luto, Et aſſimilatus ſum fauillæ, & cineri. ℣. O cuſtos hominum, quare me poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis? Parce mihi Domine: nihil enim ſunt dies mei. Comparatus. Gloria Patri. Et.

FERIA SECVNDA.

De Libro Iob. Lectio j. C. 2.

FActum eſt autem, cum quadam die veniſſent filij Dei, & ſtarent coram Domino, veniſſet quoque Satan, inter eos, & ſtaret in conſpectu eius, vt diceret Dominus ad Satan: Vnde venis? Qui reſpondens, ait: Circuiui terram, & perambulaui eam. Et dixit Dominus ad Satan: Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commouiſti me aduerſus eum, vt affligerem eum fruſtra. Lectio ij.

QVi reſpondens Satan, ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerua. Lectio iij.

EGreſſus igitur Satan à facie Domini, percuſſit Iob vlcere peſſimo, à planta pedis vſque ad verticem eius: qui teſta ſaniem radebat, ſedens in ſterquilinio. Dixit autem illi vxor ſua: Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam: Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es. Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?

FERIA TERTIA.

De Libro Iob. Lectio j. C. 3.

POſt hæc aperuit Iob os ſuum, & maledixit diei ſuo, & locutus eſt: Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum Deus deſuper, & non illuſtretur lumine. Obſcurent eum tenebræ, & vmbra mortis occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Lectio ij.

NOctem illam tenebroſus turbo poſſideat: non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus. Sit nox illa ſolitaria, nec laude digna: maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan. Obtenebrentur ſtellæ caligine eius: expectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ: quia non concluſit oſtia ventris qui portauit me, nec abſtulit mala ab oculis meis. Lectio iij.

QVare non in vulua mortuus ſũ, egreſſus ex vtero non ſtatim perij? Quare exceptus genibus? Cur lactatus vberibus? Nũc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem

ſcerem cum regibus, & conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines: aut cum principibus, qui poſſident aurum, & replent domos ſuas argento.

FERIA QVARTA.

De Libro Iob. Lectio j. C. 4.

RESpondens autem Eliphaz Themanites, dixit: Si cœperimus loqui tibi, forſitan moleſte accipies: ſed conceptum ſermonem tenere quis poterit? Ecce docuiſti multos, & manus laſſas roboraſti: vacillantes confirmauerunt ſermones tui, & genua trementia confortaſti. Nunc autem venit ſuper te plaga, & defeciſti: tetigit te, & conturbatus es. Lectio ij.

VBi eſt timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum? Recordare, obſecro te, quis vmquã innocens perijt? aut quãdo recti deleti ſunt? Quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo perijſſe, & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos. Lectio iij.

RVgitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti ſunt. Tigris perijt, eo quòd non haberet prædam, & catuli leonis diſſipati ſunt. Porro ad me dictũ eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiue ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius.

FERIA QVINTA.

De Libro Iob. Lectio j. C. 6.

REſpondens autem Iob, dixit: Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui: & calamitas quam patior, in ſtatera. Quaſi arena maris hæc grauior appareret: vnde, & verba mea dolore ſunt plena: quia ſagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meũ, & terrores Domini militant contra me. Lectio ij.

NVmquid rugiet onager cum habuerit herbam? aut mugiet bos, cum ante præſepe plenũ ſteterit? aut poterit comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum? aut poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortẽ? Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia, cibi mei ſunt. Lectio iij.

QVis det, vt veniat petitio mea: & quod expecto, tribuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipſe me conterat: ſoluat manum ſuam, & ſuccidat me? Et hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore, nõ parcat, nec contradicam ſermonibus Sancti: Quæ eſt enim fortitudo mea, vt ſuſtineam? aut quis finis meus, vt patienter agã?

FERIA SEXTA.

De Libro Iob. Lectio j. C. 7.

MIlitia eſt vita hominis ſuper terram: & ſicut dies mercenarij, dies eius. Sicut ſeruus deſiderat vmbram, & ſicut mercenarius præſtolatur finem operis ſui: ſic & ego habui menſes vacuos, & noctes laborioſas enumeraui mihi. Si dormiero, dicam: Quando conſurgam? & rurſum expectabo veſperam, & replebor doloribus vſque ad tenebras. Lectio ij.

INduta eſt caro mea putredine: & ſordibus pulueris cutis mea aruit,

aruit, & contracta eſt. Dies mei velocius tranſierunt, quàm à texente tela ſucciditur, & conſumpti ſunt abſque vlla ſpe. Memento quia ventus eſt vita mea, & non reuertetur oculus meus vt videat bona: nec aſpiciet me viſus hominis: oculi tui in me, & nõ ſubſiſtã.

Lectio iij.

SIcut conſumitur nubes, & pertrãſit: ſic qui deſcenderit ad inferos, non aſcendet, nec reuertetur vltra in domum ſuam, neque cognoſcet eum amplius locus eius. Quapropter, & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione ſpiritus mei: confabulabor cum amaritudine animæ meæ.

S A B B A T O.

De Libro Iob. Lectio j. C. 9.

ET reſpondens Iob, ait: Vere ſcio quòd ita ſit, & quòd non iuſtificetur homo compoſitus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere vnum pro mille. Sapiẽs corde eſt, & fortis robore: quis reſtitit ei, & pacem habuit? Qui tranſtulit montes, & neſcierunt hi, quos ſubuertit in furore ſuo.

Lectio ij.

QVi commouet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiũtur. Qui præcipit ſoli, & non oritur: & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo. Qui extendit cælos ſolus, & graditur ſuper fluctus maris. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora Auſtri. Qui facit magna, & incomprehenſibilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus.

Lectio iij.

SI venerit ad me, non videbo eum: ſi abierit, non intelligam. Si repẽte interroget, quis reſpondebit ei? vel quis dicere poteſt: Cur ita facis? Deus, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt: & ſub quo curuantur qui portant orbẽ. Quãtus ergo ſum ego, vt reſpondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui etiã ſi habuero quidpiam iuſtum, non reſpõdebo, ſed meũ iudicẽ deprecabor.

D O M I N I C A II.

Septembris.

Ad Magnif. Añã. In omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt.

I N I. N O C T V R N O.

De Libro Iob. Lectio j. C. 27.

ADdidit quoq. Iob, aſſumens parabolam ſuã, & dixit: Viuit Deus, qui abſtulit iudiciũ meum, & omnipotens, qui ad amaritudinẽ adduxit animã meã: quia donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatẽ, nec lingua mea meditabitur mendacium. Abſit à me, vt iuſtos vos eſſe iudicem: donec deficiam, nõ recedam ab innocentia mea.

Lectio ij.

IVſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Sit vt impius, inimicus meus: & aduerſarius meus quaſi iniquus. Quæ eſt enim ſpes hypocritæ ſi auare rapiat, & nõ liberet Deus animã eius? Nũquid Deus audiet clamorẽ eius, cũ venerit ſuper eũ anguſtia?

Digitized by Google

Aut poterit in omnipotente delectari, & inuocare Deum omni tempore?

Lectio iij.

DOcebo vos per manũ Dei, quæ omnipotens habeat, nec abſcõdam. Ecce vos omnes noſtis: & quid ſine cauſa vana loquimini? Hæc eſt pars hominis impij apud Deum, & hereditas violentorum, quam ab omnipotente ſuſcipient. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt, & nepotes eius non ſaturabuntur pane. Qui reliqui fuerint ex eo, ſepelietur in interitu, & viduæ illius nõ plorabũt.

FERIA SECVNDA.

De Libro Iob. Lectio j. C. 38.

REſpondens autẽ Dominus Iob de turbine, dixit: Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis? Accinge ſicut vir lũbos tuos: interrogabo te, & reſponde mihi. Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam?

Lectio ij.

SVper quo baſes illius ſolidatæ ſũt? aut quis demiſit lapidem angularem eius, cũ me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Quis concluſit oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens: cum ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerẽ?

Lect. iij.

CIrcumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi: Vſque huc venies, & nõ procedes amplius: & hic confringes tumẽtes fluctus tuos. Numquid poſt ortũ tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuũ? Et tenuiſti cõcutiens extrema terræ, & excuſſiſti impios ex ea?

FERIA TERTIA.

De Libro Iob. Lectio j. C. 39.

NVmquid noſti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes ceruas obſeruaſti? Dinumeraſti menſes conceptus earum, & ſciſti tempus partus earum? Incuruantur ad fœtum, & pariunt & rugitus emittunt. Separantur filij earum, & pergunt ad paſtum: egrediuntur, & non reuertuntur ad eas.

Lectio ij.

QVis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis. Contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit. Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virẽtia quæque perquirit.

Lectio iij.

NVmquid volet rhinoceros ſeruire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum? Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confringet glebas vallium poſt te? Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos? Numquid credes illi quòd ſementem reddat tibi, & aream tuam congreget?

FERIA QVARTA.

De Libro Iob. Lectio j. C. 39.

NVmquid præbebis equo fortitudinẽ, aut circumdabis collo eius

eius hinnitum? Numquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas? Gloria narium eius terror. Terram vngula fodit, exultat audacter: in occurſum pergit armatis. Contemnit pauorem, nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta, & clypeus.

Lectio ij.

FEruens & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem. Vbi audierit buccinã, dicit: Vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus. Numquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad Auſtrum? Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum?

Lectio iii.

IN petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus. Inde contemplatur eſcam, & de longe oculi eius proſpiciunt. Pulli eius lambent ſanguinem: & vbicumque cadauer fuerit, ſtatim adeſt. Et adiecit Dominus, & locutus eſt ad Iob: Numquid qui contendit cum Deo tam facile conquieſcit? vtique qui arguit Deum, debet reſpondere ei.

FERIA QVINTA.

De Libro Iob. Lectio i. C.40.

REſpondens autem Dominus Iob de turbine, dixit: Accinge ſicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & indica mihi. Numquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, vt tu iuſtificeris? Et ſi habes brachium ſicut Deus, & ſi voce ſimili tonas? Circumda tibi decorem, & in ſublime erigere, & eſto glorioſus, & ſpecioſis induere veſtibus.

Lectio ii.

DIſperge ſuperbos in furore tuo, & reſpiciens omnem arrogantẽ humilia. Reſpice cunctos ſuperbos, & confunde eos, & contere impios in loco ſuo. Abſconde eos in puluere ſimul, & facies eorum demerge in foueam: & ego confitebor quòd ſaluare te poſſit dextera tua. Ecce, Behemoth, quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet.

Lectio iii.

FOrtitudo eius in lumbis eius: & virtus illius in vmbilico ventris eius. Stringit caudam ſuam quaſi cedrum, nerui teſticulorum eius perplexi ſunt. Oſſa eius velut fiſtulæ æris, cartilago illius quaſi laminæ ferreæ. Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium eius. Huic montes herbas ferunt: omnes beſtiæ agri ludent ibi. Sub vmbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus.

FERIA SEXTA.

De Libro Iob. Lectio j. C.40.41.

AN extrahere poteris leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Numquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius? Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum ſeruum ſempiternum? Numquid illudes ei quaſi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?

Digitized by Google

Lectio ij.

CONcident eum amici, diuident illum negotiatores? Numquid implebis ſagenas pelle eius, & gurguſtium piſcium capite illius? Pone ſuper eum manum tuam: memento belli, nec vltra addas loqui. Ecce, ſpes eius fruſtrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur. Non quaſi crudelis, ſuſcitabo eum: quis enim reſiſtere poteſt vultui meo? Quis ante dedit mihi, vt reddam ei? omnia quæ ſub cælo ſunt, mea ſunt. Lectio iij.

NOn parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis. Quis reuelabit faciem indumenti eius? & in medium oris eius quis intrabit? Portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido. Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, & compactum ſquamis ſe prementibus. Vna vni coniungitur, ne ſpiraculum quidem incedit per eas.

SABBATO.

De Libro Iob. Lectio j. C. 42.

REſpondens autem Iob Domino, dixit: Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Quis eſt iſte, qui celat conſilium abſque ſcientia? Ideo inſipienter locutus ſum, & quæ vltra modũ excederent ſcientiam meam. Audi, & ego loquar: interrogabo te, & reſponde mihi. Auditũ auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.

Lectio ij.

POſtquam autem locutus eſt Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectũ, ſicut ſeruus meus Iob. Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtũ pro vobis. Lect. iij.

IOb autem ſeruus meus orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam, vt nõ vobis imputetur ſtultitia: neque enim locuti eſtis ad me recta, ſicut ſeruus meus Iob. Abierũt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt ſicut locutus fuerat Dominus ad eos: & ſuſcepit Dominus faciem Iob.

DOMINICA III.

Septembris.

Et deinceps vſque ad primã Dominicã Octob. excluſiue. legitur Hiſtoria, Peto Domine. In Dominicis tantum, quando de Dominica agitur. Sabbato vero præcedenti ad Veſperas. ℟. Omni tempore. ij. Ad Magnif. Añа. Ingreſſus Angelus Raphael ad Tobiã, ſalutauit eum, dicens: Gaudium tibi ſemper ſit. Cui Tobias ait: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video? Cui Angelus inquit: Forti animo eſto, in proximo eſt, vt à Deo cureris.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Incipit Liber Tobiæ. Lectio j. C. 1.

TObias ex tribu, & ciuitate Nephthali, (quæ eſt in ſuperioribus Galilææ ſupra Naaſſon, poſt viã quæ ducit

ducit ad Occidentē, in ſiniſtro habens ciuitatē Saphet,) cum captus eſſet in diebus Salmanaſar regis Aſſyriorum, in captiuitate tamē poſitus, viā veritatis non deſeruit: ita vt omnia quæ habere poterat, quotidie cōcaptiuis fratribus, qui erāt ex eius genere, impertiret. Cūq. eſſet iunior omnibus in tribu Nephthali, nihil tamē puerile geſſit in opere. ℞. Peto Dñe, vt de vinculo improperij huius abſoluas me, aut certe deſuper terrā eripias me: ne reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorū, neque vindictā ſumas de peccatis meis: Quia eruis ſuſtinētes te Domine. ℣. Omnia iudicia tua iuſta ſunt, & omnes viæ tuæ miſericordia, & veritas: & nunc Domine memento mei. Quia.

Lectio ij.

DEnique cum irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Iſrael, hic ſolus fugiebat cōſortia omniū: & pergebat in Ieruſalē ad templum Domini, & ibi adorabat Dominū Deū Iſrael, omnia primitiua ſua, & decimas ſuas fideliter offerens, ita vt in tertio anno proſelytis, & aduenis miniſtraret omnē decimationē. Hæc & his ſimilia ſecundum legē Dei puerulus obſeruabat. ℞. Omni tēpore benedic Deum, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat: Et omni tempore conſilia tua in ipſo permaneant. ℣. Inquire, vt facias quæ placita ſunt illi in veritate, & in tota virtute tua. Et omni.

Lectio iij.

CVm vero factus eſſet vir, accepit vxorem Annā de tribu ſua, genuitq. ex ea filiū, nomēn ſuū imponēs ei: quē ab infantia timere Deū docuit, & abſtinere ab omni peccato. Igitur, cum per captiuitatē deueniſſet cum vxore ſua, & filio ſuo in ciuitatē Niniuen cū omni tribu ſua: cum omnes ederent ex cibis Gentilium, iſte cuſtodiuit animā ſuam, & numquam contaminatus eſt in eſcis eorū. ℞. Tēpus eſt vt reuertar ad eū, qui me miſit: vos autē benedicite Deū, & enarrate omnia mirabilia eius. ℣. Confitemini ei coram omnibus viuentibus, quia fecit vobiſcū miſericordiā ſuam. Et enarrate. Gloria. Et enarrate. ℞. iiij Adonai Domine Deus magne, & mirabilis, qui dediſti ſalutem in manu feminæ, Exaudi preces ſeruorum tuorū. ℣. Benedictus es Dñē, qui non derelinquis præſumentes de te: & de ſua virtute glorianter humilias. Exaudi. ℞. v. Dominator Domine cælorū, & terræ, creator aquarum, rex vniuerſæ creaturæ tuæ, Exaudi orationes ſeruorū tuorū. ℣. Tu Domine cui humiliū ſemper, & manſuetorū placuit deprecatio. Exaudi. ℞. vj. Spem in alium numquam habui, præter in te Deus Iſrael, Qui iraſceris, & propitius eris, Et omnia peccata hominum in tribulatione dimittis. ℣. Domine Deus cæli, & terræ, reſpice ad humilitatē noſtrā. Qui iraſceris. Gloria Patri. Et omnia. ℞. vij. Conforta me rex ſanctorum, principatum tenens, Et da ſermonem rectum, & bene ſonantem in os meū. ℣. Da nobis Domine locum pœnitentiæ, & ne claudas ora canentium te

Domine. Et da ℞. viij. Laudate Dominum Deum noſtrum, Qui non deſeruit ſperantes in ſe, & in me adimpleuit miſericordiam ſuam, quam promiſit domui Iſrael. ℣. Laudate Dominum omnes Gentes, collaudate eum omnes populi. Qui non. ℞. ix. Domine rex omnipotens, inditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ: libera nos propter nomen tuum. ℣. Exaudi Domine orationem noſtram, & conuerte luctum noſtrum in gaudium. Propter nomen tuum. Gloria Patri. Propter.

FERIA SECVNDA.

De Libro Tobiæ.

Lectio j. C. 2.

POſt hæc vero, cũ eſſet dies feſtus Domini, & factum eſſet prandiũ bonum in domo Tobiæ, dixit filio ſuo: Vade, & adduc aliquos de tribu noſtra, timentes Deum, vt epulentur nobiſcum. Cumque abijſſet, reuerſus nunciauit ei, vnum ex filijs Iſrael iugulatum iacere in platea. Statimque exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium ieiunus peruenit ad corpus: tollenſque illud portauit ad domum ſuam occulte, vt dum ſol occubuiſſet, caute ſepeliret eum.

Lectio ij.

CVmque occultaſſet corpus, manducauit panem cum luctu & tremore, memorans illum ſermonem, quem dixit Dominus per Amos prophetam: Dies feſti veſtri conuertentur in lamentationem & luctum. Cum vero ſol occubuiſſet, abijt, & ſepeliuit eum. Arguebant autem eum omnes proximi eius, dicentes: Iam huius rei cauſa interfici iuſſus es, & vix effugiſti mortis imperium, & iterum ſepelis mortuos?

Lectio iij.

SEd Tobias plus timens Deum, quàm regem, rapiebat corpora occiſorum, & occultabat in domo ſua, & medijs noctibus ſepeliebat ea. Contigit autem, vt quadam die fatigatus à ſepultura, veniens in domum ſuam, iactaſſet ſe iuxta parietem, & obdormiſſet, & ex nido hirundinũ dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos eius, fieretque cæcus.

FERIA TERTIA.

De Libro Tobiæ.

Lectio j. C. 4.

IGitur cum Tobias putaret orationem ſuam exaudiri, vt mori potuiſſet, vocauit ad ſe Tobiam filium ſuũ, dixitque ei: Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo, quaſi fundamentum conſtrue. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepeli: & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius: memor enim eſſe debes, & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo.

Lectio ij.

CVm autem, ipſa compleuerit tẽpus vitæ ſuæ, ſepelias eam circa me. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & caue ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam,

nam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Lect. iij.

QVomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguū tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis. Quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.

FERIA QVARTA.

In ieiunijs Quatuor Temporum Septembris.

De Libro Tobiæ. Lectio j. C. 5.

EGreſſus Tobias, inuenit iuuenē ſplendidū, ſtantem præcinctum: & quaſi paratum ad ambulandum. Et ignorans quòd Angelus Dei eſſet, ſalutauit eum, & dixit: Vnde te habemus, bone iuuenis? At ille reſpondit: Ex filijs Iſrael. Et Tobias dixit ei: Noſti viam quæ ducit in regionem Medorum? Cui reſpondit: Noui: & omnia itinera eius frequenter ambulaui; & manſi apud Gabelum fratrem noſtrum, qui moratur in Rages ciuitate Medorum, quæ poſita eſt in monte Ecbatanis. Cui Tobias ait: Suſtine me obſecro, donec hæc ipſa nunciem patri meo. Tunc ingreſſus Tobias, indicauit vniuerſa hæc patri ſuo.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

Serm. 5. de Ieiun. Septemb. Menſis.

Lectio ij.

QVia ſacerdotalis officij eſt, erga omnes Eccleſiæ filios curam habere communem, in id quod, & rudibus proſit, & doctis, quos ſimul diligimus, pariter incitamus: vt ieiuniū quod nobis ſeptimi menſis recurſus indicit, fide alacri per caſtigationem animæ, & corporis celebremus. Vt autē mens rationabilis ſalubriter exteriora caſtiget, debet etiam propria exercere ieiunia, quia non ſolum carnis deſiderijs, ſed etiam animi cupiditatibus conuenit repugnare.

Lectio iij.

IEiunans ergo, ab his quæ caro appetit, ieiunet: & ab ijs quæ male interior ſubſtantia concupiſcit. Peſſimus enim animæ cibus eſt, velle quod non licet: & noxia cordis delectatio eſt, quæ aut turpi lucro paſcitur, aut ſuperbia extollitur, aut adulatione lætatur. Celebraturi igitur, dilectiſſimi, verum & ſpiritale ieiuniū, quod & corpus, & animum ſui puritate ſanctificet, cordis noſtri ſecreta rimemur: & quibus rebus aut contriſtētur aut gaudeant, iuſto diſcutiamus examine. Ac ſi quis amor vanæ gloriæ, ſi quæ radix auaritiæ, ſi quod ineſt virus inuidiæ, nihil talium anima ſumat eſcarum.

FERIA QVINTA.

De Libro Tobiæ. Lectio j. C. 6.

PRofectus eſt autem Tobias, & canis ſecutus eſt eum, & manſit prima manſione iuxta fluuiū Tigris. Et exiuit, vt lauaret pedes ſuos, & ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum. Quem expaueſcens Tobias clamauit voce magna, dicens: Domine, inua-

inuadit me. Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. Lectio ij.

QVod cum feciſſet, attraxit eum in ſiccum,& palpitare cœpit ante pedes eius. Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piſcem, & cor eius,& fel,& iecur repone tibi: ſūt enim hæc neceſſaria ad medicamenta vtiliter. Quod cum feciſſet,aſſauit carnes eius, & ſecum tulerunt in via: cetera ſalierunt, quæ ſufficerent eis, quouſque peruenirent in Rages ciuitatem Medorum. Lectio iij.

TVnc interrogauit Tobias Angelum,& dixit ei: Obſecro te Azaria frater,vt dicas mihi quod remediū habebunt iſta quæ de piſce ſeruare iuſſiſti. Et reſpondens Angelus, dixit ei: Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, ſiue à viro ſiue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos. Et fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.

FERIA SEXTA.

Quatuor Temporum.

De Libro Tobiæ. Lectio j. C.10.

CVm vero moras faceret Tobias, cauſa nuptiarum, ſollicitus erat pater eius Tobias, dicens: Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus eſt ibi? Putaſne Gabelus mortuus eſt, & nemo reddet illi pecuniā? Cœpit autem contriſtari nimis ipſe, & Anna vxor eius cum eo: & cœperunt ambo ſimul flere, eo quòd die ſtatuto minimè reuerteretur filius eorum ad eos. Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrymis, atque dicebat: Heu heu me fili mi, vt quid te miſimus peregrinari,lumen oculorum noſtrorum,baculum ſenectutis noſtræ ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 172. de Tempore.

Lectio ij.

QVoniam ieiuniorū tempus eſt, fratres chariſſimi, de ieiunio cum ſanctitate veſtra tractandum eſt,vt ſciatis quemadmodū ieiunetis. Ieiunia enim Chriſtianorum ſpiritaliter potius, quàm carnaliter obſeruanda ſunt. Vnde à peccatis noſtris principaliter ieiunemus: ne ieiunia veſtra ſicut Iudæorum ieiunia à Deo reſpuantur. Quale eſt enim ieiunium,vt à cibis, quos Dominus creauit, neſcio quis impoſtor abſtineat, & peccatorum ſagina pingueſcat? Non tale ieiuniū ego elegi,dicit Dominus.

Lectio iij.

PAruum eſt enim ieiunium abſtinere à peccatis, niſi addamus, & bona. Porro autem ieiunijs veſtris etiam illud oportet accedere, quod Dominus in Euangelio præcepit: Cū ieiunatis, inquit, nolite fieri ſicut hypocritæ, triſtes. Ieiunium eſt quod probat Altiſſimus, non ſolum intermiſſa corporis refectio: verum etiam à malis actibus facta diſceſſio. Itaque ſi neque mens tua grauetur oppreſſa peccatis, neque animus tuus vitiorum illece-

illecebris delectetur, digna Deo exoluiſti ieiunia.

SABBATO.

Quatuor Temporum.

De Libro Tobiæ. Lectio j. C. 14.

ET conſummati ſũt ſermones Tobiæ. Et poſtquam illuminatus eſt Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum ſuorum. Completis itaque annis centum duobus, ſepultus eſt honorifice in Niniue. Quinquaginta namque & ſex annorum, lumen oculorum amiſit: ſexagenarius vero recepit. Reliquum vero vitæ ſuæ in profectu timoris Dei perrexit in pace.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

Serm. 7. de Ieiun. Septimi menſis.

Lectio ij.

APoſtolica inſtitutio, dilectiſſimi, quæ Dominum Ieſum Chriſtũ ad hoc veniſſe in hunc mundum nouerat, vt legem non ſolueret, ſed impleret, ita veteris Teſtamenti decreta diſtinxit, vt quædã ex eis, ſicut erant condita, Euangelicæ eruditioni profutura decerperet: & quæ dudum fuerant conſuetudinis Iudaicæ, fierent obſeruantiæ Chriſtianæ. Quamuis enim varietates hoſtiarum, differentiæ baptiſmatum, & otia ſabbatorum cum ipſa carnis circumciſione ceſſauerint: manent tamen ex ipſis voluminibus etiam apud nos plurima præcepta moralia. Ille quoque partes legalium mandatorum, ex quibus quædam præcipiuntur, vt fiant, antiquæ auctoritatis retinent firmitatem.

Lectio iij.

QVòd igitur, dilectiſſimi, ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarũ corporumque noſtrorum, Ieiunium ſeptimi menſis aſſumimus, non legalibus nos oneribus ſubijcimus: ſed vtilitatem continentiæ, quæ Chriſti Euangelio ſeruit, amplectimur. Nec enim noſtra talia debent eſſe ieiunia, qualia erant illorum, quibus Iſaias propheta, Spiritu ſancto in ſe loquente, dicebat: Ieiunium, & ferias, & dies veſtros odiuit anima mea.

DOMINICA IIII.

Septembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ne reminiſcaris Domine delicta mea, vel parentum meorum: neque vindictam ſumas de peccatis meis.

IN I. NOCTVRNO.

Incipit Liber Iudith.

Lectio j. C. 1.

ARphaxad itaque rex Medorum ſubiugauerat multas gentes imperio ſuo: & ipſe ædificauit ciuitatem potentiſſimam, quam appellauit Ecbatanis, ex lapidibus quadratis, & ſectis: fecit muros eius in latitudinem cubitorum ſeptuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta, turres vero eius poſuit in altitudinem cubitorum centum. Per quadrum vero earum latus vtrumq. vicenorum pedũ ſpatio tendebatur: poſuitque portas eius in altitudinem turrium. Lectio ij.

ANno igitur duodecimo regni ſui Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum,

rum, qui regnabat in Niniue ciuitate magna, pugnauit contra Arphaxad, & obtinuit eum in campo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphraten, & Tigrin, & Iadaſon in campo Erioch regis Elicorum. Tunc exaltatum eſt regnũ Nabuchodonoſor, & cor eius eleuatum eſt. Lectio iij. C. 2.

VOcauitque omnes maiores natu, omneſque duces, & bellatores ſuos, & habuit cum eis myſterium conſilij ſui: dixitque cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio. Quod dictum cum placuiſſet omnibus, vocauit Nabuchodonoſor rex Holofernem principem militiæ ſuæ: & dixit ei: Egredere aduerſus omne regnũ Occidentis, & contra eos præcipue, qui contempſerunt imperium meum.

FERIA SECVNDA.

De Libro Iudith. Lectio j. C. 3.

PRæceperat [Holoferni] Nabuchodonoſor rex, vt omnes deos terræ exterminaret, videlicet vt ipſe ſolus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuiſſent Holofernis potentia ſubiugari. Pertranſiens autem Syriã Sobal, & omnem Apameam, omnemque Meſopotamiã, venit ad Idumæos in terram Gabaa, accepitque ciuitates eorum, & ſedit ibi per triginta dies. Lectio ij. C. 4.

TVnc audientes hæc filij Iſrael, qui habitabant in terra Iuda, timuerunt valde à facie eius. Tremor, & horror inuaſit ſenſus eorum, ne hoc faceret Ieruſalem, & templo Domini, quod fecerat ceteris ciuitatibus, & tẽplis earum. Et miſerunt in omnem Samariam per circuitum vſque Iericho, & præoccupauerunt omnes vertices montium: & muris circumdederunt vicos ſuos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ. Lectio iij.

ET clamauit omnis populus ad Dominũ inſtantia magna & humiliauerunt animas ſuas in ieiunijs & orationibus, ipſi & mulieres eorum. Et induerunt ſe ſacerdotes cilicijs, & infantes proſtrauerunt contra faciem tẽpli Domini, & altare Domini operuerunt cilicio: & clamauerunt ad Dominum Deum Iſrael vnanimiter.

FERIA TERTIA.

De Libro Iudith. Lectio j. C. 7.

HOlofernes autem altera die præcepit exercitibus ſuis vt aſcenderent contra Bethuliam. Erant autẽ pedites bellatorum centũ viginti millia, & equites viginti duo millia, præter præparationes virorum illorum, quos occupauerat captiuitas, & abducti fuerant de prouincijs, & vrbibus vniuerſæ iuuentutis. Omnes parauerunt ſe pariter ad pugnam contra filios Iſrael. Lectio ij.

FIlij autem Iſrael, vt viderunt multitudinem illorum, proſtrauerunt ſe ſuper terram, mittentes cinerem ſuper capita ſua, vnanimes orantes, vt Deus Iſrael miſericordiam ſuam oſtẽderet ſuper populum ſuum. Et aſſumentes arma ſua bellica, ſederunt per loca, quæ ad anguſti itineris tramitẽ diri-

dirigunt inter montoſa: & erant cuſtodientes ea tota die, & nocte.

Lectio iij.

PORro Holofernes, dum circuit per gyrum, reperit quòd fons, qui influebat, aquæductum illorum à parte auſtrali extra ciuitatem dirigeret: & incidi præcepit aquæductum illorum. Erant tamen non longe à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam ad refocillandum potius quàm ad potandum.

FERIA QVARTA.

De Libro Iudith. Lectio i. C. 8.

ERat autẽ Iudith relicta [Manaſſe] vidua iam annis tribus, & mẽſibus ſex. Et in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur: & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter ſabbata, & neomenias, & feſta domus Iſrael. Erat autem eleganti aſpectu nimis, cui vir ſuus reliquerat diuitias multas, & familiam copioſam.

Lectio ij.

HAec itaque cum audiſſet, quoniam Ozias promiſiſſet, quòd tranſacto quinto die traderet ciuitatem, miſit ad presbyteros Chabri, & Charmi. Et venerunt ad illam, & dixit illis: Quod eſt hoc verbum, in quo conſenſit Ozias, vt tradat ciuitatem Aſſyrijs, ſi intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Et qui eſtis vos, qui tentatis Dominũ?

Lectio iij.

NOn eſt iſte ſermo, qui miſericordiam prouocet, ſed potius qui iram excitet, & furorem accendat.] Et ideo humiliemus illi animas noſtras, & in ſpiritu conſtituti humiliato, ſeruientes illi, dicamus flentes Domino, vt ſecundum voluntatem ſuam ſic faciat nobiſcũ miſericordiam ſuã: vt ſicut conturbatum eſt cor noſtrum in ſuperbia eorum, ita etiam de noſtra humilitate gloriemur.

FERIA QVINTA

Quando menſis Septembris non habuerit niſi quatuor Dominicas, in hac die, & duabus ſequen. legentur Lect. de libro Eſther, quæ infra reperientur pro quinta Dominica, & duabus ſeq. Ferijs, & ſeqq. de Iudith omittantur.

De Libro Iudith. Lectio j. C. 10.

FActum eſt autem, cum ceſſaſſet clamare ad Dominum, ſurrexit de loco, in quo iacuerat proſtrata ad Dominum: vocauitque abram ſuam, & deſcendens in domum abſtulit à ſe cilicium, & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ: & lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myro optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitrã ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimẽtis iucunditatis ſuæ.

Lectio ij.

INduitque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextrariola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe. Cui etiam Dominus contulit ſplendorem: quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat: & ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret.

Le-

Lectio iii.

IMpoſuit itaque abræ ſuæ aſcoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caſeum, & profecta eſt. Cumq. veniſſent ad portam ciuitatis, inuenerunt expectantem Oziam, & presbyteros ciuitatis. Qui cum vidiſſent eam, ſtupentes mirati ſunt nimis pulchritudinem eius. Nihil tamen interrogantes eam, dimiſerunt tranſire.

FERIA SEXTA.

De Libro Iudith. Lect. j. C. 10.

FActum eſt autem, cum deſcenderet montem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Aſſyriorum, & tenuerunt eam, dicentes: Vnde venis, aut quò vadis? Quæ reſpondit: Filia ſum Hebræorum, ideo ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnoui quòd dentur vobis in deprædationem, pro eo quòd contemnentes vos, noluerunt vltro tradere ſeipſos, vt inuenirent miſericordiam in conſpectu veſtro. Lectio ij.

HAc de cauſa cogitaui mecum, dicens: Vadam ad faciem principis Holofernis, vt indicem illi ſecreta illorum, & oſtendam illi quo aditu poſſit obtinere eos, ita vt non cadat vir vnus de exercitu eius. Et cum audiſſent viri illi verba eius, conſiderabant faciem eius, & erat in oculis eorum ſtupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis.

Lectio iij.

ET dixerunt ad eam: Conſeruaſti animam tuam eo quòd tale repe riſti conſilium, vt deſcenderes ad dominum noſtrum. Hoc autē ſcias, quoniam cum ſteteris in conſpectu eius, bene tibi faciet, & eris gratiſſima in corde eius. Duxeruntque illam ad tabernaculum Holofernis, annunciantes eam. Cumque intraſſet ante faciem eius ſtatim captus eſt in ſuis oculis Holofernes.

SABBATO.

De Libro Iudith. Lectio j. C. 13.

ERatque Iudith ſola in cubiculo. Porro Holofernes iacebat in lecto, nimia ebrietate ſopitus. Dixitq. Iudith puellæ ſuæ, vt ſtaret foris ante cubiculum, & obſeruaret. Stetitque Iudith ante lectum orans cum lacrymis, & labiorum motu in ſilentio, dicens: Confirma me Domine Deus Iſrael, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum, vt, ſicut promiſiſti, Ieruſalem ciuitatem tuam erigas: & hoc quod credens per te poſſe fieri cogitaui, perficiam. Lectio ij.

ET cum hæc dixiſſet, acceſſit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, pugionem eius qui in ea ligatus pendebat, exoluit. Cumque euaginaſſet illum, apprehendit comā capitis eius, & ait: Confirma me Domine Deus in hac hora. Et percuſſit bis in ceruicem eius, & abſcidit caput eius: & abſtulit conopœum eius à columnis, & euoluit corpus eius truncū.

Lectio iij

ET poſt puſillum exiuit, & tradidit caput Holofernis ancillæ ſuæ, & iuſſit: vt mitteret illud in peram ſuam.

ſuam. Et exierunt duæ, ſecundum conſuetudinem ſuam, quaſi ad orationē, & tranſierunt caſtra, & gyrantes vallē, venerunt ad portam ciuitatis. Et dixit Iudith à longe cuſtodibus murorum: Aperite portas, quoniam nobiſcum eſt Deus, qui fecit virtutem in Iſrael.

DOMINICA V.
Septembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Adonai Domine Deus magne, & mirabilis, qui dediſti ſalutem in manu feminæ, exaudi preces ſeruorū tuorum.

IN I. NOCTVRNO.
Incipit Liber Eſther.

Lectio j. C. 1.

IN diebus Aſſueri, qui regnauit ab India vſque Aethiopiam ſuper cētum vigintiſeptem prouincias, quādo ſedit in ſolio regni ſui, Suſan ciuitas regni eius exordium fuit. Tertio igitur anno imperij ſui fecit grande conuiuium cūctis principibus, & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & perfectis prouinciarum corā ſe, vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui. Lectio ij.

VAſthi quoque regina fecit conuiuium fœminarum in palatio, vbi rex Aſſuerus manere conſueuerat. Itaque die ſeptimo, cum rex eſſet hilarior, & poſt nimiam potationem incaluiſſet mero, præcepit Mauman, & Bazatha, & Harbona, & Bagatha, & Abgatha, & Zethar, & Charchas, ſeptem eunuchis, qui in cōſpectu eius miniſtrabant, vt introducerent reginam Vaſthi coram rege, poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtenderet cunctis populis & principibus pulchritudinē illius: erat enim pulchra valde.

Lectio iij.

QVæ renuit, & ad regis imperiū, quod per eunuchos mandauerat, venire contempſit. Vnde iratus rex, & nimio furore ſuccenſus, interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant, & illorum faciebat cūcta conſilio, ſcientium leges, ac iura maiorum: cui ſententiæ Vaſthi regina ſubiaceret, quæ Aſſueri regis imperium, quod per eunuchos mādauerat, facere noluiſſet.

FERIA SECVNDA.
De Libro Eſther. Lectio j. C. 8.

HIs ita geſtis, poſtquam regis Aſſueri indignatio deferbuerat, recordatus eſt Vaſthi, & quæ feciſſet, vel quæ paſſa eſſet: dixeruntque pueri regis, ac miniſtri eius: Quærantur regi puellæ virgines, ac ſpecioſæ, & mittantur qui conſiderent per vniuerſas prouincias puellas ſpecioſas & virgines: & adducant eas ad ciuitatem Suſan.

Lectio ij.

ERat vir Iudæus in Suſan ciuitate, vocabulo Mardochæus, filius Iair, filij Semei, filij Cis, de ſtirpe Iemini, qui translatus fuerat de Ieruſalem eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonoſor rex Babylonis tranſtulerat, qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther: & vtrumque parentem amiſerat: pulchra nimis, & decora facie.

Digitized by Google

Lectio iij.

MOrtuiſque patre eius ac matre Mardochæus ſibiq; eam adoptauit in filiam. Cumque percrebuiſſet regis imperium, & iuxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Suſan, & Egeo traderentur eunucho: Eſther quoque inter ceteras puellas ei tradita eſt, vt ſeruaretur in numero feminarum. Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conſpectu illius.

FERIA TERTIA.

De Libro Eſther. Lectio j. C.2.

EVoluto autem tempore per ordinem, inſtabat dies, quo Eſther filia Abihail fratris Mardochæi, quam ſibi adoptauerat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæſiuit muliebrem cultum, ſed quæcumque voluit Egeus eunuchus cuſtos virginū, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omniū oculis gratioſa & amabilis videbatur. Lectio ij.

DVcta eſt itaque ad cubiculum regis Aſſueri menſe decimo, qui vocatur Tebeth, ſeptimo anno regni eius. Et adamauit eam rex plus quàm omnes mulieres, habuitq. gratiam & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulieres: & poſuit diadema regni in capite eius, fecitq. eam regnare in loco Vaſthi. Lectio iij.

EO igitur tempore, quo Mardochæus ad regis ianuam morabatur, irati ſunt Bagathā, & Thares duo eunuchi regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præſidebant: volueruntque inſurgere in regem, & occidere eum. Quod Mardochæum non latuit, ſtatimq. nunciauit reginæ Eſther: & illa regi ex nomine Mardochæi, qui ad ſe rem detulerat.

FERIA QVARTA.

De Libro Eſther. Lectio j. C.3.

POſt hæc rex Aſſuerus exaltauit Amā filium Amadathi, qui erat de ſtirpe Agag: & poſuit ſoliū eius ſuper omnes principes, quos habebat: cūctique ſerui regis, qui in foribus palatij verſabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: ſic enim præceperat eis Imperator: ſolus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum. Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatij præſidebant: Cur præter ceteros non obſeruas mandatum regis?

Lectio ij.

CVmque hoc crebrius dicerent, & ille nollet audire, nunciauerunt Aman, ſcire cupientes vtrum perſeueraret in ſententia: dixerat enim eis ſe eſſe Iudæū. Quod cum audiſſet Aman, & experimento probaſſet quòd Mardochæus non flecteret ſibi genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valde, & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas. Lectio iij.

AVdierat enim quòd eſſet gentis Iudææ: magiſque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Aſſueri, perdere nationem. Menſe primo, cuius vocabulū eſt Niſan, anno duodecimo regni Aſſueri, miſſa eſt ſors in vrnam quæ Hebraice dicitur phur, coram Aman, quo die & quo menſe gens Iudæorum

Digitized by Google

dæorū deberet interfici: & exiuit mēſis duodecimus, qui vocatur Adar.

FERIA QVINTA.

De Libro Eſther. Lectio j. C 5.

DIe autē tertio induta eſt Eſther regalibus veſtimentis, & ſtetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra baſilicam regis. At ille ſedebat ſuper ſolium ſuum in conſiſtorio palatij contra oſtium domus. Cumque vidiſſet Eſther reginam ſtantem, placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedēs, oſculata eſt ſummitatem virgæ eius. Lectio ij.

DIxitque ad eam rex: Quid vis Eſther regina? quæ eſt petitio tua? etiam ſi dimidiam partē regni petieris, dabitur tibi. At illa reſpondit: Si regi placet, obſecro vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium quod paraui. Statimq. rex: Vocate, inquit, cito Aman, vt Eſther obediat voluntati. Venerunt itaque rex & Aman ad conuiuium, quod eis regina parauerat. Lectio iij.

DIxitque ei rex, poſtquam vinum biberat abundanter: Quid petis, vt detur tibi? & pro qua re poſtulas? etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Cui reſpondit Eſther: Petitio mea, & preces ſunt iſtæ: Si inueni in conſpectu regis gratiam, & ſi regi placet vt det mihi quod poſtulo, & meam impleat petitionem: veniat rex & Aman ad conuiuiū quod paraui eis, & cras aperiam regi voluntatem meam.

FERIA SEXTA.

De Libro Eſther. Lectio j. C. 6.

NOctem illam duxit rex inſomnē: iuſſitq. ſibi afferri hiſtorias, & annales priorum temporum. Quæ cum illo præſente legerentur, ventum eſt ad illum locum, vbi ſcriptum erat quomodo nunciaſſet Mardochæus inſidias Bagathan & Thares eunuchorum, regem Aſſuerum iugulare cupientium. Quod cum audiſſet rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus conſecutus eſt? Dixerunt ei ſerui illius ac miniſtri: Nihil omnino mercedis accepit.

Lectio ij.

STatimque rex: Quis eſt, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiæ intrauerat: vt ſuggereret regi, & iuberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum. Reſponderunt pueri: Aman ſtat in atrio. Dixitque rex; Ingrediatur: Cumq. eſſet ingreſſus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honorare deſiderat? Lectio iij.

COgitans autē in corde ſuo Amā, & reputans quòd nullum alium rex, niſi ſe, vellet honorare, reſpondit: Homo, quem rex honorare cupit, debet indui veſtibus regijs, & imponi ſuper equum, qui de ſella regis eſt, & accipere regium diadema ſuper caput ſuum, & primus de regijs principibus ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens, clamet & dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare.

S A B B A T O.

De Libro Eſther. Lectio j. C.7.

INtrauit itaque rex & Aman, vt biberent cum regina. Dixitq. ei rex etiam ſecunda die, poſtquam vino incaluerat: Quæ eſt petitio tua Eſther, vt detur tibi? & quid vis fieri? etiam ſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Ad quem illa reſpondit: Si inueni gratiam in oculis tuis, ò rex, & ſi tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo, & populũ meum pro quo obſecro. Lectio ij.

TRaditi enim ſumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus. Atque vtinam in ſeruos & famulas venderemur: eſſet tolerabile malum, & gemens tacerem: nũc autem hoſtis noſter eſt, cuius crudelitas redundat in regem. Reſpondenſq. rex Aſſuerus, ait: Quis eſt iſte, & cuius potentiæ, vt hæc audeat facere? Dixitq. Eſther: Hoſtis & inimicus noſter peſſimus iſte eſt Aman.

Lectio iij.

DIxitq. Harbona, vnus de eunuchis qui ſtabant in miniſterio regis: En lignum, quod parauerat Mardochæo, qui locutus eſt pro rege, ſtat in domo Aman, habẽs altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo. Suſpenſus eſt itaq. Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo: & regis ira quieuit.

D O M I N I C A I.

Octobris.

Et deinceps, vſque ad primam Dominicam Nouembris excluſiue, in Dominicis legitur Hiſtoria Adaperiat. Sabbato præcedenti ad Veſp. ℟. Tua eſt potentia. iij. Ad Magnific. Antiph. Adaperiat Dominus cor veſtrũ in lege ſua, & in præceptis ſuis, & faciat pacẽ.

I N I. N O C T V R N O.

Incipit Liber primus Machabæorum.

Lectio j. C.1.

ET factum eſt, poſtquam percuſſit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnauit in Græcia, egreſſus de terra Cethim, Darium regem Perſarum & Medorum: conſtituit prælia multa, & obtinuit omniũ munitiones, & interfecit reges terræ, & pertranſijt vſque ad fines terræ, & accepit ſpolia multitudinis gentium, & ſiluit terra in cõſpectu eius. ℟. Adaperiat Dominus cor veſtrũ in lege ſua, & in præceptis ſuis, & faciat pacem in diebus veſtris: Concedat vobis ſalutẽ, & redimat vos à malis. ℣. Exaudiat Dominus orationes veſtras, & reconcilietur vobis, nec vos deſerat in tempore malo. Concedat. Lectio ij.

ET congregauit virtutem, & exercitum fortem nimis: & exaltatum eſt & eleuatum cor eius: & obtinuit regiones gentium, & tyrannos, & facti ſunt illi in tributum. Et poſt hæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur. Et vocauit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti à iuuentute: & diuiſit illis regnum ſuum, cum adhuc viueret. Et regnauit Alexander annis duodecim, & mortuus eſt. ℟. Exaudiat Dominus orationes veſtras, & recõcilietur vobis, Nec vos deſerat

in

in tempore malo. ℣. Det vobis cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem. Nec vos.

Lectio iij.

ET obtinuerunt pueri eius regnũ, vnuſquiſque in loco ſuo: & impoſuerunt omnes ſibi diademata poſt mortem eius, & filij eorum poſt eos annis multis, & multiplicata ſunt mala in terra. Et exijt ex eis radix peccatrix Antiochus illuſtris, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obſes: & regnauit in anno centeſimo trigeſimo ſeptimo regni Græcorum. ℟. Tua eſt potentia, tuum regnum Domine: tu es ſuper omnes Gentes: Da pacem Domine, In diebus noſtris. ℣. Creator omnium Deus, terribilis & fortis, iuſtus & miſericors. Da pacem. Gloria Patri. In diebus.

℟. iv. Congregati ſunt inimici noſtri, & gloriantur in virtute ſua: contere fortitudinem illorum Domine, & diſperge illos: Vt cognoſcant quia non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter. ℣. Diſperge illos in virtute tua, & depone eos protector noſter Domine. Vt.

℟. v. Imperium inimicorum ne timueritis, memores eſtote, quomodo ſalui facti ſunt patres noſtri: Et nunc clamemus in cælum, & miſerebitur noſtri Deus noſter. ℣. Mementote mirabiliũ eius, quæ fecit Pharaoni, & exercitui eius in mari Rubro. Et nũc clamemus.

℟. vj. Refulſit ſol in clypeos aureos, & reſplenduerunt montes ab eis: Et fortitudo Gentium diſſipata eſt. ℣. Erat enim exercitus magnus valde, & fortis: & appropiauit Iudas, & exercitus eius in prælium. Et fortitudo. Gloria Patri. Et fortitudo.

℟. vij. Dixit Iudas Simoni fratri ſuo: Elige tibi viros, & vade, libera fratres tuos in Galilæam: ego autem, & Ionathas frater meus ibimus in Galaaditim: Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat. ℣. Accingimini, & eſtote filij potentes: quoniam melius eſt nobis mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum. Sicut fuerit.

℟. viij. In hymnis, & cõfeſſionibus benedicebant Dominum: Qui magna fecit in Iſrael, & victoriam dedit illis Dominus omnipotens. ℣. Ornauerunt faciem templi coronis aureis: & dedicauerunt altare Domino. Qui.

℟. ix. Ornauerunt faciem templi coronis aureis, & dedicauerunt altare Domino: Et facta eſt lætitia magna. In populo. ℣. In hymnis, & confeſſionibus benedicebant Dominum. Et facta. Gloria Patri. In populo.

FERIA SECVNDA.

De Libro primo Machabæorum.

Lectio j. C. 1.

ET paratum eſt regnum in conſpectu Antiochi, & cœpit regnare in terra Aegypti, vt regnaret ſuper duo regna. Et intrauit in Aegyptũ in multitudine graui, in curribus, & elephantis, & equitibus, & copioſa nauiũ multitudine: & conſtituit bellum aduerſus Ptolemæum regem Aegypti: & veritus eſt Ptolemæus à facie eius, & fugit, & ceciderunt vulnerati multi.

Lectio ij.

ET comprehendit ciuitates munitos in terra Aegypti: & accepit ſpolia terræ Aegypti. Et conuertit Antiochus, poſtquã percuſſit Aegyptum, in centeſimo & quadrageſimo tertio anno, & aſcendit ad Iſrael, & aſcendit Ieroſolymam in multitudine graui. Et intrauit in ſanctificationem cum ſuperbia. Lectio iij.

ET accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuerſa vaſa eius, & menſam propoſitionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum quod in facie templi erat: & comminuit omnia. Et accepit argentum, & aurum, & vaſa concupiſcibilia: & accepit theſauros occultos, quos inuenit: & ſublatis omnibus abijt in terram ſuam.

FERIA TERTIA.

De Libro primo Machabæorum.

Lectio j. C. I.

ET poſt duos annos dierum miſit rex principem tributorum in ciuitates Iuda, & venit Ieruſalem cum turba magna. Et locutus eſt ad eos verba pacifica in dolo; & crediderunt ei. Et irruit ſuper ciuitatem repente, & percuſſit eam plaga magna, & perdidit populum multum ex Iſrael. Et accepit ſpolia ciuitatis: & ſuccendit eam igni, & deſtruxit domos eius, & muros eius in circuitu. Lectio ij.

ET captiuas duxerunt mulieres: & natos, & pecora poſſederunt. Et ædificauerunt ciuitatem Dauid muro magno, & firmo, & turribus firmis, & facta eſt illis in arcem: & poſuerunt illic gentem peccatricem viros iniquos, & conualuerunt in ea. Et poſuerunt arma & eſcas, & congregauerunt ſpolia Ieruſalem: & repoſuerunt illic: & facti ſunt in laqueum magnum.

Lectio iij.

ET factum eſt hoc ad inſidias ſanctificationi, & in diabolum malum in Iſrael: & effuderunt ſanguinem innocentem per circuitum ſanctificationis, & contaminauerunt ſanctificationem. Et fugerunt habitatores Ieruſalem propter eos, & facta eſt habitatio exterorum; & facta eſt extera ſemini ſuo, & nati eius reliquerunt eã. Sanctificatio eius deſolata eſt ſicut ſolitudo.

FERIA QVARTA.

De Libro primo Machabeorum.

Lectio j. C. I.

ET miſit rex libros per manus nũciorum in Ieruſalem, & in omnes ciuitates Iuda: vt ſequerentur leges Gentium terræ, & prohiberent holocauſta, & ſacrificia, & placationes fieri in templo Dei, & prohiberent celebrari ſabbatum, & dies ſolemnes: & iuſſit coinquinari ſancta, & ſanctum populum Iſrael. Lectio ij.

ET iuſſit ædificari aras, & templa, & idola, & immolari carnes ſuillas, & pecora communia, & relinquere filios ſuos incircumciſos, & coinquinari animas eorum in omnibus immũdis, & abominationibus, ita vt obliuiſcerentur legem, & immutarent omnes

nes

nes iuſtificationes Dei. Et quicumque non feciſſent ſecundum verbum regis Antiochi, morerentur.

Lectio iij.

SEcundum omnia verba hæc ſcripſit omni regno ſuo: & præpoſuit principes populo, qui hæc fieri cogerent. Et iuſſerunt ciuitatibus Iuda ſacrificare. Et congregati ſunt multi de populo ad eos, qui dereliquerant legem Domini, & fecerunt mala ſuper terram, & effugauerunt populum Iſrael in abditis, & in abſconditis fugitiuorum locis.

FERIA QVINTA.

De Libro primo Machabæorum.

Lectio j. C. 2.

IN diebus illis ſurrexit Mathathias filius Ioannis, filij Simeonis, ſacerdos ex filijs Ioarib ab Ieruſalem, & conſedit in monte Modin: & habebat filios quinque, Ioannem, qui cognominabatur Gaddis: & Simonem, qui cognominabatur Thaſi: & Iudam, qui vocabatur Machabæus: & Eleazarum, qui cognominabatur Abaron: & Ionatham, qui cognominabatur Apphus.

Lectio ij.

HI viderunt mala, quæ fiebant in populo Iuda, & in Ieruſalē. Et dixit Mathathias. Væ mihi, vt quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis ſanctæ, & ſedere illic, cum datur in manibus inimicorum? Sancta in manu extraneorum facta ſunt: templum eius ſicut homo ignobilis.

M.P.

Lectio iij.

VAſa gloriæ eius captiua abducta ſunt: trucidati ſunt ſenes eius in plateis, & iuuenes eius ceciderunt in gladio inimicorum. Quæ gens non hereditauit regnum eius, & non obtinuit ſpolia eius? Omnis compoſitio eius ablata eſt. Quæ erat libera, facta eſt ancilla.

FERIA SEXTA.

De Libro primo Machabæorum.

Lectio j. C. 2.

ET reſpondentes qui miſſi erant ab Antiocho, dixerunt Mathathiæ: Princeps & clariſſimus, & magnus es in hac ciuitate, & ornatus filijs, & fratribus. Ergo accede prior, & fac iuſſum regis, ſicut fecerunt omnes Gentes, & viri Iuda, & qui remanſerūt in Ieruſalem: & eris tu & filij tui inter amicos regis, & amplificatus auro, & argento, & muneribus multis.

Lectio ij.

ET reſpondit Mathathias, & dixit magna voce: Etſi omnes gētes regi Antiocho obediunt, vt diſcedat vnuſquiſque à ſeruitute legis patrum ſuorum, & conſentiat mandatis eius: ego & filij mei, & fratres mei obedemus legi patrum noſtrorum. propitius ſit nobis Deus: non eſt nobis vtile relinquere legem, & iuſtitias Dei.

Lectio iij.

NOn audiemus verba regis Antiochi, nec ſacrificabimus trāſgredientes legis noſtræ mandata, vt eamus altera via. Et vt ceſſauit loqui verba hæc, acceſſit quidam Iudæus in

omnium oculis ſacrificare idolis ſuper aram in ciuitate Modin, ſecundum iuſſum regis:& vidit Mathathias,& doluit, & contremuerunt renes eius, & accenſus eſt furor eius ſecundum iudicium legis, & inſiliens trucidauit eum ſuper aram.

SABBATO.

De Libro primo Machabæorum.

Lectio j. C. 2.

TVnc deſcenderunt multi quærétes iudicium & iuſtitiam,in deſertum: & ſederunt ibi ipſi, & filij eorum, & mulieres eorum, & pecora eorum:quoniam inundauerunt ſuper eos mala. Et renunciatum eſt viris regis,& exercitui,qui erat in Ieruſalem ciuitate Dauid, quoniam diſceſſiſſent viri quidam,qui diſſipauerunt mandatum regis, in loca occulta in deſerto, & abijſſent poſt illos multi.

Lectio ij.

ET ſtatim perrexerunt ad eos, & conſtituerunt aduerſus eos prælium in die ſabbatorum, & dixerũt ad eos: Reſiſtitis & nunc adhuc? Exite,& facite ſecundum verbum regis Antiochi,& viuetis. Et dixerunt: Non exibimus, neque faciemus verbum regis, vt polluamus diem ſabbatorum.

Lectio iij.

ET concitauerunt aduerſus eos prælium. Et non reſponderunt eis, nec lapidem miſerunt in eos, nec oppilauerunt loca occulta, dicentes: Moriamur omnes in ſimplicitate noſtra:& teſtes erunt ſuper nos cælum,& terra,quòd iniuſte perditis nos. Et intulerunt illis bellum ſabbatis: & mortui ſunt ipſi, & vxores eorum, & filij eorum: & pecora eorum vſq; ad mille animas hominum.

DOMINICA II.

Octobris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Da pacem Domine in diebus noſtris, quia non eſt alius qui pugnet pro nobis,niſi tu Deus noſter.

IN I. NOCTVRNO.

De Libro primo Machabæorum.

Lectio j. C. 2.

TVnc congregata eſt ad eos ſynagoga Aſſidæorum fortis viribus ex Iſrael, omnis voluntarius in lege:& omnes, qui fugiebant à malis, additi ſunt ad eos,& facti ſunt illis ad firmamentum. Et collegerunt exercitum,& percuſſerunt peccatores in ira ſua, & viros iniquos in indignatione ſua: & ceteri fugerunt ad nationes,vt euaderent.

Lectio ij.

ET circuiuit Mathathias, & amici eius, & deſtruxerunt aras: & circumciderunt pueros incircumciſos quotquot inuenerunt in finibus Iſrael: & in fortitudine. Et perſecuti ſunt filios ſuperbiæ,& proſperatum eſt opus in manibus eorum: & obtinuerunt legem de manibus gentium,& de manibus regum: & non dederunt cornu peccatori.

Lectio iij.

ET appropinquauerunt dies Mathathiæ moriendi, & dixit filijs ſuis: Nunc confortata eſt ſuperbia, & caſti-

caſtigatio, & tempus euerſionis, & ira indignationis. Nunc ergo ò filij, æmulatores eſtote legis, & date animas veſtras pro teſtamento patrum veſtrorum, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis: & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum.

FERIA SECVNDA.

De Libro primo Machabæorum.

Lectio j. c. 2. & 3.

ET benedixit eos [Mathathias,] & appoſitus eſt ad patres ſuos. Et defunctus eſt anno centeſimo & quadrageſimo ſexto: & ſepultus eſt à filijs ſuis in ſepulchris patrum ſuorum in Modin, & planxerunt eum omnis Iſrael planctu magno. Et ſurrexit Iudas, qui vocabatur Machabæus filius eius pro eo: & adiuuabant eum omnes fratres eius: & vniuerſi qui ſe coniunxerant patri eius, & præliabantur prælium Iſrael cum lætitia.

Lectio ij.

ET dilatauit gloriam populo ſuo, & induit ſe loricam ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma bellica ſua in prælijs, & protegebat caſtra gladio ſuo. Similis factus eſt leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus leonis rugiens in venatione. Et perſecutus eſt iniquos perſcrutans eos: & qui conturbabant populum ſuum, eos ſuccendit flammis.

Lectio iij.

ET repulſi ſunt inimici eius præ timore eius, & omnes operarij iniquitatis conturbati ſunt: & directa eſt ſalus in manu eius. Et exacerbabat reges multos, & lætificabat Iacob in operibus ſuis, & in ſæculum memoria eius in benedictione. Et perambulauit ciuitates Iuda, & perdidit impios ex eis, & auertit iram ab Iſrael.

FERIA TERTIA.

De Libro primo Machabæorum.

Lectio j. C. 3.

ET congregauit Apollonius Gentes, & à Samaria virtutem multam & magnam ad bellandum contra Iſrael. Et cognouit Iudas, & exijt obuiam illi: & percuſſit, & occidit illum, & ceciderunt vulnerati multi, & reliqui fugerunt. Et accepit ſpolia eorum: & gladium Apollonij abſtulit Iudas, & erat pugnans in eo omnibus diebus.

Lectio ij.

ET audiuit Seron princeps exercitus Syriæ, quòd congregauit Iudas congregationem fidelium, & eccleſiam ſecum, & ait: Faciam mihi nomen, & glorificabor in regno, & debellabo Iudam, & eos, qui cum ipſo ſunt, qui ſpernebant verbum regis. Et præparauit ſe: & aſcenderunt cum eo caſtra impiorum fortes auxiliarij, vt facerent vindictam in filios Iſrael.

Lectio iij.

ET appropinquauerunt vſque ad Bethoron: & exiuit Iudas obuiam illi cum paucis. Vt autem viderunt exercitum venientem ſibi obuiam, dixerunt Iudæ: Quomodo poterimus pauci pugnare contra multitudinem tantam, & fortem, & nos fatigati ſumus ieiunio hodie? Et

ait

ait Iudas: Facile eſt concludi multos in manus paucorum: & non eſt differentia in conſpectu Dei cæli liberare in multis, & in paucis.

FERIA QVARTA.

De Libro primo Machabæorum.

Lectio j. C.3.

ET congregatus eſt conuentus vt eſſent parati in prælium: & vt orarent, & peterent miſericordiam & miſerationes. Et Ieruſalem non habitabatur, ſed erat ſicut deſertum: non erat qui ingrederetur & egrederetur de natis eius, & ſanctum conculcabatur: & filij alienigenarum erant in arce, ibi erat habitatio Gentium: & ablata eſt voluptas à Iacobo, & defecit ibi tibia & cithara.

Lectio ij.

ET congregati ſunt, & venerunt in Maſpha contra Ieruſalem: quia locus orationis erat in Maſpha ante in Iſrael. Et ieiunauerunt illa die, & induerunt ſe cilicijs, & cinerem impoſuerunt capiti ſuo: & induerunt veſtimenta ſua, & expanderunt libros legis, de quibus ſcrutabantur Gentes ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum.

Lectio iij.

ET attulerunt ornamenta ſacerdotalia, & primitias, & decimas: & ſuſcitauerunt Nazaræos, qui impleuerant dies: & clamauerunt voce magna in cælum, dicentes: Quid faciemus iſtis, & quò eos ducemus? & ſancta tua conculcata ſunt, & ſacerdotes tui facti ſunt in luctum, & in humilitatem.

FERIA QVINTA.

De Libro primo Machabæorum.

Lectio j. C.4.

COngregauit Lyſias virorum electorum ſexaginta millia, & equitum quinque millia, vt debellaret eos. Et venerunt in Iudæam, & caſtra poſuerunt in Bethoron, & occurrit illis Iudas cum decem millibus viris. Et viderunt exercitum fortem, & orauit, & dixit: Benedictus es ſaluator Iſrael, qui contriuiſti impetum potentis in manu ſerui tui Dauid, & tradidiſti caſtra alienigenarum in manu Ionathæ filij Saul, & armigeri eius.

Lectio ij.

COnclude exercitum iſtum in manu populi tui Iſrael, & confundantur in exercitu ſuo, & equitibus. Da illis formidinem, & tabeſac audaciam virtutis eorum, & commoueantur contritione ſua. Deijce illos gladio diligentium te: & collaudent te omnes, qui nouerunt nomen tuum in hymnis. Et commiſerunt prælium: & ceciderunt de exercitu Lyſiæ quinque millia virorum.

Lectio iij.

VIdens autem Lyſias fugam ſuorum, & Iudæorum audaciam, & quòd parati ſunt aut viuere, aut mori fortiter, abijt Antiochiam, & elegit milites, vt multiplicati rurſus venirent in Iudæam. Dixit autem Iudas, & fratres eius: Ecce contriti ſunt inimici noſtri: aſcendamus nunc mundare ſancta, & renouare.

FERIA SEXTA.

De Libro primo Machabæorum.

Le-

Lectio j. C.4.

TVnc ordinauit Iudas viros vt pugnarent aduerſus eos, qui erant in arce, donec emundarent ſancta. Et elegit ſacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei: & mundauerunt ſancta, & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum. Et cogitauit de altari holocauſtorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret.

Lectio ij.

ET incidit illis conſilium bonum vt deſtruerent illud: ne forte illis eſſet in opprobrium, quia contaminauerunt illud Gentes, & demolliti ſunt illud. Et repoſuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret propheta, & reſponderet de eis. Et acceperunt lapides integros ſecundum legem, & ædificauerunt altare nouum ſecundum illud, quod fuit prius.

Lectio iij.

ET ædificauerunt ſancta, & quæ intra domum erant intrinſecus: & ædem & atria ſanctificauerunt. Et fecerunt vaſa ſancta noua, & intulerunt candelabrum, & altare incenſorum, & menſam in templum. Et incenſum poſuerunt ſuper altare, & accenderunt lucernas, quæ ſuper candelabrum erant, & lucebant in templo.

S A B B A T O.

De Libro primo Machabæorum.

Lectio j. C.4.

OBtulerunt ſacrificium ſecũdum legem ſuper altare holocauſtorum nouum, quod fecerunt. Secundum tempus & ſecundum diem, in qua contaminauerunt illud Gentes, in ipſa renouatum eſt in canticis, & citharis, & cinyris, & in cymbalis. Et cecidit omnis populus in faciem, & adorauerunt, & benedixerunt in cælũ eum, qui proſperauit eis.

Lectio ij.

ET fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocauſta cum lætitia, & ſacrificium ſalutaris & laudis. Et ornauerunt faciem templi coronis aureis, & ſcutulis: & dedicauerunt portas, & paſtophoria, & impoſuerunt eis ianuas. Et facta eſt lætitia in populo magna valde, & auerſum eſt opprobrium Gentium.

Lectio iij.

ET ſtatuit Iudas, & fratres eius & vniuerſa eccleſia Iſrael, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis ab anno in annum per dies octo, à quinta & vigeſima die menſis Casleu, cum lætitia & gaudio. Et ædificauerunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros alteros, & turres firmas, ne quando venirent Gentes, & conculcarent eum ſicut antea fecerunt.

D O M I N I C A III.

Octobris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Tua eſt potentia, tuum regnum Domine, tu es ſuper omnes Gentes: da pacem Domine in diebus noſtris.

I N I. N O C T V R N O.

Incipit Liber ſecundus Machabæorum. Lectio j. C.1.

FRatribus qui ſunt per Aegyptum, Iudæis ſalutem dicunt fratres qui ſunt

ſunt in Ieroſolymis Iudæi, & qui in regione Iudææ, & pacem bonam. Benefaciat vobis Deus, & meminerit teſtamenti ſui, quod locutus eſt ad Abrahã, & Iſaac, & Iacob ſeruorum ſuorum fidelium: & det vobis cor omnibus vt colatis eum, & faciatis eius voluntatẽ corde magno & animo volenti. Adaperiat cor veſtrum in lege ſua, & in præceptis ſuis, & faciat pacem.

Lectio ij.

EXaudiat orationes veſtras, & reconcilietur vobis, nec vos deſerat in tempore malo. Et nunc hic ſumus orantes pro vobis. Regnante Demetrio, anno centeſimo ſexageſimo nono, nos Iudæi ſcripſimus vobis in tribulatione, & impetu, qui ſuperuenit nobis in iſtis annis, ex quo receſſit Iaſon à ſancta terra, & à regno. Portam ſuccenderunt, & effuderunt ſanguinem innocentem: & orauimus ad Dominum, & exauditi ſumus.

Lectio iij.

FActuri igitur quinta & vigeſima die menſis Caſleu purificationẽ templi, neceſſarium duximus ſignificare vobis: vt & vos quoque agatis diẽ ſcenopegiæ, & diem ignis, qui datus eſt quando Nehemias ædificato templo & altari obtulit ſacrificia. Nam cũ in Perſidem ducerentur patres noſtri, ſacerdotes qui tunc cultores Dei erãt, acceptum ignem de altari occulte abſconderunt in valle, vbi erat puteus altus & ſiccus, & in eo contutati ſunt eum, ita vt omnibus ignotus eſſet locus.

FERIA SECVNDA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. I.

ORationem autem faciebant omnes ſacerdotes dum conſummaretur ſacrificium, Ionatha inchoante, ceteris autem reſpondentibus. Et Nehemiæ erat oratio hũc habens modum: Domine Deus omnium creator, terribilis, & fortis, iuſtus, & miſericors, qui ſolus es bonus rex, ſolus præſtans, ſolus iuſtus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Iſraël de omni malo, qui feciſti patres electos, & ſanctificaſti eos: accipe ſacrificium pro vniuerſo populo tuo Iſrael, & cuſtodi partem tuam, & ſanctifica.

Lectio ij.

COngrega diſperſionem noſtram, libera eos, qui ſeruiunt Gentibus, & contemptos & abominatos reſpice: vt ſciant Gentes quia tu es Deus noſter. Affligẽ opprimentes nos, & cõtumeliam facientes in ſuperbia. Conſtitue populum tuum in loco ſancto tuo, ſicut dixit Moyſes. Sacerdotes autem pſallebant hymnos, vſquequo conſumptum eſſet ſacrificium.

Lectio iij.

CVm autem conſumptum eſſet ſacrificium, ex reſidua aqua Nehemias iuſſit lapides maiores perfundi. Quod vt factum eſt, eis flamma accenſa eſt: ſed ex lumine, quod refulſit ab altari, conſumpta eſt. Vt vero manifeſtata eſt res, renunciatum eſt regi Perſarum quòd in loco in quo ignem abſconderant hi, qui tranſlati fuerant

ſacer-

Digitized by Google

ſacerdotes, aqua apparuit, de qua Nehemias, & qui cum eo erant, purificauerunt ſacrificia.

FERIA TERTIA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 2.

INuenitur autem in deſcriptionibus Ieremiæ prophetæ, quòd iuſſit eos ignem accipere qui tranſmigrabant: vt ſignificatum eſt, & vt mandauit tranſmigratis. Et dedit illis legem, ne obliuiſcerentur præcepta Domini, & vt non exerrarent mentibus videntes ſimulacra aurea & argentea, & ornamenta eorum. Et alia huiuſmodi dicens, hortabatur ne legem amouerent à corde ſuo.

Lectio ij.

ERat autem in ipſa ſcriptura, quomodo tabernaculum & arcam iuſſit Propheta diuino reſponſo ad ſe facto comitari ſecum, vſquequo exijt in montem, in quo Moyſes aſcendit, & vidit Dei hereditatem. Et veniens ibi Ieremias inuenit locum ſpeluncæ, & tabernaculum, & arcã, & altare incenſi intulit illuc, & oſtium obſtruxit.

Lectio iij.

ET acceſſerunt quidam ſimul, qui ſequebantur, vt notarent ſibi locum: & non potuerunt inuenire. Vt autem cognouit Ieremias, culpans illos, dixit: Quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat: & tunc Dominus oſtendet hæc, & apparebit maieſtas Domini, & nubes erit, ſicut & Moyſi manifeſtabatur, & ſicut cum Salomon petijt vt locus ſanctificaretur magno Deo, manifeſtabat hæc.

FERIA QVARTA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 3.

IGitur cum ſancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optime cuſtodirentur, propter Oniæ pontificis pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat vt & ipſi reges & principes locum ſummo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illuſtrarent: ita vt Seleucus Aſiæ rex de redditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes.

Lectio ij.

SImon autem de tribu Beniamin præpoſitus templi conſtitutus, contendebat, obſiſtente ſibi principe ſacerdotum, iniquum aliquid in ciuitate moliri. Sed cum vincere Oniam non poſſet, venit ad Apollonium Tharſeæ filium, qui eo tempore erat dux Cœleſyriæ & Phœnicis: & nunciauit ei, pecunijs innumerabilibus plenum eſſe ærarium Ieroſolymis, & communes copias immenſas eſſe, quæ non pertinent ad rationem ſacrificiorum: eſse autem poſſibile ſub poteſtate regis cadere vniuerſa.

Lectio iij.

CVmq. retuliſset ad regem Apollonius de pecunijs, quæ delatæ erant, ille accitum Heliodorum, qui erat ſuper negotia eius, miſit cum mandatis vt prædictam pecuniam trãſportaret. Statimque Heliodorus iter

eſt aggreſſus ſpecie quidem quaſi per Cœleſyriam & Phœnicem ciuitates eſſet peragraturus, reuera autem regis propoſitum perfecturus.

FERIA QVINTA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 3.

CONſtituta autem die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Nõ modica vero per vniuerſam ciuitatem erat trepidatio. Sacerdotes autem ante altare cum ſtolis ſacerdotalibus iactauerunt ſe, & inuocabant de cælo eum, qui depoſitis legem poſuit, vt his, qui depoſuerant ea, ſalua cuſtodiret. Iam vero qui videbat ſummi ſacerdotis vultum, mente vulnerabatur: facies enim, & color immutatus declarabat internum animi dolorem.

Lectio ij.

CIrcumfuſa enim erat mæſtitia quædam viro, & horror corporis, per quem manifeſtus aſpicientibus dolor cordis eius efficiebatur. Alij etiã gregatim de domibus confluebant, publica ſupplicatione obſecrantes, pro eo quòd in contemptũ locus eſſet venturus. Accinctæque mulieres cilicijs pectus, per plateas confluebant.

Lectio iij.

SEd & virgines, quæ concluſæ erãt, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam vero per feneſtras aſpiciebant: vniuerſæ autem protendentes manus in cælum, deprecabantur. Erat enim miſera commixtæ multitudinis, & magni ſacerdotis in agone conſtituti expectatio.

FERIA SEXTA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 3.

HEliodorus autem, quod decreuerat, perficiebat eodem loco ipſe cum ſatellitibus circa ærarium præſens. Sed ſpiritus omnipotentis Dei magnam fecit ſuæ oſtenſionis euidentiam, ita vt omnes qui auſi fuerant parere ei, ruentes Dei virtute, in diſſolutionem & formidinem conuerterentur.

Lectio ij.

APparuit enim illis quidam equus terribilem habens ſeſſorem, optimis operimentis adornatus: iſque cum impetu Heliodoro priores calces eliſit: qui autem ei ſedebat, videbatur arma habere aurea. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, ſpecioſique amictu: qui circumſteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabant, ſine intermiſſione multis plagis verberantes.

Lectio iij.

SVbito autem Heliodorus concidit in terram, eumque multa caligine circumfuſum rapuerunt, & in ſella geſtatoria poſitum, eiecerunt. Et is, qui cum multis curſoribus & ſatellitibus prædictum ingreſſus eſt ærarium, portabatur nullo ſibi auxilium ferente, manifeſta Dei cognita virtute: & ille quidem per diuinam virtutem iacebat mutus, atque omni ſpe, & ſalute priuatus.

SABBATO.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 5.

E odem

Digitized by Google

EOdem tempore Antiochus ſecũdam profectionem parabat in Aegyptum. Contigit autem per vniuerſam Ieroſolymorum ciuitatem videri diebus quadraginta per aera equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis, quaſi cohortes, armatos, & curſus equorum per ordines digeſtos, & congreſſiones fieri cominus, & ſcutorum motus, & galeatorum multitudinem gladijs diſtrictis, & telorum iactus, & aureorum armorum ſplendorem, omniſque generis loricarum.

Lectio ij.

QVapropter omnes rogabant in bonum monſtra conuerti. Sed cum falſus rumor exiſſet, tamquam vita exceſſiſſet Antiochus, aſſumptis Iaſon non minus mille viris, repente aggreſſus eſt ciuitatem: & ciuibus ad murum conuolantibus, ad vltimum apprehenſa ciuitate, Menelaus fugit in arcem. Iaſon vero non parcebat in cæde ciuibus ſuis, nec cogitabat, proſperitatem aduerſum cognatos malum eſſe maximum, arbitrans hoſtium, & non ciuium ſe trophæa capturum.

Lectio iij.

ET principatum quidem non obtinuit, finem vero inſidiarum ſuarum, confuſionem accepit, & profugus iterum abijt in Ammaniten. Ad vltimum, in exitium ſui concluſus ab Areta Arabum tyranno, fugiens de ciuitate in ciuitatem, omnibus odioſus vt refuga legum, & execrabilis, vt patriæ & ciuium hoſtis, in Aegyptum extruſus eſt.

DOMINICA IIII. Octobris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Accingimini filij potentes, & eſtote parati pugnare in prælio: quoniam melius eſt nobis mori in bello, quàm videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum: ſicut fuerit voluntas in cælo ſic fiat.

IN I. NOCTVRNO.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C.6.

SEd non poſt multum temporis miſit Rex [Antiochus] ſenem quendam Antiochenum, qui compelleret Iudæos, vt ſe transferrent à patrijs & Dei legibus: contaminare etiam quod in Ieroſolymis erat templum, & cognominare Iouis Olympij: & in Garizim, prout erant hi, qui locum inhabitabant, Iouis hoſpitalis. Peſſima autẽ, & vniuerſis grauis erat malorum incurſio: nam templũ luxuria & comeſſationibus Gentium erat plenum, & ſcortantium cum meretricibus ſacratiſque ædibus mulieres ſe vltro ingerebant, introferentes ea, quæ non licebat.

Lectio ij.

ALtare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur. Neque autem Sabbata cuſtodiebantur, neque dies ſolemnis patrij ſeruabantur, nec ſimpliciter Iudæum ſe eſſe quiſquam confitebatur. Ducebantur autem cũ amara neceſſitate in die natalis regis ad ſacrificia: &, cum Liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire.

Le-

Lectio iij.

DEcretum autem exiit in proximas Gentilium ciuitates, ſuggerentibus Ptolemæis, vt pari modo & ipſi aduerſus Iudæos agerent, vt ſacrificarent: eos autem, qui nollent tranſire ad inſtituta Gentium, interficerent. Erat ergo videre miſeriam. Duæ enim mulieres delatæ ſunt natos ſuos circũcidiſſe: quas, infantibus ad vbera ſuſpenſis, cum publice per ciuitatem circumduxiſſent, per muros præcipitauerunt.

FERIA SECVNDA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 6.

IGitur Eleazarus, vnus de primoribus Scribarum, vir ætate prouectus, & vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. At ille glorioſiſſimam mortem magis quàm odibilem vitam complectens, voluntarie præibat ad ſupplicium. Intuens autem quemadmodum oporteret accedere, patienter ſuſtinens, deſtinauit non admittere illicita propter vitæ amorem.

Lectio ij.

HI autem qui aſtabant, iniqua miſeratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum ſecreto, rogabant afferri carnes, quibus veſci ei licebat, vt ſimularetur manducaſſe, ſicut rex imperauerat, de ſacrificij carnibus: vt hoc facto, à morte liberaretur: & propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem.

Lectio iij.

AT ille cogitare cœpit ætatis ac ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiē, atque à puero optimæ conuerſationis actus: & ſecundũ ſanctæ & à Deo conditæ legis conſtituta, reſpondit cito, dicens, præmitti ſe velle in infernum. Non enim ætati noſtræ dignum eſt, inquit, fingere: vt multi adoleſcentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur.

FERIA TERTIA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 7.

COntigit autem & ſeptem fratres vna cum matre ſua apprehenſos compelli à rege edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos. Vnus autem ex illis qui erat primus, ſic ait: Quid quæris, & quid vis diſcere à nobis? Parati ſumus mori, magis quàm patrias Dei leges præuaricari. Iratus itaque rex iuſſit ſartagines & ollas æneas ſuccendi: quibus ſtatim ſuccenſis, iuſſit ei, qui prior fuerat locutus, amputari linguam: & cute capitis abſtracta, ſummas quoque manus & pedes ei præſcindi, ceteris eius fratribus & matre inſpicientibus.

Lectio ij.

ET cum iam per omnia inutilis factus eſſet, iuſſit ignem admoueri, & adhuc ſpirantem torreri in ſartagine: in qua cũ diu cruciaretur, ceteri

vnà

vna cum matre inuicem ſe hortabantur mori fortiter, dicentes: Dominus Deus aſpiciet veritatem, & conſolabitur in nobis, quemadmodum in proteſtatione cantici declarauit Moyſes: Et in ſeruis ſuis conſolabitur.

Lectio iij.

Mortuo itaque illo primo, hoc modo, ſequentem deducebant ad illudendum: & cute capitis eius cũ capillis abſtracta, interrogabant ſi manducaret prius quàm toto corpore per membra ſingula puniretur. At ille reſpondens patria voce, dixit: Non faciam. Propter quod & iſte ſequenti loco, primi tormenta ſuſcepit.

FERIA QVARTA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C.7.

Poſt hunc tertius illuditur, & linguam poſtulatus cito protulit, & manus conſtanter extendit, & cum fiducia ait: E cælo iſta poſſideo, ſed propter Dei leges nũc hæc ipſa deſpicio, quoniam ab ipſo me ea recepturũ ſpero: ita vt rex, & qui cum ipſo erant, mirarentur adoleſcẽtis animum, quod tamquam nihilum duceret cruciatus.

Lectio ij.

Et hoc ita defuncto, quartum vexabant ſimiliter torquentes. Et cum iam eſſet ad mortẽ, ſic ait: Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare à Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit. Et cũ admouiſſent quintum, vexabant eum. At ille reſpiciens in eum, dixit: Poteſtatem inter homines habens, cũ ſis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus noſtrum à Deo eſſe derelictum: tu autem patienter ſuſtine, & videbis magna poteſtatem ipſius, qualiter te, & ſemen tuum torquebit.

Lectio iij.

Poſt hunc ducebant ſextum: & is mori incipiens, ſic ait: Noli fruſtra errare: nos enim propter noſmetipſos hæc patimur, peccantes in Deũ noſtrum, & digna admiratione facta ſunt in nobis: tu autem ne exiſtimes tibi impune futurum, quòd contra Deum pugnare tentaueris. Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes ſeptem filios ſub vnius diei tempore conſpiciens, bono animo ferebat propter ſpem, quam in Deum habebat: ſingulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta ſapientia.

FERIA QVINTA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C.9.

Antiochus autem contemni ſe arbitratus, ſimul & exprobrantis voce deſpecta, cum adhuc adoleſcentior ſupereſſet, non ſolum verbis hortabatur, ſed & cum iuramento affirmabat, ſe diuitem & beatum facturum, & tranſlatum à patrijs legibus amicum habiturum, & res neceſſarias ei præbiturum. Sed ad hæc cum adoleſcens nequaquam inclinaretur, vocauit rex matrem, & ſuadebat ei vt adoleſcenti fieret in ſalutem.

Lectio ij.

CVm autem multis eam verbis eſſet hortatus, promiſit ſuaſuram ſe filio ſuo. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem tyrãnum, ait patria voce: Fili mi, miſerere mei, quæ te in vtero nouem menſibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem iſtã perduxi. Peto, nate, vt aſpicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis ſunt, & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.

Lectio iij.

ITa fiet, vt non timeas carnificem iſtum: ſed dignus fratribus tuis effectus particeps, ſuſcipe mortem, vt in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam. Dum hæc illa adhuc diceret, ait adoleſcens: Quem ſuſtinetis? Non obedio præcepto regis, ſed præcepto legis, quæ data eſt nobis per Moyſen. Tu vero, qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. Nos enim pro peccatis noſtris hæc patimur.

FERIA SEXTA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C.8.

IVdas vero Machabæus, & qui cum illo erant, introibant latenter in caſtella: & conuocantes cognatos, & amicos, & eos, qui permanſerunt in Iudaiſmo, aſſumentes, eduxerunt ad ſe ſex millia virorum. Et inuocabant Dominum, vt reſpiceret in populum, qui ab omnibus calcabatur: & miſereretur templo, quod contaminabatur ab impijs: miſereretur etiam exterminio ciuitatis, quæ eſſet illico complananda, & vocem ſanguinis ad ſe clamantis audiret.

Lectio ij.

AT Machabæus, congregata multitudine, intolerabilis gentibus efficiebatur: ira enim Domini in miſericordiam conuerſa eſt. Et ſuperueniens caſtellis, & ciuitatibus improuiſus, ſuccendebat eas: & opportuna loca occupans, non paucas hoſtium ſtrages dabat: maxime autem noctibus ad huiuſcemodi excurſus ferebatur, & fama virtutis eius vbiq. diffundebatur.

Lectio iij.

VIdens autem Philippus paulatim virum ad profectum venire, ac frequentius res ei cedere proſpere, ad Ptolomæum ducem Cœleſyriæ, & Phœnicis ſcripſit, vt auxiliũ ferret regis negotijs. At ille velociter miſit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei de permiſtis gentibus, armatis non minus viginti millibus, vt vniuerſum Iudæorum genus deleret.

SABBATO.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C.8.

COnuocatis autem Machabæus ſeptem millibus, qui cum ipſo erant, rogabat ne hoſtibus reconciliarentur, neque metuerent iniq. venientiũ aduerſum ſe hoſtium multitudinẽ, ſed fortiter contenderent, ante oculos habentes contumeliam, quæ loco ſancto ab his iniuſte eſſet illata, itemq. & ludibrio habitæ ciuitatis iniuriã, adhuc etiam veterum inſtituta conuulſa.

Lectio ij.

ADmonuit autem eos & de auxilijs Dei, quæ facta ſunt erga parentes: & quòd ſub Sennacherib, centum octoginta quinque millia perierunt: & de prælio, quod eis aduerſus Galatas fuit in Babylonia, vt omnes, vbi ad rem ventum eſt, Macedonibus ſocijs hæſitantibus, ipſi ſex millia ſoli peremerunt centum viginti millia propter auxilium illis datum de cælo, & beneficia pro his plurima conſecuti ſunt.

Lectio iij.

AD hoc etiam ab Eſdra lecto illis ſancto libro, & dato ſigno adiutorij Dei, in prima acie ipſe dux commiſit cum Nicanore. Et facto ſibi adiutore Omnipotente, interfecerunt ſuper nouem millia hominum: maiorem autem partem exercitus Nicanoris vulneribus debilem factam fugere compulerunt.

DOMINICA V.
Octobris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Exaudiat Dominus orationes veſtras, & reconcilietur vobis: nec vos deſerat in tempore malo.

IN I. NOCTVRNO.
De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 9.

ANtiochus inhoneſte reuertebatur de Perſide. Intrauerat enim in eam, quæ dicitur Perſepolis, & tentauit expoliare templum, & ciuitatem opprimere: ſed multitudine ad arma concurrente, in fugam verſi ſunt; & ita contigit, vt Antiochus poſt fugam turpiter rediret. Et cum veniſſet circa Ecbatanam, recognouit quæ erga Nicanorem, & Timotheum geſta ſunt.

Lectio ij.

ELatus autem in ira, arbitrabatur ſe iniuriam illorum, qui ſe fugauerant, poſſe in Iudæos retorquere: ideoque iuſſit agitari currũ ſuum, ſine intermiſſione agens iter, cæleſti eum iudicio perurgente, eo quòd ita ſuperbe locutus eſt ſe venturum Ieroſolymã, & congeriem ſepulchri Iudæorũ eam facturum. Sed qui vniuerſa conſpicit Dominus Deus Iſrael, percuſſit eum inſanabili, & inuiſibili plaga.

Lectio iij.

VT enim finiuit hunc ipſum ſermonem, apprehendit eum dolor dirus viſcerum, & amara internorum tormenta: & quidem ſatis iuſte, quippe qui multis & nouis cruciatibus aliorum torſerat viſcera, licet ille nullo modo à ſua malitia ceſſaret. Super hoc autem ſuperbia repletus, ignem ſpirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis colliſione membra vexari.

FERIA SECVNDA.
De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 9.

ISque [Antiochus] qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera appendere: nũc humiliatus ad

Digitized by Google

terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam Dei virtutem in ſemetipſo conteſtans: ita vt de corpore impij vermes ſcaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur.

Lectio ij.

ET qui paulo ante ſidera cæli contingere ſe arbitrabatur, cum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Hic igitur cœpit ex graui ſuperbia deductus ad agnitionem ſui venire, diuina admonitus plaga, per momenta ſingula doloribus ſuis augmenta capientibus. Et cū nec ipſe iam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait: Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.

Lectio iij.

ORabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus. Et ciuitatem, ad quam feſtinans veniebat vt eam ad ſolum deduceret, ac ſepulchrum congeſtorum faceret, nunc optat liberam reddere: & Iudæos, quos nec ſepultura quidem ſe dignos habiturum, ſed auibus ac feris diripiendos traditurum, & cum paruulis exterminaturum dixerat, æquales nunc Athenienſibus facturum pollicetur.

FERIA TERTIA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 9.

SEd non ceſſantibus doloribus (superuenerat enim in eum iuſtum Dei iudicium) deſperans ſcripſit [Antiochus] ad Iudæos in modum deprecationis epiſtolam hæc continentem: Optimis ciuibus Iudæis plurimā ſalutem & bene valere, & eſſe felices, rex & princeps Antiochus. Si bene valetis, & filij veſtri, & ex ſententia vobis cuncta ſunt, maximas agimus gratias.

Lectio ij.

ET ego in infirmitate conſtitutus, veſtri autem memor benigne, reuerſus de Perſidis locis, & infirmitate graui apprehenſus, neceſſarium duxi pro communi vtilitate curam habere non deſperans memetipſum, ſed ſpem multam habens effugiendi infirmitatem.

Lectio iij.

REſpiciens autem, quòd & pater meus, quibus temporibus in locis ſuperioribus ducebat exercitum, oſtendit qui poſt ſe ſuſciperet principatum: vt ſi quid contrariū accideret, aut difficile nunciaretur, ſciētes hi, qui in regionibus erant, cui eſſet rerum ſumma derelicta, non turbarentur. Ad hæc, cōſiderans de proximo potentes quoſque, & vicinos temporibus inſidiantes, & euentum expectantes: deſignaui filium meum Antiochum regē,

FERIA QVARTA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 14.

AT Machabæus, videns ſecum auſterius agere Nicanorem, & conſuetum occurſum ferocius exhibentem, intelligens non ex bono eſſe auſteritatem iſtam, paucis ſuorum congregatis, occultauit ſe à Nicanore. Quod cum ille cognouit fortiter

ter ſe à viro præuentum, venit ad maximum & ſanctiſſimum templum: & ſacerdotibus ſolitas hoſtias offerentibus, iuſſit ſibi tradi virum.

Lectio ij.

QVibus cum iuramento dicentibus, neſcire ſe vbi eſset qui quærebatur, extendens manum ad templum, iurauit, dicens: Niſi Iudam mihi vinctũ tradideritis, iſtud Dei fanum in planitiem deducam, & altare effodiam, & templum hoc Libero patri conſecrabo. Et his dictis, abijt.

Lectio iij.

SAcerdotes autem protendentes manus in cælum, inuocabant eũ, qui ſemper propugnator eſſet gentis ipſorum, hæc dicentes: Tu Domine vniuerſorum, qui nullius indiges, voluiſti templum habitationis tuæ fieri in nobis. Et nunc ſancte ſanctorum omnium Domine, conſerua in æternũ impollutam domum iſtam, quæ nuper mundata eſt.

FERIA QVINTA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 15.

NIcanor autem vt comperit Iudam eſſe in locis Samariæ, cogitauit cum omni impetu die ſabbati committere bellum. Iudæis vero, qui illum per neceſſitatem ſequebantur, dicentibus: Ne ita ferociter, & barbare feceris; ſed honorem tribue diei ſanctificationis, & honora eum, qui vniuerſa conſpicit: ille infelix interrogauit, ſi eſt potens in cælo, qui imperauit agi diem ſabbatorum.

Lectio ij.

ET reſpondentibus illis: Eſt Dominus viuus ipſe in cælo potens, qui iuſſit agi ſeptimã diem. At ille ait: Et ego potens ſum ſuper terram, qui impero ſumi arma, & negotia regis impleri. Tamen non obtinuit vt conſilium perficeret. Et Nicanor quidem cũ ſumma ſuperbia erectus, cogitauerat commune trophæum ſtatuere de Iuda.

Lectio iij.

MAchabæus autem ſemper confidebat cum omni ſpe auxiliũ ſibi à Deo affuturum: & hortabatur ſuos ne formidarent ad aduentum nationum, ſed in mente haberent adiutoria ſibi facta de cælo, & nunc ſperarent ab Omnipotente ſibi affuturam victoriam. Et allocutus eos de lege, & Prophetis, admonens etiam certamina, quæ fecerant prius, promptiores conſtituit eos.

FERIA SEXTA.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 15.

ERat autem huiuſcemodi viſus: Oniam, qui fuit ſummus ſacerdos, virum bonum & benignum, verecundum viſu, modeſtum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus ſit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum. Poſt hoc apparuiſſe & alium virum ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum: reſpondentem vero Oniam dixiſſe: Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael: hic eſt qui multum orat pro

populo, & vniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias propheta Dei.

Lectio ii.

EXtendiſſe autem Ieremiam dexteram, & dediſſe Iudæ gladium aureum, dicentem: Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies aduerſarios populi mei Iſrael. Exhortati itaque Iudæ ſermonibus bonis valde, de quibus extolli poſſet impetus, & animi iuuenum confortari, ſtatuerunt dimicare & confligere fortiter: vt virtus de negotijs iudicaret, eo quòd ciuitas ſancta, & templum periclitarentur.

Lectio iij.

ET, cum iam omnes ſperarent iudicium futurum, hoſteſque adeſſent, atque exercitus eſſet ordinatus, beſtiæ, equiteſque opportuno in loco compoſiti, conſiderans Machabæus aduentum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem beſtiarum, extendens manus in cælum, prodigia facientem Dominum inuocauit, qui non ſecundum armorum potentiam, ſed prout ipſi placet, dat dignis victoriam.

SABBATO.

De Libro ſecundo Machabæorum.

Lectio j. C. 15.

NIcanor autem, & qui cum ipſo erant, cum tubis & canticis admouebant. Iudas vero, & qui cum eo erant, inuocato Deo, per orationes congreſſi ſunt: manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes proſtrauerunt non minus triginta quinque millia, præſentia Dei magnifice delectati. Cumque ceſſaſſent, & cum gaudio redirent, cognouerunt Nicanorem ruiſſe cum armis ſuis.

Lectio ij.

FActo itaque clamore, & perturbatione excitata, patria voce omnipotentem Dominum benedicebant. Præcepit autem Iudas, qui per omnia corpore & animo mori pro ciuibus paratus erat, caput Nicanoris, & manum cum humero abſciſſam, Ieroſolymam perferri. Quòd cum perueniſſet, conuocatis contribulibus, & ſacerdotibus ad altare, acceſſijt & eos, qui in arce erant.

Lectio iij.

ET oſtenſo capite Nicanoris, & manu nefaria, quam extendens contra domum ſanctam omnipotentis Dei, magnifice gloriatus eſt, Linguam etiam impij Nicanoris præciſam iuſſit particulatim auibus dari: manum autem dementis contra templũ ſuſpendi. Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus, qui locũ ſuum incontaminatum ſeruauit.

DOMINICA I.

Nouembris.

Et deinceps vſque ad primam Dominicam Aduentus excluſiue, in Dominicis legitur Hiſtoria, Vidi Dominũ. In Sabbato præcedenti ad Veſper. R. Aſpice Domine de ſede.

Ad Magnificat, Antiphona.

Vidi Dominum ſedentem ſuper ſoliũ excelſum, & eleuatum: & plena erat omnis terra maieſtate eius: & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum.

IN

IN I. NOCTVRNO.

Incipit Liber Ezechielis Prophetæ.

Lectio j. C. 1.

ET factum eſt in triceſimo anno, in quatuor, in quinta menſis, cũ eſſem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti ſunt cæli, & vidi viſiones Dei. In quinta menſis, ipſe eſt annus quintus tranſmigrationis regis Ioachin, factum eſt verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi, ſacerdotem in terra Chaldæorũ, ſecus flumen Chobar: & facta eſt ſuper eum ibi manus Domini. Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone: & nubes magna, & ignis inuoluens, & ſplẽdor in circuitu eius: & de medio eius quaſi ſpecies electri, id eſt, de medio ignis. Tu autem. ℟. Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum: & plena erat omnis terra maieſtate eius: Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum. ℣. Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri. Et ea.

Lectio ij.

ET in medio eius ſimilitudo quatuor animalium: & hic aſpectus eorum, ſimilitudo hominis in eis. Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni. Pedes eorum pedes recti: & planta pedis eorum quaſi planta pedis vituli, & ſcintillæ quaſi aſpectus æris candentis. Et manus hominis ſub pennis eorum in quatuor partibus: & facies & pennas per quatuor partes habebant. Iunctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum. Tu autem. ℟. Aſpice Domine de ſede ſancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: Aperi oculos tuos, & vide tribulationem noſtram. ℣. Qui regis Iſrael, intende, qui deducis velut ouem Ioſeph. Aperi oculos.

Lectio iij.

NOn reuertebantur cum incederent: ſed vnumquodque ante faciem ſuam gradiebatur. Similitudo autem vultus eorum: facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quatuor: facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor. Facies eorum, & pennæ eorum extentæ deſuper: duæ pennæ ſingulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum: & vnumquodque eorum coram facie ſua ambulabat. Tu autem.

℟. Aſpice Domine, quia facta eſt deſolata ciuitas plena diuitijs, ſedet in triſtitia domina Gentium: Non eſt qui conſoletur eam, niſi tu Deus. ℣. Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius. Non eſt. Gloria Patri. Non eſt.

℟. iv. Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes: tota die & nocte non tacebunt, Laudantes nomen Domini. ℣. Prædicabunt populis fortitudinem meam, & annunciabũt in Gentibus gloriam meam. Laudantes.

℟. v. Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine, & armis tuæ potentiæ protege nos ſemper: Libera Domine Deus Iſrael clamantes ad te. ℣. Erue nos in mirabilibus tuis, & da glo-

gloriam nomini tuo. Libera Domine.

℟. vj. Suſtinuimus pacem, & non venit: quæſiuimus bona, & ecce turbatio: cognouimus Domine peccata noſtra: Non in perpetuum obliuiſcaris nos. ℣. Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſte egimus, iniquitatem fecimus. Non. Gloria. Non.

℟. vij. Anguſtiæ mihi ſunt vndique, & quid eligam ignoro, Melius eſt mihi incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei. ℣. Si enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Melius eſt.

℟. viij. Miſit Dominus Angelum ſuũ, & concluſit ora leonum, & non me contaminauerunt: Quia coram eo iuſtitia inuenta eſt in me. ℣. Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuã: animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Quia coram.

℟. ix. Laudabilis populus, quem Dominus exercituum benedixit, dicens: Opus manuum mearum es tu, Hereditas mea Iſrael. ℣. Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eorũ: populus electus in hereditatem. Hereditas. Gloria Patri. Hereditas.

FERIA SECVNDA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. C. 2.

ET vidi, & cecidi in faciem meã, & audiui vocem loquentis. Et dixit ad me: Fili hominis, ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum. Et ingreſſus eſt in me ſpiritus poſtquam locutus eſt mihi, & ſtatuit me ſupra pedes meos: & audiui loquentẽ ad me, & dicentem: Fili hominis mitto ego te ad filios Iſrael, ad Gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt à me. Hæc dicit Dominus Deus: Conuertimini ad me, & ſalui eritis.

Lectio ij.

IPſi & patres eorũ præuaricati ſunt pactum meum, vſque ad diem hanc. Et filij dura facie, & indomabili corde ſunt, ad quos ego mitto te: & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: ſi forte vel ipſi audiãt, & ſi forte quieſcant, quoniam domus exaſperans eſt: & ſcient quia propheta fuerit in medio eorum. Hæc dicit.

Lectio iij.

TV ergo fili hominis ne timeas eos, neque ſermones eorum metuas: quoniam increduli, & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas. Verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides: quia domus exaſperans eſt. Loqueris ergo verba mea ad eos, ſi forte audiant, & quieſcant: quoniam irritatores ſunt. Hæc dicit Dominus Deus.

FERIA TERTIA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. C. 3.

ET dixit ad me: Fili hominis, quodcumque inueneris, comede: comede volumen iſtud, & vadens loquere ad filios Iſrael. Et aperui os meum, & cibauit me volumine illo, & dixit ad me: Fili hominis, venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur volumine iſto, quod ego do tibi. Et comedi

illud:

illud : & factum eſt in ore meo, ſicut mel dulce. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET dixit ad me: Fili hominis, vade ad domum Iſrael,& loqueris verba mea ad eos. Non enim ad populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Iſrael; neque ad populos multos profundi ſermonis,& ignotæ linguæ, quorum non poſſis audire ſermones : & ſi ad illos mittereris, ipſi audirent te. Domus autem Iſrael nolunt audire te, quia nolunt audire me. Hæc dicit.

Lectio iij.

OMnis quippe domus Iſrael attrita fronte eſt,& duro corde. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum,& frontem tuam duriorem frontibus eorum. Vt adamantem,& vt ſilicem dedi faciẽ tuam:ne timeas eos, neque metuas à facie eorum:quia domus exaſperans eſt. Et dixit ad me: Fili hominis, omnes ſermones meos, quos ego loquor ad te, aſſume in corde tuo,& auribus tuis audi. Hæc dicit.

FERIA QVARTA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. C.3.

ET aſſumpſit me ſpiritus & audiui poſt me vocem commotionis magnæ: Benedicta gloria Domini de loco ſuo, & vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram, & vocem rotarum ſequentium animalia, & vocem commotionis magnæ. Spiritus quoque leuauit me, & aſſumpſit me. Et abij amarus, in indignatione ſpiritus mei: manus enim Domini erat mecum,confortans me. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET veni ad tranſmigrationem, ad aceruum nouarum frugum, ad eos qui habitabant iuxta fluuium Chobar, & ſedi vbi illi ſedebant: & manſi ibi ſeptem diebus, mærens in medio eorum. Cum autem pertranſiſſent ſeptem dies, factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael: & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Hæc dicit.

Lectio iij.

SI dicente me ad impium: Morte morieris: non annunciaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via ſua impia, & viuat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinẽ autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuerſus ab impietate ſua, & à via ſua impia: ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti. Hæc dicit.

FERIA QVINTA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. C.4.

ET tu fili hominis, ſume tibi laterem, & pones eum coram te : & deſcribes in eo ciuitatem Ieruſalem. Et ordinabis aduerſum eam obſidionem, & ædificabis munitiones, & cõportabis aggerẽ, & dabis contra eam caſtra,& pones arietes in gyro. Et tu ſume tibi ſartaginẽ ferream, & pones eam in murũ ferreum inter te & inter ciuita-

ciuitatem: & obfirmabis faciem tuã ad eam, & erit in obſidionem, & circumdabis eam: ſignum eſt domui Iſrael. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET tu dormies ſuper latus tuum ſiniſtrum, & pones iniquitates domus Iſrael ſuper eo numero dierum, quibus dormies ſuper illud, & aſſumes iniquitatem eorum. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos & nonaginta dies: & portabis iniquitatem domus Iſrael. Hæc dicit.

Lectio iij.

ET cum compleueris hæc, dormies ſuper latus tuum dextrum ſecundo: & aſſumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus. Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. Et ad obſidionem Ieruſalem conuertes faciem tuam, & brachium tuum erit extentum: & prophetabis aduerſus eam. Ecce circumdedi te vinculis: & non te conuertes à latere tuo in latus aliud, donec compleas dies obſidionis tuæ. Hæc dicit.

FERIA SEXTA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. C. 5.

ET tu fili hominis ſume tibi gladium acutum, radentem pilos: & aſſumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam: & aſſumes tibi ſtateram ponderis, & diuides eos. Tertiam partem igni combures in medio ciuitatis, iuxta completionem dierum obſidionis: & aſſumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius: tertiam vero aliam diſperges in ventum, & gladium nudabo poſt eos. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET ſumes inde paruum numerum: & ligabis eos in ſummitate pallij tui. Et ex eis rurſum tolles, & proijcies eos in medio ignis, & combures eos igni: & ex eo egredietur ignis in omnem domum Iſrael. Hæc dicit Dominus Deus: Iſta eſt Ieruſalem, in medio Gentium poſui eam, & in circuitu eius terras. Et contempſit iudicia mea vt plus eſſet impia quàm Gentes: & præcepta mea vltra quã terræ, quæ in circuitu eius ſunt. Hæc dicit.

Lectio iij.

IVdicia enim mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerũt. Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Quia ſuperaſtis Gentes, quæ in circuitu veſtro ſunt, & in præceptis meis non ambulaſtis, & iudicia mea non feciſtis, & iuxta iudicia Gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt, non eſtis operati: ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ipſe ego faciam in medio tui iudicia in oculis Gentium. Hæc.

SABBATO.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. C. 6.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis pone faciem tuam ad montes Iſrael, & prophetabis ad eos, & dices: Mõtes Iſrael audite verbum Domini Dei. Hæc dicit Dominus Deus montibus, & collibus, rupibus, & vallibus: Ecce ego inducam ſuper vos gladium, & diſperdam excelſa

celſa veſtra & demoliar aras veſtras, & confringentur ſimulacra veſtra: & deijciam interfectos veſtros ante idola veſtra. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET dabo cadauera filiorum Iſrael ante faciem ſimulacrorum veſtrorum: & diſpergam oſſa veſtra circa aras veſtras; in omnibus habitationibus veſtris. Vrbes deſertæ erunt: & excelſa demolientur, & diſſipabuntur & interibunt aræ veſtræ, & confringentur: & ceſſabunt idola veſtra, & conterentur delubra veſtra, & delebuntur opera veſtra. Hæc dicit.

Lectio iij.

ET cadet interfectus in medio veſtri: & ſcietis, quia ego ſum Dominus. Et relinquam in vobis eos, qui fugerint gladium in Gentibus, cum diſperſero vos in terris. Et recordabuntur mei liberati veſtri in Gentibus, ad quas captiui ducti ſunt; quia contriui cor eorum fornicans, & recedens à me, & oculos eorum fornicantes poſt idola ſua. Hæc dicit.

Quando menſis Nouembris quinque Dominicas habuerit, tunc omnes Lectiones, ſicut ſignatæ ſunt legantur. Quando vero non habuerit niſi quatuor, Lect. ſequen. Dominicæ, & Hebdomadæ de Ezechiele dimittantur: & quæ pro tertia Dominica, & Hebdomada notatæ ſunt, in Domin. & Hebdom. ſecunda: & quæ pro quarta, in tertia: & quæ pro quinta, in quarta recitētur.

DOMINICA II.

Nouembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine, & armis tuæ potentiæ protege nos ſemper, Deus noſter.

IN I. NOCTVRNO.

De Ezechiele Propheta.

Lectio i. C. 7.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Et tu fili hominis, hæc dicit Dominus Deus terræ Iſrael: Finis venit, venit finis ſuper quatuor plagas terræ. Nunc finis ſuper te, & immittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas: & ponam contra te omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus ſuper te, & non miſerebor: ſed vias tuas ponam ſuper te, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & ſcietis quia ego Dominus. Hæc dicit.

Lectio ij.

HAec dicit Dominus Deus: Afflictio vna, afflictio ecce venit: finis venit, venit finis, euigilauit aduerſum te: ecce venit. Venit contritio ſuper te, qui habitas in terra: venit tempus, prope eſt dies occiſionis, & non gloriæ montium. Nunc de propinquo effundam iram meam ſuper te, & complebo furorem meum in te: & iudicabo te iuxta vias tuas, & imponam tibi omnia ſcelera tua. Hæc dicit.

Lectio iij.

ET non parcet oculus meus, nec miſerebor, ſed vias tuas imponam tibi, & abominationes tuæ in medio tui erūt: & ſcietis quia ego ſum Dominus percutiens. Ecce dies, ecce venit:

venit: egreſſa eſt contritio, floruit virga, germinauit ſuperbia: iniquitas ſurrexit in virga impietatis, non ex eis, & non ex populo, neque ex ſonitu eorum: & non erit requies in eis. Venit tẽpus, appropinquauit dies: qui emit, non lætetur: & qui vendit, non lugeat: quia ira ſuper omnem populum eius. Hæc dicit.

FERIA SECVNDA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. C. 8.

ET factum eſt in anno ſexto, in ſexto menſe, in quinta menſis: ego ſedebam in domo mea, & ſenes Iuda ſedebant corã me, & cecidit ibi ſuper me manus Domini Dei. Et vidi, & ecce ſimilitudo quaſi aſpectus ignis: ab aſpectu lumborũ eius, & deorſum, ignis. & à lumbis eius, & ſurſum, quaſi aſpectus ſplendoris, vt viſio electri. Hæc dicit Dominus.

Lectio ij.

ET emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei: & eleuauit me ſpiritus inter terram, & cælum: & adduxit me in Ieruſalem in viſione Dei, iuxta oſtiũ interius, quod reſpiciebat ad Aquilonẽ, vbi erat ſtatutum idolũ zeli ad prouocandam æmulationem. Et ecce ibi gloria Dei Iſrael ſecundum viſionem, quam videram in campo. Hæc dicit.

Lectio iij.

ET dixit ad me: Fili hominis, leua oculos tuos ad viam Aquilonis. Et leuaui oculos meos ad viam Aquilonis: & ecce ab Aquilone portæ altaris idolum zeli in ipſo introitu. Et dixit ad me: Fili hominis, putaſne, vides tu, quid iſti faciũt, abominationes magnas, quas domus Iſrael facit hic, vt procul recedam à Sanctuario meo? & adhuc conuerſus videbis abominationes maiores. Hæc dicit.

FERIA TERTIA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. C. 8.

ET ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animaliũ, abominatio, & vniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſrael, & Iezonias filius Saphan ſtabat in medio eorum, ſtantium ante picturas: & vnuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua: & vapor nebulæ de thure conſurgebat. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET dixit ad me: Certe vides fili hominis quæ ſeniores domus Iſrael faciunt in tenebris, vnuſquiſque in abſcondito cubiculi ſui: dicũt enim: Non videt Dominus nos: dereliquit Dominus terram. Et dixit ad me: Adhuc conuerſus videbis abominationes maiores, quas iſti faciunt. Et introduxit me per oſtiũ portæ domus Domini, quod reſpiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem. Hæc dicit.

Lectio iij.

ET dixit ad me: Certe vidiſti fili hominis: adhuc conuerſus videbis abominationes maiores his. Et intro-

introduxit me in atrium domus Domini interius: & ecce in oſtio templi Domini inter veſtibulum & altare, quaſi vigintiquinque viri dorſa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem: & adorabant ad ortum Solis. Hæc dicit.

FERIA QVARTA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. C.9.

ET clamauit in auribus meis voce magna, dicens: Appropinquauerunt viſitationes vrbis, & vnuſquiſque vas interfectionis habet in manu ſua. Et ecce ſex viri veniebant de via portæ ſuperioris, quæ reſpicit ad Aquilonem: & vniuſcuiuſque vas interitus in manu eius: vir quoque vnus in medio eorum veſtitus erat lineis, & atramentarium ſcriptoris ad renes eius: & ingreſſi ſunt, & ſteterunt iuxta altare æreum. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET gloria Domini Iſrael aſſumpta eſt de Cherub, quæ erat ſuper eum ad limẽ domus: & vocauit virum, qui indutus erat lineis, & atramentarium ſcriptoris habebat in lumbis ſuis. Et dixit Dominus ad eum: Tranſi per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem: & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Hæc dicit.

Lectio iij.

ET illis dixit, audiente me: Tranſite per ciuitatem ſequentes eũ, & percutite: non parcat oculus veſter, neque miſereamini. Senem, adoleſcentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite vſque ad internecionem: omnem autem, ſuper quem videritis Thau, ne occidatis, & à Sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo à viris ſenioribus, qui erant ante faciẽ domus. Hæc dicit Dominus.

FERIA QVINTA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. C.13.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, vaticinare ad prophetas Iſrael, qui prophetant: & dices prophetantibus de corde ſuo: Audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus: Væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident. Quaſi vulpes in deſertis, prophetæ tui Iſrael erant. Hæc dicit.

Lectio ij.

NOn aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murũ pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini. Vident vana, & diuinant mendacium, dicentes: Ait Dominus: cum Dominus non miſerit eos: & perſeuerauerunt confirmare ſermonem. Numquid non viſionem caſſam vidiſtis, & diuinationem mendacem locuti eſtis? & dicitis, Ait Dominus: cum ego non ſim locutus. Hæc dicit.

Lectio iij.

PRopterea hæc dicit Dominus Deus: Quia locuti eſtis vana, & vidiſtis mendacium: ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus. Et erit manus

nus mea ſuper prophetas qui vident vana, & diuinant mendacium: in conſilio populi mei non erunt, & in ſcriptura domus Iſrael non ſcribentur, nec in terram Iſrael ingredientur: & ſcietis quia ego Dominus Deus. Eo quòd deceperint populum meum, dicentes: Pax, & non eſt pax. Hæc dicit.

FERIA SEXTA.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. C. 14.

ET venerunt ad me viri ſeniorum Iſrael, & ſederunt coram me. Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicēs: Fili hominis, viri iſti poſuerunt immūditias ſuas in cordibus ſuis, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerunt contra faciem ſuam: numquid interrogatus reſpondebo eis? Hæc dicit.

Lectio ij.

PRopter hoc loquere eis, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Homo homo de domo Iſrael, qui poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, & venerit ad prophetam interrogans per eum me: ego Dominus reſpondebo ei in multitudine immunditiarum ſuarum: vt capiatur domus Iſrael in corde ſuo, quo receſſerunt à me in cunctis idolis ſuis. Hæc dicit.

Lectio iij.

PRopterea dic ad domum Iſrael: Hæc dicit Dominus Deus: Conuertimini, & recedite ab idolis veſtris, & ab vniuerſis contaminationibus veſtris auertite facies veſtras. Quia homo homo de domo Iſrael, & de proſelytis quicumque aduena fuerit in Iſrael, ſi alienatus fuerit à me, & poſuerit idola ſua in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, & venerit ad prophetam vt interroget per eum me: ego Dominus reſpondebo ei per me. Hæc dicit.

SABBATO.

De Ezechiele Propheta.

Lectio j. C. 14.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, terra cum peccauerit mihi, vt præuaricetur præuaricans, extendam manum meam ſuper eam, & conteram virgam panis eius: & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & iumentū. Et ſi fuerint tres viri iſti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob: ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas, ait Dominus exercituum. Hæc dicit.

Lectio ij.

QVòd ſi & beſtias peſſimas induxero ſuper terram vt vaſtem eam: & fuerit inuia, eo quòd non ſit pertranſiens propter beſtias: tres viri iſti ſi fuerint in ea, viuo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt: ſed ipſi ſoli liberabuntur, terra autem deſolabitur. Hæc dicit.

Lectio iij.

VEl ſi gladium induxero ſuper terram illam, & dixero gladio: Tranſi per terram: & interfecero de ea hominem, & iumentum: & tres viri iſti fuerint in medio eius: viuo ego, dicit Domi-

Digitized by Google

Dominus Deus, non liberabunt filios, neque filias: ſed ipſi ſoli liberabuntur. Hæc dicit Dominus.

DOMINICA III. vel ij. Nouembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Qui cælorũ contines thronos, & abyſſos intueris, Domine rex regum, montes ponderas, terram palmo concludis: exaudi nos Domine in gemitibus noſtris.

IN I. NOCTVRNO.

Incipit Liber Danielis Prophetæ.

Lectio j. C. 1.

ANno tertio regni Ioakim regis Iuda, venit Nabuchodonoſor rex Babylonis in Ieruſalem, & obſedit eam: & tradidit Dominus in manu eius Ioakim regem Iuda, & partem vaſorum domus Dei: & aſportauit ea in terram Sennaar, in domum dei ſui, & vaſa intulit in domum theſauri dei ſui. Et ait rex Aſphenez præpoſito eunuchorũ, vt introduceret de filijs Iſrael, & de ſemine regio, & tyrannorum, pueros in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctos diſciplina, & qui poſſent ſtare in palatio regis, vt doceret eos litteras, & linguam Chaldæorum. Tu autem Domine miſerere noſtri.

Lectio ij.

ET conſtituit eis rex annonam per ſingulos dies de cibis ſuis, & de vino vnde bibebat ipſe vt enutriti tribus annis, poſtea ſtarent in conſpectu regis. Fuerunt ergo inter eos de filijs Iuda, Daniel, Ananias, Miſael, & Azarias. Et impoſuit eis præpoſitus eunuchorum nomina: Danieli, Baltaſſar: Ananiæ, Sidrach: Miſaeli, Miſach: & Azariæ, Abdenago. Tu autem.

Lectio iij.

PRopoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus eius: & rogauit eunuchorum præpoſitum ne contaminaretur. Dedit autem Deus Danieli gratiam & miſericordiam in conſpectu principis eunuchorum. Et ait princeps eunuchorum ad Danielem: Timeo ego dominum meum regem, qui conſtituit vobis cibum & potum: qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præ ceteris adoleſcentibus coæuis veſtris, condemnabitis caput meũ regi. Tu autem.

FERIA SECVNDA.

De Daniele Propheta.

Lectio j. C. 7.

ANno primo Baltaſſar regis Babylonis, Daniel ſomnium vidit: viſio autem capitis eius in cubili ſuo: & ſomnium ſcribens, breui ſermone comprehendit: ſummatimque perſtringens, ait: Videbam in viſione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno. Et quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diuerſæ inter ſe. Tu autem.

Lectio ij.

PRima quaſi leæna, & alas habebat aquilæ: aſpiciebam donec euulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit; & cor

Digitized by Google

& cor hominis datum eſt ei. Et ecce beſtia alia ſimilis vrſo in parte ſtetit: & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & ſic dicebāt ei: Surge, comede carnes plurimas. Tu autem.

Lectio iij.

POſt hæc aſpiciebam, & ecce alia quaſi pardus, & alas habebat quaſi auis, quatuor ſuper ſe, & quatuor capita erant in beſtia, & poteſtas data eſt ei. Poſt hæc aſpiciebam in viſione noctis, & ecce beſtia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus ſuis conculcans. Tu autem.

FERIA TERTIA.

De Daniele Propheta.

Lectio j. C.7.

ASpiciebam ergo in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit: & in conſpectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruient: poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur. Tu autem.

Lectio ij.

HOrruit ſpiritus meus, ego Daniel territus ſum in his, & viſiones capitis mei conturbauerunt me. Acceſſi ad vnum de aſſiſtentibus, & veritatem quærebant ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem ſermonum, & docuit me: Hæ quatuor beſtiæ magnæ: quatuor ſunt regna, quæ conſurgent de terra. Tu autem.

Lectio iij.

SVſcipient autem regnum ſancti Dei altiſſimi: & obtinebunt regnū vſque in ſæculum, & ſæculum ſæculorum. Poſt hoc volui diligenter diſcere de beſtia quarta, quæ erat diſſimilis valde ab omnibus, & terribilis nimis: dentes & vngues eius ferrei, comedebat, & comminuebat, & reliqua pedibus ſuis conculcabat: & de cornibus decem quæ habebat in capite. Tu autem.

FERIA QVARTA.

De Daniele Propheta.

Lectio j. C.8.

ANno tertio regni Baltaſſar regis, viſio apparuit mihi. Ego Daniel poſt id, quod videram in principio, vidi in viſione mea cū eſſem in Suſis caſtro, quod eſt in Aelam regione: vidi autem in viſione eſſe me ſuper portam Vlai. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce aries vnus ſtabat ante paludem, habens cornua excelſa, & vnum excelſius altero, atque ſuccreſcens. Tu autem.

Lectio ij.

POſtea vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes beſtiæ non poterant reſiſtere ei, neque liberari de manu eius: fecitque ſecundum voluntatem ſuam, & magnificatus eſt. Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum

rum

rum veniebat de Occidente ſuper faciem totius terræ, & non tangebat terram. Tu autem.

Lectio iij.

PORro hircus habebat cornu inſigne inter oculos ſuos. Et venit vſque ad arietem illum cornutũ, quem videram ſtantem ante portam, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis ſuæ. Cumque appropinquaſſet prope arietem, efferatus eſt in eum, & percuſſit arietem: & comminuit duo cornua eius, & non poterat aries reſiſtere ei. Tu autem Domine.

FERIA QVINTA.

De Daniele Propheta.

Lectio j. C. 9.

CVmque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſrael, & proſternerem preces meas in conſpectu Dei mei, pro monte ſancto Dei mei: adhuc me loquente in oratione mea, ecce vir Gabriel quem videram in viſione à principio, cito volans tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini. Et docuit me, & locutus eſt mihi, dixitque: Daniel, nunc egreſſus ſum vt docerem te, & intelligeres. Tu autem.

Lectio ij.

AB exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo: ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es: tu ergo animaduerte ſermonem, & intellige viſionem. SEPTVAGINTA hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur Sanctus ſanctorum. Tu autem.

Lectio iij.

SCito ergo, & animaduerte: Ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Tu autem Domine.

FERIA SEXTA.

De Daniele Propheta.

Lectio j. C. 10.

ANno tertio Cyri regis Perſarum, verbum reuelatum eſt Danieli cognomento Baltaſſar, & verbum verum, & fortitudo magna, intellexitque ſermonem: intelligentia enim eſt opus in viſione. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neque vnguento vnctus ſum: donec complerentur trium hebdomadarum dies. Tu autem.

Lectio ij.

DIe autem vigeſima & quarta menſis primi eram iuxta fluuiũ magnum, qui eſt Tigris. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir vnus veſtitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo: & corpus eius quaſi chry-

Digitized by Google

ſolithus, & facies eius velut ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardẽs: & brachia eius, & quæ deorſum ſunt vſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis: & vox ſermonum eius vt vox multitudinis. Tu autem.

Lectio iij.

VIdi autem ego Daniel ſolus viſionem: porro viri, qui erãt mecum, non viderunt, ſed terror nimius irruit ſuper eos, & fugerunt in abſconditum. Ego autem relictus ſolus vidi viſionẽm grandem hanc: & non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Tu autem.

SABBATO.

De Daniele Propheta.

Lectio j. C. 12.

IN tempore autem illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui: & veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes eſſe cœperunt vſque ad tempus illud. Et in tẽpore illo ſaluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro. Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium vt videant ſemper. Tu autem.

Lectio ij.

QVi autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiã erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum: plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia. Et vidi ego Daniel, & ecce quaſi duo alij ſtabant: vnus hinc ſuper ripã fluminis, & alius inde ex altera ripa fluminis. Tu autẽ.

Lectio iij.

ET dixi viro, qui erat indutus lineis, qui ſtabat ſuper aquas fluminis: Vſquequo finis horum mirabilium? Et audiui virũ, qui indutus erat lineis, qui ſtabat ſuper aquas fluminis, cum eleuaſſet dexteram & ſiniſtram ſuam in cælum, & iuraſſet per viuentem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis. Et cum completa fuerit diſperſio manus populi ſancti, complebuntur vniuerſa hæc. Tu autem.

DOMINICA IIII.

vel iij. Nouembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Suſtinuimus pacem, & non venit: Domine quæſiuimus bona, & ecce turbatio: cognouimus Domine peccata noſtra, non in æternum obliuiſcaris nos Deus Iſrael.

IN I. NOCTVRNO.

Incipit Liber Oſee Prophetæ.

Lectio j. C. 1.

VErbum Domini, quod factum eſt ad Oſee filium Beeri, in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, Ezechiæ regum Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Iſrael. Principium loquendi Domino in Oſee: Vade, ſume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra à Domino. Et abijt, & accepit Gomer filiam Debelaim:

Digitized by Google

laim: & concepit, & peperit ei filium. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezrahel: quoniam adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrahel ſuper domum Iehu, & quieſcere faciam regnum domus Iſrael. Et in illa die conteram arcum Iſrael in valle Iezrahel. Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomē eius, Abſque miſericordia: quia non addam vltra miſereri domui Iſrael, ſed obliuione obliuiſcar eorum. Hæc dicit.

Lectio iij.

ET domui Iuda miſerebor, & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo: & non ſaluabo eos in arcu & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus. Et ablactauit eam quæ erat Abſque miſericordia. Et concepit, & peperit filium. Et dixit: Voca nomen eius, Non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero veſter. Et erit numerus filiorum Iſrael quaſi arena maris, quæ ſine menſura eſt, & non numerabitur. Hæc dicit.

FERIA SECVNDA.

De Oſee Propheta.

Lectio j. C. 2.

DIcite fratribus veſtris, Populus meus: & ſorori veſtræ, Miſericordiam conſecuta. Iudicate matrem veſtram, iudicate: quoniam ipſa non vxor mea, & ego non vir eius. Auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua de medio vberum ſuorum. Ne forte expoliem eam nudam, & ſtatuam eam ſecundum diem natiuitatis ſuæ: & ponam eam quaſi ſolitudinem, & ſtatuam eam velut terram inuiam, & interficiam eam ſiti. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET filiorum illius non miſerebor: quoniam filij fornicationū ſunt. Quia fornicata eſt mater eorum, confuſa eſt, quæ concepit eos: quia dixit: Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum, & potum meum. Propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet. Hæc dicit.

Lectio iij.

ET ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inueniet, & dicet: Vadam & reuertar ad virum meum priorem: quia bene mihi erat tūc magis quàm nunc. Et hæc neſciuit quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum quæ fecerunt Baal. Hæc dicit.

FERIA TERTIA.

De Oſee Propheta.

Lectio i. C. 4.

AVdite verbum Domini filij Iſrael, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non eſt enim veritas, & non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidiū, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.

Digitized by Google

Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in beſtia agri, & in volucre cæli: ſed & piſces maris congregabuntur. Hæc dicit.

Lectio ij.

Verumtamen vnuſquiſque non iudicet, & non arguatur vir: populus enim tuus ſicut hi qui contradicunt ſacerdoti. Et corrues hodie, & corruet etiam propheta tecum: nocte tacere feci matrem tuam. Conticuit populus meus, eo quòd nõn habuerit ſcientiam: quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum & ego. Hæc dicit.

Lectio iij.

Secundum multitudinem eorum ſic peccauerunt mihi: gloriam eorum in ignominiam commutabo. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum. Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos: & viſitabo ſuper eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei. Et comedent, & non ſaturabuntur. Hæc dicit.

FERIA QVARTA.

Incipit Liber Ioelis Prophetæ.

Lectio j. C. 1.

Verbum Domini, quod factum eſt ad Ioel filium Phatuel. Audite hoc ſenes, & auribus percipite omnes habitatores terræ: ſi factum eſt iſtud in diebus veſtris, aut in diebus patrum veſtrorum? Super hoc filijs veſtris narrate, & filij veſtri filijs ſuis, & filij eorum generationi alteræ. Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo. Hæc dicit.

Lectio ij.

Expergiſcimini ebrij, & flete, & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam perijt ab ore veſtro. Gens enim aſcendit ſuper terram meã, fortis & innumerabilis: dentes eius vt dentes leonis: & molares eius vt catuli leonis. Poſuit vineã meã in deſertum, & ficum meam decorticauit: nudans ſpoliauit eam, & proiecit: albi facti ſunt rami eius. Hæc dicit.

Lectio iij.

Plange quaſi virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis ſuæ. Perijt ſacrificium & libatio de domo Domini: luxerunt ſacerdotes miniſtri Domini. Depopulata eſt regio, luxit humus: quoniam deuaſtatum eſt triticum, confuſum eſt vinum, elanguit oleum. Confuſi ſunt agricolæ, vlulauerunt vinitores ſuper frumento & hordeo, quia perijt meſſis agri. Hæc dicit.

FERIA QVINTA.

Incipit Liber Amos Prophetæ.

Lectio j. C. 1.

Verba Amos, qui fuit in paſtoribus de Techue: quæ vidit ſuper Iſrael in diebus Oziæ regis Iuda: & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Iſrael, ante duos annos terræmotus. Et dixit: Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam: & luxerunt ſpecioſa paſtorum, & exiccatus eſt vertex Carmeli. Hæc dicit.

Le-

Lectio ij.

HAec dicit Dominus: Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non conuertam eum: eo quòd triturauerint in plauſtris ferreis Galaad. Et mittam ignem in domum Azael, & deuorabit domos Benadad. Et conteram vectem Damaſci: & diſperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem ſceptrum de domo voluptatis: & transferetur populus Syriæ Cyrenen, dicit Dominus. Hæc dicit.

Lectio iij.

HAec dicit Dominus: Super tribus ſceleribus Gazæ, & ſuper quatuor non conuertam eum: eo quòd tranſtulerint captiuitatem perfectam, vt concluderent eam in Idumæa. Et mittam ignem in murum Gazæ: & deuorabit ædes eius. Et diſperdam habitatorem de Azoto, & tenentem ſceptrum de Aſcalone. Hæc dicit.

FERIA SEXTA.

Incipit Liber Abdiæ Prophetæ.

Lectio j. C. 1.

VIſio Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom: Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad Gentes miſit: Surgite, & conſurgamus aduerſus eum in prælium. Ecce paruulum dedi te in Gentibus: contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum. Hæc dicit.

Lectio ij.

QVi dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus. Si fures introiſſent ad te, ſi latrones per noctem, quomodo conticuiſſes? nonne furati eſſent ſufficientia ſibi? Si vindemiatores introiſſent ad te, numquid ſaltem racemum reliquiſſent tibi? Hæc dicit.

Lectio iij.

QVomodo ſcrutati ſunt Eſau, inueſtigauerunt abſcondita eius? Vſque ad terminum emiſerunt te, omnes viri fœderis tui illuſerunt tibi: inualuerunt aduerſum te viri pacis tuæ: qui comedunt tecum, ponent inſidias ſubter te: non eſt prudentia in eo. Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam ſapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Eſau? Hæc dicit.

SABBATO.

De Iona Propheta.

Lectio j. C. 2.

ET præparauit Dominus piſcem grandem vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis. Et dixit: Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudiſti vocem meam. Et proieciſti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Hæc dicit.

Lectio ij. C. 3.

ET factum eſt verbum Domini ad Ionam ſecundo, dicens: Surge, & va-

Digitized by Google

& vade in Niniuen ciuitatem magnã: & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. Et ſurrexit Ionas, & abijt in Niniuen iuxta verbum Domini: & Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum. Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius: & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Hæc.

Lectio iij.

ET crediderunt viri Niniuitæ in Deum: & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem. Et peruenit verbum ad regem Niniue: & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Hæc dicit.

DOMINICA V. vel iv. Nouembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Aſpice Domine, quia facta eſt deſolata ciuitas plena diuitijs, ſedet in triſtitia domina gentium: non eſt qui conſoletur eam, niſi tu Deus noſter.

IN I. NOCTVRNO.

Incipit Liber Michææ Prophetæ.

Lectio j. C. 1.

VErbum Domini, quod factum eſt ad Michæam Moraſthiten, in diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda, quod vidit ſuper Samariã, & Ieruſalem. Audite populi omnes, & attendat terra, & plenitudo eius: & ſit Dominus Deus vobis in teſtem, Dñs de templo ſancto ſuo. Quia ecce Dñs egredietur de loco ſuo: & deſcẽdet, & calcabit ſuper excelſa terræ. Hæc.

Lectio ij.

ET conſumentur montes ſubtus eum: & valles ſcindentur ſicut cera à facie ignis, & ſicut aquæ, quæ decurrunt in præceps. In ſcelere Iacob omne iſtud, & in peccatis domus Iſrael. Quod ſcelus Iacob? nonne Samaria? & quæ excelſa Iudæ? nonne Ieruſalem? Et ponam Samariam quaſi aceruum lapidum in agro, cum plantatur vinea: & detraham in vallem lapides eius, & fundamenta eius reuelabo. Hæc dicit.

Lectio iij.

ET omnia ſculptilia eius concidentur, & omnes mercedes eius comburẽtur igne, & omnia idola eius ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata ſunt, & vſque ad mercedem meretricis reuertentur. Super hoc plangam, & vlulabo: vadam ſpoliatus, & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum. Hæc dicit.

FERIA SECVNDA.

Incipit Liber Nahum Prophetæ.

Lectio j. C. 1.

ONus Niniue: Liber viſionis Nahum Elceſæi. Deus æmulator, & vlciſcens Dominus: vlciſcens Dominus, & habens furorem: vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos, & iraſcens ipſe inimicis ſuis. Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem: Dominus in tempeſtate & turbine viæ eius, & nebulæ puluis pedum eius. Hæc.

Lectio ij.

Increpans

INcrepans mare, & exiccans illud, & omnia flumina ad deſertum deducens. Infirmatus eſt Baſan, & Carmelus: & flos Libani elanguit. Montes commoti ſunt ab eo, & colles deſolati ſunt: & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo. Ante faciem indignationis eius quis ſtabit? & quis reſiſtet in ira furoris eius? Hæc dicit. Lectio iij.

INdignatio eius effuſa eſt vt ignis: & petræ diſſolutæ ſunt ab eo. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis: & ſciens ſperantes in ſe. Et in diluuio prætereunte conſummationem faciet loci eius: & inimicos eius perſequentur tenebræ. Quid cogitatis contra Dominum? Conſummationem ipſe faciet: non conſurget duplex tribulatio. Hæc dicit.

FERIA TERTIA.

Incipit Liber Habacuc Prophetæ.

Lectio j. C. 1.

ONus, quod vidit Habacuc propheta. Vſquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis? Quare oſtendiſti mihi iniquitatem & laborẽ, videre prædam, & iniuſtitiam contra me? Et factum eſt iudicium, & contradictio potentior. Propter hoc lacerata eſt lex, & non peruenit vſque ad finem iudicium: quia impius præualet aduerſus iuſtum, propterea egreditur iudicium peruerſum. Hæc dicit.

Lectio ij.

ASpicite in Gentibus, & videte: admiramini, & obſtupeſcite: quia opus factum eſt in diebus veſtris, quod nemo credet cum narrabitur. Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua. Horribilis & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium, & vnus eius egredietur. Hæc.

Lectio iij.

LEuiores pardis equi eius, & velociores lupis veſpertinis: & diffundentur equites eius: equites namque eius de longe venient, volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedẽdum. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus vrens: & congregabit quaſi arenam, captiuitatem. Et ipſe de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt. Hæc dicit.

FERIA QVARTA.

Incipit Liber Sophoniæ Prophetæ.

Lectio j. C. 1.

VErbum Domini quod factum eſt ad Sophoniam filiũ Chuſi, filij Godoliæ, filij Amariæ, filij Ezeciæ, in diebus Ioſiæ filij Amon regis Iudæ. Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus: congregans hominem & pecus, congregans volatilia cæli & piſces maris: & ruinæ impiorum erunt: & diſperdam homines a facie terræ, dicit Dominus. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET extendam manum meam ſuper Iudam, & ſuper omnes habitantes Ieruſalem: & diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina æditu orum cum ſacerdotibus: & eos qui ado-

rant ſuper tecta militiam cæli, & adorant & iurant in Domino, & iurant in Melchom. Et qui auertuntur de poſt tergum Domini, & qui non quæſierunt Dominum, nec inueſtigauerunt eum. Hæc dicit.

Lectio iij.

SIlete à facie Domini Dei, quia iuxta eſt dies Domini: quia præparauit Dominus hoſtiam, ſanctificauit vocatos ſuos. Et erit: in die hoſtiæ Domini, viſitabo ſuper principes, & ſuper filios regis, & ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina: & viſitabo ſuper omnem, qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illa: qui complẽt domum Domini Dei ſui iniquitate & dolo. Hæc dicit.

FERIA QVINTA.

Incipit Liber Aggæi Prophetæ.

Lectio j. C. I.

IN anno ſecundo Darij regis, in menſe ſexto, in die vna menſis, factum eſt verbum Domini in manu Aggæi prophetæ ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Iuda, & ad Ieſum filium Ioſedec, ſacerdotem magnum, dicens: Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iſte dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Hæc dicit.

Lectio ij.

ET factum eſt verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens: Numquid tempus vobis eſt, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta? Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras. Seminaſtis multum, & intuliſtis parum: comediſtis, & non eſtis ſatiati: bibiſtis, & non eſtis inebriati: operuiſtis vos, & non eſtis calefacti: & qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum. Hæc dicit.

Lectio iij.

HAec dicit Dominus exercituũ: Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras: aſcendite in montem, portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus. Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus: & intuliſtis in domum, & exufflaui illud. Hæc dicit.

FERIA SEXTA.

Incipit Liber Zachariæ Prophetæ.

Lectio j.

IN menſe octauo, in anno ſecundo Darij regis, factum eſt verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filii Addo, prophetam, dicens: Iratus eſt Dominus ſuper patres veſtros iracundia. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Conuertimini ad me, ait Dominus exercituũ, & conuertar ad vos, dicit Dominus exercituum. Hæc dicit.

Lectio ij.

NE ſitis ſicut patres veſtri, ad quos clamabãt prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum: Conuertimini de vijs veſtris malis, & de cogitationibus veſtris peſſimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus.

Patres

Patres veſtri vbi ſunt? & prophetæ numquid in ſempiternum viuent? Hæc dicit.

Lectio iij.

VErumtamen verba mea, & legitima mea, quæ mandaui ſeruis meis prophetis, numquid non comprehenderunt patres veſtros, & conuerſi ſunt, & dixerunt: Sicut cogitauit Dominus exercituum facere nobis ſecundum vias noſtras, & ſecundum adinuentiones noſtras fecit nobis. Hæc dicit.

S A B B A T O.

Incipit Liber Malachiæ Prophetæ.

Lectio j. C. 1.

ONus verbi Domini ad Iſrael in manu Malachiæ. Dilexi vos, dicit Dominus: & dixiſtis, In quo dilexiſti nos? Nõne frater erat Eſau Iacob, dicit Dominus, & dilexi Iacob, Eſau autem odio habui? Et poſui montes eius in ſolitudinem, & hereditatem eius in dracones deſerti? Hæc dicit.

Lectio ij.

QVòd ſi dixerit Idumæa: Deſtructi ſumus: ſed reuertentes ædificabimus quæ deſtructa ſunt: hæc dicit Dominus exercituum: Iſti ædificabunt, & ego deſtruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus eſt Dominus vſque in æternum. Et oculi veſtri videbunt, & vos dicetis, Magnificetur Dominus ſuper terminum Iſrael. Hæc dicit.

Lectio iij.

FIlius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? dicit Dominus exercituum. Ad vos, ò ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis: In quo deſpeximus nomen tuũ? Offertis ſuper altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? Hæc dicit.

LECTIONES PRO II. NOCTVRNO,

HOMILIAE, ET ORATIONES

IN DOMINICIS,

A prima poſt Octauas Trinitatis vſque ad Aduentum.

DOMINICA I.

Poſt Octau. Trinitat. Oratio.

PROTECTOR in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam: vt te rectore, te duce, ſic tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna. Per Dominum.

IN

Digitized by Google

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Hebræos. Lectio iv. C. 3.

FRatres ſancti, vocationis cæleſtis participes, conſiderate Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum: qui fidelis eſt ei qui fecit illum, ſicut & Moyſes in omni domo eius. Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam. Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit Deus eſt.

Lectio v.

ET Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant: Chriſtus vero tamquam filius in domo ſua: quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque ad finem, firmam retineamus. Quapropter ſicut dicit Spiritus ſanctus: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto.

Lectio vj.

VIdete fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis, diſcedendi à Deo viuo: ſed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec Hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Chriſti effecti ſumus: ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus. Dum dicitur: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, quemadmodum in illa exacerbatione.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecũdum Lucam.

Lectio vij. C. 15.

IN illo tempore: Erant appropinquãtes ad Ieſum publicani & peccatores, vt audirent illum. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 34. in Euang. poſt init.

AVdiſtis in lectione Euangelica, fratres mei, quia peccatores & publicani acceſſerunt ad Redemptorem noſtrum: & non ſolum ad colloquendum, ſed etiam ad conueſcendũ recepti ſunt. Quod videntes Phariſæi dedignati ſunt. Ex qua re colligitur, quia vera iuſtitia compaſſionẽ habet, falſa vero dedignationem: quamuis & iuſti ſoleant recte peccatoribus dedignari.

Lectio viij.

SEd aliud eſt quod agitur typho ſuperbiæ, aliud quod zelo diſciplinæ. Dedignantur etenim, ſed non dedignantes: deſperant, ſed non deſperantes: perſecutionem commouẽt, ſed amantes: quia etſi foris increpationes per diſciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem ſeruant. Præponunt ſibi in animo ipſos plerumque quos corrigunt: meliores æſtimant eos quoque quos iudicant.

Lectio ix.

QVod videlicet agentes, & per diſciplinam ſubditos, & per humilitatem cuſtodiunt ſemetipſos.

Digitized by Google

ipſos. At contra ij, qui de falſa iuſtitia ſuperbire ſolent, ceteros quoſque deſpiciunt, nulla infirmantibus miſericordia condeſcendunt: & quo ſe peccatores eſſe non credunt, eo deterius peccatores fiunt. De quorum profecto numero Phariſæi extiterunt, qui diiudicantes Dominum quòd peccatores ſuſciperent, arenti corde ipſum frontem miſericordiæ reprehendebant.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat illam? alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quæ mulier habens drachmas decem, & ſi perdiderit drachmam vnam, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat?

DOMINICA II.
Poſt Octaua Trinitatis

Oratio.

Da nobis, quæſumus Domine, vt & mundi curſus pacifice nobis tuo ordine dirigatur: & Eccleſia tua tranquilla deuotione lætetur. Per Dominum noſtrum.

IN II. NOCTVRNO.
De Epiſtola Beati Pauli Apoſtoli ad Hebræos.

Lectio iv. C.4.

Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe. Etenim & nobis nunciatum eſt, quemadmodum & illis. Sed non profuit illis ſermo auditus, non admixtus fidei ex ijs quæ audierunt. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus, quemadmodum dixit: Sicut iuraui in ira mea: Si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis.

Lectio v.

Dixit enim in quodam loco de die ſeptima ſic: Et requieuit Deus die ſeptima ab omnibus operibus ſuis. Et in iſto rurſum: Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo ſupereſt introire quoſdam in illam, & ij, quibus prioribus annunciatum eſt, non introierunt propter incredulitatem: iterum terminat diem quendam, Hodie, in Dauid dicendo, poſt tantum temporis, ſicut ſupra dictum eſt: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.

Lectio vj.

Nam ſi eis Ieſus requiem præſtitiſſet, numquam de alia loqueretur poſthac die. Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius: etiam ipſe requieuit ab operibus ſuis, ſicut à ſuis Deus. Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem: vt ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.

IN III. NOCTVRNO.
Lectio S. Euangelij ſecũdum Lucam.

Lectio vij. C.5.

In illo tempore: Cum turbæ irruerent in Ieſum, vt audirent verbum Dei: & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Gene-

Geneſareth. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 3. in c. 5. Lucæ prope fin.

VBi Dominus multis impertiuit varia genera ſanitatum, nec tempore, nec loco cœpit à ſtudio ſanandi turba cohiberi. Veſper incubuit, ſequebantur, ſtagnum occurrit, vrgebant: & ideo aſcendit in Petri nauim. Hæc eſt illa nauis, quæ ſecundum Matthæum adhuc fluctuat, ſecundum Lucam repletur piſcibus: vt & principia Eccleſiæ fluctuantis, & poſteriora exuberantis agnoſcas. Piſces enim ſunt, qui hanc enauigant vitam: ibi adhuc diſcipulis Chriſtus dormit, hic præcipit: dormit enim trepidis, vigilat perfectis.

Lectio viij.

NOn turbatur hæc nauis, in qua prudentia nauigat, abeſt perfidia, fides aſpirat. Quemadmodum enim turbari poterat, cui præerat is, in quo Eccleſiæ firmamentum eſt? Illic ergo turbatio, vbi modica fides; hic ſecuritas, vbi perfecta dilectio. Denique etſi alijs imperatur vt laxent retia ſua, ſoli tamen Petro dicitur: Duc in altum, hoc eſt in profundum diſputationum.

Lectio ix.

QVid enim tam altum, quàm altitudinem diuitiarum videre, ſcilicet Dei Filium, & profeſſionem diuinæ generationis aſſumere, quam licet mens humana non queat plene rationis inueſtigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur? Nam etſi non licet mihi ſcire quemadmodum natus ſit: non licet tamen neſcire quòd natus ſit. Seriem generationis ignoro: ſed auctorem generationis agnoſco.

Ad Benedictus, Antiphona.

Aſcendit Ieſus in nauim, & ſedens docebat turbas, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete.

DOMINICA III.

Poſt Octaua Trinitatis

Oratio.

DEus, qui diligentibus te bona inuiſibilia præparaſti, infunde cordibus noſtris tui amoris affectum: vt te in omnibus, & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Hebræos. Lectio iv. C. 6.

COnfidimus autem de vobis, dilectiſſimi, meliora, & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur. Non enim iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis. Cupimus autem vnumquemque veſtrum eandem oſtentare ſollicitudinem ad expletionem ſpei vſque in finem: vt non ſegnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide, & patientia hereditabunt promiſſiones.

Le-

Digitized by Google

Lectio v.

ABrahæ namque promittẽs Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, maiorem, iurauit per ſemetipſum, dicens: Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem. Homines enim per maiorem ſui iurant: & omnis controuerſiæ eorum finis, ad confirmationem, eſt iuramentum.

Lectio vj.

IN quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis heredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurãdum: vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendã propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus, ſecundum ordinem Melchiſedech pontifex factus eſt in æternum.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 5.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen dico vobis. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Lib. 11. de Serm. Domini in monte, cap. 9.

IVſtitia Phariſæorum eſt, vt non occidant: iuſtitia eorum qui intraturi ſunt in regnũ Dei, vt non iraſcantur ſine cauſa. Minimum eſt ergo, non occidere: & qui illud ſoluerit, minimus vocabitur in regno cælorum. Qui autem illud impleuerit, vt non occidat, non continuo magnus erit & idoneus regno cælorum: ſed tamen aſcendit aliquem gradum: perficietur autem, ſi nec iraſcatur ſine cauſa: quod ſi perfecerit, multo remotior erit ab homicidio.

Lectio viij.

QVapropter qui docet vt non iraſcamur, non ſoluit legem ne occidamus, ſed implet potius, vt & foris dum non occidimus, & in corde dum non iraſcimur, innocentiam cuſtodiamus. Gradus itaque ſunt in iſtis peccatis: vt primo quiſque iraſcatur, & eum motum retineat corde conceptum. Iam ſi extorſerit vocem indignantis ipſa commotio, non ſignificantem aliquid, ſed illum animi motum ipſa eruptione teſtantem, qua feriatur ille, cui iraſcitur: plus eſt vtique, quàm ſi ſurgens ira ſilentio premeretur.

Lectio ix.

SI vero non ſolum vox indignantis audiatur, ſed etiam verbum, quo iam certam eius vituperationem, in quem profertur, deſignet & notet: quis dubitet amplius hoc eſſe, quàm ſi ſolus indignationis ſonus ederetur? Vide nunc etiam tres reatus, iudicij, concilij, & gehennæ ignis.

Nam

Nam in iudicio adhuc defenſioni datur locus: videtur ad concilium pertinere ſententiæ prolatio: in gehenna ignis, certa eſt & damnatio, & pœna damnati.

Ad Benedictus, Antiphona.

Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Nō occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ad Magnificat, Antiph. Si offers munus tuū ad altare, & recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduerſus te, relinque ibi munus tuū, ante altare, & vade prius recōcilia ri fratri tuo: & tunc venies offeres munus tuū, allel. DOMINICA IV.

Poſt Oct. Trinit. Oratio.

DEus virtutum, cuius eſt totum quod eſt optimum: inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis, & præſta in nobis religionis augmentum: vt quæ ſunt bona, nutrias: ac pietatis ſtudio, quæ ſunt nutrita cuſtodias. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola Beati Pauli Apoſtoli ad Hebræos. Lectio iv. C.4.

SI ergo conſummatio per ſacerdotium Leuiticum erat, (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech, alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici? Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt, de qua nullus altari præſto fuit. Manifeſtum eſt enim quòd ex Iuda ortus ſit Dominus noſter: in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt. Lect. v.

ET amplius adhuc manifeſtum eſt: ſi ſecundum ſimilitudinem Melchiſedech exurgat alius ſacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecūdum virtutem vitæ inſolubilis. Conteſtatur enim: Quoniam tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Reprobatio quidē fit præcedentis mādati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.

Lectio vj.

ET quantum eſt non ſine iureiurando, (alii quidem ſine iureiurando ſacerdotes facti ſunt, hic autem cum iureiurando per eum, qui dixit ad illum: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternū:) in tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus. Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Marcum. Lectio vii. C.8.

IN illo tempore: Cum turba multa eſſet cum Ieſu, nec haberent quod manducarent: conuocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambroſii Epiſcopi.

Lib.

Digitized by Google

Lib.6.in c.9. Lucæ, poſt init.

GRatiæ cæleſtis impartitur alimentum. Sed quibus impartiatur, aduerte: non otioſis, non in ciuitate, quaſi in ſynagoga vel ſæculi dignitate reſidētibus, ſed inter deſerta quærentibus Chriſtum. Qui enim non faſtidiunt, ipſi excipiuntur à Chriſto, & cum ipſis loquitur Dei Verbum, non de ſæcularibus, ſed de regno Dei. Et ſi qui corporalis gerunt vlcera paſſionis, his medicinam ſuam libēter indulget.

Lectio viij.

COnſequens igitur erat, vt quos à vulnerum dolore ſanauerat, eos alimonijs ſpiritalibus à ieiunio liberaret. Itaque nemo cibum accipit Chriſti, niſi fuerit ante ſanatus: & illi qui vocantur ad cœnam, prius vocando ſanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem, vt veniret, accepit: ſi lumine priuatus oculorum, domum vtique Domini, niſi refuſa luce, intrare non potuit.

Lectio ix.

VBique igitur myſterij ordo ſeruatur, vt prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, poſtea alimonia menſæ cæleſtis exuberet: quamquam nondum validioribus hæc turba reficiatur alimētis, neque Chriſti corpore & ſanguine ieiuna ſolidioris fidei corda paſcantur. Lacte, inquit, vos potaui, non eſca: nōdum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis. In modū lactis quinque ſunt panes: eſca autem ſolidior, corpus eſt Chriſti: potus vero vehementior, ſanguis eſt Domini.

Ad Benedictus, Antiphona.

Miſereor ſuper turbam: quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos, deficient in via, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Et accipiens Ieſus ſeptem panes, gratias agens benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis ſuis, vt apponerent: & appoſuerunt turbæ, alleluia.

DOMINICA V.

Poſt Octaua Trinitatis.

Oratio.

DEus, cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur: te ſupplices exoramus: vt noxia cuncta ſubmoueas, & omnia nobis profutura concedas. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Hebræos. Lectio iv. C.8.

CApitulum autem ſuper ea quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis, ſanctorum miniſter & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo. Omnis enim pontifex ad offerendum munera, & hoſtias cōſtituitur: vnde neceſſe eſt & hunc habere aliquid, quod offerat: ſi ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet ſacerdos: cum eſſent qui offerrent ſecūdum legem munera, qui exemplari, & vmbræ deſeruiunt cæleſtium.

Lectio v.

SIcut reſponſum eſt Moyſi, cum conſummaret tabernaculū: Vide, inquit,

inquit, omnia facito ſecundum exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte. Nunc autem melius ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt. Nam ſi illud prius culpa vacaſſet: non vtique ſecundi locus inquireretur.

Lectio vj.

VItuperans enim eos, dicit: Ecce dies venient dicit Dominus: & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentũ, quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum vt educerem illos de Terra Aegypti: quoniam ipſi non permanſerunt in teſtaměto meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 7.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Epiſcopi.

In Comment. in c. 7. Matth.

BLandimenta verborum, & manſuetudinis ſimulationem admonet fructu operationis expendi oportere: vt non qualem quis verbis referat, ſed qualem ſe rebus efficiat, ſpectemus: quia in multis veſtitu ouium rabies lupina contegitur. Ergo vt ſpinæ vuas, vt tribuli ficus non generant, & vt iniquæ arbores vtilia poma non afferunt: ita ne in iſtis quidem conſiſtere docet boni operis effectum, & idcirco omnes cognoſcendos eſſe de fructibus.

Lectio viij.

REgnum enim cælorum ſola verborum officia non obtinent: neque qui dixerit, Domine Domine, heres illius erit. Quid enim meriti eſt Domino dicere, Domine? Numquid Dominus non erit, niſi fuerit dictus à nobis? Et quæ officij ſanctitas eſt, nominis nuncupatio, cum cæleſtis regni iter obedientia potius voluntatis Dei, non nuncupatio, repertura ſit? Multi mihi dicent in illa die: Domine Domine, nonne in tuo nomine prophetauimus?

Lectio ix.

ETiam nunc pſeudoprophetarum fraudulentiam, & hypocritarum ſimulamenta condemnat, qui gloriam ſibi ex verbi virtute præſumunt, in doctrinæ prophetia, & dæmoniorum fuga, & iſtiuſmodi operum virtutibus. Atque hinc ſibi regnum cælorum pollicentur: quaſi vero eorũ aliquid proprium ſit, quæ loquuntur aut faciunt, & non omnia virtus Dei inuocata perficiat: cum doctrinæ ſcientiam lectio afferat, dæmonia Chriſti nomen exagitet.

Ad Benedictus, Antiphona.

Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos.

Ad Magnificat, Antiphona.

Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: ſed

ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui eſt in cælis, ipſe intrabit in regnum cælorum, alleluia.

DOMINICA VI.

Poſt Oct. Trinit. Oratio.

LArgire nobis, quæſumus Domine, ſemper ſpiritũ cogitandi quæ recta ſunt, propitius & agendi: vt qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundum te viuere valeamus. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Hebræos. Lectio iv. C. 9.

HIs vero ita compoſitis, in priori quidẽ tabernaculo ſemper introibant ſacerdotes, ſacrificiorum officia conſumantes: in ſecundo autem ſemel in anno ſolus pontifex non ſine ſanguine, quem offert pro ſua, & populi ignorantia: hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum.

Lectio v.

QVæ parabola eſt tẽporis inſtantis: iuxta quam munera, & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem, ſolummodo in cibis, & in potibus, & varijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis, vſque ad tẽpus correctionis impoſitis. Chriſtus autem aſſiſtens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, ideſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in Sancta, æterna redemptione inuenta.

Lectio vj.

NOn enim in manu facta Sancta Ieſus introiuit exemplaria verorum: ſed in ipſum cælum, vt appareat nũc vultui Dei pro nobis. Neque vt ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 16.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Epiſt. 151. ad Algaſ. q. 6. to. 3.

VIllicus proprie, villæ gubernator eſt: œconomus autem, tam pecuniæ quàm frugum, & omnium quæ dominus poſſidet diſpenſator eſt. Iſte igitur diſpenſator accuſatus eſt ad dominum ſuum, quòd diſſiparet ſubſtantiã eius. Quo vocato, dixit: Quid hoc audio de te? redde rationem diſpẽſationis tuæ: neque enim in ea vltra diſpenſabis. Qui dixit in ſemetipſo: Quid faciã, quia Dominus meus aufert à me diſpenſationem? fodere non valeo, mendicare erubeſco.

Lectio viij.

SI diſpenſator iniqui mammonæ, domini voce laudatur, quòd de re iniqua ſibi iuſtitiam præpararit: & paſſus diſpendia dominus laudat diſpenſatoris prudẽtiam, quòd aduerſus dominum quidẽ fraudulenter, ſed pro ſe prudenter egerit: quãto magis Chriſtus, qui nullum damnũ ſuſtinere poteſt, & pronus eſt ad clementiam, laudabit diſcipulos ſuos, ſi in eos qui credituri ſibi ſunt, miſericordes fuerint?

Lectio ix.

DEnique poſt parabolam intulit: Et ego vobis dico, Facite vobis amicos de iniquo mammona. Mammona autem non Hebræorum, ſed Syrorum lingua, diuitiæ nuncupantur, quòd de iniquitate collectæ ſint. Si ergo iniquitas bene diſpenſata, vertitur in iuſtitiã: quãto magis ſermo diuinus, in quo nulla eſt iniquitas, qui & Apoſtolis creditus eſt, ſi bene fuerit diſpenſatus, diſpenſatores ſuos leuabit in cælum? Ad Benedictus, Antiphona.

Dixit dominus villico: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubeſco: ſcio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos ſuas.

DOMINICA VII.

Poſt Octau. Trinitatis. Oratio.

PAteant aures miſericordiæ tuæ Domine precibus ſupplicantium: & vt petentibus deſiderata concedas, fac eos quæ tibi ſunt placita, poſtulare. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Hebræos. Lectio iv. C. 10.

VMbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum: per ſingulos annos eiſdẽ ipſis hoſtijs, quas offerũt indeſinenter, numquam poteſt accedẽtes perfectos facere: alioquin ceſſaſſent offerri ideo quòd nullam haberent vltra conſcientiam peccati, cultores ſemel mandati: ſed in ipſis commemoratio peccatorũ per ſingulos annos fit. Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Lectio v.

IDeo ingrediens mundũ, dicit: Hoſtiam, & oblationẽ noluiſti: corpus autẽ aptaſti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerũt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptũ eſt de me: Vt faciã, Deus, voluntatem tuã. Superius dicens: Quia hoſtias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi: quæ ſecũdum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, vt faciam, Deus, voluntatem tuam: aufert primũ, vt ſequens ſtatuat.

Lectio vj.

IN qua volũtate ſanctificati ſumus per oblationẽ corporis Ieſu Chriſti ſemel. Et omnis quidem ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ numquam poſſunt auferre peccata: hic autem vnã pro peccatis offerens hoſtiã, in

Digitized by Google

in ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cetero expectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Vna enim oblatione, conſummauit in ſempiternum ſanctificatos.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecũdum Lucam.

Lectio vij. C. 19.

IN illo tempore: Cum appropinquaret Ieſus Ieruſalem, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autẽ abſcõdita ſunt ab oculis tuis. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

Homil. 39. in Euang.

QVòd à flente Domino illa Ieroſolymorum ſubuerſio deſcribatur, quæ à Veſpaſiano & Tito Romanis Principibus facta eſt, nullus qui hiſtoriam euerſionis eiuſdẽ legit, ignorat. Romani etenim Principes deſignãtur, cum dicitur: Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo. Hoc quoque quod additur: Non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: etiam ipſa ciuitatis eiuſdem tranſmigratio teſtatur: quia dum in eo loco nunc conſtructa eſt, vbi extra portam Dominus fuerat crucifixus, prior illa Ieruſalẽ, vt dicitur, funditus eſt euerſa. *Lect. viij*

QVi etiam ex qua culpa euerſionis ſuæ pœna fuerit illata, ſubiungitur: Eo quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Creator quippe omnium per incarnationis ſuæ myſteriũ hanc viſitare dignatus eſt: ſed ipſa timoris & amoris illius recordata nõ eſt. Vnde etiam per Prophetam in increpationem cordis humani aues cæli ad teſtimoniũ deducuntur, dum dicitur: Miluus in cælo cognouit tẽpus ſuum, turtur & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini. *Lectio ix.*

FLeuit prius Redemptor ruinam perfidæ ciuitatis, quam ipſa ſibi ciuitas non cognoſcebat eſſe venturã. Cui à flẽte Domino rectè dicitur: Quia ſi cognouiſſes, & tu: ſubaudi, fleres: quæ modo, quia neſcis quod imminet, exultas. Vnde & ſubditur: Et quidẽ in hac die tua, quæ ad pacẽ tibi. Cũ enim carnis ſe voluptatibus daret, & vẽtura mala non proſpiceret, in die ſua, quæ ad pacem ei eſſe poterant, habebat.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cum appropinquaret Dominus Ieruſalem, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, & dixit: Quia ſi cognouiſſes & tu: quia venient dies in te, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique: & ad terram proſternent te: eo quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Scriptum eſt enim: Quia domus mea, domus orationis eſt cunctis gentibus; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et erat quotidie docens in templo.

DOMINICA VIII.

Poſt Oct. Trinit. Oratio.

DEus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miſerando mani-

manifeſtas: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam: vt ad tua promiſſa currentes, cæleſtium bonorum facias eſſe conſortes. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Hebræos. Lectio iv. C. 10.

IRritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & ſanguinẽ teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ cõtumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia iudicabit Dominus populum ſuum. Horrendũ eſt incidere in manus Dei viuentis. Lect. v.

REmemoramini autem priſtinos dies, in quibus illuminati magnũ certamen ſuſtinuiſtis paſſionum: & in altero quidẽ opprobrijs, & tribulationibus ſpectaculũ facti: in altero autem ſocij taliter conuerſantiũ effecti. Nã & vinctis cõpaſſi eſtis, & rapinã bonorũ veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcẽtes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam. Lectio vi.

NOlite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis neceſſaria eſt: vt voluntatẽ Dei facientes, reportetis promiſſionẽ. Adhuc enim modicum aliquantulũ, qui venturus eſt, veniet, & nõ tardabit. Iuſtus autem meus ex fide viuit. Quod ſi ſubtraxerit ſe, nõ placebit animæ meæ.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euãgelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 18.

IN illo tẽpore: Dixit Ieſus ad quoſdam, qui in ſe confidebant tamquã iuſti, & aſpernabantur ceteros, parabolam iſtam: Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent, vnus Phariſæus, & alter publicanus. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Ser. 36. de verbis Dom. circa med.

GRatias tibi Deus, quia non ſum, ſicut ceteri homines. Diceret ſaltem, Sicut multi homines. Quid eſt, ceteri homines, niſi omnes præter ipſum? Ego, inquit, iuſtus ſum, ceteri peccatores. Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. Quid rogauerit Deum, quære in verbis eius, & nihil inuenies. Aſcendit orare: noluit Deũ rogare, ſed ſe laudare. Parũ eſt, non Deũ rogare, ſed ſe laudare, inſuper & roganti inſultare. Lect. viij.

PVblicanus autem de longinquo ſtabat, & tamen Deo ipſe appropinquabat: cordis conſcientia eũ remouebat, pietas applicabat. Publicanus autem de longinquo ſtabat, ſed Dñs eũ de propinquo attendebat. Excelſus enim Dñs, & humilia reſpicit: excelſos autem, qualis erat ille Phariſæus à longe cognoſcit. Adhuc audi humilitatẽ publicani. Ne oculos ſuos ad cælum leuabat. Vt reſpiceretur, non aſpiciebat. Premebat conſcientia, ſpes ſubleuabat. Lectio ix.

ET percutiebat pectus ſuũ, dicens: Deus, propitius eſto mihi peccatori.

Digitized by Google

catori. Ecce qui rogat. Quid miraris, ſi Deus ignoſcit, quando ipſe ſe agnoſcit? Denique de Phariſæo, & publicano accccepiſti cõtrouerſiam, audi ſententiam. Audiſti ſuperbum accuſatorem, audiſti reum humilem: audi nunc iudicem. Amen dico vobis, deſcendit iuſtificatus publicanus ille de templo, magis quàm ille Phariſæus. Quæris quare? Audi quare. Quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur: & qui ſe humiliat exaltabitur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Duo homines aſcenderunt in templũ, vt orarent, vnus Phariſæus, & alter publicanus: deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam, ab illo, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona. Stans à longe publicanus, nolebat oculos ad cælum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus, propitius eſto mihi peccatori.

DOMINICA IX.

Poſt Octau. Trinitatis. Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ & merita ſupplicum excedis & vota: effunde ſuper nos miſericordiam tuam: vt dimittas quæ conſcientia metuit, & adijcias quod oratio non præſumit. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola beati Pauli Apoſtoli ad Hebræos. Lectio iv. C. 11.

Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locũ exire, quem accepturus erat in hereditatem: & exijt, neſciens quò iret. Fide demoratus eſt in Terra repromiſſionis, tamquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac & Iacob coheredibus repromiſſionis eiuſdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus.

Lectio v.

Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in cõceptionem ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit eſſe eum, qui repromiſerat. Propter quod & ab vno orti ſunt (& hoc emortuo) tamquam ſidera cæli in multitudinem, & ſicut arena, quæ eſt ad oram maris innumerabilis. Iuxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed à longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram.

Lectio vi.

Qui enim hæc dicunt, ſignificãt ſe patriam inquirere. Et ſi quidem ipſius meminiſſent de qua exierũt, habebant vtique tempus reuertendi: nunc autem meliorem appetunt, id eſt, cæleſtem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatem. Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tẽtaretur, & vnigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones, ad quem dictum eſt: Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Marcum. Lectio vij. C. 7.

In illo tempore: Exiens Ieſus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad

ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

Homil. 10. in Ezech. ante med.

Quid eſt, quòd creator omnium Deus, cum ſurdum & mutum ſanare voluiſſet, in aures illius ſuos digitos miſit, & expuens linguā eius tetigit? Quid per digitos Redemptoris, niſi dona ſancti Spiritus deſignantur? Vnde cum in alio loco eieciſſet dæmonium, dixit: Si in digito Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Qua de re per Euangeliſtam alium, dixiſſe deſcribitur: Si ego in Spiritu Dei eijcio dæmonia, igitur peruenit in vos regnum Dei.

Lectio viij.

Ex quo vtroque loco colligitur, quia digitus Dei vocatur Spiritus. Digitos ergo in auriculas mitterē, eſt, per dona ſancti Spiritus mentē ſurdi ad obediendum aperire. Quid eſt vero, quòd expuens linguam eius tetigit? Saliua ex ore Redemptoris accepta, eſt nobis ſapientia in eloquio diuino. Saliua quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo ſapientia, quæ ipſe eſt, dum lingua noſtra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur.

Lectio ix.

Qui ſuſcipiens in cælū ingemuit: non quòd ipſe neceſſarium gemitum haberet, qui dabat quod poſtulabat: ſed nos ad eum gemere, qui cælo præſidet, docuit: vt & aures noſtræ per dona Spiritus ſancti aperiri, & lingua per ſaliuā oris, ideſt, per ſcientiam diuinæ locutionis, ſolui debeat ad verba prædicationis. Cui mox, ephphetha, ideſt, adaperire dicitur: & ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius.

Ad Benedictus, Antiphona. Exiens Ieſus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona. Bene omnia fecit Dominus, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

DOMINICA X.

Poſt Octau. Trinitatis. Oratio.

Omnipotens & miſericors Deus, de cuius munere venit, vt tibi à fidelibus tuis digne & laudabiliter ſeruiatur: tribue quæſumus nobis, vt ad promiſſiones tuas ſine offenſione curramus. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Hebræos. Lectio iv. C. 11.

Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis: qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturauerunt ora leonum, extinxerūt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos.

Lectio v.

Alij autem diſtenti ſunt non ſuſcipiētes redemptionem, vt meliorem

liorem inuenirent reſurrectionem. Alij vero ludibria, & verbera experti; inſuper & vincula, & cerceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circuierũt in melotis: in pellibus caprinis, egentes; anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes in montibus; & ſpeluncis, & in cauernis terræ. Lectio vj.

ET hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur. Ideoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtãs nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 10.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambroſij Epiſcopi.

Comment. in Luca 10.

HOmo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho, & incidit in latrones. Iericho figura huius mundi eſt, in quam de Paradiſo, hoc eſt de Ieruſalem illa cæleſti eiectus Adã præuaricationis prolapſione deſcendit, hoc eſt, de vitalibus ad inferna demigrans: cui non loci, ſed morum mutatio naturæ ſuæ fecit exilium. Longe enim mutatus ab illo Adam, qui inoffenſa beatitudine fruebatur. Vbi in ſæcularia peccata deflexit, incidit in latrones: in quos non incidiſſet niſi his mandati cæleſtis deuius, ſe feciſſet obnoxium. Lectio viij.

QVi ſunt iſti latrones niſi angeli noctis, atque tenebrarum? qui ſe nonnunquam transfigurant in Angelos lucis, ſed perſeuerare non poſſunt. Hi ante deſpoliant quæ accepimus indumenta gratiæ ſpiritalis: & ſic vulnera inferre conſueuerunt. Nã ſi intemerata, quæ ſumpſimus, indumẽta ſeruemus, plagas latronũ ſentire non poſſumus. Caue ergo, ne ante nuderis, ſicut ante Adam nudatus eſt, mandati cæleſtis cuſtodia deſtitutus, & exutus fidei veſtimenta, & ſic letale vulnus accepit. Lectio ix.

IN quo omne genus occidiſſet humanum, niſi Samaritanus ille deſcendens, vulnera eius acerba curaſſet. Hic ergo Samaritanus deſcendẽs (quis eſt qui deſcendit de cælo, niſi qui aſcendit in cælum, Filius hominis qui eſt in cælo?) videns ſemiuiuum quem nemo poterat ante curare, venit ſecus eum, hoc eſt factus compaſſionis noſtræ ſuſceptione finitimus, & miſericordiæ collatione vicinus. Et alligauit vulnera eius infundens oleum,

Digitized by Google

& vinum. Multa medicamina medicus habet iſte quibus ſanare conſueuit. Ad Benedictus, Aña. Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalē in Iericho,& incidit in latrones: qui etiā deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierūt,ſemiuiuo relicto. Ad Magnificat, Aña. Quis tibi videtur proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? Et ait: Ille qui fecit miſericordiam in illum. Vade, & tu fac ſimiliter, alleluia.

DOMINICA XI.

Poſt Oct. Trinitatis. Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, da nobis fidei,ſpei,& charitatis augmentum: & vt mereamur aſſequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per Dominum noſtrum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Hebræos. Lect. iv. C. 12.

OMnis autem diſciplina in præſenti quidē videtur non eſſe gaudij,ſed mæroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam,reddet iuſtitiæ. Propter quod remiſſas manus,& ſoluta genua erigite,& greſſus rectos facite pedibus veſtris: vt nō claudicans quis erret, magis autē ſanetur. Pacem ſequimini cum omnibus,& ſanctimoniā,ſine qua nemo videbit Deū: contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei:nequa radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Lectio v.

NE quis fornicator, aut profanus vt Eſau: qui propter vnam eſcā vendidit primitiua ſua: ſcitote enim quoniam & poſtea cupiens hereditare benedictionem,reprobatus eſt: non enim inuenit pœnitentiæ locum,quāquam cum lacrymis inquiſiſſet eam. Nō enim acceſſiſtis ad tractabilē montem, & accenſibilem ignem, & turbinem,& caliginem,& procellam, & tubæ ſonum,& vocem verborum, quam qui audierunt,excuſauerunt ſe, ne eis fieret verbum. Lectio vj.

NOn enim portabant quod dicebatur:Et ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur. Moyſes dixit: Exterritus ſum,& tremebūdus. Sed acceſſiſtis ad Sion montem,& ciuitatem Dei viuentis,Ieruſalem cæleſtem,& multorū millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cælis,& iudicem omnium Deum.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 17.

IN illo tempore: Cum iret Ieſus in Ieruſalem,tranſibat per mediam Samariam & Galilæam: & cum ingrederetur quoddā caſtellum,occurrerunt ei decem viri leproſi. Et reliqua. Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi *Lib. 2. Quæſtion. Euang. cap.* 40.

QVæri poteſt,cur eos ad ſacerdotes miſerit,vt cum irent,mundarentur. Nullum enim eorum, quibus corporalia hæc beneficia præſtitit, inuenitur miſiſſe ad ſacerdotes, niſi leproſos. Nam & illū à lepra mundauerat,cui dixit: Vade,oſtende te ſacerdoti,

Digitized by Google

cerdoti,& offer pro te ſacrificiũ, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis. Quærendum eſt igitur,quid ipſa lepra ſignificet:nõ enim ſanati,ſed mundati dicuntur,qui ea caruerunt. Coloris quippe vitium eſt, non valetudinis, aut integritatis ſenſuum atque membrorum. Lectio viij.

LEproſi ergo non abſurde intelligi poſſunt,qui ſcientiam veræ fidei nõ habentes,varias doctrinas profitentur erroris. Non enim abſcondũt imperitiam ſuã,ſed pro ſumma peritia proferũt in lucẽ,& iactantia ſermonis oſtentant. Nulla porro falſa doctrina eſt,quæ non aliqua vera intermiſceat. Vera ergo falſis inordinata permixta, in vna diſputatione vel narratione hominis,tamquam in vnius corporis colore apparentia, ſignificant lepram, tamquam veris falſiſq; colorum fucis humana corpora variantem atque maculantem. Lectio ix.

HI autem tam vitandi ſunt Eccleſiæ, vt ſi fieri poteſt,longius remoti,magno clamore Chriſtũ interpellent:ſicut iſti decẽ ſteterunt à longe & leuauerunt vocem,dicentes: Ieſu præceptor,miſerere nobis. Nam & quòd præceptorẽ vocãt,quo nomine neſcio vtrum quiſquam Dñm interpellauerit pro medicina corporali, ſatis puto ſignificare,leprã falſam eſſe doctrinam, quam bonus præceptor abſtergit.

Ad Benedictus, Aña. Cum ingrederetur Ieſus quoddã caſtellum, occurrerunt ei decẽ viri leproſi: qui ſteterũt à longe,& leuauerunt vocẽ,dicentes; Ieſu præceptor,miſerere noſtri. Ad Magnif. Aña. Nonne decẽ mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? Non eſt inuentus qui rediret,& daret gloriam Deo,niſi hic alienigena. Vade,quia fides tua te ſaluum fecit, alleluia.

DOMINICA XII.
Poſt Octau. Trinitatis. Oratio.

CVſtodi Dñe,quæſumus,Eccleſiã tuam propitiatione perpetua: & quia ſine te labitur humana mortalitas:tuis ſemper auxilijs & abſtrahatur à noxijs,& ad ſalutaria dirigatur. Per.

IN II. NOCTVRNO.
De Epiſtola Beati Pauli Apoſtoli ad Hebræos. Lectio iv. C.13.

MEmentote præpoſitorũ veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei:quorum intuentes exitũ conuerſationis,imitamini fidẽ. Ieſus Chriſtus heri, & hodie: ipſe & in ſæcula. Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci. Optimũ eſt enim gratia ſtabillire cor,non eſcis: quæ non profuerũt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt. Lect. v.

OVorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horũ corpora cremantur extra caſtra. Propter quod & Ieſus,vt ſanctificaret per ſuũ ſanguinẽ populũ,extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperiũ eius portantes. Non enim habemus hic manẽtem ciuitatẽ, ſed futurã inquirimus. Per ipſum ergo offeramus hoſtiã laudis ſemper Deo, ideſt fructũ labio-

labiorum confitentium nomini eius.

Lectio vj.

Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis: confidimus enim quia bonam conſcientiam habemus in omnibus bene volentes conuerſari. Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius reſtituar vobis.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 6.

In illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Et reliqua.

Homilia ſancti Hieronymi Presbyteri. *Comment. in cap. 6 Matth.*

Mammona ſermone Syriaco, diuitiæ nuncupantur. Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. Audiat hoc auarus: audiat qui cenſetur vocabulo Chriſtiano, non poſſe ſe ſimul diuitijs, Chriſtoque ſeruire. Et tamen non dixit, qui habet diuitias, ſed, Qui ſeruit diuitijs. Qui enim diuitiarum ſeruus eſt, diuitias cuſtodit, vt ſeruus: qui autem ſeruitutis excuſſit iugum, diſtribuit eas vt dominus.

Lectio viij.

Ideo dico vobis: ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid mãducetis: neque corpori veſtro quid induamini. In nõnullis codicibus additum eſt: neque quid bibatis. Ergo quod omnibus natura tribuit, & iumentis ac beſtijs, hominibusq. commune eſt, huius cura non penitus liberamur: ſed præcipitur nobis ne ſolliciti ſimus quid comedamus, quia in ſudore vultus præparamus nobis panem. Labor exercendus eſt, ſollicitudo tollenda. Lect. ix.

Hoc quod dicitur: Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid comedatis: neque corpori veſtro quid induamini, de carnali cibo & veſtimẽto accipiamus. Ceterum de ſpiritualibus cibis, & veſtimentis ſemper debemus eſſe ſolliciti. Nõne anima plus eſt quàm eſca? Quod dicit, iſtiuſmodi eſt: Qui maiora præſtitit, vtique & minora præſtabit. Quòd ſi volatilia abſque cura & ærumnis, Dei aluntur prouidentia, quorum anima mortalis eſt: quanto magis homines quibus æternitas promittitur, Dei reguntur arbitrio?

Ad Benedictus, Antiphona. Nolite ſolliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus? ſcit enim Pater veſter cæleſtis, quid vobis neceſſe ſit, alleluia. Ad Magnificat Aña. Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis, alleluia.

DOMINICA XIII.

Poſt Octau. Trinitatis. Oratio.

Eccleſiam tuam, Domine, miſeratio continuata mundet & muniat: & quia ſine te non poteſt ſalua conſiſtere, tuo ſemper munere gubernetur. Per Dominum.

IN

Digitized by Google

IN II. NOCTVRNO.

Incipit Epiſtola prima B. Pauli Apoſtoli ad Theſſalonicenſes.

Lectio iv. C. 2.

PAulus, & Siluanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto. Gratia vobis, & pax. Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis, memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione, memores operis fidei veſtræ, & laboris, & charitatis, & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Ieſu Chriſti, ante Deũ & Patrem noſtrum: ſciẽtes fratres dilecti à Deo, electionem veſtram: quia Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos.

Lectio v.

ET vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus ſancti: ita vt facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia. A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolum in Macedonia & in Achaia, ſed & in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt, ita vt non ſit nobis neceſſe quidquam loqui.

Lectio vj.

IPſi enim de nobis annunciant qualem introitũ habuerimus ad vos: & quomodo conuerſi eſtis ad Deum à ſimulacris, ſeruire Deo viuo & vero, & expectare Filium eius de cælis, quem ſuſcitauit ex mortuis, Ieſum, qui eripuit nos ab ira ventura. Nam ipſi ſcitis, fratres, introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit: ſed ante paſſi, & contumelijs affecti (ſicut ſcitis) in Philippis, fiduciam habuimus in Deo noſtro loqui ad vos Euangelium Dei in multa ſollicitudine.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 7.

IN illo tempore: Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibãt cum illo diſcipuli eius, & turba copioſa. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Ser. 44. de verbis Domini.

DE iuuene illo reſuſcitato gauiſa eſt mater vidua: de hominibus quotidie in ſpiritu reſuſcitatis gaudet mater Eccleſia. Ille quidem mortuus erat corpore: illi autem mente. Illius mors viſibilis viſibiliter plangebãtur: illorum mors inuiſibilis, nec quærebatur, nec videbatur. Quæſiuit ille, qui nouerat mortuos. Ille ſolus nouerat mortuos, qui poterat facere viuos.

Lectio viij.

NIſi enim ad mortuos ſuſcitandos veniſſet, non diceret Apoſtolus: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Tres autem mortuos inuenimus à Domino reſuſcitatos viſibiliter, millia inuiſibiliter. Quot autem mortuos viſibiliter ſuſcitauerit, quis nouit? Non enim ſcripta ſunt omnia, quæ fecit. Ioannes hoc dixit: Multa alia ſigna fecit

fecit Ieſus: quæ ſi ſcripta eſſent, arbitror totum mundum non poſſe libros capere. Lectio ix.

MVlti ſunt ergo alij ſine dubio ſuſcitati, ſed non fruſtra tres commemorati. Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus, ea quæ faciebat corporaliter, etiam ſpiritualiter volebat intelligi. Neque enim tantum miracula propter miracula faciebat: ſed vt illa quæ faciebat, mira eſſent videntibus, vera eſſent intelligentibus. Qui viderunt Chriſti miracula, & non intellexerunt, mirati ſunt tantum quia facta ſunt: alij vero & facta mirati, & intellectum aſſecuti. Tales nos in ſchola Chriſti eſſe debemus.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ.

Ad Magnificat, Antiphona.

Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam.

DOMINICA XIV.
Poſt Octau. Trinitatis. Oratio.

TVa nos, quæſumus Domine, gratia ſemper & præueniat & ſequatur: ac bonis operibus iugiter præſtet eſſe intentos. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.
De Epiſtola prima B. Pauli Apoſtoli ad Theſſalonicenſes.

Lectio iv. C. 2.

MEmores enim eſtis, fratres, laboris noſtri, & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem veſtrum grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei. Vos teſtes eſtis, & Deus, quàm ſancte, & iuſte, & ſine querela, vobis qui crediditis, fuimus: ſicut ſcitis qualiter vnumquemque veſtrum (ſicut pater filios ſuos) deprecantes vos, & conſolantes, teſtificati ſumus, vt ambularetis digne Deo, qui vocauit vos in ſuum regnum, & gloriam. Lectio v.

IDeo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione: quoniam cum accepiſſetis à nobis verbũ auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed (ſicut eſt vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui crediditis. Vos enim imitatores facti eſtis, fratres Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu: quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt Ieſum, & Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent.

Lectio vj.

NOs autem fratres deſolati à vobis ad tempus horæ, aſpectu, nõ corde, abundantius feſtinauimus faciẽ veſtram videre cum multo deſiderio: quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & ſemel, & iterum, ſed impediuit nos ſatanas. Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſtis in aduentu eius? Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucam.
Lectio vij. C. 14.

IN illo tempore: Cum intraret Ieſus in domum cuiuſdam principis Phariſæorum Sabbato manducare panem, & ipſi obſeruabant eum; & ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.
In Luca 14.

HYdropis morbus ab aquoſo humore vocabulum trahit. Græce enim hydor, aqua vocatur. Eſt autem humor ſubcutaneus de vitio veſicæ natus cum inflatione turgente, & anhelitu fœtido. Propriumque eſt hydropici, quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius ſitire. Et ideo recte comparatur ei, quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggrauat. Comparatur etiam diuiti auaro, qui quanto eſt copioſior diuitijs, quibus non bene vtitur, tanto ardentius talia concupiſcit.

Lectio viij.

QVod dicitur reſpondiſſe Ieſus, ad hoc reſpicit quod præmiſſum eſt, Et ipſi obſeruabant eum: Dominus enim nouit cogitationes hominum. Sed merito interrogati tacent, qui contra ſe dictum quidquid dixerint, vident. Nam ſi licet Sabbato curare, quare Saluatorem, an curet, obſeruant? Si non licet, quare ipſis in Sabbato pecora curant? ipſe vero apprehenſum ſanauit eum, ac dimiſit.

Lectio ix.

PRouida diſpenſatione Dominus ante legiſperitos, & Phariſæos hydropicum curat, & mox contra auaritiam diſputat, vt videlicet per huius ægritudinem corporis, in illis exprimeretur ægritudo cordis. Denique poſt multa diſputationis eius hortamenta ſubiunctum eſt: Audiebant autem hæc omnia Phariſæi, qui erant auari, & irridebant eum.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dixit Ieſus ad legiſperitos, & Phariſæos: Si licet Sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipſe vero apprehēdens hydropicum, ſanauit eum, ac dimiſit.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cum vocatus fueris ad nuptias, recūbe in nouiſſimo loco, vt dicat tibi qui te inuitauit: Amice, aſcende ſuperius. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus, alleluia.

DOMINICA XV.
Poſt Oct. Trinitatis. Oratio.

DA quæſumus Domine, populo tuo diabolica vitare contagia: & te ſolum Deum pura mente ſectari. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.
De Epiſtola prima Beati Pauli Apoſtoli ad Theſſalonicenſes.
Lectio iv. C. 4.

DE cetero ergo, fratres, rogamus vos, & obſecramus in Domino Ieſu, vt quemadmodum accepiſtis à nobis quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim

quæ

Digitized by Google

quæ præcepta dederim vobis, per Dominum Ieſum. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore: non in paſſione deſiderij, ſicut & Gentes, quæ ignorant Deum.

Lectio v.

ET ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus vobis, & teſtificati ſumus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.

Lectio vj.

DE charitate autem fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis: ipſi enim vos à Deo didiciſtis vt diligatis inuicem. Etenim illud facitis in omnes fratres in vniuerſa Macedonia. Rogamus autem vos, fratres, vt abundetis magis, & operam detis, vt quieti ſitis, & vt veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis: & vt honeſte ambuletis ad eos, qui foris ſunt, & nullius aliquid deſideretis.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C.22.

IN illo tempore: Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi: & interrogauit eũ vnus ex eis Legis doctor, tentans eum: Magiſter, quod eſt mandatum magnũ in Lege? Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi. *In diuerſ. Mat. locos, Homil. 26.*

COnuenerunt, vt multitudine vincerent, quem ratione ſuperare non poterant. A veritate nudos ſe eſſe profeſſi ſunt, qui multitudine ſe armauerunt. Dicebant enim apud ſe: Vnus loquatur pro omnibus, & omnes loquamur per vnum, vt ſi quidem vicerit, omnes videamur victores: ſi autem victus fuerit, vel ſolus videatur confuſus. O Phariſæi, qui omnia propter homines cogitatis, & facitis! Primum quidem venientes cum vno, vincendi eſtis per vnum.

Lectio viij.

TAmen putatis, quia vno victo, homines non intelligant omnes vos victos. Numquid conſcientiæ veſtræ non ſentiunt ſe eſſe confuſas? Leuis enim eſt conſolatio, qui in ſeipſo confuſus eſt, quòd ab alijs ignoratur. Magiſter, quod eſt mandatum magnũ in lege? Magiſtrum vocat, cuius non vult eſſe diſcipulus. Simpliciſſimus interrogator, & maligniſſimus inſidiator: de magno mandato interrogat, qui nec minimum obſeruat: ille enim debet interrogare de maiori iuſtitia, qui iam minorem impleuit.

Lectio ix.

DOminus autem ſic eum reprehendit, vt interrogationis eius fictam conſcientiam ſtatim primo reſponſo percuteret, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde

tuo:

tuo: ideſt, non ſicut tu, qui deuotionē oſtendis in ore, & fraudem meditaris in corde. Magnum autem & minimum mandatum dicimus, quantum ad dignitatem mandatorum, non quantum ad vtilitatem. Alioquin vtilitas omnium mandatorum vna eſt, & omnia mandata, quæ vnum videntur eſſe mādatum, ita ſibi cohærent, vt alterum ſine altero eſſe non poſſit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Magiſter, quod eſt mandatum magnū in Lege? Ait illi Ieſus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? Dicūt ei omnes: Dauid. Dicit eis Ieſus: Quomodo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis?

DOMINICA XVI.

Poſt Oct. Trinitatis. Oratio.

Dirigat corda noſtra, quæſumus Domine, tuæ miſerationis operatio: quia tibi ſine te placere non poſſumus. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola prima B. Pauli Apoſtoli ad Theſſalonicenſes.

Lectio iv. C. 5.

De temporibus autem, & momentis, fratres, non indigetis vt ſcribamus vobis. Ipſi enim diligenter ſcitis quia dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet. Cū enim dixerint, pax, & ſecuritas: tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habenti, & non effugient. Vos autem fratres, nō eſtis in tenebris, vt vos dies illa tamquam fur comprehendat: omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum.

Lectio v.

Igitur non dormiamus ſicut & ceteri, ſed vigilemus, & ſobrij ſimus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt. Nos autem, qui diei ſumus, ſobrij ſimus, induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpem ſalutis: quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis: vt ſiue vigilemus, ſiue dormiamus, ſimul cum illo viuamus.

Lectio vj.

Propter quod conſolamini inuicē: & ædificate alterutrum, ſicut & facitis. Rogamus autem vos, fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis. Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 9.

In illo tempore: Aſcendens Ieſus in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chryſologi.

Serm.

Serm. 50.

CHriſtum in humanis actibus diuina geſſiſſe myſteria, & in rebus viſibilibus inuiſibilia exercuiſſe negotia, lectio hodierna monſtrauit. Aſcendit, inquit, in nauiculã, & transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Nonne ipſe eſt, qui fugatis fluctibus, maris profunda nudauit, vt Iſraeliticus populus inter ſtupentes vndas ſicco veſtigio velut montium concaua transiret? Nonne hic eſt, qui Petri pedibus marinos vortices inclinauit, vt iter liquidum humanis greſſibus ſolidum præberet obſequium?

Lectio viij.

ET quid eſt, quòd ipſe ſibi ſic maris denegat ſeruitutem, vt breuiſſimi laci trãſitum ſub mercede nautica transfretaret? Aſcendit, inquit, in nauiculam, & ttansfretauit. Et quid mirum, fratres? Chriſtus venit ſuſcipere infirmitates noſtras, & ſuas nobis conferre virtutes: humana quærere, præſtare diuina: accipere iniurias, reddere dignitates: ferre tædia, referre ſanitates: quia medicus, qui non fert infirmitates, curare neſcit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non poteſt conferre ſanitatem.

Lectio ix.

CHriſtus ergo, ſi in ſuis manſiſſet virtutibus, commune cum hominibus nihil haberet: & ſi non impleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet otioſa ſuſceptio. Aſcendit, inquit, in nauiculam, & transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Creator omnium rerum Deus, poſtquam ſe propter nos noſtra anguſtauit in carne, cœpit habere humanam patriam, cœpit ciuitatis Iudaicæ eſſe ciuis: parentes habere cœpit parentum omnium ipſe parens: vt inuitaret amor, attraheret charitas, vinciret affectio, ſuaderet humanitas, quos fugarat dominatio, metus diſperſerat, & fecerat vis poteſtatis extorres.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dixit Dominus paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Ad Magnificat, Antiphona.

Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.

DOMINICA XVII.

Poſt Octau. Trinitatis.

Oratio.

OMnipotens & miſericors Deus, vniuerſa nobis aduerſantia propitiatus exclude: vt mente & corpore pariter expediti, quæ tua ſunt, liberis mentibus exequamur. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola ſecunda B. Pauli Apoſtoli ad Theſſalonicenſes.

Lectio iv. C. 2.

ROgamus autem vos, fratres, per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum: vt non cito moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini.

Ne quis vos ſeducat vllo modo: quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat oſtẽdens ſe tamquam ſit Deus.

Lectio v.

NOn retinetis, quòd cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui eum: cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſatanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt: eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent.

Lectio vj.

IDeo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in ſalutem in ſanctificatione ſpiritus, & in fide veritatis: in qua & vocauit vos per Euangelium noſtrum in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 22.

IN illo tempore: Loquebatur Ieſus principibus ſacerdotũ & Phariſæis in parabolis, dicens: Simile factũ eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

Homil. 38. in Euang.

SAepe iã me dixiſſe memini, quòd plerumque in ſancto Euangelio regnum cælorum præſens Eccleſia nominatur: congregatio quippe iuſtorũ, regnum cælorum dicitur. Quia enim per Prophetam Dominus dicit: Cælum mihi ſedes eſt: & Salomon ait: Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ: Paulus etiam dicit Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam: liquido colligere debemus, quia ſi Deus eſt ſapientia, anima autem iuſti, ſedes ſapientiæ: dum cælum dicitur ſedes Dei, cælum ergo eſt anima iuſti.

Lectio viij.

HInc per Pſalmiſtam de ſanctis prædicatoribus dicitur: Cæli enarrant gloriam Dei. Regnum ergo cælorum eſt Eccleſia iuſtorum: quia dum eorum corda in terra nil ambiũt, per hoc quòd ad ſuperna ſuſpirant, iam in eis Dominus quaſi in cæleſtibus regnat. Dicatur ergo: Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Iam intelligit charitas veſtra, quis eſt iſte rex regis filij pater: ille nimirum, cui Pſalmiſta ait: Deus, iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis.

Lectio ix.

QVi fecit nuptias filio ſuo. Tunc enim Deus Pater Deo filio ſuo nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis humanæ naturæ coniūxit, quando Deum ante ſæcula fieri voluit hominem in fine ſæculorum. Apertius igitur atque ſecurius dici poteſt, quia in hoc Pater regi Filio nuptias fecit, quando ei per Incarnationis myſterium ſanctam Eccleſiam ſociauit. Vterus autem Genitricis Virginis, huius ſponſi thalamus fuit. Vnde & Pſalmiſta dicit: In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dicite inuitatis: Ecce prandiū meum paraui, venite ad nuptias, dicit Dn̄s.

Ad Magnificat, Antiphona.

Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni: ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumque inueneritis, vocate ad nuptias, dicit Dominus.

DOMINICA XVIII.

Poſt Octa. Trinitatis. Oratio.

LArgire quæſumus Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus, & pacem: vt pariter ab omnibus mundētur offenſis, & ſecura tibi mente deſeruiant. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola prima B. Pauli Apoſtoli ad Timotheum.

Lectio iv. C. 1.

PAulus Apoſtolus Ieſu Chriſti ſecundum imperium Dei Saluatoris noſtri, & Chriſti Ieſu ſpei noſtræ: Timotheo dilecto filio in fide: gratia, miſericordia, & pax à Deo Patre, & Chriſto Ieſu Domino noſtro. Sicut rogaui te vt remaneres Epheſi cum irem in Macedoniam, vt denūciares quibuſdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, & genealogijs interminatis: quæ quæſtiones præſtant magis quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide.

Lectio v.

FInis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conuerſi ſunt in vaniloquium: volentes eſſe legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quia bona eſt lex, ſi quis ea legitimè vtatur: ſciens hoc, quòd lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis & non ſubditis, impijs & peccatoribus, ſceleratis & contaminatis, parricidis & matricidis, homicidis, fornicarijs, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus & periuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ aduerſatur, quæ eſt ſecundum Euāgelium gloriæ beati Dei, quod creditum eſt mihi.

Lectio vi.

GRatias ago ei, qui me confortauit, Chriſto Ieſu Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimauit, ponens in miniſterio: qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundauit autem gratia

tia Domini noſtri cum fide & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio vij. C.4.

IN illo tempore: Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

Hom. 28. in Euang.

HOc autem nobis ſolummodo, fratres, de ſancti Euangelij expoſitione video eſſe requirendum, cur is, qui ad ſalutem filio petendam venerat, audiuit: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Qui enim ſalutem quærebat filio, proculdubio credebat: neque enim ab eo quæreret ſalutem, quem non crederet ſaluatorem. Quare ergo dicitur: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis: qui ante credidit, quàm ſigna videret?

Lectio viij.

SEd mementote quid petiit: & aperte cognoſcetis, quia in fide dubitauit. Popoſcit namque, vt deſcēderet & ſanaret filium eius. Corporalem ergo Domini præſentiam quærebat, qui per ſpiritū nuſquam deerat. Minus itaque in illum credidit, quem non putauit ſalutē poſſe dare, niſi præſens eſſet & corpore. Si enim perfecte credidiſſet, proculdubio ſciret, quia non eſſet locus, vbi non eſſet Deus.

Lectio ix.

EX magna ergo parte diffiſus eſt, qui virtutis honorem non dedit maieſtati, ſed præſentiæ corporali. Salutem itaque filio petiit, & tamen in fide dubitauit: quia eum, ad quem venerat, & potentem ad curandum credidit, & tamē morienti filio eſſe abſentem putauit. Sed Dominus, qui rogatur vt vadat, quia non deſit vbi inuitatur, indicat: ſolo iuſſu ſalutem reddidit, qui voluntate omnia creauit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum: hic cum audiſſet quòd Ieſus adueniret in Galilæam, rogabat eum, vt deſcenderet, & ſanaret filium eius.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit Ieſus: Filius tuus viuit. Et credidit ipſe, & domus eius tota.

DOMINICA XIX.

Poſt Octau. Trinitatis.

Oratio.

FAmiliam tuam, quæſumus Domine, continua pietate cuſtodi: vt à cunctis aduerſitatibus te protegente ſit libera, & in bonis actibus tuo nomini ſit deuota. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola prima Beati Pauli Apoſtoli ad Timotheum.

Lectio iv. C.2.

OBſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum

coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Lectio v.

Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominũ homo Chriſtus Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, teſtimonium temporibus ſuis: in quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus (veritatem dico, non mentior) doctor Gentium in fide, & veritate. Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira, & diſceptatione.

Lectio vj.

Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa: ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Mulier in ſilẽtio diſcat cum omni ſubiectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum: ſed eſſe in ſilentio.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 18.

In illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 3. Comment. in Matth.

Familiare eſt Syris, & maxime Palæſtinis, ad omnem ſermonem ſuum parabolas iungere: vt quod per ſimplex præceptum teneri ab auditoribus non poteſt, per ſimilitudinem exemplaque teneatur. Præcepit itaque Dominus Petro ſub comparatione regis & domini, & ſerui, qui debitor decem millium talentorum à domino rogans veniam impetrauerat, vt ipſe quoque dimittat conſeruis ſuis minora peccantibus.

Lectio iij.

Si enim ille rex & dominus ſeruo ſuo debitori decem millia talentorum tam facile dimiſit: quanto magis ſerui conſeruis ſuis debent minora dimittere? Quod vt manifeſtius fiat, dicamus ſub exemplo. Si quis noſtrum commiſerit adulterium, homicidium, ſacrilegium, maiora crimina, decem millia talentorum rogantibus dimittuntur, ſi & ipſi dimittant minora peccantibus.

Lectio ix.

Sin autem ob factam contumeliam ſimus implacabiles, & propter amarius verbum perpetes habeamus diſcordias, nonne vobis videmur rectè redigendi in carcerem, & ſub exemplo operis noſtri hoc agere, vt maiorum nobis delictorum venia non relaxetur? Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. Formidoloſa ſententia!

Ad Benedictus, Antiphona.

Dixit autem dominus ſeruo: Redde quod debes. Procidens autem ſeruus ille rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

Ad

Digitized by Google

Ad Magnificat, Antiphona.

Serue nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? dicit Dominus.

DOMINICA XX.

Poſt Oct. Trinit. Oratio.

Deus, refugium noſtrũ, & virtus: adeſto pijs Eccleſiæ tuæ precibus auctor ipſe pietatis, & præſta: vt quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola prima B. Pauli Apoſtoli ad Timotheum.

Lectio iv. C. 4.

Exerce autem teipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt: pietas autẽ ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nũc eſt, & futuræ. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia ſperamus in Deum viuum, qui eſt Saluator omnium hominũ, maxime fidelium. Præcipe hæc, & doce.

Lectio v.

Nemo adoleſcentiam tuam contemnat: ſed exẽplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiã, cum impoſitione manuum presbyterij. Hæc meditare, in his eſto: vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.

Lectio vj.

Attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipsũ ſaluum facies, & eos qui te audiunt. Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem: iuuenes, vt fratres: anus, vt matres: iuuenculas, vt ſorores in omni caſtitate. Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt. Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet: diſcat primum domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum eſt coram Deo.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 22.

In illo tempore: Abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt vt caperent Ieſum in ſermone. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

In diuerſos Matt. locos, Homil. 25.

Quò abierunt? Ad Herodianos. Homines coloni cuius terram poſſident, eius auxilio opus habẽt, qui iuſtitiam tenet, nullius patrocinio indiget, niſi Dei: qui in diaboli iniquitatibus ambulat, diaboli adiutorium neceſſarium habet. Vidiſti aliquando eũtem ad furtum Deum orare, vt bene proſperetur in furto? Aut qui vadit ad fornicationem, numquid ſignum crucis ponit ſibi in fronte, vt non comprehendatur in crimine? Quod ſi fecerit, non iuuatur: quia neſcit iuſtitia Dei patrocinium dare criminibus.

Lectio viij.

Sic & iſti Chriſtum expugnare cupientes, conuenienter non ad-

ſeruos Dei viros religioſos, ſed ad Gẽtiles, ideſt, ad Herodianos ſe contulerunt: quale conſilium, tales & conſiliatores. Quis autem poterat dare conſilium contra Chriſtum, niſi diabolus, qui erat aduerſarius Chriſti? Nec per ipſos interrogare volebant Chriſtum: quia in magna ſuſpicione inimicitiæ fuerant apud Chriſtum.

Lectio ix.

MIſerunt ergo diſcipulos ſuos, quaſi adhuc minus cognitos, & minus ſuſpectos, vt aut abſconditi facile deciperet eum, aut deprehenſi minus erubeſcerent apud eum. Nam conſilio malo deprehenſo, tanto minor naſcitur confuſio, quanto fuerit perſona deterior. Sed diſcipuli illi magiſtris ſuis ætate minores erant, malitia autem pares: nam & pulli ſerpentum ſtatura breuiores, veneno autem æquales ſunt: & catuli luporum adhuc teneri conſtituti, etſi venationem obtinere non poſſunt, iam tamen ſanguine gaudent, & morſibus ludunt.

Ad Benedictus, Antiphona.

Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo, alleluia.

Si ſequens Dominica fuerit vltima poſt Octauas Trinitatis, eius loco ponatur vigeſima ſecunda, quæ eſt infra, & Officium huius Dominicæ, nempe Homilia, Antiphonæ ad Benedictus, & Magnificat, & Oratio legatur Feria ſexta præcedenti, aut alia vacante antecedentis Hebdomadæ.

DOMINICA XXI.

Poſt Oct. Trinit. Oratio.

ABſolue, quæſumus Domine, tuorum delicta populorum: & à peccato noſtrorum nexibus, quæ pro noſtra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per Dominum noſtrum.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola ſecunda B. Pauli Apoſtoli ad Timotheum.

Lectio iv. C. 2.

FIrmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: Cognouit Dominus qui ſunt eius: & diſcedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliã. Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino, ad omnem opus bonum paratum.

Lectio v.

IVuenalia autem deſideria fuge, ſectare vero iuſtitiam: fidem, ſpem, charitatem, & pacem cum ijs, qui inuocant Dominum de corde puro. Stultas autem, & ſine diſciplina quæſtiones deuita: ſciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare: ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, nequando Deus det

illis

Digitized by Google

illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.

Lectio vj. C. 3.

HOc autem ſcito, quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei: habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 9.

IN illo tempore: Loquente Ieſu ad turbas, ecce princeps vnus acceſſit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta eſt. Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Epiſcopi.

Comment. in Matth. 9.

PRinceps hic lex eſſe intelligitur: quæ Dominum orat, vt vitam mortuæ reddat. Nam cum nullum principem crediſſe legimus, perſona principis huius orantis, merito in typum legis aptatur. Cui quidem Dominus opem ſpopondit: ad quam præſtandam proſecutus eſt: ſed prior cum Apoſtolis peccatorum turba ſaluatur. Et cum primum electionem, quæ ex lege deſtinabatur, viuere oportuiſſet: anterior tamen in mulieris ſpecie, ſalus publicanis & peccatoribus redditur.

Lectio viij.

CVius fidem, & conſtantiam Dominus laudauit: quia quod Iſraeli parabatur, plebs Gentium occupauit. Eſt autem in ſimplici intelligentia magna virtutis Dominicæ admiratio, cum poteſtas intra corpus manens, rebus caducis efficientiam redderet ſanitatis: & vſque in veſtitum fimbrias operatio diuina procederet. Non enim diuiſibilis, & comprehenſibilis erat Deus, vt corpore clauderetur.

Lectio ix.

IPſe enim dona in ſpiritu diuidit: ceterum non diuiditur in donis. Virtutem autem eius fides vbique conſequitur, quia vbique eſt, & nuſquam abeſt. Et aſſumptio corporis non naturam virtutis incluſit, ſed ad redemptionem ſuam, fragilitatem corporis virtus aſſumpſit. Quæ tam infinita, tam libera eſt, vt etiam oſtenderit non ex ſalute fidem, ſed per fidem ſalutem expectandam.

Ad Benedictus, Antiphona.

Loquente Ieſu ad turbas, ecce princeps vnus acceſſit, & adorauit eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet.

Ad Magnificat, Antiphona.

Confide filia, fides tua te ſaluam fecit. Et ſanata eſt mulier ex illa hora, allel.

Dominicæ poſt Octauas Trinitatis vſque ad Aduentum excluſiue non poſſunt

poſſunt eſſe pauciores viginti vna, nec plures viginti ſex. Cum autem fuerint plures viginti duabus, tunc poſt vigeſimam primam Dominicam reſumuntur quæ eo anno ſuperfuerũt poſt Octauas Epiphaniæ, quo ad orationem, Lectiones ſecundi Nocturni, Homiliam, & antiphonas ad Benedictus, & Magnificat, hoc ordine. Si Dominicæ poſt Octau. Trinit. fuerint xxiij. Dominica xxij. poſt Octau. Trinitatis erit quæ eſt v. poſt Octau. Epiphan. Si fuerint xxiv. Dominica xxij. erit quæ eſt iv. poſt Octauas Epiphan. & xxiij. quæ eſt v. Si fuerint xxv. Dominica xxij. erit quæ eſt iij. poſt Octau. Epiphan. & xxiij. quæ eſt iv. & xxiv. quæ eſt v. Si fuerint xxvj. Dominica xxij. erit quæ eſt ij. poſt Octau. Epiphaniæ, & xxiij. quæ eſt iij. & xxiv. quæ eſt iv. & xxv. quæ eſt v. poſt Oct. Epiphaniæ, & vltimo loco ſemper ponitur quæ ſequitur hic ordine xxij.

DOMINICA XXII.

Poſt Octau. Trinitatis. Oratio.

Excita, quæſumus Domine, tuorũ fidelium voluntates: vt diuini operis fructum propenſius exequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiant. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

Incipit Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Titum. Lectio iv. C. 1.

Paulus ſeruus Dei, Apoſtolus autem Ieſu Chriſti ſecundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt in ſpem vitæ æternæ, quam promiſit qui non mentitur, Deus, ante tempora ſæcularia: manifeſtauit autem temporibus ſuis verbum ſuum in prædicatione, quæ credita eſt mihi ſecundum præceptum Saluatoris noſtri Dei: Tito dilecto filio, ſecundum communem fidem, gratia & pax à Deo Patre, & Chriſto Ieſu Saluatore noſtro.

Lectio v.

Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Si quis ſine crimine eſt, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem: vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere.

Lectio vj.

Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeductores: maxime qui de circumciſione ſunt: quos oportet redargui: qui vniuerſas domos ſubuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis, proprius ipſorum propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Teſtimonium hoc verum eſt.

IN

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lect.vij. C.24.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat. Et reliqua.

Homilia S. Hilarij Epiſcopi.

In Comment. in 24. Matth.

INdicium Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſui aduentus futuri, cum abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto videbunt, intelligendũ poſuit. Et de hoc quidem beatiſſimo Daniele, & Paulo prædicantibus, ſuperfluum puto nos habere ſermonem. De Antichriſti enim temporibus hæc locutus eſt. Abominatio ex eo dictus, quòd aduerſus Deum veniens, honorem ſibi Dei vendicet. Lect.viij.

DEſolationis autem abominatio, quia bellis, & cædibus terram cum piaculo deſolaturus ſit: atque à Iudæis ſuſceptus, loco ſanctificationis inſiſtet: vt vbi ſanctorũ precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis ſit. Quod autem ait: Et qui in tecto ſunt, non deſcendant tollere aliquid de domo: ſecundum humanam intelligentiam, rationem dicti factique non recipit.

Lectio ix.

QVi enim in tecto eſt, & Iudæam ſit relicturus: niſi deſcendens ex eo, abire non poterit. Aut quæ vtilitas eſt, conſiſtere in tecto, & non in domo manere? Sed frequenter admonuimus, proprietates verborum, & locorum contuendas: vt documenta præceptorum cæleſtium conſequamur. Tectum eſt domus faſtigium, & habitationis totius celſa perfectio. Qui igitur in conſummatione domus ſuæ, ideſt, in corporis ſui perfectione conſtiterit, regeneratione nouus, ſpiritu celſus, & diuini muneris abſolutione perfectus, non deſcendere in humiliora rerum ſæcularium cupiditate debebit. Ad Benedictus, Aña. Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat.

Ad Magnificat, Antiphona. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt, dicit Dominus.

DE OFFICIO Dedicationis Eccleſiæ.

1. NOtandum quòd in primo anno Dedicationis Eccleſiæ Officium inchoatur in Miſſa. In Hora vero, quæ ſequitur Miſſam, & deinceps in omnibus Horis vſque ad Completorium ſequentis diei excluſ. fiat Officium Totum Duplex, & dicatur Oratio. Deus, qui inuiſibiliter ad omnes Horas, præterquam ad Completoriũ, & Primam.

2. In Veſperis diei quo Eccleſia dedicata eſt, cantetur ℟. & die ſequenti in Matut. fiant ix. Lectiones, vel tres tempore Paſchali. Octa. vero celebrabitur reuoluta Hebdomada, eo die, quo Dedicatio facta fuerit, & dicitur Oratio. Deus,

Deus, qui inuiſibiliter. quotidie per Oct. quando de ipſis agendum fuerit.

3. Secundo anno, & deinceps ſingulis annis in Anniuerſario, fiat Officiũ ſicut in Toto Duplici & Oct. celebretur ad inſtar Oct. Simplicium, præterquam in Aduentu, & deinceps vſque ad Octa. Epiphaniæ, & in Septuageſima, & deinceps vſque ad Octauam Paſchæ: & in diebus Rogationũ, & deinceps vſque ad Octa. Corporis Chriſti. Quando autem Octauæ non ſunt, infra Oct. Memoria non fiat de Dedicatione. Quòd ſi hoc Feſtum infra Octa. alicuius Sancti euenerit, durantibus Oct. de Sancto, fiat Memoria de Octa. Dedicationis, quibus celebratis fiat Officium de Oct. Dedic. niſi adſit impedimentum.

4. Fratres de Conuentu, in quo Feſtum huiuſmodi celebratur, tam intus, quàm extra faciant Officium de Dedicatione.

5. Fratres etiam hoſpites, dum ſunt præſentes in Conuentu aliquo, faciãt Officium ſicut fit in Conuentu, tam de Feſto Dedicationis, quàm de alijs, quamuis per Ordinem generaliter nõ fiant. Poſtquam vero receſſerint de Conuentu, ad Officium conſuetum redeant.

IN DEDICATIONE Eccleſiæ, & in Anniuerſario eiuſdem.

Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona.

Sanctificauit Dominus tabernaculum ſuum: hæc eſt Domus Domini, in qua inuocetur nomen eius, de quo ſcriptũ eſt: Erit nomen meum ibi, dicit Dominus. Pſal. Laudate pueri. cum ceteris. Capitulum. *Apo. 21.*

Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalẽ nouam deſcendentem de cælo à Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. ℟. Terribilis eſt. ℣.

Hymnus.

Vrbs Ieruſalem beata,
Dicta pacis viſio,
Quæ conſtruitur in cælis,
Viuis ex lapidibus,
Et Angelis coronata,
Vt ſponſata comite.

Noua veniens è cælo,
Nuptiali thalamo
Præparata, vt ſponſata
Copuletur Domino:
Plateæ & muri eius
Ex auro puriſſimo.

Portæ nitent margaritis
Adytis patentibus:
Et virtute meritorum
Illuc introducitur
Omnis qui ob Chriſti nomen
Hic in mundo premitur.

Tunſionibus, preſſuris
Expoliti lapides,
Suis coaptantur locis
Per manus artificis,
Diſponuntur permanſuri
Sacris ædificijs.

Gloria & honor Deo
Vſquequaque altiſſimo,
Vnà Patri, Filioque,
Inclyto Paraclito,
Cui laus & poteſtas
Per æterna ſæcula. Amen.

℣. Domum tuam Domine decet ſanctitudo.

Digitized by Google

ctitudo. ℟. In longitudinem dierum.
Ad Magnificat, Antiphona.
O quàm metuendus eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli.
In primo anno. Oratio.
DEus, qui inuiſibiliter omnia contines, & tamen pro ſalute generis humani ſigna tuæ potentiæ viſibiliter oſtendis: templum hoc potentia tuæ inhabitationis illuſtra, & concede vt omnes, qui huc deprecaturi conueniunt, ex quacumque tribulatione ad te clamauerint, conſolationis tuæ beneficia conſequantur. Per Dominum noſtrum.
In ſecundo anno & deinceps.
Oratio.
DEus, qui nobis per ſingulos annos, huius ſancti templi tui conſecrationis reparas diem, & ſacris ſemper myſterijs repræſentas incolumes: exaudi preces populi tui, & præſta: vt quiſquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta ſe impetraſſe lætetur. Per Dominum.
Ad Matu. Inuitat. Exultemus Domino Regi ſummo: Qui ſuum ſanctificauit tabernaculum.
Hymnus. Vrbs Ieruſalem beata. 532.
IN I. NOCTVRNO. Aña.
Tollite portas, principes, veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Pſal. Domini eſt terra. 15
Aña. Vidit Iacob ſcalam, ſummitas eius cælos tangebat, & deſcendentes Angelos, & dixit: Vere locus iſte ſanctus eſt. Pſal. Deus noſter 30. Aña. Cum euigilaſſet Iacob de ſomno, ait: Vere locus iſte ſanctus eſt. Pſal. Magnus Dominus. 31. ℣. Domum tuam Domine, decet ſanctitudo. ℟. In longitudinem dierum.
De Libro ſecundo Paralipomenon.
Lectio j. C. 7.
CVmque compleſſet Salomon fundens preces, ignis deſcendit de cælo, & deuorauit holocauſta & victimas: & maieſtas Domini impleuit domum: nec poterant ſacerdotes ingredi templum Domini, eo quòd impleſſet maieſtas Domini templum Domini. Sed & omnes filij Iſrael videbãt deſcendentem ignem, & gloriam Domini ſuper domum: & corruentes proni in terram ſuper pauimentum ſtratũ lapide, adorauerunt & laudauerunt Dominum, Quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Rex autem & omnis populus immolabant victimas coram Domino. ℟. In dedicatione templi decantabat populus laudem: Et in ore eorum dulcis reſonabat ſonus. ℣. Obtulerunt ſacrificium ſuper altare Domini: & ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt eum. Et in.
Lectio ij.
MActauit igitur rex Salomon hoſtias boum viginti duo millia: arietum centum viginti millia: & dedicauit domum Dei rex, & vniuerſus populus. Sacerdotes autem ſtabant in officijs ſuis: & Leuitæ in organis carminum Domini, quæ fecit Dauid rex ad laudandum Dominum, Quoniam in æternũ miſericordia eius: hymnos

Dauid canentes per manus ſuas. Porro ſacerdotes canebãt tubis ante eos, cunctuſque Iſrael ſtabat. ℟. Fundata eſt domus Domini ſuper verticem montium, & exaltata eſt ſuper omnes colles: & venient ad eam omnes gentes, Et dicent, Gloria tibi Domine. ℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipolos ſuos. Et dicent. Lectio iij.

SAnctificauit quoque Salomõ medium atrij ante templum Domini: obtulerat enim ibi holocauſta & adipes pacificorum: quia altare æneum quod fecerat, non poterat ſuſtinere holocauſta & ſacrificia & adipes. Fecit ergo Salomon ſolemnitatem in tempore illo ſeptem diebus, & omnis Iſrael cum eo, eccleſia magna valde, ab introitu Emath vſque ad torrentem. Aegypti. Fecitque die octauo collectam, eo quòd dedicaſſet altare ſeptẽ diebus, & ſolemnitatem celebraſſet diebus ſeptem. ℟. Mane ſurgens Iacob erigebat lapidem in titulum, fundenſque oleum deſuper, votum vouit Domino: Vere locus iſtẽ ſanctus eſt, Et ego neſciebam. ℣. Vidit Iacob ſcalam, ſummitas eius cælos tangebat: & deſcendentes Angelos, & ait. Vere Gloria. Et ego.

IN II. NOCTVRNO. Aña. Non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli. Pſalm Quàm dilecta. 55. Aña. Erexit Iacob lapidem in titulũ, fundens oleum deſuper. Pſal. Benedixiſti. 56. Aña. Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte vocabitur domus Dei. Pſal. Fundamenta. 57. ℣. Hæc eſt domus Domini firmiter ædificata. ℟. Bene fundata eſt ſupra firmam petram.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi. *Sermo* 252. *de Tempore*. Lectio iv.

QVotieſcumque, fratres chariſſimi, altaris vel templi feſtiuitatem colimus, ſi fideliter ac diligenter attendimus, & ſancte ac iuſte viuimus: quidquid in templis manufactis agitur, totum in nobis ſpiritali ædificatione completur. Non enim mentitus eſt ille qui dixit: Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Et iterum: Neſcitis, quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt? Et ideo, fratres chariſſimi, quia nullis præcedẽtibus meritis per gratiam Dei meruimus fieri templũ Dei, quantum poſſumus cum ipſius adiutorio laboremus, ne Dominus noſter in templo ſuo, hoc eſt, in nobis, inueniat quod oculos ſuæ maieſtatis offendat. ℟. Benedic Domine domum iſtam, quam ædificaui nomini tuo: venientium in locum iſtum Exaudi preces in excelſo ſolio gloriæ tuæ. ℣. Domine, ſi conuerſus fuerit populus tuus, & orauerit ad Sanctuarium tuum. Exaudi. Lectio v.

ET ideo, fratres chariſſimi, vnuſquiſque conſideret cõſcientiam ſuam, & quando ſe aliquo peccato vulneratum eſſe cognouerit, prius orationibus, ieiunijs, & eleemoſynis ſtudeat mundare conſcientiam ſuam, & ſic Euchari-

charitatiam præſumat accipere. Qui enim agnoſcens reatum ſuum, ipſe ſe humiliter ab altari Eccleſiæ pro emendatione vitæ remouere voluerit, ab æterno illo, & cæleſti conuiuio excõmunicari penitus non timebit. ℞. O quã metuendus eſt locus iſte! Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cæli. ℣. Mane ſurgens Iacob, votum vouit Domino: & dixit. Non. Lectio vj.

Si ad menſam cuiuſque potentis nemo præſumit cum veſtibus inquinatis accedere, quanto magis à cõuiuio æterni regis, ideſt ab altari Domini, debet ſe vnuſquiſque inuidiæ, vel odij veneno percuſſus, iracundiæ furore repletus, cum humilitate, & reuerẽtia ſubtrahere? propter illud quod ſcriptum eſt: Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Et iterũ: Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtẽ nuptialem? ℞. Orantibus in loco iſto dimitte Domine peccata populi tui: & oſtẽde eis viam bonam per quã ambulent, Et da gloriam nomini tuo. ℣. Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat. Et da gloriam. Gloria Patri. Et da.

IN III. NOCTVRNO. Aña. Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Pſal. Ipſe. 60 Aña. Domũ iſtam protege Domine: & Angeli tui cuſtodiãt muros eius. Pſal. Cantate. 64. Aña. Fundata eſt domus Domini ſuper verticem montium: & exaltata eſt ſuper omnes colles. Pſal. Dominus regnauit, exul. 64. ℣. Beati qui habitant in domo tua Domine. ℞. In ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 19.

IN illo tempore: Ingreſſus Ieſus perambulabat Iericho: & ecce vir nomine Zacchæus, & hic erat princeps publicanorũ, & ipſe diues. Et rel.

Homilia ſancti Ambroſij Epiſcopi. *Lib. 8. in Lucam.*

ZAcchæus ſtatura puſillus, hoc eſt, nulla nobilitatis ingenitæ dignitate ſublimis, exiguus meritis, ſicut populus nationũ, audito Domini Saluatoris aduentu, quem ſui non receperant, videre cupiebat. Sed nemo facile Ieſum videt: nemo poteſt Ieſum videre conſtitutus in terra. Et quia non prophetas, non legem habebat, tamquam formæ gratiam naturalis, aſcendit in ſycomorum, vanitatem ſcilicet Iudæorum veſtigio ſuo terens, errata quoque corrigens ſuperioris ætatis: & ideo Ieſum interioris domus recepit hoſpitio. ℞. Lapides pretioſi omnes muri tui: Et turres Ieruſalem gemmis ædificabuntur. ℣. Hæc eſt domus Domini firmiter ædificata, bene fundata eſt ſupra firmam petram. Et turres.

Lectio viij.

ET bene aſcendit in arborem, vt arbor bona fructus bonos faceret: ac naturali excиſus oleaſtro, & contra naturam inſertus in bonam oliuã, fructũ poſſet legis afferre. Radix enim ſancta, etſi rami inutiles: quorum infructuoſam gloriã plebs Gẽtium fide reſurre-

ſurrectionis, quaſi quadam corporis eleuatione traſcēdit. ℟. Domus mea, domus orationis vocabitur, dicit Dominus: In ea omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur. ℣. Domum tuam Domine decet ſanctitudo, in longitudinem dierum. In ea.

Lectio ix.

ET ecce vir nomine Zacchæus. Zacchæus in ſycomoro, cæcus in via: quorum alterum Dominus miſeraturus expectat, alterum manſionis ſuæ claritate nobilitat: alterum ſanaturus interrogat, apud alterum ſe non inuitatus inuitat. Sciebat enim vberē hoſpitij ſui eſſe mercedem. Sed tamē, etſi nondum vocem inuitantis audierat, iam viderat affectum. ℟. Terribilis eſt locus iſte: non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli: Vere etenim Dominus eſt in loco iſto, Et ego neſciebam, ℣. Cumque euigilaſſet Iacob, quaſi de graui ſomno, ait: Vere Gloria Et. ℣. Domine dilexi decorem domus tuæ. ℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

In Laudibus, Antiphona.

DOmum tuam Domine decet ſanctitudo, in longitudinem dierū. Pſal. Dominus regnauit. cum reliquis Aña. Hæc eſt domus Domini firmiter ædificata, bene fundata eſt ſupra firmam petram. Aña. Domus mea, domus orationis vocabitur. Aña. Bene fundata eſt domus Domini, ſupra firmam petram. Aña. Lapides pretioſi omnes muri tui, & turres Ieruſalē gemmis ædificabuntur. Cap. Vidi ciuitatem. 532. Hymnus.

ANgularis fundamentum
Lapis Chriſtus miſſus eſt,
Qui parietum compage
In vtroque nectitur:
Quem Sion ſancta ſuſcepit,
In quo credens permanet.

Omnis illa Deo ſacra
Et dilecta ciuitas,
Plena modulis, in laude,
Et canore iubilo,
Trinum Deum vnicumque
Cum fauore prædicat.

Hoc in templo ſumme Deus,
Exoratus adueni:
Et clementi bonitate
Precum vota ſuſcipe:
Largam benedictionem
Hic infunde iugiter.

Hic promereantur omnes
Petita acquirere,
Et adepta poſſidere
Cum ſanctis perenniter:
Paradiſum introire,
Tranſlati in requiem.

Gloria & honor Deo. vt ſupra. 532.

℣. Domus mea. ℟. Domus orationis vocabitur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Mane ſurgēs Iacob erigebat lapidem in titulum, fundens oleum deſuper, votum vouit Domino: vere locus iſte ſanctus eſt, & ego neſciebam. Ad Horas Antiph. Laud. Ad Tertiam, Cap. Vidi ciuitatem. ℟. Domum tuam Domine, decet ſanctitudo, Alleluia, allel. Domum. ℣. In longitudinem dierum. Alle-

Alleluia. Gloria. Domum. ℣. **Hæc eſt domus.** vt infra.

Ad Sextam, Capitulum. *Apo.* 21.

ECce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. ℟. **Hæc eſt domus Domini firmiter ædificata, Alleluia, alleluia. Hæc eſt.** ℣. **Bene fundata eſt ſupra firmam petram. Alleluia. Gloria Patri. Hæc eſt.** ℣. **Beati qui habitant.**

Ad Nonam, Capitulum. *Cor.* 3.

FVndamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. ℟. **Beati qui habitant in domo tua Domine, Alleluia, alleluia. Beati.** ℣. **In ſæcula ſæculorum laudabunt te. Alleluia. Gloria. Beati.** ℣. **Domus mea.** ℟. **Domus orationis vocabitur.** Ad Veſper. Aña. **Domum tuam.** Pſal. **Credidi. 77. Lætatus ſum. 86. Niſi Dominus 88. Laudate Dominum, quoniam. 97. Lauda Ieruſalem. 97.** Capit. Hymn. ℣. vt in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Zacchæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere. At ille feſtinans deſcendit, & ſuſcepit illum gaudens in domum ſuam. Hodie huic domui ſalus à Deo facta eſt.

Per Octauas, & in Octa. Trinit. de die. Ad Benedictus, & Ad Magnif. Aña. de die. Cetera fiant ſecundum modum Octauarum ſimplicium.

Tempore Paſchali ſic fiat Officium. Ad Veſp. vt ſup. ad Matut. Inui. Hym. ℣. vt ſupra. Tres Pſal. cum Antiph. & ℣℣. & tribus. ℟℟. ſecundum Feriam & ordinem Noctur. & dimiſſa Homil. legantur tres Lection. de ſuprapoſitis: pro prima, ſcilicet prima, quæ eſt de Scriptura, & pro alijs iiij. & v. quæ ſũt de Serm. In Octa. die, duæ reliquæ de Biblia, & vna de Serm. in Laud. & ad Horas, vt ſupra. Poſt **Gloria.** vero ℟. repetatur, **Alleluia.** & Antiph. omnes ℣℣. & ℟℟. terminentur cum **Allel.** Lect. per Oct. poſt Lect. de ſacra Scriptura, quæ de Hiſtoria occurrente aſſumentur, erunt infraſcriptæ.

SECVNDA DIE.

Infra Octauas.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 256. *de Temp.* Lectio iij.

CElebritas huius congregationis, dedicatio eſt domus orationis. Domus ergo noſtrarum orationum iſta, domus autem Dei noſipſi. Si domus Dei noſipſi, nos in hoc ſæculo ædificamur, vt in fine ſæculi dedicemur. Aedificatio habet laborem, dedicatio exultationem. Quod hic fiebat, quando iſta ſurgebant, hoc fit modo, cum congregantur credentes in Chriſtum. Credendo enim, quaſi de ſiluis, & mõtibus ligna & lapides præciduntur: cum vero catechizantur, baptizantur, formantur, tamquam inter manus fabrorum & opificum dolantur, collimantur, complanantur: verũtamen Domum Dei non faciunt, niſi quando charitate compaginantur.

TERTIA DIE.

Ex Sermone S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm.

Serm. 255. *de Temp.* Lectio iij.

QVādo feſtiuitates iſtas colimus, fratres chariſſimi, diligēter debemus attendere, & totis viribus laborare, vt quod in templis vel altaribus viſibiliter colitur, in nobis inuiſibiliter compleatur. Quia quamuis ſancta ſint templa, quæ videmus de lignis, & lápidibus fabricari, tamen plus apud Deum pretioſa ſunt templa cordis & corporis noſtri: quia illa fiunt ab homine carnali, iſta ab artifice mundi.

QVARTA DIE.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Ser. 253. *de Temp.* Lectio iij.

REcte feſta Eccleſiæ colunt, qui ſe Eccleſiæ filios eſſe cognoſcūt. Hæc enim omnium credentium mater eſt, quæ natos à morte regenerat ad ſalutem. Hæc eſt poſt ſynagogam quidem vocata, ſed ante ſynagogam promiſſa. Hæc enim iam in primo homine præfigurata eſt. Nam ſicut ex Adæ latere fabricata eſt Eua, ita hæc ex corpore Chriſti, & vulnere redempta creuit Eccleſia.

QVINTA DIE.

Sermo ſancti Bernardi Abbatis.

Sermo Domeſtica. Lectio iij.

TEſtantur ſanctæ litteræ, olim poſitum in paradiſo primum Adā, vt operaretur, & cuſtodiret illum. Sic ſecūdus Adam in eccleſia ſanctorum, in cōgregatione ſuorum, in horto deliciarum, (ſiquidem deliciæ ſuæ, eſſe cum filijs hominum:) ita, inquam, & ipſe Dominus eſt in loco iſto: vt operetur, & cuſtodiat. Porro Angelos aſcē dentes, & deſcendentes eſſe in loco iſto, patriarchalis ipſa viſio manifeſtat. Aſcendentes, vt videant faciem Patris: deſcendentes, vt prouideant nobis.

SEXTA DIE.

Sermo ſancti Bernardi Abbatis.

Sermo Votiuis. Lectio iij.

QVis enim, fratres, parietes iſtos ſanctos dicere vereatur, quos manus ſacratæ Pontificum tantis ſanctificauere myſterijs? Ex tūc quoque & deinceps ſanctarum inibi lectionum reſultare deuota frequētia, ſanctarum orationum murmurare ſuſpiria, ſanctarum reliquiarum honorari beata præſentia: ſanctorum ſpirituū indefeſſa noſcitur vigilare cuſtodia.

SEPTIMA DIE.

Sermo Feſtiuitas. Lectio iij.

FEſtiuitas hodierna, fratres, tanto debet eſſe nobis deuotior, quanto familiarior. Nam ceteras quidem Sanctorum ſolemnitates cum alijs Eccleſijs habemus communes: hæc vero nobis ſic propria eſt, vt neceſſe ſit vel à nobis, eam vel à nemine celebrari. Noſtra eſt, quia de Eccleſia noſtra, magis autē noſtra, quia de nobis ipſis.

In Octa. Dedic. Eccleſiæ.

IN II. NOCTVRNO.

Serm. S. Bernardi Abbatis.

Serm. 2. Lectio iv.

OLim rex glorioſus, & propheta Domini Dauid ſanctus, religioſa cœpit cogitatione moueri: indignū iudicans, quòd nullam adhuc Dominus

nus Sabaoth domum haberet in terris: ipſe vero domum inhabitaret regiæ dignitatis. Hoc ipſum, fratres, decet nos cogitare fideliter, & viriliter effectui mandare. Nam quòd, licet Deo placuerit cogitatio illa prophetæ, opus tamen reſeruatum eſt Salomoni, alia ratio eſt.

Lectio v.

IAm vero, ò anima, tu quidem ſublimi in domo habitas, quæ à Deo tibi fabricata eſt (corpus hoc dico,) quod ſic compegit, quod ſic aptauit, quod ſic ornauit, & ordinauit, vt glorioſe, & delectabiliter inhabilitares in eo. Sed & corpori domum fecit excelſam, aptiſſimam, ac decoram. Dico autem ſenſibilem hunc, & habitabilem mundum. Nonne ergo indignum reputas, vt tibi ipſe fecerit domum, tu vero ei templum ædificare diſſimules?

Lectio vj.

SEd vbi inuenitur huius ædificij locus? Tribularer valde, & anxiaretur ſuper me ſpiritus meus, niſi quòd audio eum de quodam dicentem: Quia ego & Pater ad eum veniemus, & manſionē apud eum faciemus. Itaq. iā ſcio, vbi paranda ſit domus ei, quoniam non capit eum, niſi imago ſua.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

ITaque ſtudeamus ei templum ædificare in nobis, primo quidem ſollicite, vt in ſingulis, deinde vt in omnibus ſimul inhabitet, quia nec ſingulos dedignatur, nec vniuerſos. Primo igitur ſtudeat vnuſquiſque ne diffidcat à ſemetipſo, quoniam omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur: & domus ſupra domū cadet. Nec intrabit Chriſtus, vbi parietes fuerint declinati, & maceriæ depulſæ.

Lectio viij.

CAueat igitur anima, ne à ſe inuicem diſſideāt membra eius, ideſt ratio, voluntas, atque memoria. Sit ergo ſine errore ratio, vt bene congruat voluntati: talem enim voluntas ſine iniquitate, quoniam ratio talem approbat. Sit memoria ſine ſorde, vt nullum in ea peccatum maneat, quod nō dignis pœnitentiæ fructibus deleatur. Alioquin conſcientiam in qua peccatum latet, & voluntas odit, & ratio execratur.

Lectio ix.

BOnum proinde habitaculū Deo parat, cuius nec ratio decepta, nec voluntas peruerſa, nec memoria fuerit inquinata. Iam vero ſic ſe exhibentibus ſingulis, etiam nos omnes cō necti neceſſe eſt mutua charitate quæ eſt vinculum perfectionis. Nam cognitio perfecta in hac vita haberi non poteſt, forſitan nec oportet.

RVBRICAE PRO OFFICIO DE SANCTIS.

DE FESTIS IN COMMVNI & eorum celebratione.

Præfatio.

FESTA quælibet per anni circulum occurrentia, eo modo, & his quibus occurrerint diebus, prout in Kalendario notata ſunt, & nõ aliter celebrari debent, niſi à maiori ſuperueniente ſolemnitate, vel (prout dicetur) fuerint impedita.

De Lectionibus. 1.

1 IN quocunque Feſto etiam Sanctorum, infra Octau. & in Octaua eorundem, niſi in die, & in Octaua omnium SS. quando dicuntur nouem Lectiones, tres ſaltem: & quando dicuntur tres, duæ: vel vna ad minus, erunt de Sacris Biblijs: illæ ſcilicet, vel de illis, quæ de Hiſtoria currente pro eadem die in Breuiario de Tempore notatæ ſunt, niſi pro ipſo Feſto, vel Octauis aliæ particulariter ſint ſignatæ. Exceptis diebus, quibus leguntur tantum tres Lectiones, ſiue Tempore Paſchali, ſiue extra, & oportet legere Homiliam. Reliquæ vero Lectiones diebus ſingulis, vltra prædictas de ſacris Biblijs, erunt de geſtis SS. vel de Sermonibus Feſtiuitatum, vel de Homilia, ſi occurrat.

3 In Dominicis diebus, quæ occurrunt ab Oct. Trinitatis vſque ad Aduentum Domini, quando de Feſto vel Octaua quacumque in eiſdem celebrandum fuerit, vbi non ſunt propriæ Lectiones de S. Scriptura poſitæ, pro primis, illæ tres, quæ de Apoſtolo Paulo ſignatæ ſunt, legantur, & illæ de ordinaria Hiſtoria relinquantur.

De Tranſlatione Feſtiuitatum. 2.

4 QVæcumq. Feſta etiam Duplicia, & maiora in Dominicis diebus, tã Aduentus Dñi, quàm Septuageſ. Sexageſimæ, Quinquageſ. & Quadrageſ. & à Dominica in Ramis, vſque ad Octau. Paſchæ incluſiue, & in Octaua die Aſcenſ. & à Vigilia Pẽtecoſtes vſque ad ſecũdam Feriam Trinitatis, & in die Corporis Chriſti, & infra Oct. & in Octaua eiuſdem occurrerint, impedita cenſenda ſunt, & ob id in dies alios transferenda, excepto Feſto Purificationis, quod ſemper ſuo die agitur. Si tamen Feſta S. Ioannis Baptiſtæ, aut SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli venerint infra Oct. vel in Oct. die Corporis Chriſti, de ipſis Sãctis fiat Officium cũ Memoria de Octaua. Quòd ſi Feſtum S. Ioannis in

ipſum

ipſum diem Corporis Chriſti inciderit, transfertur in proximum ſequentem diem, cum Memoria de Oct. & in ſecundis Veſperis Corporis Chriſti fiet tantum Memoria de S. Ioanne. In reliquis vero diebus infra Octauas, & in Oct. Corporis Chriſti fiet quotidie Memoria de S.Ioanne. Si vero Sāctus Patronus loci occurrat in aliquibus dumtaxat ex prædictis diebus,vt in ij. vel iij. vel iv. Dominica Aduentus, & Quadrageſimæ,ſeu Dominica Septuageſ. Sexageſ. & Quinquageſ. poterit de eo celebrari.

5 Si Feſtum Duplex,aut maius, in aliqua Dominica Aduen. vel in Dominica Septuag.& deinceps in Domin.aliqua vſque ad Ramos excluſiue euenerit, in ſecundam Feriam, aut in aliam ſequentem, (ſi ſecunda à Simplici,vel maioriFeſto præoccupata fuerit,) trāſferatur: excepto Feſto Purific. & Patroni loci, de quibus ſupra dictum eſt, & Feſto SS.Fabiani &Sebaſtiani,quod ſi in Septuageſ.euenerit,in præcedenti Sabbato celebrari debet.

6 Feſta Duplicia,& ſupra,in Dominica in Ramis Palmarum.& deinceps vſque ad Oct. Paſchæ incluſiue occurrentia, in Hebdomadam poſt dictas Oct. trāſferantur,in Ferias ſcilicet vacantes Hebdomadæ prædictæ, eo ordine quo venerunt: etiam ſi Simplex, vel Duplex præcedat Totū Dupl. dūmodo Feſtum Annunciationis(ſi trāſfertur)omnibus alijs in ſua celebratione præponatur:vt etiam Feſta Sanctorum Ordinis noſtri. Ferias autem vacantes dicimus, in quibus non ſunt Feſta Simplicia,vel maiora.

7 Feſta item Duplicia, & ſupra, ſi in die Aſcenſ.vel Octa. die eiuſdem eueniant,in proximam ſequentem ſextam Feriam transferantur: exceptis Feſtis ſanctorum Apoſtolorū Philippi & Iacobi, quando in die Aſcenſionis euenerit & Coronæ Domini, quando in Octaua Aſcenſ. euenerit: quorum primum tūc die vltima Aprilis, cum Memor. in Laudib. Vigil. Aſcenſionis, & ſecundum die 4. Maij erit celebrandum. Si vero in Vigil. Pentecoſtes occurrerint, in præcedentem ſextam Feriam: ſi autem in die Pentecoſtes, vel deinceps vſque ad Feſtum Trinitatis incluſiue,in ſecundam Feriā poſt Trinitatē.Quod ſi dictæ Feriæ fuerint impeditæ ab alio FeſtoDuplici vel maiori: in hoc caſu, eo ordine, quo venerunt, in ſubſequentes Ferias vacantes reijciantur. Si in Feſto Corporis Chriſti, & infra Oct. vel in Octaua ipſius incluſiue occurrerint, poſt ipſas Octau. transferantur ordine vt ſupra: illis ſemper exceptis, quæ ſupra excepta eſſe debere declarauimus, num. 4.

8 Quandocumque Feſtum Simplex, aut maius in die Cinerum occurrerit, in præcedenti tertia Feria celebrabitur,niſi Feſtū Purificat. in Quinquag. euenerit:tunc enim Feſtum ſanctæ Agathæ in Sabbatum ſubſequens transferatur, & Homilia Dominicæ Quinquageſimæ legatur Feria tertia. Et ſi hæc fuerit impedita, vt quando dies Cinerū eſt die 7.Februarij, Feſtū ſan-

cti Romualdi, & omne aliud celebretur Feria quinta ſequenti.

9 Quando Feſtum Simplex in Dominica in Ramis Palmarũ, vel deinceps vſque ad Feriam quartam immediate ſubſequentem incluſiue euenerit: de eo fiat tantum Memoria in vtriſque Veſperis, & in Laud. niſi quòd in Feria quarta fit ſolum in primis Veſperis, & in Laudibus.

10 Si autem in Feria quinta in Cœna Domini, & deinceps vſque ad Octauas Paſchæ incluſiue, vel in die Pentecoſtes, & deinceps vſque ad Feſtum Trinitatis incluſiue, vel in die Corporis Chriſti, & deinceps vſque ad Octauam diem incluſiue occurrerit, transferatur poſt Octauas, (ſi transferri poteſt:) alioquin nihil de eo fiat illo anno. Si autem in Vig. Pentecoſtes euenerit Feſtũ Simplex, Mem. de eo fiat in primis Veſperis, & in Laudibus, ſi non poteſt transferri.

11 Feſta autem ſimiliter Simplicia, aliàs per totum annum in Dominicis diebus occurrentia, ſemper in ſecundam Feriã, aut in aliam propinquam (ſi ſecunda fuerit impedita) transferri debent: poſſunt autem Feſta Simplicia transferri per quindecim dies. Exceptis tamen Feſtis ſanctorum Innocentium, & S. Thomæ Epiſc. & mart. & S. Silueſtri Papæ, de quibus ſemper ſuis diebus agitur, quæ agitur, quæ & pure Simplicia reputanda non ſunt, quia Octau. illarum, infra quas occurrunt, in omnibus induũt qualitatem.

12 Feſta Trium Lectionum, magis euidens eſt, numquam debere in Dominicis diebus celebrari: ſed vel infra Hebd. transferri, vel omnino dimitti, vt infra particulariter notabitur, n. 31.

13 Quando Feſtum habens Octauam transfertur, transferatur & ipſa Octau.

14 Quando Feſtum alicuius Sancti habens memoriam annexam transfertur, trãsferatur ſimul & ipſa memoria.

De Concomitantia Feſtiuitatum. 3.

15 SI Feſtum minoris ſolemnitatis ante, vel poſt Feſtum maius celebrãdum occurrerit: Feſtum maius totas Veſp. habebit, & de minori tantum fiet memor. In æqualibus vero, ſi Feſtum Totũ Dupl. poſt aliud Totum Dupl. celebrari debuerit, primum habebit totas Veſp. ſuo die, & de ſecundo tantum memor. fiet. Excipiuntur Feſta SS. Ordinis noſtri, quæ etiã cum trãsferuntur, vtraſque integras Veſp. habebunt, præter Feſtum S. Raymundi, & niſi quãdo Feſtum S. Vincentij Ferrerij celebratur poſt Feſtũ Annuntiationis, quãdo vtrũq. trãsfertur, quia tunc carebit primis Veſp. itẽ quando Feſtũ SS. Apoſtolorum Philippi & Iacobi vltima die Aprilis celebratur, quia tunc primas Veſp. integras habebit, cum mem. tantum S. Petri martyris. Secundæ vero Veſperæ erunt de Aſcenſ. Dñi, cum mem. Apoſtolorum. Et niſi quando Feſtũ S. Catharinæ immediate poſt Inuent. S. Crucis celebrari cõtigerit, in quo caſu tantũ mem. in primis. Veſp. habebit. Idẽq. dicimus de S. Hyacintho, ſi immediate poſt Feſt. Aſſumpt. B. Mariæ Virgin. euenerit.

Et niſi

Digitized by Google

Et niſi quando Feſta SS. noſtri Ordinis concurrent, vt modo dicetur, & inferius, vbi tractatur de Dedicatione Eccleſiæ, num. 19.

16 Si Feſtum quod colitur de præcepto S. Patroni loci, vel S. cuius Titulus ſit Eccleſia, vel ſancti, cuius corpus in Eccleſia noſtra ſit poſitum, concurret cum ſancto noſtri Ordinis, duæ integræ Veſperæ dabūtur illis ſanctis: ſanctus vero Ordinis ſemel eas integras habebit. Si vero feſtum de ſancto Patrono non eſt de præcepto, ſanctus Ordinis habeat duas Veſp. integras.

17 Si feſtum ſancti Patroni de præcepto, cum ſancto Tituli Eccleſiæ cōcurrerit, duæ integræ Veſperæ erunt de ſancto Tituli. Si cōcurret cum ſancto, cuius corpus ibi ſit, de ſancto Patrono integræ ſint duæ Veſperæ: ſi de præcepto nō fuerit, ſanctus, cuius corpus, &c. alioquin habeat duas integras Veſp.

18 Si feſtū ſancti Tituli Eccleſiæ concurrat cum feſto ſancti cuius corpus ibi ſit, duabus integris Veſperis celebretur feſtum ſancti Tituli. Hæc vero concurrentia intelligitur, quando huiuſmodi ſibi inuicem ſuccedent, & nō fuerint celebrāda eodem die: pro quo caſu videatur inferius, quod dicitur de feſtis extraordinariis, Rubrica 16.

19 Si Feſtum Dedicationis Eccleſiæ concurret cum ſancto Patrono, qui ſit de præcepto, vel cum Feſtis B. Mariæ Virginis, iſta feſta habeant Veſperas integras. Si concurret cū alio toto Duplici, vel cum Sancto cuius corpus ibi habeatur, vel qui ſit noſtri Ordinis, duæ integræ Veſperæ ſint de Dedica.

20 Si tria Feſta tota Duplicia immediate ſunt celebranda, & ſibi ſuccedēt, primum habebit ſecundas Veſperas integras ſuo die, & memoria ad *Magnificat* erit de ſecundo: & ſic fiat de ſecundo, & de tertio. Excipiuntur ſemper Feſta beatæ Virginis Mariæ, quæ celebrabuntur cum integris duabus Veſperis. Similiter feſta Sanctorum noſtri Ordinis (niſi in caſibus nuper expreſſis.) Idem dicitur de ſanctis Patronis loci de præcepto: de Sanctis Tituli: & de Sanctis quorum corpora ibi tumulantur, de Dedicatione Eccleſiæ, & de S. Vincentio martyre: quia hæc feſta excepta ſemper habebunt duas Veſperas integras.

21 Si feſtum Duplex aut totū Duplex immediate ſuccedat poſt diem Octauam Octauarum ſolemniſſimarum, in primis Veſperis ſolam memoriam habebit, exceptis Feſtis Annūciationis, & SS. Ordinis noſtri, Ioannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, & Viſitationis B. Virginis, quæ integras Veſpe. habebunt cum memoria de Octa.

22 Si Feſtum Duplex poſt aliud Duplex euenerit, primum feſtum habebit in die ſuo in Veſperis Pſalmos cū Antiphona, & memoriam in fine: Capitulum vero, & quæ ſequuntur, de feſto ſequenti erunt: ſi tamen primū habuit primas Veſp. non impeditas. Quòd ſi habuit impeditas, ei primo Duplici debentur ſecundæ Veſp. cum mem. ſeq. Duplicis, quod poſtea ſuo die ſecundas Veſperas integras habebit.

23 Quòd ſi non eſt habiturum, vt cũ duo Duplicia inter duo tota Duplicia eueniunt, tunc ſecundæ Veſperæ primi Duplicis vſque ad Capitul. excluſiue erunt de primo, reliqua erunt de ſecundo Duplici, cum memoria primi.

24 Si poſt duo Duplicia immediate ſequitur totum Dupl. Officium ſecundi Duplicis incipiet à Capitulo in primis Veſperis, & ſecundæ erunt totæ de toto Duplici, cum memoria Duplicis.

25 Si feſtum Duplex, vel maius in quocumque Sabbato celebrandum occurrerit, habebit in ipſo Sabbato totas Veſperas: etiã ſi Dominica non ſit ſecundas Veſperas habitura. Feſtum item Duplex eidem Dominicæ ſuccedens à Capitulo incipiet: Pſalmi vero, & Antiphonæ de Dominica erunt.

26 Quãdo Duplex infra Octauas Solemnes euenerit, ſuum Officium incipiet à Capitulo: Pſalmi vero, & Antiphona ſuper eos erunt de Octaua: vide infra, num. 51. Si immediate ſequitũr diem Octauæ ſolemnis, vide infra, num. 54.

27 Quãdo feſtum ſimplex poſt aliud ſimplex occurrerit, idẽ ordo ſeruetur, qui ſupra de Duplicibus eſt poſitus.

28 Si feſtum ſimplex in Sabbato celebretur, in ſecũdis Veſperis Pſalmos, & Antiphonam, & in fine memoriam habebit, in reliquis erunt Veſp. de Dominica.

29 Si feſtum ſimplex venerit in Sabbato, & Feria ſexta fuerit Duplex, aut maius, habebit in Sabbato integras Veſperas: & fiat memo. de Dominica: Quòd ſi Reſponſorium Hiſtoriæ eſſet dicẽdum, in hoc caſu Feſtum ſimplex habebit Pſalmos, & Antiphonam, & memoriam in fine: Capitulum vero, & reliqua erunt de Dominica. Feſtum ſimplex Dominicæ ſuccedens, in primis Veſp. ſolam memoriam habebit.

De Feſtis habentibus ſolam Memoriam. 4.

30 Feſta Sanctorum, quæ ſolam habent memoriam. in Laudibus tantum eam habebunt. Excipitur Feſtum ſanctorum Vedaſti & Amandi cõfeſſorum, & S. Tiburtij martyris, de quibus fiet memoria in primis Veſperis, & etiam in Laudibus. Quòd ſi in die Aſcẽſionis euenerint, nulla de eis illo anno fiat memoria, ſicuti neque ſi in diebus Pẽtecoſtes, Trinitatis, vel Corporis Chriſti, aut infra Octauas, eorum occurrerint.

De Feſto trium Lectionum. 5.

31 Feſtum trium Lectionum ſi in Cœna Domini, & deinceps vſque ad Dominicam in Albis incluſiue, aut in die Aſcenſionis, & vſque ad Oct. ipſius incluſiue, vel in die Pentecoſtes, & deinceps vſque ad feſtum Trinitatis, ſiue in die Corporis Chriſti, & vſque ad Octauas ipſius incluſiue euenerit, nihil pro illo anno de eo fiet, niſi poſſit transferri. Idem ſimiliter dicimus, quandocumque in die ipſius feſtum Duplex, aut maius fuerit transferendum, niſi & ipſum feſtum trium Lectionum in aliam vacantem Feriam transferri queat. Quandocumque

que autem feſtum trium Lectionum in diebus Dominicis occurrerit, aut in diebus, quibus, propter legendam Dominicalem Hiſtoriam, vel Homiliam, de Feria agere oporteat, memoria tantum de ipſo fiat in primis Veſperis, & in Laudibus, niſi ſimiliter poſſit in aliã Feriam transferri. Fiat etiã de eo memoria, quãdo venerit in quarta Feria Cinerum, & deinceps vſque ad Cœnã Domini excluſiue, & in diebus Rogationũ, & in Vigilia Pentecoſtes, & infra Octa. Trinitatis. Item de ipſo tantũ memoria fiat infra Oct. Dedicationis Eccleſiæ, & infra alias Octauas ſimplices, & in Ieiunijs quatuor Temporum Septembris, & in tertijs Ferijs, quãdo de beato Dominico, & in Ferijs quintis, quando de Sacramento, & in Sabbatis, quando de B. Virgine eſt agendum, niſi in aliam Fer. trãsferri poſſit.

32 Quando Feſtum trium Lectionũ in craſtino feſti ſimplicis debuerit celebrari, in primis Veſperis ſolam memoriam habebit, & in ſequenti die Officium de eo erit in Matut. & in Laud. & Horis diei vſque ad Nonam incluſiue, in qua ſcilicet Nona, ſemper eius Officium terminatur. Si autem in craſtino Duplicis, aut Totius Duplicis, aut Octauæ ſolemniſſimæ, aut ſolemnis celebrari debuerit, in præcedenti die neque de eo memoria fiet. Quãdo vero in craſtino vacantis Feriæ occurrerit, eius officium à Capitulo inchoabitur. In Matutinis autem habebit Inuitatorium, Antiphonam vnam tantũ ſuper ix. Pſalmos, ℣. ante Lectiones, & tria Reſponſoria ſecundum Feriam de ſuo Communi. Exceptis Feſtis Sãctarum Virginum non martyrum, in quibus ſemper dicuntur tria vltima Reſponſoria.

33 Tempore Paſchali tres Pſalmi tãtum dicantur cum vna Antiphona, & Verſus ſecũdum ordinem Nocturnorum, & tria Reſponſoria, quæ pro illo Tempore notata ſunt, vel de Communi Ordinario pro Virginibus ſecundũ Ferias cum *Alleluia*. Canticum *Te Deum*, non dicatur: & vna tãtum Antiphona in Laudibus ſuper Pſalmos. Pſalmi pro omnibus Sanctorum feſtis in Laudibus erunt, *Dominus regnauit*, cum ceteris, qui pro prima Dominica poſt Oct. Epiphaniæ notati ſunt. 191.

34 Feſtum Trium Lectionum, ſi ſuo die celebrari non poteſt, poteſt transferri per ſpatium dierum quindecim, quo elapſo, amplius de eo fieri non debebit eo anno.

De Feſto Simplici. 6.

35 Officium feſti ſimplicis, niſi à maiori feſto præcedenti impediatur, à Capitulo in primis Veſperis inchoetur. In Matutinis Inuitatorium prout eſt notatum, nouem Pſalmi de ſuo Cõmuni, cum totidem Antiphonis, ſiue proprijs, ſiue de Cõmuni, ſi proprias non habuerit. Et item nouem Lect. excepto Temp. Paſchali, in quo tres tãtum, cum tribus Pſalmis fient. Canticum *Te Deum* ſemper dicatur, niſi a Septuage. & deinceps per totam Quadrageſimam, loco cuius nonum Reſponſorium durante eo tem-

pore replicetur vſque ad ℣. excluſiue. In Laudibus quinque Añæ ſuper Pſalmos. Quæ etiã dicantur ad Horas diei ſuo ordine, quarta prætermiſſa.

36 Et hoc generaliter obſeruetur, quandocumq. Añæ Laudum ad Horas dicuntur, ſiue de Tempore, ſiue de Sanctis Officium agatur. Prima vero earũ, in feſtis ſanctorũ ſola dicatur in ſecũdis Veſperis ſuper Pſal. præterquam in feſtis ſanctorũ qui occurrunt infra Oct. Natiu. Domini. Pſalmi quinque ad Veſp. vel proprij, ſi erunt notati, vel de Communi. Alia pro feſto ſimplici vide ſupra n. 27. 28. & 29.

De Feſto Duplici. 7.

37 PRo feſto duplici, vltra ea quæ de feſto ſimplici præmiſſa sũt, faciendum eſt, quòd in primis Veſpe. ſuũ Officiũ incipiet in Añã propria ſuper Pſal. vel de Cõmuni, ſi propriã nõ habet. Si vero ea dies fuerit Dñica, tũc Pſal. & Añæ erũt de ipſa, & feſtum duplex à Capit. incipiet. vide ſup. n. 25.

38 Idem fiet, ſi fuerit dies inſ a Octauas ſolẽnes: ſi vero fuerit ipſius Octauæ ſolemnis, tunc ſolam memoriam habebit in fine in Veſper. & alia de Oct. erunt, vide infra, nu. 54.

39 Officium Matutinale, vt in feſto ſimplici, niſi quòd *Te Deum.* omni Tẽpore dicetur. Quando aliàs impeditur, vide ſupra, de Concomitantia Feſtiuitatum, nu. 22. 23 24. In Veſper. primis Reſpõſ. habebit cum ſuo Verſu, & *Gloria*, etiam ſi veniat poſt Dominicam Paſſionis. Dimittuntur preces in Cõplet. & in Prima, & officium quotidianum B. Virginis. In reliquis ſeruetur ordo feſti ſimplicis. Videantur quæ ſunt ſupra, num. 35. & 36.

De Feſto Toto Duplici. 8.

40 IN Feſto Toto Duplici ſiue de Tempore, ſiue de Sanctis, vltra ea, quæ de duplici præmiſſa ſunt, in primis Veſperis, quando eas habet integras, dicuntur hi Pſalmi. *Laudate pueri Dominum.* 76. *Laudate Dominũ omnes gentes.* 78. *Lauda anima mea.* 96. *Laudate Dominũ, quoniam bonus.* 97. *Lauda Ieruſalem Dominum.* 97. niſi in Sabbato ſancto, & in Vigilia Pentecoſtes, & in feſtis occurrentibus infra. Oct. Natiuit. Domini. Et item Antiph. ad *Magnif.* & ad *Benedictus* ante ſui Cantici inceptionem tota dicitur: & Reſponſoria Horarum, prærterquã à Septuageſ. vſque ad Paſcha, dicuntur cum duplici *Alleluia.*

De Octauis Sanctorum. 9.

41 OCtauæ Feſtorum Sanctorum, aliæ ſolã memoriam habent: aliæ ſunt trium Lectionum: aliæ ſunt ſimplices: & aliæ ſunt ſolẽnes.

De Oct. cum ſola Memoria. 10.

42 OCtauæ ſolam memoriam habẽntes ſunt ſanctorum Andreæ Apoſtoli, Vincentij martyris, & Sanctorum noſtri Ordinis, ſcilicet Petri, Antonini, Thomæ, Vincentij, Hyacinthi, Raymundi, Catharinæ, & Agnetis. De iſtis Octauis numquam agitur Offi. ſed ſolã memoriam habent in Veſp. & in Laudib. niſi in feſtis duplicib. & ſup. In die Oct. ã ſemper habent, etiã ſi ſit duplex & ſupra, niſi in

diẽ

die Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, & Corporis Chriſti.

De Octa. trium Lectionum. 11.

43 OCtauæ trium Lectionum ſunt ſanctorum Stephani protomartyris, Ioannis Euangeliſtæ, & Innocentium. Iſtæ tres memoriam ſolam habent ſemper infra Octauas in Veſper. & in Laudibus. In die vero Octaua celebrantur tamquam Feſtum trium Lectionum, ordine notato ſuis in locis: ſciatur tamen, quòd Officium cuiuslibet earum non terminatur in Nona, ſed durat per totum diem, vt quælibet Octaua completo Officio celebretur. Dicitur *Alleluia* in Reſponſorijs Horarum, & in Matutinis dicitur Cantic. *Te Deum.* & dicuntur Preces in Prima, & Completorio.

De Octauis Simplicibus. 12.

44 OCtauæ ſimplices ſunt Natiuitatis & Viſitationis beatæ Virginis, S. Magdalenæ, ſancti Ioãnis Baptiſtæ, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, S. Laurentij martyris, S. Auguſtini, S. Michaelis, & S. Martini. Iſtæ nouem Octauæ vocantur ſimplices, & de eis inf a Octauas quotidie, & in die Octaua agitur Officium hoc modo, (niſi à maiori ſolemnitate alicuius ſancti, vel Dominicæ præoccupentur.)

45 Ad Matutinum, Inuitatorium ſicut in ſuis proprijs locis eſt notatum. Hymnus ſicut in die Feſti. Vna tantum Antiphona de Feſto ſuper Pſalmos prima die, ſcilicet prima, & ſic deinceps, quot fuerint neceſſariæ. Tres tantum Lectiones quotidie, niſi in die Octau. ℣. & tria ℟℟. de Feſto ſecundum Feriam: quæ ſcilicet ℟℟. eo modo, quo ſupra de Dominicali Hiſtoria dicitur, diuidenda ſunt. Cantic. *Te Deum.* quotidie dicatur. In Laud. ſuper Pſalmos, prima tantum Aña Laudum Diei, Capit. Hymn. ℣. ſimiliter de Die. Ad *Benedictus*, Aña quæ notata eſt. Ad Horas Diei omnia ſicut in Feſto. Reſponſoria tamen extra Tempus Paſchale infra Octauas, & in Octaua non ſunt dicenda cum *Alleluia.* Ad Veſperas Antiphona, ad *Magnificat*, quæ notata eſt, & cetera omnia de Die.

46 In Duplicibus, & ſupra, & in Dominica, quæ euenient infra has Oct. vel in ipſa die Octau. nihil omnino agatur de Octaua, niſi ſola memoria ad *Benedictus*, & ad *Magnificat*: ſed omnia ſint de Feſto, vel de Dominica.

47 In Sabbatis infra has Octa. Officium de Dominica incipiet à Capitulo: Pſalmi vero, & Aña ſuper eos ſint de Octaua, & fiat memoria poſt *Magnificat*, de ipſa Oct. Et quando de eis non agitur Officiũ infra Octauas, fiat memoria de ipſis, niſi in vtriſq. Veſperis Corporis Chriſti, & Aſſumptionis B. Virginis.

48 Notandum hic eſt, quòd quando infra has Octauas legitur Homilia, ſi reliquum Officium eſt de Octaua, tunc debet dimitti tertia Lectio de Homilia, & legi pro ea vna Lectio de Octaua currente.

49 In Octaua die in primis Veſperis ſicut

ſicut in aliis diebus infra Octauas, excepta Antiphona ad *Magnificat*, quæ erit vt in primis Veſperis Diei, niſi alia ſit poſita. In Matutinis dicantur nouem Lectiones. Similiter in Horis & Veſper. vt in Die proprio notata ſunt, ſeruato modo Feſti ſimplicis, excepto ſi aliquid aliter in propriis locis ſit poſitum.

De Octauis Solemnibus. 13.

50 Octauæ ſolemnes Sanctorum ſunt tres, videlicet Aſſumptionis B. Virginis, beati Dominici Patris noſtri, & omnium Sanctorum. Infra ipſas Octauas Officium per omnia agatur ſicut de Octauis ſimplicibus notatum eſt, excepto quòd nullæ memoriæ fiant, niſi ibi particulariter ſint ſignatæ, & niſi ſint Octa. Sanctorum noſtri Ordinis. Nec fiunt Preces in Prima & Complet. neque dicitur Officium B. Virginis, etiam ſi fiat de Feſto ſimplici. Reſpon. Horarum dicuntur quotidie cum *Alleluia*, & Officium talium Octauarum etiam infra Octauas in die Dominico non prætermittitur, ſed tantum dicuntur pro primis Lectionibus, quæ de Apoſtolo pro Dominica ſunt ſignatæ, & pro tertiis, Hom. Dominicalis.

51 Si Feſtum Duplex infra has Octa. euenerit, ſuum Officium incipiat à Capitulo. Pſal. vero & Antiph. ſuper eos de Octa. erunt.

52 Si de aliquo Simplici agitur, ſolam memoriam habebit in primis Veſperis, & reliqua erunt de Octau. niſi aliter ſignetur.

53 Ipſa vero Duplicia, & Simplicia taliter conditiones harum Octauarum induunt, vt cum eadem ſolemnitate celebrentur. Dicuntur idcirco Antiph. particulares in eorum Completorio, ſi fuerint. Etiam ℣. *Maria mater gratiæ*, in fine Hymn. eiuſdem metri infra Octauas Aſſumptionis.

54 In die Octaua fiant nouem Lectiones: & ſi fuerit Dominica, tres primæ erunt de Apoſtolo, & ſex aliæ de Octa. Homilia vero Dominicalis transferatur. vide Pag. 110. nu 6. & ſi aliquod duplex hac die ſuas primas Veſperas habiturum eſſet, omnia ſint de Octaua, & de Sancto ſola fiat memoria.

55 Præter ſupradictas Octauas, nullæ aliæ Sanctorũ fiant, ſiue Patronorum Eccleſiæ, ſiue quorumlibet aliorum.

De Memorijs faciendis. 14.

56 Per totum annum, quando propter Feſtum, vel Octa. de Dominica non fit plenum Officium, ſemper facienda eſt de ipſa memoria Sabbato præcedenti in Veſperis, & in ipſa die in Laudibus, & in Veſperis: excipiuntur Dominicæ à Vig. Natiuit. Domini, vſque ad Epiphaniam occurrentes, de quibus nihil fit, niſi vt ibi notatum eſt: & Dominica infra Octa. Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti: de quibus in Sabbato præcedenti nulla eſt memoria faciẽda. Fiat etiam memoria de Temp. per omnes Ferias Aduentus, & Quadrageſimæ, & tribus diebus Rogationum, quando Feſtum aliquod in prædictis temporibus occurrerit celebrandum. Alijs autem

tem temporibus per totum annum, ſi quando Feſtum infra Hebdomadam celebrari contigerit, nulla eſt de Tempore memoria facienda.

57 Item de omnibus Feſtis Simplicibus, & ſupra, ſi nõ habuerint integras primas Veſperas, vel ſecundas, memoria in vtriſque Veſperis ſemper fiat, niſi in Vig. Pentecoſtes, de quibus in ſecundis Veſp. memoria non fiet.

58 Item de Feſto Trium Lectionum, quando non habet plenum Officium, facienda eſt memoria in primis Veſperis, & in Laudibus, ſicut ſupra in Rub. 5. de ipſo notatum eſt. Facienda eſt etiam memoria de Sanctis, de quibus in Kalendario eſt ſignata. Quando autem infra quaſcumque Octauas non fit Officium de Octaua, faciẽda eſt de ipſis memoria: niſi in vtriſque Veſp. & in Laudib. Corporis Chriſti, & Aſſumptionis B. Virginis. De Octa. vero, quæ ſimplicẽ tantũ memoriã habent, vide ſupra, Rubr. 10. vbi de eis agitur.

59 Omnibus vero Sabbatis, per totũ annum fiat in Veſper. & in Laudibus memoria de B. Virgine, præterquam in Sabbato infra Octau. Natiuit. Domini: & in Sabbato Paſchæ, & ſequenti: & in Sabbato ante Feſtum Trinitatis, & præterquam in Feſtis Duplicibus, & ſupra, & infra Oct. ſolemnes, & quotieſcumque Officium de ipſa agitur. Fiat etiam de ipſa memoria in Octa. S. Stephani in Laudib. & deinceps, tam in Veſp. quam in Laudibus, vſque ad ſecundas Veſperas Octauarum Epiph. excluſiue: niſi in Vig. & in Feſto ipſius Epiph. Item de ea fiat ſimiliter memor. in omnibus Dominicis diebus, per totum annum, quando de Dominica agitur, in Matu. per Antiph. *Sub tuum præſidium.* ℣. *Poſt partum.* & Orationem, *Protege Domine.* In Veſp. per Añam. *Regali ex progenie.* ℣. *Ora pro nobis.* Orationem, *Protege.* niſi in illis Dominicis, in quibus aliàs facienda eſſet, vt infra Oct. Natiuit. & Viſitat. eius, & ab Octau. Natiuit. Domini vſque ad Octauam Epiphaniæ.

60 De Cruce facienda eſt memoria quotidie per Hebdomad. Paſchæ in Veſp & in Dominica in Albis, & deinceps quotidie in Laudibus, & in Veſp. vſque ad Veſp. Vigil. Aſcenſ. excluſ. niſi in Inuentione ipſius, & in Feſtis Duplicibus, & ſupra.

61 De Beato autem Dominico fiat memoria per totum annum in tertijs Ferijs, quando de ipſo non agitur Officium, niſi à Vig. Natiuit. Domini, vſque ad Oct. Epiph. & niſi in diebus Feſtis Duplic. & ſup. & infra Octa. & in Oct. ſolem. Fiat etiam mem. de Sacramento, in qualibet Feria quinta, exceptis diebus, vt ſupra de B. Dominico dictum eſt.

62 Fiat etiam quotidie per totũ annum, non obſtante mem. præfata, tam de ipſo B. Dominico, quã de omnibus Sanctis noſtri Ordinis, memor. in Officio quotidiano B. Virg. tam in Veſpe. quàm in Laud. niſi quando Fer. iij. fit Officium, vel memor. de B. Dominico: quia tunc non eſt de ipſo mem. facienda, in Veſp. neque in Laudib. B. Virg.

De

De Ordine Memoriarum. 15.

63 MEmoria de Feſto ſimplici,& ſupra præcedit memoriam de Oct.non ſolemni: memoria de Oct. ſolemni præcedit memoriam tam de Feſtis ſimplicibus,quàm etiam de Dominicis.Excipiuntur Feſta ſimplicia infra Oct.Natiu. Domini. Memoria de Octa.ſimplici præcedit memoriam de B.Dominico in iij. Feria,& de Sacramento in v.Feria,& de B.Virg.in Sabb.Memoria de B.Virg. in Sabb.& de Sacramento in v. Fer. & de B. Dominico in iij.Feria præcedit memoriã Trium lectionum,& Feſti ſolam memoriam habentis.Memoria de Aduentu, & Quadr. præcedit memoriam de B. Virg. in Sabb. & de Sacramento in v. Feria. & de B. Dominico in iij. Feria. Memoria de B. Virg. in Sabb. de Sacramento in v.Feria,& de B. Dominico in iij Fer.præcedunt memoriam de Oct.ſolam memoriam habente,& memoriam Crucis in Paſch. tempore. Memoria de Oct. habẽte ſolam mem. præcedit memoriam de Sanctis habentibus ſolam memoriam, & memor. de Cruce in Paſchali tempore fiat poſt omnes alias memorias,excepta mem. B. Virg. in Dom. Quandocunq. autẽ fuerit mem.facienda ſiue in Veſp.ſiue in Lau.per Ant.& ℣. & Orationẽ fiat.

De Feſtiuitatibus Extraordinariis.16

64 FEſtiuitates extraordinariæ Sãctorum, quæ ſolemnes,& de præcepto habentur in locis, in quibus Fratres commorantur, poſſunt ab eis ſolemniter celebrari ſub Feſto Toto Duplici,cantari Hiſtoriæ,& eorum geſta legi.Si quæ autem nõ ſunt de præcepto,ſed ex approbata conſuetudine,& deuotione in ciuitatibus, locis vel Conuentibus fiunt, iſtæ ad inſtar Feſti ſimplicis in omnibus celebrẽtur. Quandocumque vero occurrerit aliquod Feſtum ſolemne,& de præcepto in patria, in die alicuius Sancti noſtri Kalendarij, qui non ſit de præcepto, etiam ſi ſit eiuſdem, vel maioris ſolẽnitatis,fiat Officium de Sancto patriæ, & noſtrum Feſtum transferatur.

65 Feſtum autem Dedic.in quacumque diem inciderit, celebrari poterit, niſi in Dominicis Aduẽtus, Septuag. Sexageſ.Quinquageſ.Quadrag.& niſi in Natiu.Dñi,& per totã Oct.& niſi in die Epiph.& à Cæna Dñi vſque ad Feriam 2.poſt Dñicam in Albis excluſiue,& niſi in Die Aſcenſ.& in Oct. dies & niſi in Vig. Pentecoſt. vſque ad Feriam 2.poſt Trin. excluſ. & niſi in die Corp Chriſti,& per totam Oct.& niſi in Feſtis B.Mariæ.S.Ioan.Baptiſtæ,Petri & Pauli,& Sanctorum Patronorum de præcepto:tunc enim transfertur.

De Matutinis in ſero poſt Completorium dicendis. 17.

69 A Feſto S. Trinitatis, & deinceps in omnibus feſtis Duplicibus, & ſupra, & in Dominicis diebus, vſque ad vltimum diem menſis Auguſti: & in Triduo ante Paſcha: item infra Octa. & in ipſis Octa. Corporis Chriſti,& Viſitationis B. Mariæ Virg.(propter Indulgentias Matutinæ in ſero poſt Completorium dicantur.)

De Orationibus in Vigilijs Sanctorum. 18.

67 IN omnibus Feſtis SS. niſi Vigiliam habeant, Oratio, quæ dicitur in Veſp. præcedentibus diem feſtum, dicenda eſt in ipſa die in Laud. & quæ dicitur in Laud. ſemper dicẽda eſt ad Tertiam, Sextam, & Nonam, & ad ſecundas Veſp. diei, niſi fuerit Triũ Lect. quod ſecundas Veſp. non habet. In Feſtis vero Sanctorum habentium Vigilias, Oratio de Vigil. ſi propria fuerit, dicenda eſt ad primas Veſp. niſi in Feſto S. Andreæ, quando in ij. Feriam transfertur.

De Homilijs in Vigilijs Sanctorum quando legendæ, vel omnino dimittendæ ſunt. 19.

68 VIgiliæ Sanctorum habentes propriam Homiliam, ſunt SS. Andreæ Apoſtoli, Ioãnis Baptiſtæ, Petri & Pauli Apoſtolorum, Aſſumptionis B. Mariæ, & Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ. Nullæ autem iſtarũ Vigiliarum habent aliquod Officium proprium, ſed ſolam Hom. totum enim Officium debet eſſe de Feria. Excipiũtur Vig. Petri & Pauli Apoſtolorum, & Aſſumptionis B. Mariæ, in quibus (dempta Hom.) totum Officium non de Feria erit: ſed in Vig. Apoſtolorũ de Oct. S. Ioannis Baptiſtæ, & in Vig. Aſſumptionis, de Oct. S. Laurẽtij. Dimittitur autem Hom. quãdo Vigilia in Dominica occurrerit. Et quando in Vigilia transfertur aliquod Feſtũ ſimplex, vel maius. Et quando Vig. SS. Ioannis Baptiſtæ, vel Apoſt. Petri & Pauli in die Corporis Chriſti, vel infra Octauas, aut in die Octaua eiuſdem venerint.

Quæ requirenda ſunt in Communi Sanctorum. 20.

69 PEr totum annum, omnia, quæ in Feſtis Sanctorum in ſuis locis non inueniuntur notata, de Communi Sanctorum, ſiue Paſchalis temporis, ſiue alterius reſpectiue, ſunt aſſumenda, & dicenda ſuis locis, ſecundũ quod ibi notata ſunt, & competunt feſtiuitatibus de quibus agitur: præter Lectiones de Scriptura Sacra, quæ, ſi non ſint ibi particulariter ſignatæ, inter Lect. de Temp. requirendæ ſunt.

70 Quandocumque ergo in Feſto alicuius Sancti nouem Lectionũ, ſex tantum in proprio loco ſignatæ ſunt, recurrendum eſt ad Feriam, vel ad Dominicam, in qua Feſtũ celebratur, vel ad loca ibi notata, & inde Lectiones tres pro primo Nocturno aſſumendæ ſunt. Si autem ſit Feſtum triũ Lectionum, & non habeat niſi duas ſignatas, vel vnam tantum: tunc vna vel duæ de prædicta ſua Feria ſimiliter aſſumantur, & idem ordo infra Oct. & in Octa. obſeruetur, niſi quod infra Octa. duæ ſemper de Scriptura, & tertia tantum de ipſa Octa. legi debent, niſi aliter ſit notatum. Si autem ſit Feſtum nullas habens proprias Lectiones, tunc vltra duas de ſacra Scriptura, in Feſto trium Lectionum, & vltra tres in Feſto nouem Lectionum, ad Sermones de Communi pro reliquis recurrendum eſt, vel ad Homiliam, vt notatum fuerit.



Digitized by Google

BREVIARIVM
DE SANCTIS
IVXTA RITVM SACRI ORDINIS PRAEDICATORVM.

Die xxix. Nouembris.

IN VIGILIA S. ANDREAE Apoſtoli, ſi Dominica non fuerit.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 1.

IN illo tempore: Stabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo: & reſpiciens Ieſum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et reliq.

Homilia ſancti Ioannis Chryſoſtomi.
Homil. 17. *in Ioan.*

PRophetæ, & Apoſtoli omnes abſentem Chriſtũ prædicauerunt: illi quidem ante, hi vero poſt acceptã carnem, Ioannes autem ſolus præſentem: quare amicum ipſum ſponſi appellat. Adfuit enim ſolus nuptijs, omnia fecit, omnia ad finem perduxit; ipſe rem orſus eſt, & viſo Ieſu ambulante, inquit: Ecce Agnus Dei.

Lectio ij.

NEque voce tantum, ſed & oculis Chriſtum teſtatus eſt, & admiratus: & incredibili gaudio exultauit. Neque iam exhortatur, ſed admiratur, & obſtupeſcit præſentem, & Dei donum quod annunciaturus venerat, & purgationis modum manifeſtat. Agnus enim vtrumque ſignificat. Neque dixit, qui tollet, aut tulit: ſed, tollit peccata mundi, vt quotidie ea tollere intelligatur.

Lectio iij.

NOn enim cum paſſus eſt ſolum noſtra abſtulit peccata, ſed ex illo hactenus tollit. Non ſemper crucifigitur: vnum namque pro peccatis noſtris tulit ſacrificium, ſed ſemper per illud nos purgat. Quemadmodum igitur cum Verbum dixit, & Filium, vtrũque præ ceteris eximium intellexit, ita & Agnus, & propheta, & lux vera, & paſtor bonus, & alia quæ ab eo articuli adiectione dicta ſunt, præcipuũ quiddam & ceteris præſtantius demonſtrant.

Eodem die Memoria S. Saturnini martyris. Oratio.

DEus, qui nos B. Saturnini martyris tui cõcedis natalitio perfrui: eius nos tribue meritis adiuuari. Per Dominum.

Die

Digitized by Google

Die xxx. Nouembris.

IN FESTO S. ANDREAE Apoſtoli. Totum Duplex.

Ad Veſper. ſuper Pſalmos, Antiph. Vnus ex duobus qui ſecuti ſunt Dominum, erat Andreas, frater Simonis Petri, alleluia. Pſal. Laudate pueri. cum ceteris. ℟. Homo Dei. iij.

Ad Magnificat, Antiphona. Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit Petrum, & Andream fratrē eius: & ait illis: Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi relictis retibus, & naui ſecuti ſunt eum.

Oratio.

Quæſumus omnipotens Deus: vt beatus Andreas Apoſtolus, cuius præuenimus feſtiuitatem, tuum pro nobis imploret auxilium: vt à noſtris reatibus abſoluti, à cunctis etiam periculis eruamur. Per Dom.

Si Feſtum S. Andreæ propter Dominicam transferatur, ad primas Veſperas dicatur Oratio Maieſtatem. quæ infra habetur in Laudibus. Ad Matutinum, Inuitatorium. Adoremus victoriosiſſimum Regem Chriſtum: Qui victorem per Crucis trophæum coronauit beatum Andream Apoſtolum. Pſalm. Venite. 62.

IN I. NOCTVRNO.

Aña. Vidit Dominus Petrum, & Andream, & vocauit eos. Pſal. Cæli enarrant. 11. Aña. Venite poſt me, dicit Dominus, faciam vos fieri piſcatores hominum. Pſal. Benedicam. 21. Aña. Relictis retibus ſuis, ſecuti ſunt Dominum Redemptorem. Pſalm. Eructauit. 30. ℣. In omnem terram exiuit ſonus eorum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Romanos. Lectio j. C. 10.

Finis legis Chriſtus, ad iuſtitiam omni credenti. Moyſes enim ſcripſit, quoniam iuſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ autem ex fide eſt iuſtitia, ſic dicit: Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcēdet in cælum? id eſt, Chriſtum deducere: Aut quis deſcendet in abyſſum? hoc eſt, Chriſtum à mortuis reuocare. Sed quid dicit Scriptura? Prope eſt verbū in ore tuo, & in corde tuo. Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Tu autem. ℟. Cum perambularet Dominus iuxta mare ſecus littus Galilææ, vidit Petrum & Andream retia mittentes in mare, & vocauit eos, dicens: Venite poſt me, faciam vos piſcatores hominum. ℣. Erant enim piſcatores, & ait illis. Venite.

Lectio ij.

Omnis enim, quicumque inuocauerit nomē Domini, ſaluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt: Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Euangelio. Iſaias enim dicit: Dñe, quis credidit auditui noſtro? Ergo fides ex auditu, auditus autem

tem per verbum Chriſti. ℟. Mox vt vocem Domini prædicantis audiuit beatus Andreas, relictis retibus, quorum vſu actuque viuebat, æternæ vitæ ſecutus eſt Præmia largientem. ℣. Ad vnius iuſſionis vocẽ Petrus & Andreas ſecuti ſunt Redemptorem. Præmia.

Lectio iij.

SEd dico: Numquid non audierũt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed dico: Nũquid Iſrael non cognouit? Primus Moyſes dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam. Iſais autem audet, & dicit: Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui ijs qui me non interrogabant. Ad Iſrael autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem. ℟. Homo Dei ducebatur vt crucifigerent eum: populus autem clamabat voce magna, dicens: Innocens eius ſanguis ſine cauſa damnatur. ℣. Cumque carnifices ducerent eum, vt crucifigeretur, factus eſt concurſus populorum clamantium, & dicentium. Innocens. Gloria Patri. Innocens.

IN II. NOCTVR. Antiphona. Dilexit Andream Dominus in odorem ſuauitatis, alleluia. Pſalm. Omnes gentes plaud. 31. Antiph. Dignum ſibi Dominus computauit martyrem, quem vocauit Apoſtolum dum eſſet in mari, alleluia. Pſalm. Exaudi Deus deprecationẽ. 39. Aña. Chriſtus me miſit ad iſtam prouinciã, vbi non paruũ populũ acquiſiui. Pſal. Exaudi Deus orationem. 40. ℣. Conſtitues eos &c. *Ex actis paſſionis eius ſcriptis à Presbyteris & Diaconis Achaia, & ex Rom. Breuiario.* Lectio iv.

ANdreas Apoſtolus Bethſaidæ vico Galilææ natus, frater Petri, diſcipulus Ioannis Baptiſtæ, vnà cũ fratre ante alios Apoſtolos à Chriſto vocatus: poſt eiuſdem paſſionem & reſurrectionem cum in Scythiam Europæ veniſſet, deinde Epirum ad Thraciam peragraſſet: doctrina, & miraculis innumerabiles homines ad Chriſtum conuertit. Poſt Patras Achaiæ profectus, & in ea vrbe plurimis ad veritatem Euangelicam perductis, Aegeam Proconſulem, prædicationi Euangelicæ reſiſtentem, liberrime increpauit. ℟. Doctor bonus, & amicus Dei Andreas ducitur ad crucẽ: aſpiciens à longe vidit crucem: Salue crux, Suſcipe diſcipulum eius, qui pepẽdit in te magiſter meus Chriſtus. ℣. Salue crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es: & ex mẽbris eius tamquam margaritis ornata. Suſcipe.

Lectio v.

TVm Aegeas iratus, demũ hortatur, vt ſibi cõſulens, dijs velit immolare. Cui Andreas: Ego omnipotẽti Deo, qui vnus, & verus eſt, immolo quotidie, nõ taurorũ carnes, nec hircorũ ſanguinẽ, ſed immaculatũ Agnũ in altari: cuius carnẽ poſteaquã omnis populus credentiũ manducauerit, Agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat

ac viuus. Quamobrem ira accenſus Aegeas, iubet eum in carcerem detrudi: vnde populus Andream facile liberaſſet, niſi ipſe ſedaſſet multitudinem, vehementius rogans, ne ſe ad optatiſſimam martyrij coronam properantem impedirent. ℟. O bona crux, quæ decorem, & pulchritudinem de membris Domini ſuſcepiſti: accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo: Vt per te me ſuſcipiat, qui per te me redemit. ℣. Securus & gaudens venio ad te: ita & tu exultans ſuſcipias me. Vt per.

Lectio vj.

IGitur paulo poſt in tribunal productum, cum Aegeas Crucis extollentem myſteria, ſibique ſuam impietatẽ exprobrantem diutius ferre non poſſet, in crucem tolli, & Chriſti mortem imitari iuſſit. Adductus Andreas ad locum martyrij, cũ crucem vidiſſet, lõge exclamare cœpit: O bona crux, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſollicite amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquãdo cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo: vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Itaque cruci affixus eſt: in qua biduum viuus pendens, & Chriſti fidem prædicare nunquam intermittens ad eum migrauit, cuius mortis ſimilitudinem concupierat. ℟. Salue crux quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membris eius tamquam margaritis ornata, Suſcipe diſcipulum eius qui pependit in te. ℣. O bona crux diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata. Suſcipe. Gloria Patri. Suſcipe.

IN III. NOCTVRNO.

Añã. Videns Andreas crucem, cum gaudio dicebat: Quia amator tuus ſẽper fui, & deſideraui amplecti te, ò bona crux. Pſal. Confitebimur. 48. Añã. Recipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo: vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Pſalm. Dominus regnauit, exultet, 63. Añã. Biduo viuens pendebat in cruce pro Chriſti nomine beatus Andreas, & docebat populum. Pſalm. Dominus regnauit, iraſcantur. 64. ℣. Nimis honorati ſunt &c.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 4.

IN illo tempore: Ambulans Ieſus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare. Erant enim piſcatores. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

Homil. 5. in Euang.

AVdiſtis, fratres chariſſimi, quòd ad vnius iuſſionis vocem Petrus & Andreas relictis retibus ſecuti ſunt Redemptorem. Nulla vero hunc facere adhuc miracula viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant: & tamen ad vnum Domini præceptum, hoc quod poſſidere videbantur, obliti ſunt. Quanta nos eius miracula videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum aſperitatibus deterremur, & tamen vocantem ſequi con-

cõtemnimus? Tu autẽ. ℞. Expãdi manus meas totã die in cruce ad populũ non credentem, ſed contradicentem mihi: Qui ambulant vias non bonas, ſed poſt peccata ſua. ℣. Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem ſuperbis. Qui.

Lectio viij.

IN cælo iam ſedet, qui de conuerſione nos admonet: iam iugo fidei colla Gentium ſubdidit, iam mundi gloriam ſtrauit: iam ruinis eius crebreſcentibus, diſtricti ſui iudicij propinquantem denunciant diem: & tamen ſuperba mens noſtra adhuc non vult hoc ſponte deſcerere, quod quotidie perdit inuita. Quid ergo, fratres chariſſimi, quid in eius iudicio dicturi ſumus, qui ab amore præſentis ſæculi nec præceptis flectimur, nec verberibus emendamur? ℞. Dilexit Andream Dominus in odorem ſuauitatis: dum penderet in cruce dignum ſibi computauit martyrem, quem vocauit Apoſtolum, dum eſſet in mari, Et ideo amicus Dei appellatus eſt. ℣. Vir iſte in populo ſuo mitiſſimus apparuit: ſanctitate autem, & gratia plenus. Et ideo.

Lectio ix.

SEd fortaſſe aliquis tacitis ſecum cogitationibus dicat: Ad vocem Dominicã vterque iſte piſcator quid, aut quantum dimiſit, qui pene nihil habuit? Sed hac in re, fratres chariſſimi, affectum debemus potius penſare, quàm cenſum. Multum reliquit, qui ſibi nihil retinuit: multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deſeruit. Certe nos & habita cum amore poſſidemus, & ea quæ minime habemus, ex deſiderio quærimus. Multum ergo Petrus & Andreas dimiſit, quando vterque etiam deſideria habendi dereliquit. ℞. Videns crucem Andreas exclamauit, dicens: O crux inenarrabilis, ò crux inæſtimabilis, ò crux quæ per totum mundum fulges: Non me dimittas errãtem, ſicut ouem non habentem paſtorem. ℣. Biduo viuens pendebat in cruce pro Chriſti nomine beatus Andreas, & docebat populum, & dicebat. O crux. Gloria Patri. Non me.

℣. Dilexit Andream Dominus.
℞. In odorem ſuauitatis.

IN LAVDIBVS Antiphona,

SAlue crux pretioſa, ſuſcipe diſcipulum eius, qui pependit in te magiſter meus Chriſtus. Pſal. Dominus regnauit. cum ceteris. Antiph. Beatus Andreas orabat, dicens: Domine Rex æternæ gloriæ, ſuſcipe me pendentem in patibulo. Aña. Andreas Chriſti famulus, dignus Dei Apoſtolus, germanus Petri, & in paſſione ſocius. Aña. Maximilla Chriſto amabilis, tulit corpus Apoſtoli, optimo loco cum aromatibus ſepeliuit. Aña. Qui perſequebantur iuſtum, demerſiſti eos Domine in profundum: & in ligno Crucis dux iuſti fuiſti.

Ad Benedictus, Antiphona.

Concede nobis hominem iuſtum, redde nobis hominem ſanctum: ne interficias hominem Deo charum, iuſtum, manſuetum, & pium.

Oratio.

MAieſtatem tuam Domine ſuppliciter exoramus: vt ſicut Eccleſiæ tuæ beatus Andreas Apoſtolus extitit prædicator & rector: ita apud te ſit pro nobis perpetuus interceſſor. Per Dominum.

Ad Veſperas, Super Pſal. Antiph. Salue. Pſalm. Dixit Dominus. cum cæteris de Apoſtolis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cum perueniſſet beatus Andreas ad locum, vbi crux parata erat, exclamauit & dixit: O bona crux, diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata: ſecurus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum eius, qui pependit in te.

Ad Memor. per Oct. In Laud. Antiph. Biduo. tertia iij. Nocturni. & ℣. Annunciauerunt. In Veſp. Aña. Beatus Andreas. ſecunda Laudum. & ℣. Dilexit Andream Dominus. Oratio. Maieſtatem tuam Domine.

FESTA DECEMBRIS.

Die iiij. Decembris.

IN FESTO S. BARBARAE Virg. & mart. Dupl. Oratio.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt ſicut de beatæ Barbaræ virginis & martyris tuæ feſtiuitate gaudemus: ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

Ex ſincerioribus Actis ex S. Damaſceno aliiſq. contextis. Lectio iv.

BArbara virgo, Nicomediæ in perſecutione Iulij Maximini paſſa eſt. A patre ſiquidem Dioſcoro viro nobili, ſed Gentili, in alta & munita turri, ob egregiam eius pulchritudinẽ, cuſtodienda includitur. Vbi balneum, & duas feneſtras, quibus lumen exciperetur, in eo fieri iubet. Barbara vero abſente patre tertiã addi feneſtrã, & labri pauimentũ Crucis imagine ornari voluit. Reuerſus pater de tertia feneſtra quærit. Virgo occaſionẽ nacta, de ſacroſãctæ Trinitatis myſterio multa aperte & diuine diſſerit, ac pluribus verbis ad ſalutarem Chriſti fidem patrem eſt cohortata. Lectio v.

AT pater non ſolum ſuæ impietatis ſtimulis, ſed etiam maximo Cæſaris timore adductus, qui fidem Chriſti immaniter perſequebatur, filiam modis omnibus nititur ad idolatriam reuocare. Cumque id conſequi non poſſet, Prouinciæ Præſidi eam tradit. Qui primum virginẽ blandicijs aggreſſus, vbi ſe nihil vidit efficere, nudã neruis bubulis crudeliter cædi, dein præacutis teſtulis vulnera perfricari imperat. Poſt hæc in carcerem truditur, vbi clariſſima luce, & Chriſti Domini præſentia ad reliqua ſubeunda certamina mirifice confirmatur.

Lectio vj.

SEd cum iterum Præſidi ſiſteretur, & conſtantior in fidei confeſſione perſiſteret: ferreis vngulis dilaniatur, lateribus ardẽtes faces admouẽtur, caput ferreis malleis cõtũditur, mamillæ præſcindũtur, direptis veſtibus ignominiæ cauſa per publica loca perducitur. Quibus tormẽtis fortiter & inuicte ſupera-

ſuperatis, tandem à patre impietatis furore amente, capite trūcata, glorioſum martyrij agonem conſummauit. Ab Origene ſacris litteris imbuta fuiſſe proditur.

IN III. NOCTVRNO. Homilia in Euangelium. Simile eſt regnum cælorum theſauro. In Communi Virginum.

Die vi. Decembris.

IN FESTO S. NICOLAI Epiſcopi & Confeſſoris, Totum Dupl. Ad Veſper. ſuper Pſalmos, Antiph. Amicus Dei Nicolaus Pontificali decoratus infula, omnibus ſe amabilem exhibuit. Pſal. Laudate pueri. cum ceteris. ℟. Ex eius tumba. 18.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Paſtor æterne, ò clemens, & bone cuſtos, qui dum deuoti gregis preces attenderes, voce lapſa de cælo præſuli ſanctiſſimo, dignum Epiſcopatu Nicolaum oſtendiſti tuum famulum.

Oratio.

Deus, qui beatum Nicolaum Pōtificem tuum innumeris decoraſti miraculis: tribue quæſumus, vt eius meritis & precibus, à gehennæ incendijs liberemur. Per Dominum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Adoremus Regem ſæculorum: In quo viuit Nicolaus honor ſacerdotum.

IN I. NOCTVRNO. Aña. Nobiliſſimis ſiquidem natalibus ortus, velut lucifer Nicolaus emicuit. Pſal. Beatus vir. 1. Aña. Poſtquam domi puerilem decurrit ætatem, cunctis mundi huius ſpretis oblectationibus, Chriſti ſe iugo ſubijciens, documentis ſanctis ſuum præbuit auditum. Pſal. Quare fremuerunt. 1. Aña. Pudore bono repletus Dei famulus, ſumptibus datis, ſtupri nefas prohibuit. Pſal. Domine, quid. 2. ℣. Amauit eum Dominus, &c.

De Libro Prouerbiorum.

Lectio j. C. 3.

Fili mi, ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat. Longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi. Miſericordia, & veritas te non deſerant, circumda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui: & inuenies gratiam, & diſciplinam bonam coram Deo & hominibus. Habe fiduciā in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. ℟. Confeſſor Dei Nicolaus nobilis progenie, ſed nobilior moribus, ab ipſo puerili æuo ſecutus Dominum, Meruit diuina reuelatione ad ſummum prouehi ſacerdotium. ℣. Erat enim valde compatiens, & ſuper afflictos pia geſtans viſcera. Meruit. Lectio ij.

Diſciplinam Domini, fili mi, ne abijcias: nec deficias cum ab eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: & quaſi pater in filio cōplacet ſibi. Beatus homo, qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia: melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, & auri primi & puriſſ. mi fructus eius: pretioſior eſt cunctis opibus: & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. ℟. Operibus

ſanctis Nicolaus humiliter inſiſtens, reuelatione diuina prouectus eſt Ad ſummum ſacerdotij gradum. ℣. Voce quippe de cælo lapſa cuidam inſinuatur præſuli, dignum Epiſcopatu Nicolaum. Ad ſummum.

Lectio iij.

DOminus ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cælos prudentia. Sapientia illius eruperunt abyſſi, & nubes rore côcreſcunt. Fili mi, ne efluât hæc ab oculis tuis: Cuſtodi legem atque conſilium: & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget: ſi dormieris, non timebis: quieſces, & ſuauis erit ſomnus tuus. ℟. Quadam die tempeſtate ſæuiſſima quaſſati nautæ, cœperunt ſanctum inuocare Nicolaum, Et ſtatim ceſſauit tempeſtas. ℣. Mox illis clamantibus apparuit quidam, dicẽs eis: Ecce adſum, quid vocaſtis me? Et ſtatim. Gloria. Et ſtatim.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. Auro virginum inceſtus: auro patris earum inopiam: auro prorſus vtrorumque deteſtabilem infamiam Dei ſeruus ademit Nicolaus. Pſal. Cum inuocarem. 2. Aña. Innocenter iura puerilia tranſcendens, Euangelicæ inſtitutionis diſcipulus effectus eſt. Pſal. Verba mea. 2. Aña. Gloriam mundi ſpreuit cum ſuis oblectationibus: & ideo meruit prouehi ad ſummum ſacerdotij gradum. Pſal. Domine Dominus noſter. 4. ℣. Iuſtũ deduxit, &c.

Ex probatis eius Actis apud Metaphraſtem, & alios, & ex Romano Breuiario.

Lectio iv.

NIcolaum, illuſtri loco Pataræ in Lycia natum, parentes à Deo precibus impetrarunt. Cuius viri ſanctitas, quanta futura eſſet, iam ab incunabulis apparuit. Nam infans, cum reliquos dies lac nutricis frequenter ſugeret, quarta & ſexta feria ſemel dumtaxat, idque veſperi ſugebat: quam ieiunij conſuetudinem in reliqua vita ſemper tenuit. Adoleſcens parentibus orbatur, facultates ſuas pauperibus diſtribuit. ℟. Audiens Chriſti confeſſor trium iuuenum innocentum necẽ præcucurrit quantocyus ad locum in quo fuerant plectẽdi, Et liberauit eos. ℣. Statimque ſolutos à vinculis, vſque ad Prætorium Conſulis ſecum adduxit. Et liberauit.

Lectio v.

CVius illud inſigne eſt Chriſtianæ benignitatis exemplũ: quòd cum eius egens tres filias iam nubiles in matrimonió collocare non poſſet, earumque pudicitiam proſtituere cogitaret: re cognita, Nicolaus noctũ per feneſtram tantum pecuniæ in eius domum iniecit, quantum vnius virginis doti ſatis eſſet: quod cum iterum & tertio feciſſet, tres illæ virgines honeſtis viris in matrimoniũ datæ ſunt. ℟. Qui cum audiſſent ſancti Nicolai nomen, ſtatim expandũt manus vtraſque ad cælum, Saluatoris laudantes clementiam. ℣. Clara quippe voce coram omnibus, dignum referebant illum Dei famulum. Saluatoris.

Lectio

Digitized by Google

Lectio vj.

CVm vero ſe totum Deo dediſſet, in Palæſtinam profectus eſt, vt loca ſancta viſeret, & præſens veneraretur. Qua in peregrinatione nauem conſcendens ſereno cælo, & tranquillo mari, horribilem nautis tempeſtatem prædixit: moxque ortam, cum eſſent omnes in ſummo periculo, orans mirabiliter ſedauit. Vnde cum domũ reuerſus ſingularis ſanctitatis omnibus documenta præberet: Dei admonitu Myram, quæ Lyciæ metropolis erat, venit: quo tempore eius vrbis Epiſcopo mortuo, prouinciales Epiſcopi de ſucceſſore deligendo conſultabant. ℟. Beatus Nicolaus iã triumpho potitus, nouit ſuis famulis præbere cæleſtia commoda: qui toto corde poſcunt eius largitiones: illi nimirum tota nos deuotione oportet committere. ℣. Vt apud Chriſtum eius patrocinijs adiuuemur ſemper. Illi nimirum. Gloria Patri. Illi nimirum.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Pontifices almi diuina reuelatione lætificati, Nicolaum præſulem deuotiſſime conſecrauerunt. Pſalm. Domine, quis. 7. Aña. Sanctus quidem triticum, quod à nautis poſtulauerat, acceptum; & ſagacitate diſtribuere, & augeri precibus impetrauit. Pſalm. Domine in virtute. 13. Aña Muneribus datis, neci ſunt iuuenes innocentes addicti: quibus Domini ſeruus fuit vitæ præſidio feſtinanter. Pſalm. Domini eſt terra. 15. ℣. Iuſtus vt palma &c.

Lectio vii.

ITaque in ea deliberatione diuinitus admoniti ſunt, vt eum eligerẽt, qui poſtridie mane primus in Eccleſiam ingrederetur, Nicolaus nomine. Qua obſeruatione adhibita, in Eccleſiæ ianua deprehenſus eſt Nicolaus, & ſummo omnium conſenſu Myræ Epiſcopus creatur. In Epiſcopatu caſtitatem, quam ſemper coluerat, grauitatem, orationis aſſiduitatem, vigilias, abſtinentiam, liberalitatem, & hoſpitalitatem, in adhortando manſuetudinem, in reprehendendo ſeueritatem perpetuo adhibuit. ℟. Summe Dei confeſſor Nicolae, te venerantes protege: Namque credimus tuis precibus nos poſſe ſaluari. ℣. Qui tres pueros morti addictos, illæſos abire feciſti, tuis laudibus inſtantem conſerua plebem. Namque.

Lectio viij.

VIduis & orphanis pecunia, conſilio, opera non defuit: oppreſſos adeo ſubleuauit, vt etiam tres Tribunos, per calumniam à Conſtantino Auguſto condemnatos, qui ſe propter famam eius miraculorum, orationibus longiſſime abſenti commendarant, adhuc viuens, cum Imperatori, minaciter eum terrens, apparuiſſet, liberauerit. Cum vero contra edictum Diocletiani, & Maximiani Chriſtianæ fidei veritatem Myræ prædicaret, ab Imperatorum ſatellitibus comprehenſus, & longiſſime adductus in carcerem coniectus eſt: vbi fuit vſque ad Conſtantinum Imperatorem: cuius

iuſſu ex cuſtodia ereptus, Myram rediijt. ℟. Seruus Dei Nicolaus auri pōdo trium virginum redemit pudorem, Earumque patris impudicam remenſo auro fugauit inopiā. ℣. Affluens itaque miſericordiæ viſceribus, metallo duplicato propulſauit earum infamiam. Earumque. Lectio ix.

MOx ad Nicænum Concilium ſe contulit; vbi cum trecentis illis decem & octo Patribus Arianam hæreſim condemnauit. Inde reuerſus ad Epiſcopatum, non ita multo poſt, inſtante morte, ſuſcipiens in cælum, cum Angelos ſibi occurrentes intueretur, illo Pſalmo pronunciato, In te Domine ſperaui: vſque ad eum locum, In manus tuas commendo ſpiritum meū: in cæleſtem patriam migrauit. Eius corpus Barium in Apulia translatum, ibidem ſumma celebritate ac veneratione colitur. ℟. Ex eius tumba marmorea ſacrum reſudat oleum, quo liniti ſanantur cæci, Surdis auditus redditur, Et debilis quiſque ſoſpes regreditur. ℣. Cateruatim ruunt populi, cernere cupientes quæ per eum fiunt mirabilia. Surdis auditus. Gloria. Et debilis.

IN LAVDIBVS. Aña.

BEatus Nicolaus adhuc puerulus, multo ieiunio macerabat corpus. Pſalm. Dominus regnauit. cum reliquis. Aña. Eccleſiæ ſanctæ frequentans limina, ſacra pectore condebat mandata. Aña. Iuſte & ſancte viuendo, ad honorem ſacerdotij meruit promoueri diuinitus. Aña. Amicus Dei Nicolaus Pontificali decoratus infula, omnibus ſe amabilem exhibuit. Aña. O per omnia laudabilem virum! cuius meritis ab omni clade liberantur, qui ex toto corde quærunt illum.

Ad Benedictus, Antiphona.

Copioſæ charitatis Nicolae Pōtifex, qui cum Deo gloriaris in cæli palatio: condeſcende, ſupplicamus, ad te ſuſpirantibus, vt exutos graui carne pertrahas ad ſuperos.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Chriſti pietas omni proſequenda laude! quæ ſui famuli Nicolai merita longe lateque declarat: nam ex tumba eius oleum manat, cunctoſque languidos ſanat.

Die vij. Decembris.

IN ORDINATIONE S. Ambroſij Epiſcopi & Confeſſ. Duplex. In primis Veſper. ad Mem. Aña. Confeſſor Domini.

Oratio.

DEus mundi auctor & conditor, qui hodiernæ feſtiuitatis diem beati Ambroſij Sacerdotij electione conſecraſti: præſta populo tuo, vt cuius annua celebritate deuotis reſultat obſequijs, eius ſuffragijs tuæ pietatis cōſequatur auxilium. Per Dominum.

Memoria Aduentus, & deinde de S. Andrea per Antiphonam. Ambulans Ieſus. ℣. Dilexit Andream.

Oratio.

PRotegat nos Domine ſæpius beati Andreæ Apoſtoli tui repetita ſolemnitas: vt cuius patrocinia ſine intermiſſione recolimus, perpetuam defen-

defenſionem ſentiamus. Per Dominũ.

Hymnus. Iſte Confeſſor. peculiariter incipit, vt in Communi Confeſſ.

IN I. NOCTVRNO.

De Epiſtola prima B. Pauli Apoſtoli ad Timotheum.

Lectio j. C. 3.

FIdelis ſermo: Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudẽtem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentũ, non percuſſorem, ſed modeſtum: non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui bene præpoſitum: filios habentem ſubditos, cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Non neophitum, ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab ijs qui foris ſunt: vt non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.

De Epiſtola ad Titum.

Lectio ij. C. 1.

OPortet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracũdum, non vinolentum, non percuſſorem, nõ turpis lucri cupidum: ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem: vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.

Lectio iij.

TV autem loquere quæ decent ſanam doctrinam. Senes vt ſobrij ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia. Anus ſimiliter in habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino feruientes, bene docentes: vt prudentiam doceant adoleſcentulas, vt viros ſuos ament, filios ſuos diligant, prudẽtes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, benignas, ſubditas viris ſuis, vt non blaſphemetur verbum Dei.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Paulino amanuenſi S. Ambroſii, & ex Rom. Breuiario. Lect. iv.

AMbroſius Epiſcopus Mediolanenſis, Ambroſij ciuis Romani filius, patre Galliæ Præfecto natus eſt. In huius infantis ore examen apum conſediſſe dicitur; quæ res diuinam viri eloquentiam præmonſtrabat. Romæ liberalibus diſciplinis eruditus eſt. Poſt à Probo præfecto, Liguriæ & Aemiliæ præpoſitus: vnde poſtea eiuſdem Probi iuſſu cum poteſtate Mediolanum venit: vbi, mortuo Auxentio Ariano Epiſcopo, populus de ſucceſſore deligendo diſſidebat.

Lectio v.

QVare Ambroſius, pro officij ſui munere Eccleſiam ingreſſus, vt commotam ſeditionem ſedaret, cum multa de quiete & tranquillitate reipublicæ præclare dixiſſet, de repente puero Ambroſium Epiſcopũ exclamante, vniuerſi populi vox erupit, Ambroſium Epiſcopũ depoſcẽtis.

Recu-

Digitized by Google

Recuſante illo, & eorum precibus reſiſtente, ardens populi ſtudium ad Valentinianum Imperatorem delatum eſt: cui gratiſſimum fuit, à ſe delectos iudices ad Sacerdotium poſtulari.

Lectio vj.

FVit id etiam Probo Præfecto iucundum, qui Ambroſio proficiſcenti quaſi diuinans dixerat: Vade age, non vt iudex, ſed vt Epiſcopus. Itaque cum ad populi deſiderium Imperatoris voluntas accederet, Ambroſius baptizatus (erat enim catechumenus) ſacriſque initiatus, ac ſeruatis omnibus ex inſtituto Eccleſiæ Ordinum gradibus, octauo die, qui fuit ſeptimo Idus Decembris Epiſcopale onus ſuſcepit.

In tertio Nocturno. Homilia in Euangelium. **Vos eſtis ſal terræ.** De Communi Confeſſorum. In Laudib. poſt Orationem ſancti Ambroſij, fiat Memor. de Aduentu. & poſtea de Oct. S. Andreæ per Antiphonam. **Concede nobis.** ℣. **Annunciauerunt.** Oratio. **Protegat nos.**

Die viij. Decembris.

IN SANCTIFICATIONE B. Mariæ Virg. Totum Duplex. Omnia præter Lectiones infraſcriptas, de Offic. Natiuit. ipſius aſſumantur, mutato **Natiuitatis** vocabulo in **Sanctificationis.**

IN I. NOCTVRNO.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. C. 25.

AB initio & ante ſæcula creata ſum, & vſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Ieruſalem poteſtas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea.

Lectio ij.

QVaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion. Quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Iericho. Quaſi oliua ſpecioſa in cãpis, & quaſi platanus exaltata ſum iuxta aquas in plateis. Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris: & quaſi ſtorax, & galbanus, & vngula, & gutta.

Lectio iij.

QVaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam: & quaſi balſamum nõ mixtum odor meus. Ego quaſi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ. Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris: & flores mei, fructus honoris & honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Libro S. Ambroſij Epiſcopi de Virginibus. *Lib. 2. ſub init.* Lect. iv.

SIt vobis tamquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque beatæ Mariæ: de qua velut in ſpeculo refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla viuendi, vbi

di, vbi tamquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendunt. Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri. Quid nobilius Dei matre? Quid ſplendidius ea, quam ſplendor elegit? Quid caſtius ea, quæ corpus ſine corporis contagione generauit?

Lectio v.

NAm de ceteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non ſolum corpore, ſed etiam mente, quæ nullo doli ambitu ſincerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis grauis, animo prudens: loquendi parcior, legendi ſtudioſior, non in incerto diuitiarũ, ſed in prece pauperis ſpem reponens: intenta operi, verecunda ſermone, arbitrum mentis ſolita non hominem, ſed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, aſſurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem ſequi, amare virtutem.

Lectio vj.

QVando iſta vel vultu læſit parentes? quando diſſenſit à propinquis? quando faſtidiuit humilem? quando deriſit debilem? quando vitauit inopem? Eos ſolos ſolita cœtus virorum inuiſere, quos miſericordia non erubeſceret, neque præteriret verecundia. Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum. Non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior: vt ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lect. vij. C. 1.

LIber generationis IESV CHRISTI filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Lib. 2. de Conſenſu Euang. cap. 1.

MAtthæus Euangeliſta ſic exorſus eſt: Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Quo exordio ſuo ſatis oſtendit, generationem Chriſti ſecundum carnem ſe ſuſcepiſſe narrandam. Secundum hanc enim Chriſtus filius hominis eſt: quod etiam ſe ipſe ſæpiſſime appellat, commendans nobis quid miſericorditer dignatus ſit eſſe pro nobis. Nam illa ſuperna & æterna generatio, ſecundum quam filius Dei vnigenitus eſt ante omnem creaturam, quia omnia per ipſum facta ſunt, ita ineffabilis eſt, vt de illa dictum à Propheta intelligatur: Generationem eius quis enarrabit?

Lectio viij.

EXequitur ergo humanam generationem Chriſti Matthæus, ab Abraham generationes commemorans, quas perducit ad Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus. Neque enim fas erat, vt ob hoc eum à coniugio Mariæ ſeparandum putaret, quòd virgo peperit Chriſtum. Hoc enim exemplo magnifice inſinuatur fidelibus coniugatis, etiam ſeruata pari cõſenſu continentia, poſſe permanere, vocariq. coniugiũ, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mẽtis affectu.

Lectio

Lectio ix.

CVm autem euidenter dicat Apoſtolus Paulus, ex ſemine Dauid ſecundum carnem Chriſtum, ipſam quoque Mariam de ſtirpe Dauid conſanguinitatem duxiſſe, dubitare vtique non debemus. Cuius feminæ quoniam nec ſacerdotale genus tacetur, inſinuante Luca quòd cognata eius eſſet Eliſabeth, quam dicit de filiabus Aaron: firmiſſime tenendum eſt, carnem Chriſti ex vtroque genere propagatam, & regum ſcilicet, & ſacerdotum.

Die xi. Decembris.

IN FESTO S. DAMASI

Papæ & Confeſſ. Tres Lectiones.

Oratio.

DA quæſumus omnipotens Deus: vt beati Damaſi confeſſoris tui atque Pontificis veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum.

Ex Libro de Roman. Pontific. & Rom. Breuiario. Lectio ii.

DAmaſus Hiſpanus, vir egregius & eruditus in Scripturis, indicto primo Conſtãtinopolitano Concilio, nefariam Eunomij & Macedonij hæreſim extinxit. Idem Ariminenſem conuentum à Liberio iam ante reiectum, iterum condemnauit. Baſilicas duas ædificauit, alteram S. Laurentij ad theatrum Pompei: alteram via Ardeatina ad Catacumbas. Platoniam etiam, vbi corpora Sanctorum Petri & Pauli aliquando iacuerunt, dedicauit, & exornauit elegantibus verſibus. Eius iuſſu S. Hieronymus nouum Teſtamentum Græcæ fidei reddidit.

Lectio iij.

CVm Eccleſiã rexiſſet annos decem & ſeptem, menſes duos, dies viginti ſex, & habuiſſet Ordinationes quinque mẽſe Decembri, quibus creauit Presbyteros triginta vnum, Diaconos vndecim, Epiſcopos per diuerſa loca ſexaginta duos: virtute, doctrina, ac prudentia clarus, prope octogenarius, Theodoſio ſeniore imperante, obdormiuit in Domino. S. Ambroſius ipſum iudicio Dei in Romanum Pontificem electum fuiſſe teſtatur. S. Hieronymus eundem virginem fuiſſe affirmat. Proſa & verſu ſcripſit de Virginitate, multaque alia metro edidit.

Die xiij. Decembris.

IN FESTO S. LVCIAE

Virg. & Mart. Totum Duplex.

Ad Veſperas ſuper Pſalmos, Antiph. Veniente. Pſalm. Laudate pueri. cum ceteris. R. Rogaui. ix.

Ad Magnificat, Antiphona.

In tua patientia poſſediſti animam tuam, Lucia ſponſa Chriſti: odiſti quæ in mundo ſunt, & coruſcas cum Angelis: ſanguine proprio inimicum viciſti.

Oratio.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt ſicut de beatæ Luciæ virginis & martyris tuæ feſtiuitate gaudemus: ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Ad Matut. Inuit. Añæ, & Reſponſoria omnia præter nonum, de Communi.

IN I. NOCTVRNO.

De

De Epiſtola prima B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios. Lect. j. C.7.

DE virginibus præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantē neceſsitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.

Lectio ij.

EGo autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breue eſt: reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tamquam nō habentes ſint: & qui flent, tamquam non flentes: & qui gaudent, tamquam non gaudentes: & qui emunt, tamquam non poſſidentes: & qui vtuntur hoc mundo, tamquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.

Lectio iij.

VOlo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuiſus eſt. Et mulier inupta & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.

IN II. NOCTVRNO.

Ex ſinceris Actis, & Romano Breuiar.

Lectio iv.

LVcia virgo Syracuſana, genere & Chriſtiana fide ab infantia nobilis, vnà cum matre Eutitia, quæ ſanguinis fluxu laborabat, Catanam ad venerādum corpus beatæ Agathæ venit. Contigit legi Euangelium, quod dicit, tactu fimbriæ veſtimenti Domini, mulierem à ſanguinis fluxu curatā. Dixit ergo Lucia matri: Si credis his quæ leguntur, tange ſepulchrum beatæ Agathæ, & liberaberis. Igitur cum alijs recedentibus, mater & filia proſtratæ ante ſepulchrum beatæ Agathæ eius implorarent ſuffragium, obdormiens Lucia vidit beatam Agathā in medio Angelorum gemmis ornatam, dicentem ſibi: Soror mea Lucia, quid à me petis? Ecce fides tua matri tuæ ſubuenit. Et ſicut Catana per me, ita & Syracuſana ciuitas per te honorabitur à Domino Ieſu Chriſto.

Lectio v.

EXpergefacta autem dixit matri ſuæ: Ecce ſanata es, per illā quæ te ſanauit, deprecor, vt numquā poſthac nomines mihi ſponſum, ſed quidquid mihi datura eras eunti ad corruptorem hominem, & mortalem, da mihi eunti ad Dominum Ieſum Chriſtū integritatis meæ auctorem. Cui mater: Tege primum oculos meos: & poſtea facies de omnibus facultatibus quidquid vis. Ait illa: Non eſt magnum dare Deo, quod ferri non poteſt: viuens ergo da Chriſto quod poſſides.

Lectio

Lectio vj.

CVm igitur inter huiuſmodi verba fieret quotidie rerum diſtractio, & pauperibus omnia erogarentur, is, cui eam parentes contra Virginis voluntatem deſponderāt, apud Paſchaſium Præfectum Luciam, quòd Chriſtiana eſſet, accuſauit. Quam Paſchaſius corripiens, cum inuitaret ad ſacrificia dæmonum, reſpondit: Ego per tres annos non ceſſaui ſacrificare Deo viuo quidquid habui: modo quia nihil ſupereſt, meipſam offero. Faciat quod voluerit de hoſtia ſua.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

PAſchaſius dixit: Iſta verba potes dicere homini Chriſtiano: mihi autem, qui Principum decreta cuſtodio, hæc fruſtra proſequeris. Reſpōdit Virgo: Tu Principum leges attendis, ego Dei leges attendo: tu illos times, ego Deum: tu illis placere deſideras, ego Deo. Tu ergo fac quod tibi neceſſe eſt, ipſa agam quod mihi vtile agnoſco. Tunc Paſchaſius: Ceſſabunt verba, cum ventum erit ad verbera. Cui Lucia: Ancilla, inquit, Chriſti ſum, qui dixit, quòd Spiritus ſanctus loquitur in nobis, & ideo verba Dei ceſſare non poterunt: Paſchaſius dixit: Eſtne in te Spiritus ſanctus? Cui Lucia: Apoſtolus habet, quòd caſte viuentes, templum ſunt Dei, & Spiritus ſanctus habitat in illis.

Lectio viij.

AT Paſchaſius: Iubebo te ad lupanar duci, vt te Spiritus ſanctus deſerat. Cui Virgo: Si inuitam iuſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. Tunc Paſchaſius iuſſit venire lenones, vt eam ad lupanar traherent. Quod vt facere voluerunt, tanto pondere fixit eam Spiritus ſanctus, vt nec ipſi, nec alij multi conuenientes etiam cum funibus, nec multa iuga boum admota, nec magi ſuis artibus eam vllatenus de loco dimouere poſſent. Cum autem ſuper his Paſchaſius torqueretur, dixit Virgo: Quid cruciaris? Templum Dei me eſſe, ſi probaſti, crede: ſi non probaſti, diſce magis.

Lectio ix.

QVamobrem Præfectus circum ipſam, pice, reſina, ac ferventi oleo perfuſam, ignem accendi imperauit: ſed cum ne flamma quidem eam læderet, multis tormentis excruciatæ guttur gladio transfigitur. Quò vulnere accepto, Lucia prædicēs Eccleſiæ tranquillitatem, quæ futura erat Maximiano & Diocletiano mortuis, Idibus Decembris ſpiritum Deo reddidit, cum prius ſacra Myſteria de manibus Sacerdotum percepiſſet. Cuius corpus Syracuſis ſepultum, deinde Conſtantinopolim, poſtremo Venetias translatum eſt. ℞. ix. Rogaui Dominum meum Ieſum Chriſtū, vt ignis iſte non dominetur mihi: Et impetraui à Domino inducias martyrij mei. ℣. Vt credentibus timorem auferam paſſionis, & non credentibus vocem inſultationis. Et impetraui. Gloria. Et impetraui.

IN LAVDIBVS Aña. O ran-

ORante ſancta Lucia, apparuit ei beata Agatha, & conſolabatur ancillam Chriſti. Pſalm. Dominus regnauit, cum reliquis Aña. Lucia virgo, quid à me petis, quod ipſa poteris præſtare continuo matri tuæ? Aña Per te Lucia virgo, ciuitas Syracuſana decorabitur à Domino Ieſu Chriſto. Aña. Benedico te, Pater Domini mei Ieſu Chriſti, quia per Filium tuũ ignis extinctus eſt à latere meo. Aña. Soror mea Lucia, virgo Deo deuota, quid à me petis, quod ipſa poteris præſtare continuo matri tuæ?

Ad Benedictus, Antiphona.

Columna es immobilis, Lucia ſponſa Chriſti: quia omnis plebs te expectat, vt accipias coronam regni, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Tanto pondere fixit eam Spiritus ſanctus, vt Virgo Domini immobilis permaneret.

Die xx. Vigilia ſancti Thomæ Apoſtoli.

Die xxi. Decembris.

IN FESTO S. THOMAE

Apoſt. Tot. Dup. omnia de Communi Apoſtolorum 1. præter hic poſita.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Thoma Didyme, qui Chriſtum meruiſti tangere! te precibus rogamus altiſonis, ſuccurre nobis miſeris: ne damnemur cum impijs, in aduentu iudicis.

Oratio.

DA nobis, quæſumus Domine, beati Apoſtoli tui Thomæ ſolennitatibus gloriari: vt eius ſemper & patrocinijs ſubleuemur, & fidem cõgrua deuotione ſectemur. Per Dominum.

IN I. NOCTVRNO.

De Epiſtola prima Beati Pauli Apoſtoli ad Corinthios. Lect. j. C. 2

ET ego, cum veniſſem ad vos fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annunciãs vobis teſtimonium Chriſti. Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos: & ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis: vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Lectio ij.

SApientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam vero non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiã in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſæculi cognouit: ſi enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.

Lectio iij.

SEd ſicut ſcriptum eſt: Quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum: Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei.

IN

Digitized by Google

IN II. NOCTVRNO.

Ex Sophronio, ac Roman. Martyrologio, Breuiarioque. Lectio iv.

THomas Apoſtolus, qui & Didymus, Galilæus, poſt acceptum Spiritum ſanctũ in multas prouincias profectus eſt ad prædicandum Chriſti Euangeliũ: Parthis, Medis, Perſis, Hyrcanis, & Bactris Chriſtianæ fidei & vitæ præcepta tradidit. Poſtremo ad Indos ſe conferens, eos in Chriſtiana religione erudiuit. Qui ad extremum, vitæ doctrinæq. ſanctitate, & miraculorum magnitudine, cum ceteris omnibus ſui admirationem, & Ieſu Chriſti amorem commouiſſet, illius gentis Regem, idolorum cultorem, magis ad iram accendit: cuius ſententia cõdemnatus, teliſq. confoſſus, Calaminæ Apoſtolatus honorem martyrij corona decorauit.

Sermo Sancti Gregorij Papæ.

Homilia 30. in Euangelia, poſt medium. Lectio v.

SCriptum eſt: Spiritus Domini ornauit cælos. Ornamenta enim cælorum ſunt virtutes prædicantium. Quæ videlicet ornamẽta Paulus enumerat, dicens: Alij datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.

Lectio vi.

QVot ergo ſunt bona prædicantium, tot ſunt ornamenta cælorum. Hinc rurſus ſcriptum eſt: Verbo Domini cæli firmati ſunt. Verbũ enim Domini Filius eſt Patris. Sed eoſdem cælos, videlicet ſanctos Apoſtolos, vt tota ſimul ſancta Trinitas oſtendatur operata, repẽte de ſancti Spiritus diuinitate adiungitur: Et Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Cælorum ergo virtus de Spiritu ſumpta eſt: quia mundi huius poteſtatibus contraire non præſumerent, niſi eos ſancti Spiritus fortitudo ſolidaſſet.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio vij. C. 21

IN illo tempore, Thomas, vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Ieſus. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

Homil. 22. in Euangelia, poſt medium.

NOn hoc caſu, ſed diuina diſpenſatione geſtum eſt. Egit nãque miro modo ſuperna clemẽtia, vt diſcipulus ille dubitans, dum in magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, in nobis ſanaret vulnera infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidẽ, quàm fides diſcipulorum credentium profuit: quia dum ille ad fidem palpãdo reducitur, noſtra mens, omni dubitatione poſtpoſita, in fide ſolidatur.

Lectio viij.

SIc quippe diſcipulum poſt reſurrectionem ſuam dubitare permiſit Do-

ſit Dominus, nec tamen in dubitatione deſeruit: ſicut ante natiuitatem ſuam, Mariam ſponſum habere voluit, qui tamen ad eius nuptias non peruenit. Nam ita factus eſt diſcipulus dubitans & palpans, teſtis veræ reſurrectionis, ſicut ſponſus matris fuerat cuſtos integerrimæ virginitatis. Palpauit autem, & exclamauit: Dominus meus, & Deus meus.

Lectio ix.

DIcit ei Ieſus: quia vidiſti me, Thoma, credidiſti. Cum Paulus Apoſtolus dicat. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentiū: profectò liquet, quòd fides illarum rerum argumentum eſt, quæ apparere non poſſunt. Quæ enim apparent, iam fidem non habent, ſed agnitionem. Dum ergo vidit Thomas, dum palpauit, cur ei dicitur: Quia vidiſti me Thoma, credidiſti? Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine diuinitus videri non potuit. Hominem ergo vidit, & Deum confeſſus eſt, dicens: Dominus meus, & Deus meus.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt, alleluia. Memoria de Aduētu per Añā. Nolite timere. 134. niſi Feſtū transfe.

Die xxvi. Decembris.

IN FESTO S. STEPHANI Protomartyris. Totum duplex in primis Veſp. ad Memor. Añā. Tu principatum tenes in choro martyrum, ſimilis Angelo, qui pro te lapidantibus Deum deprecatus es: beate Stephane intercede pro nobis ad Dominum.

Oratio.

DA nobis, quæſumus Domine, imitari quod colimus, vt diſcamus & inimicos diligere: quia eius natalitia celebramus, qui nouit etiam pro perſecutoribus exorare Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuū. Qui tecum viuit & regnat.

Quando prædicta Oratio dicitur ad Memoriā, & immediate ſequitur alia Memor. finiatur ſic, Exorare Chriſtum Dominum noſtrum.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Chriſtum natum, qui beatum hodie coronauit Stephanum, Venite adoremus.

IN I. NOCTVRNO.

Añā. Beatus Stephanus iugi legis Dei meditatione roboratus, tamquam lignum fructiferum ſecus ſalutarium aquarum plantatum decurſus, fructū martyrij in tempore ſuo dedit primus. Pſal. Beatus vir. 1. Añā. Conſtitutus à Deo prædicator præceptorum eius, in timore ſancto illi ſeruire ſtuduit: officioque fideliter peracto, in montē ſanctum eius aſcendere dignus fuit. Pſal. Quare frem. 1. Añā. In tribulatione lapidum ſe prementium poſitus, millia populi ſe circūdantis non timuit: quia ſuſceptorem ſuum Ieſum, vt eum ſaluum faceret, exurgere in cælo vidit. Pſal. Domine, quid. 2. ℣. Gloria & honore &c.

De Actibus Apoſtolorū. Lect. i. C. 6

IN diebus illis, creſcente numero Diſcipulorum, factum eſt murmur

Græcorũ aduerſus Hebræos, eo quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem Diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbũ Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos vero orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus. ℟. Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, Faciebat prodigia & ſigna magna in populo. ℣. Cum eſſet plenus Spiritus ſancto beatus Stephanus. Faciebat.

Lectio ij.

ET placuit ſermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorũ, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum: & orantes impoſuerunt eis manus. Et verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus Diſcipulorum in Ieruſalem valde: multa etiam turba ſacerdotum obediebat fidei. ℟. Videbant omnes Stephanum, qui erant in concilio: Et intuebantur vultum eius, tamquam vultum Angeli ſtantis inter illos. ℣. Stephanus plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo. Et intuebantur.

Lectio iij.

STephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & ſigna magna in populo. Surrexerunt autem quidam de ſynagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia & Aſia, diſputantes cum Stephano: & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui qui loquebatur. Tunc ſubmiſerunt viros, qui dicerent ſe audiuiſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen, & in Deũ. ℟. Intuens in cælum beatus Stephanus, vidit gloriam Dei; & ait: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem A dextris virtutis Dei. ℣. Cũ autem eſſet Stephanus plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum, ait. Ecce video. Gloria. A dextris.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. Lumine vultus tui Domine inſignitus protomartyr Stephanus, ſacrificium iuſtitiæ ſeipſum tibi ſacrificauit: ideoque in lætitia cordis in pace obdormiens requieſcit. Pſal. Cum inuocarem 2. Aña. Benedictionis tuæ Domine munere iuſtificatus, & ſcuto tuæ protectionis in paſſione munitus, nominis ſui coronam Stephanus à te percipere meruit. Pſal. Verba mea. 2. Aña. O quàm admirabile eſt nomen tuum Domine Deus noſter! pro quo beatus Stephanus paſſus, gloria & honore à te eſt coronatus: & ſuper cælos dono tuæ magnificentiæ exaltatus. Pſalm. Domine Dominus. 4. ℣. Poſuiſti Domine &c.

Sermo S. Fulgentij Epiſcopi.

Sermo. de ſancto Stephano, circa initium.

Lectio

Lectio iv

HEri celebrauimus temporalem ſempiterni Regis noſtri Natalem: hodie celebramus triumphalem militis paſſionem. Heri enim Rex noſter trabea carnis indutus, de aula vteri virginalis egrediens, viſitare dignatus eſt mundum: hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migrauit ad cælum. Ille ſempiternæ Deitatis maieſtate ſeruata, ſeruile cinctorium carnis aſſumens, in huius ſæculi campum pugnaturus intrauit: iſte depoſitis corruptibilibus corporis indumentis, ad cæli palatium perenniter regnaturus aſcendit. ℟. Lapidabant Stephanum inuocantem, & dicentem: Domine Ieſu Chriſte, accipe ſpiritum meum: & Ne ſtatuas illis hoc peccatum. ℣. Poſitis autem genibus beatus Stephanus orabat, dicens. Ne ſtatuas.

Lectio v.

ILle deſcendit carne velatus, iſte aſcendit ſanguine laureatus. Aſcédit iſte lapidantibus Iudæis, quia ille deſcendit lætantibus Angelis. Gloria in excelſis Deo, heri exultantes ſancti Angeli cantauerunt: hodie Stephanum lætantes in ſuum conſortium ſuſceperunt. Heri Dominus exiuit de vtero Virginis: hodie miles egreſſus eſt de ergaſtulo carnis. Heri Chriſtus pro nobis pannis eſt inuolutus: hodie Stephanus ſtola eſt ab eo immortalitatis indutus. ℟. Impetum fecerunt vnanimiter in eum, & eiecerunt eum extra ciuitatem, Inuocãtem & dicentem: Domine accipe ſpiritum meum. ℣. Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus: & lapidabant Stephanum. Inuocantem.

Lectio vj.

HEri præſepis anguſtia Chriſtum portauit infantem: hodie immenſitas cæli ſuſcepit Stephanum triumphantem. Solus deſcendit Dominus, vt multos eleuaret: humiliauit ſe Rex noſter, vt ſuos milites exaltaret. Neceſſarium tamen nobis eſt, fratres, cognoſcere, quibus armis præcinctus Stephanus ſæuitiam Iudæorum potuit ſuperare, vt ita meruiſſet feliciter triumphare. Stephanus ergo, vt nominis ſui coronam meruiſſet accipere charitatem pro armis habebat, & per ipſam vbique vincebat. ℟. Stephanus ſeruus Dei, quem lapidabant Iudæi, vidit cælos apertos: vidit, & introiuit: Beatus homo, cui cæli patebant. ℣. Cum igitur ſaxorum crepitantium turbine quateretur, inter æthereos aulæ cæleſtis ſinus diuina ei claritas fulſit. Beatus. Gloria. Beatus.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. In Domino Deo ſuo confiſus fortis athleta Stephanus, lapidum fortiter ſuſtinuit ictus: & idcirco ad mortem virtutum tranſmigrauit victorioſus. Pſal. In Domino confido. 6. Aña. Sine macula beatus Stephanus ingreſſus eſt Domine in tabernaculum tuũ: quia operatus eſt iuſtitiam, requieſcet in monte ſancto tuo. Pſalm. Domine, quis habitabit. 7. Aña. Domi-

ne virtus & lætitia rectorum, quoniam tu præuenisti dilectum tibi Stephanũ dono gratuitæ benedictionis, te primum ſecutus eſt in morte glorioſæ paſſionis; vnde cum corona martyrij dediſti vitam ei in ſæculum ſæculi. Pſal. Domine in virtute. 13. ℣. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo &c.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C.23.

IN illo tempore: Dicebat Ieſus turbis Iudæorum, & principibus Sacerdotum: Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & Scribas: & ex illis occideris, & crucifigetis: & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib.4. Comm. in cap.23. Matth.

OBſerua, iuxta Apoſtolũ ſcribentem ad Corinthios, varia eſſe dona diſcipulorum Chriſti: alios prophetas, qui futura prædicant: alios ſapientes, qui nouerunt quando debeãt proferre ſermonem: alios Scribas in lege doctiſſimos, ex quibus lapidatus eſt Stephanus, Paulus occiſus, crucifixus Petrus, flagellati in actibus Apoſtolorum diſcipuli. Quærimus quis ſit iſte Zacharias filius Barachiæ: quia multos legimus Zacharias. ℟. Impij ſuper iuſtum iacturam fecerũt, vt eum morti traderent: At ille gaudens ſuſcepit lapides, vt mereretur accipere coronam gloriæ. ℣. Continuerunt aures ſuas: & impetum fecerunt vnanimiter in eum. At ille.

Lectio viij.

IN diuerſis diuerſa legi: & debeo ſingulorum opiniones ponere. Alij Zachariam filium Barachiæ dicunt, qui in duodecim Prophetis vndecimus eſt: patriſque in eo nomen conſentit: ſed vbi occiſus ſit inter templum & altare, Scriptura non loquitur: maxime cum temporibus eius vix ruinæ templi fuerint. Alij Zachariam patrem Ioannis intelligi volunt, ex quibuſdam apocryphorum ſomnijs approbantes, quòd propterea occiſus ſit, quia Saluatoris prædicarit aduentum. ℟. Patefactæ ſunt ianuæ cæli Chriſti martyri beato Stephano, qui in numero martyrum inuentus eſt primus: Et ideo triumphat in cælis coronatus. ℣. Mortem enim, quam Saluator dignatus eſt pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Saluatori. Et ideo.

Lectio ix.

ALij iſtum eſſe volunt Zachariã, qui occiſus eſt à Ioas rege Iuda inter templum & altare, ſicut Regum narrat hiſtoria. Sed obſeruandum, quòd ille Zacharias non ſit filius Barachiæ, ſed filius Ioiadæ ſacerdotis: vnde & Scriptura refert: Non fuit recordatus Ioas patris eius Ioiadæ, quæ ſibi feciſſet bona. Cum ergo & Zachariam teneamus, & occiſionis conſentiat locus: quærimus, quare Barachiæ dicitur filius, & non Ioiadæ? Barachias lingua noſtra benedictus Domini dicitur, & ſacerdotis Ioiadæ iuſtitia Hebræo nomine demonſtratur. In Euangelio, quo vtuntur

tur Nazareni, pro filio Barachiæ, filium Ioiadæ reperimus ſcriptum. ℟. Sancte Dei pretioſe protomartyr Stephane, qui virtute charitatis circumfultus vndique, Dominum pro inimico exoraſti populo: Funde preces pro deuoto tibi nunc collegio. ℣. Vt tuo propitiatus interuentu, Dominus nos purgatos à peccatis iungat cæli ciuibus. Funde. Gloria. Pro deuoto.

IN LAVDIBVS, Aña.

Lapidauerunt Stephanum, & ipſe inuocabat Dominum, dicens: Ne ſtatuas illis hoc peccatum. Pſalm. Dominus regnauit. cum reliquis. Aña. Lapides torrentis illi dulces fuerunt: ipſum ſequuntur omnes animæ iuſtæ. Aña. Adhæſit anima mea poſt te, quia caro mea lapidata eſt pro te Deus meus. Aña. Stephanus vidit cælos apertos, vidit & introiuit: beatus homo, cui cæli patebant. Aña. Ecce video cælos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris Dei. Capitulum. *Act. 6.*

Stephanus autem plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia, & ſigna magna in populo.

Ad Benedictus, Antiphona.

Intuens in cælum beatus Stephanus vidit gloriam Dei, & ait; Ecce video cælos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris Dei. Oratio. Da nobis. Memoria de Natiuitate. Ad Tertiam Cap. Stephanus autem plenus.

Ad Sextam Cap. *Act. 7.*

Cum eſſet Stephanus plenus Spiritu ſancto, intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.

Ad Nonam, Cap. *Act. 7.*

Poſitis autem genibus, beatus Stephanus clamauit voce magna, dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.

In ſecundis Veſperis, Antiph. de Natiuit. Cap. Stephanus.

Ad Magnificat, Antiphona.

O quàm glorioſus eſt beatus Stephanus martyr & Leuita! qui ante Apoſtolos regna cæleſtia poſſidere meruit, & ad Patris dexteram Filium videre.

Die xxvij. Decembris.

IN FESTO S. IOANNIS Apoſtoli & Euangeliſtæ.

Triplex. In primis Veſperis ad Memor. Aña. Valde honorandus eſt beatus Ioannes, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit.

Oratio.

Eccleſiam tuam Domine benignus illuſtra: vt beati Ioannis Apoſtoli tui & Euangeliſtæ illuminata doctrinis, ad dona perueniat ſempiterna. Per.

Memoria de Natiuitate.

Ad Inuitatorium.

Adoremus Regem Apoſtolorum: Qui priuilegio amoris Ioannem dilexit Apoſtolum.

IN I. NOCTVRNO.

Aña. Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta virgo eſt electus à Domino, atque inter ceteros magis dilectus. Pſalm. Cæli enarrant. 11. Aña. Supra pectus

Domini Ieſu recumbens, Euangelij fluenta de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potauit. Pſalm. Benedicam Dominum. 22. Ant. Quaſi vnus de Paradiſi fluminibus Euangeliſtá Ioannes, verbi Dei gratiam in toto terrarum orbe diffudit. Pſalm. Eructauit cor meum. 31. ℣. In omnem terram &c.

Incipit Epiſtola prima B. Ioannis Apoſtoli. Lectio i. C. 1.

QVod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ: & vita manifeſtata, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: quod vidimus & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cũ Filio eius Ieſu Chriſto. Tu autem. ℟. Valde honorandus eſt beatus Ioannes, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit: Cui Chriſtus in cruce matrem virginem virgini commendauit. ℣. Virgo eſt electus à Domino, atque inter ceteros magis dilectus. Cui Chriſtus. Lectio ij.

ET hæc ſcribimus vobis, vt gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum. Et hæc eſt annunciatio, quã audiuimus ab eo, & annunciamus vobis: Quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce: ſocietatem habemus ad inuicem, & ſanguis Ieſu Chriſti Filij eius emundat nos ab omni peccato. ℟. Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc: Et ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius. ℣. Fluenta Euangelij de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potauit. Et ſcimus. Lectio iij.

SI dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra: fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccauimus: mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis. ℟. Hic eſt beatiſſimus Euangeliſta & Apoſtolus Ioannes, qui priuilegio amoris præcipui, ceteris altius à Domino meruit honorari. ℣. Hic eſt Diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit. Qui Gloria. A Domino.

IN II. NOCTVRNO.

Ant. In feruentis olei dolium miſſus Ioannes Apoſtolus: diuina ſe protegente gratia illæſus exiuit. Pſal. Omnes Gentes. 31. Ant. Propter inſuperabilem euangelizandi conſtantiam, exilio relegatus, diuinæ viſionis, & & allocutionis meruit crebra conſolatione releuari. Pſal. Exaudi Deus deprecationem. 39. Ant. Occurrit beato Ioanni ab exilio reuertenti omnis populus virorum ac mulierum, clamantium,

tium, & dicentium: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Pſal. Exaudi Deus oration. 401. ℣. Conſtitues eos, &c.

Ex Libro S. Hieronymi Presbyteri de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Lectio iv.

IOannes Apoſtolus, quē Ieſus amauit plurimum, filius Zebedæi, frater Iacobi Apoſtoli, quem Herodes poſt paſſionem Domini decollauit, nouiſſimus omnium ſcripſit Euangelium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, aduerſus Cerinthum, aliosque hæreticos: & maxime tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe: vnde & compulſus eſt diuinam eius natiuitatem edicere. ℟. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo, dicit Dominus: & ſcribam ſuper eum nomen nouum, Et nomen ciuitatis nouæ Ieruſalem. ℣. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei. Et nomen.

Lectio v.

QVartodecimo autem anno, ſecundam poſt Neronem perſecutionem mouente Domitiano, in Patmos inſulam relegatus, ſcripſit Apocalypſim, quam interpretatur Iuſtinus martyr, & Irenæus. Interfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem à Senatu reſciſſis, ſub Nerua Principe redijt Epheſum: ibique vſque ad Traianum Principem perſeuerans, totas Aſiæ fundauit, rexitque Eccleſias. Et confectus ſenio, ſexageſimo octauo poſt paſſionem Domini anno mortuus, iuxta eandem vrbem ſepultus eſt. ℟. Diligebat autem eum Ieſus, quoniam ſpecialis prærogatiua caſtitatis, ampliori dilectione fecerat dignum: Quia virgo electus ab ipſo, virgo in æuum permanſit. ℣. In cruce denique moriturus, huic Matrem virginem virgini commendauit. Quia virgo.

Ex Commentarijs eiuſdem in Epiſtolam ad Galatas. Lectio vj.

Lib. 3. c. 6.

BEatus Ioannes Euangeliſta, cum Epheſi moraretur vſque ad vltimam ſanectutem, & vix inter diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura verba vocem contexere: nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem diſcipuli, & fratres qui aderant, tædio affecti quòd eadem ſemper audirent, dixerunt: Magiſter, quare hoc ſemper loqueris? Qui reſpondit dignam Ioanne ſententiam: Quia præceptum Domini eſt: & ſi ſolum fiat, ſufficit. ℟. Iſte eſt Ioannes, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit: Beatus Apoſtolus, cui reuelata ſunt ſecreta cæleſtia. ℣. Iſte eſt Ioannes, cui Chriſtus in cruce Matrem virginem virgini cõmendauit. Beatus. Gloria. Beatus.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Apparuit charo ſuo Ioanni Dominus Ieſus Chriſtus cum diſcipulis ſuis, & ait illi: Veni dilecte meus ad me, quia tempus eſt, vt epuleris in cõuiuio meo cum fratribus tuis. Pſal.

Confitebimur. 48. Ant. Expandens manus ſuas ad Deum, dixit: Inuitatus ad conuiuium tuum venio gratias agens, quia me dignatus es Domine Ieſu Chriſte ad tuas epulas inuitare: ſciens quia ex toto corde meo deſiderabam te. Pſalm. Dominus regnauit, exultet. 63. Ant. Domine ſuſcipe me, vt cum fratribus meis ſim, cum quibus veniens inuitaſti me: aperi mihi ianuam vitæ, & perduc me ad conuiuium epularum tuarum: tu enim es Chriſtus Filius Dei viui, qui præcepto Patris mundum ſaluaſti: tibi gratias referimus per infinita ſæculorum ſæcula. Pſal. Dominus regnauit, iraſc. 64. ℣. Nimis honorati ſunt &c.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Ioannem. Cap. 21.

In illo tempore: Dixit Ieſus Petro: Sequere me. Conuerſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 124. in Ioann. poſt med.

Duas vitas ſibi diuinitus prædicatas & commendatas nouit Eccleſia: quarum vna eſt in fide, altera in ſpecie: vna in tempore peregrinationis, altera in æternitate manſionis: vna in labore, altera in requie: vna in opere actionis, altera in mercede contemplationis. Vna declinat à malo, & facit bonum: altera nullum habet à quo declinet, malum: & magnum habet, quo perfruatur, bonum. Vna cum hoſte pugnat, altera ſine hoſte regnat. ℟. In illa die ſuſcipiam te ſeruum meum: & ponam te ſicut ſignaculum in conſpectu meo: Quoniam ego elegi te, dicit Dominus. ℣. Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Quoniam ego.

Vna ſubuenit indigenti, altera ibi eſt, vbi nullum inuenit indigentem. Vna aliena peccata, vt ſua ſibi ignoſcantur, ignoſcit: altera nec patitur quod ignoſcat, nec facit, quod ſibi poſcat ignoſci. Vna flagellatur malis, ne extollatur in bonis: altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo, vt ſine vlla tentatione ſuperbiæ cohæreat ſummo bono. ℟. Cibauit illum Dominus pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum: Et exaltauit eum apud proximos ſuos. ℣. In medio Eccleſiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus. Et exaltauit.

Ergo vna bona eſt, ſed adhuc miſera: altera melior & beata. Iſta ſignificata eſt per Apoſtolum Petrum, illa per Ioannem. Tota hic agitur iſta vſque in huius ſæculi finem, & illic inuenit finem: differtur illa complenda poſt huius ſæculi finem, ſed in futuro ſæculo non habet finem. Ideo dicitur huic: Sequere me. De illo autem: Sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te? tu me ſequere. Quid enim eſt hoc? Quantum ſapio, quantum capio, quid eſt hoc? niſi tu me ſequere per imitationem, perferendo temporalia mala: ille maneat, donec ſempiterna

piterna venio redditurus bona. In medio Eccleſiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus. Iucunditatem & exultationem theſaurizauit ſuper eũ. Et impleuit. Gloria Patri. Et impleuit. Valde honorandus eſt beatus Ioannes. Qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit.

IN LAVDIBVS,

Iſte eſt Diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his: & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius. Dominus regnauit. Hic eſt Diſcipulus meus ſic eum volo manere, donec veniam. Ecce puer meus electus, quem elegi, poſui ſuper eum ſpiritum meum. Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis in regno ſuo. Sic eum volo manere donec veniam, tu me ſequere. Qui timet Deum, &c.

Iſte eſt Ioannes, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit: beatus Apoſtolus, cui reuelata ſunt ſecreta cæleſtia. Eccleſiam tuam Domine benignus. Ecce video cælos. Corona aurea. Da nobis quæſumus.

In medio Eccleſiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus: ſtolaque gloriæ induit eum, alleluia, alleluia, alleluia.

Die xxviij. Decembris.

IN FESTO SS. INNOCENTIVM

Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni ſunt: & non delebo nomina eorum de libro vitæ. ℣. Lætamini in Domino, & exultate &c.

Eus, cuius hodierna die præconium Innocentes martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt: omnia in nobis vitiorum mala mortifica: vt fidem tuam, quam lingua noſtra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Dominum. Stephanus vidit.

Venite adoremus Regem regum, Qui beatis Martyribus coronam dedit gloriæ. Quæ vox, quæ poterit. Te ſumma, &c.

IN I. NOCTVRNO.

Nouit Dominus vias Innocentium, qui non ſteterunt in vijs peccatorum. Beatus vir. 1. Rex terræ infremuit aduerſus Chriſtum: quia rex in Sion conſtitutus, ſuper Innocentum millia regnat. Quare fremuerũt. 1. Deus iudex iuſtus, iudica nos ſecundũm innocentiam noſtram. Pſal. Domine Deus meus, in te ſpera. 3. Lætamini in Domino, &c.

De

De Ieremia Propheta. Lectio j. C. 31

HAec dicit Dominus: Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus & fletus Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt. Hæc dicit Dominus. Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis: quia eſt merces operi tuo ait Dominus: & reuertentur de terra inimici. Et eſt ſpes nouiſſimis tuis, ait Dominus: & reuertentur filij ad terminos ſuos. Hæc dicit Dominus Deus: Conuertimini. ℟. Sub altare Dei audiui voces occiſorum dicentiũ: Quare non defendis ſanguinem noſtrum? Et acceperunt diuinum reſponſum: Adhuc ſuſtinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrũ veſtrorum. ℣. Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis. Adhuc.

Lectio ij.

AVdiens audiui Ephraim tranſmigrantem: Caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus. Conuerte me, & cõuertar, quia tu Dominus Deus meus. Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Confuſus ſum, & erubui: quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ. Si filius honorabilis mihi Ephraim, ſi puer delicatus: quia ex quo locutus ſum de eo, adhuc recordabor eius. Hæc dicit. ℟. Effuderunt ſanguinem ſanctorum tuorum velut aquam in circuitu Ieruſalem: Et non erat qui ſepeliret. ℣. Vindica Domine ſanguinem ſanctorum tuorum, qui effuſus eſt. Et non.

Lectio iij.

STatue tibi ſpeculã, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulaſti: reuertere virgo Iſrael, reuertere ad ciuitates tuas iſtas. Vſquequo delicijs diſſolueris filia vaga? Quia creauit Dominus nouum ſuper terram: Femina circumdabit virum. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: Adhuc dicent verbum iſtud in terra Iuda, & in vrbibus eius, cum conuertero captiuitatem eorum: Benedicat tibi Dominus pulchritudo iuſtitiæ, mõs ſanctus. Hæc dicit. ℟. Adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum, Mittentes coronas ſuas ante thronum Domini Dei ſui. ℣. Et ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas: & benedixerunt viuentem in ſæcula. Mittentes coronas. Gloria Patri. Mittentes.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. Ex ore infantium Deus, & lactentium laude perfecta, deſtruis inimicum. Pſal. Domine Dominus noſter. 4. Aña. Iudicabit Dominus pupillum, & viduam: & pluet ſuper peccatores laqueos ignis. Pſal. In Domino confido. 6. Aña. Mortis vſuras rex impius exegit ſuper innocentes, ſed illi requieſcũt in monte ſancto Dei: malignus ad nihilum eſt deductus. Pſal. Dñe quis habit. 7. ℣. Exultẽt iuſti &c.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 10. de Sanctis in Append. 72.

Lectio iv.

HOdie, fratres chariſſimi, natalẽ illorum infantiũ colimus, quos ab

ab Herode crudeliſſimo rege interfectos eſſe, Euangelij textus eloquitur. Et ideo cum ſumma exultatione gaudeat terra, cæleſtium militum, & tantarum parens fecunda virtutum. Et ce profanus hoſtis numquam beatis paruulis tantum prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio. Nam, ſicut ſacratiſſimum præſentis diei feſtum manifeſtat, quantum contra beatos paruulos iniquitas abundauit, tantum in eis gratia benedictionis refudit. Tu autem. ℟. Iſti ſunt ſancti, qui paſſi ſunt propter te Domine, vindica eos, Quia clamant ad te quotidie. ℣. Vindica Domine ſanguinem ſanctorum tuorum, qui effuſus eſt. Quia clamant.

Lectio v.

DIgne tamen natalem illorum colimus, quos beatius æternæ vitæ mundus edidit, quàm mundo maternorum viſcerum partus effudit. Siquidē ante vitæ perpetuæ adepti ſunt dignitatem, quàm vſuram præſentis acceperint. Aliorum quidem pretioſa mors martyrum, laudem in confeſſione promeruit: horum in conſummatione complacuit. Quia in incipientis vitæ primordijs, ipſe eis occaſus initiū gloriæ dedit, qui præſentis terminum impoſuit. ℟. Cantabant ſancti canticum nouum ante ſedem Dei, & Agni: Et reſonabat terra in voces eorum. ℣. Sub throno Dei ſancti clamant: Vindica ſanguinem noſtrum Deus noſter. Et reſonabat terra in voces eorum.

Idem Ser. 9. de Sanctis.

Lectio vj.

QVàm beata ætas, quæ necdum Chriſtum poteſt loqui, & iam pro Chriſto meretur occidi. Nondum opportuna vulneri, & iam idonea paſſioni. Quàm feliciter nati, quibus in primo naſcendi limine æterna vita obuiam venit. Incurrunt quidē inter ipſa primordia acceptæ lucis periculum, & finem ſalutis: ſed de ipſo protinus fine capiunt principia æternitatis. Immutari quidem videntur ad mortem, ſed feliciter moriuntur ad vitam. ℟. Iſti ſunt ſancti, qui non inquinauerunt veſtimenta ſua: Ambulabunt mecum in albis: Quia digni ſunt. ℣. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Ambulabunt. Gloria Patri. Quia digni.

IN III. NOCTVRNO.

Añ. Quis aſcendet, aut quis ſtabit in loco ſancto Dei? Innocens manibus, & mundo corde. Pſal. Domini eſt terra. 15. Aña. Innocentes adhæſerunt mihi: quorum pedes auulſi ſunt à laqueo mortis. Pſal. Ad te Domine leuaui. 15. Aña. Filio regis datum eſt iudicium, vt ſaluet innocentes filios pauperum: & humiliabit Herodem calumniatorem. Pſal. Deus iudicium. 46. ℣. Iuſti autem, &c.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lect. vij. C. 2.

IN illo tempore: Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius,

eius, & fuge in Aegyptum: & eſto ibi vſque dum dicam tibi. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 1. Comm. in c. 2. Matth.

QVando tollit puerum, & matrem eius, vt in Aegyptum tranſeat, nocte tollit, & in tenebris: quia noctem ignorantiæ his, à quibus ipſe receſſit, reliquit incredulis. Quando vero reuertitur in Iudæam, nec nox, nec tenebræ in Euangelio ponuntur: quia in fine mundi Iudæi fidem, tamquam Chriſtum ab Aegypto reuertentem ſuſcipientes, illuminabuntur. ℟. Vidi ſub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, quod habebant, & clara voce dicebant: Vindica Domine ſanguinem ſanctorum tuorum, Qui effuſus eſt. ℣. Sub throno Dei ſancti clamant: Vindica Domine ſanguinem noſtrum. Qui.

Lectio viij. [illegible]

VT adimpleretur quod dictū eſt à Domino per Prophetam, dicentem: Ex Aegypto vocaui filium meū. Reſpondeant qui Hebræorum voluminum denegant veritatem, vbi hoc in Septuaginta legatur interpretibus. Quod cum non inuenerint, nos eis dicemus, in Oſee propheta ſcriptum, ſicut & exemplaria probare poſſunt, quæ nuper adidimus. ℟. Sub throno Dei Sancti clamant: Vindica ſanguinem noſtrum Deus noſter. ℣. Sub altare Dei audiui voces occiſorū, clamantiū, & dicentium. Vindica.

Lect. ix.

TVnc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam prophetam, dicentem: Vox in Rhama audita eſt, eſt ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios ſuos. De Rachel natus eſt Beniamin, in cuius tribu non eſt Bethleem. Quæritur ergo, quomodo Rachel filios Iudæ, id eſt Bethleē, quaſi ſuos ploret. Reſpondebimus breuiter, quia ſepulta ſit iuxta Bethleem in Ephrata: & ex materno corpuſculi hoſpitio matris nomen acceperit. Siue quoniam Iuda, & Beniamin duæ tribus iunctæ erant: & Herodes præceperat non ſolum in Bethleem interfici pueros, ſed & in omnibus finibus eius. ℟. Centum quadraginta quatuor milia, qui empti ſunt de terra, hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim permanſerunt: Ideo regnant cum Deo, & Agnus Dei In illis. ℣. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno: & in ore ipſorum non eſt inuentum mendaciū. Ideo regnant. Gloria. In illis. [illegible] catur Cant. Te Deum. [illegible] [illegible] ℣. Exultabunt ſancti in gloria, &c.

IN LAVDIBVS, Antiphona.

HErodes iratus occidit multos pueros in Bethleem Iudæ ciuitate Dauid. Pſal. Dominus regnauit, cum reliquis. Aña. A bimatu, & infra occidit multos pueros Herodes propter Dominum. Aña. Vox in Rhama audita eſt, ploratus & vlulatus Rachel plorās filios ſuos. *Aña.* Sub throno Dei ſancti clamāt: Vindica ſanguinē noſtrū Deus noſter. Antiphona. Cantabant ſancti canticum nouum ante ſedem

Dei,

Dei, & Agni: & reſonabat terra in voces eorum.

Capitulum. *Apo.* 14.

Vidi ſupra montem Sion Agnum ſtantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. Hymn.

Caterua matrum perſonat,
Colliſa deflens pignora,
Quorum tyrannus millia
Chriſto ſacrauit victima.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es, &c.

℣. Mirabilis, &c.

Ad Benedictus, Antiphona.

Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum quocumque ierit. Oratio. Deus, cuius hodi. Memor. de Natiuit. & de S. Stephano, vt ſup. Memo. de S. Ioanne. Aña. Hic eſt diſcipulus ille. ℣. Annunciauerunt. Oratio. Eccleſiam tuam. Ad Tertiam, Capit. Vidi ſupra. ℟. ℟. & ℣ ℣. plurimorum Martyrum ad omnes Horas, & non dicantur cum Alleluia. niſi Dominica fuerit, excepto ℟. In manus. in Comp. quod dicitur cum Alleluia. etiam ſi Dominica non fuerit.

Ad Sextam, Cap. *Apo.* 14.

Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt: hi ſequuntur Agnum quocumque ierit.

Ad Nonam, Capit. *Apo.* 14.

Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno, & in ore ipſorum non eſt inuentum mendaciũ. Ad Veſperas Pſal. & Antiphonæ de Natiuit. Vidi ſupra. Hymnus. Quæ vox. Te ſumma. De Communi Mart. ℣. Lætamini in Domino.

Ad Magnificat, Antiphona.

Innocentes pro Chriſto infantes occiſi ſunt, ab iniquo rege lactentes interfecti ſunt: ipſum ſequuntur Agnum ſine macula, & dicunt ſemper: Gloria tibi Domine.

Die xxix. Decembris.

IN FESTO S. THOMAE

Epiſcopi & martyris. Simplex. In primis Veſperis, Memoria. Oratio.

Deus, pro cuius Eccleſia glorioſus Pontifex Thomas gladijs impiorum occubuit: præſta quæſumus: vt omnes, qui eius implorant auxilium, petitionis ſuæ ſalutarem conſequantur effectum. Per Dominum.

Memoria de Natiuit. & de ſancto Stephano, vt ſupra. De S. Ioanne Antiph. Valde honorandus eſt. ℣. In omnem terram. Oratio, vt ſupra.

IN I. NOCTVRNO.

De Epiſtola ad Romanos.

Lectio j. C. 6.

Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatẽ: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. Nunc

vero

Digitized by Google

vero liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam. Lectio ij.

AN ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir eius liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.

Lectio iij.

ITaq. fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti: vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus Deo. Cum enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti: nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ.

IN II. NOCTVRNO.

Ex probatis Auctoribus vita eius & ex Rom. Breuiario.

Lectio iv.

THomas, Londini in Anglia natus, Theobaldo ſucceſſit Cantuarienſi Epiſcopo: & qui antea in adminiſtrando Cancellariæ munere præclare ſe geſſerat, in Epiſcopali officio fortis & inuictus fuit. Cum enim Henricus ſecundus Angliæ rex, conuocatis ad ſe Epiſcopis, & proceribus regni, leges ferret vtilitati ac dignitati Eccleſiaſticæ repugnantes, adeo conſtanter obſtitit regiæ cupiditati, vt neq. pollicitationibus, neq. terroribus de ſententia decedens, in exilium pulſus ſit. Lectio v.

MOxq. propinqui eius omnis ætatis eiecti, amici, fautores omnes, ijs, quibus per ætatem liceret iureiurando adſtrictis, vniuerſos Thomam adituros, ſi fortaſſe miſerabili ſuorum calamitatis aſpectu moueretur, qui à ſancto propoſito priuatis incómodis deterreri minime potuiſſet. Non reſpexit carnem aut ſanguinem, neque vllus in eo humanitatis ſenſus paſtoralis officij conſtantiam labefactauit. Lectio vj.

COntulit igitur ſe ad Alexandrum tertium Pontificem, à quo benigne acceptus eſt: & inde profectus, monachis Pontinacenſis Monaſterij, Ciſtercienſis Ordinis, ab eodem commendatus. Quod vt cognouit Henricus, miſſis ad Conuentum Fratrum Ciſtercienſium minacibus litteris, Thomam è Pontiniaco Monaſterio exturbare conatur. Quare vir ſanctus, veritus ne ſua cauſa mali aliquid Ciſtercienſis familia pateretur, ſponte diſceſſit, & Ludouicum Galliæ regem, eius inuitatu conuenit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

APud Ludouicum autem tamdiu fuit, quoad Pontifice maximo,

Digitized by Google

ximo, & ipſo Rege agentibus, ab exilio ſumma totius regni gratulatione reuocatur. Qui dum boni paſtoris officium ſecurus exequitur, ecce calumniatores ad Regem deferunt, eum multa contra regnum, & publicam quietem moliri: vt propterea ſæpius conquereretur Rex, ſe in ſuo regno cum vno ſacerdote pacem habere non poſſe. Lectio viii.

EX qua Regis voce, nefarij ſatellites ſperantes gratum ſe Regi facturos, ſi Thomam è medio tollerent: clam conuenientes Cantuariam, Epiſcopum in templo Veſpertinis horis operã dantem aggrediuntur. Qui, clericis templi aditus præcludere conantibus, accurrens, oſtium aperuit, illis vſus verbis ad ſuos: Non eſt Dei Eccleſia cuſtodienda more caſtrorum: & ego pro Eccleſia Dei libenter mortem ſubibo. Tum ad milites: Vos Dei iuſſu cauete, ne cuipiam meorum noceatis.

Lectio ix.

DEinde flexis genibus, Deo, beatæ Mariæ, ſancto Dionyſio, & reliquis Sanctis eius Eccleſiæ patronis Eccleſiam & ſeipſum commendans, ſacrum caput eadem conſtantia, qua iniquiſſimi Regis legibus reſtiterat, impio ferro præcidendum obtulit, quarto Kalendas Ianuarij. anno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo primo: cuius cerebro reſperſum eſt totius templi pauimentum. Quem multis poſtea illuſtrem miraculis Alexander Pontifex retulit in Sanctorum numerum.

Memoria de Natiuitate: & de ſancto Stephano, & de ſancto Ioanne, vt ſupra. De Innocẽtibus, Aña. Herodes. ℣. Mirabilis. Oratio. Deus, cuius. Ad Veſp. Memoria de Natiuitate, & de S. Stephano, & de S. Ioanne, vt ſupra. De Innocentibus, Aña. A bimatu. ℣. Letamini. Oratio. Deus, cuius. Per Octa. Natiuit. & Sanctorum fiat de ipſis Memoria eo modo, & ordine, quo in tribus diebus præcedentibus eſt notatum.

Die xxxi. Decembris.

IN FESTO S. SILVESTRI Papæ & Confeſſ. Simplex.

Oratio.

DA quæſumus omnipotẽs Deus: vt beati Silueſtri confeſſoris tui atque Pontificis veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum.

Memor. de Natiu. poſtea de Sanctis. vltimo de Dom. ſi hac die euenerit.

IN PRIMO NOCTVRNO.

De Epiſtola ad Romanos.

Lectio j. Cap. 8.

NIhil ergo nunc damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu: qui non ſecundum carnem ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis. Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnẽ: Deus Filium ſuũ mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecun-

ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum. Lectio ij.

QVi enim ſecundum carnẽ ſunt: quæ carnis ſunt, ſapiunt. Qui vero ſecundum ſpiritũ ſunt, quæ ſunt ſpiritus, ſentiunt. Nam prudentia carnis, mors eſt: prudentia autem ſpiritus vita, & pax. Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta: nec enim poteſt. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.

Lectio iij.

VOs autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic nõ eſt eius. Si autem Chriſtus in vobis eſt: corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus vero viuit propter iuſtificationem. Quòd ſi Spiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis: qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.

IN II. NOCTVRNO.

Ex ſincerioribus Actis eius, & Romano Breuiario. Lectio iv.

SIlueſter Romanus, patre Rufino, à prima ætate operam dedit Cyrino presbytero cuius doctrinam & mores egregie imitatus, trigeſimum annũ agens, Presbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ à Marcellino Pontifice creatur. Quo in munere cum omni laude clericis alijs antecelleret, in Melchiadis poſtea locum ſucceſſit, Imperatore Conſtantino. Cui Imperatori, cum lepræ curandæ cauſa, ſibi ex infantium ſanguine, medicorum conſilio balneum parari iuſſiſſet, ſancti Apoſtoli Petrus & Paulus in quiete apparuerunt.

Lectio v.

QVi eum ab atroci facinore deterrentes, præceperunt, vt ſi ex lepra liberari vellet, omiſſa impij balnei immanitate, Silueſtrum in Soracte monte latitantem accerſeret: à quo ſalutari lauacro recreatus in omni ditione Romani Imperij templa Chriſtiano more ædificari impetraret: ſublatiſque inanium deorum ſimulacris, vero Deo cultum adhiberet. Conſtãtinus igitur, cæleſtibus monitis obtemperans, Silueſtrum diligentiſſime conquiſitum vocat: à quo, Apoſtolorum imagines recognoſcẽs, baptiſmo ſanatur, & ad tuendam propagandãque Chriſti religionem inflammatur.

Lectio vj.

ITaque auctore Silueſtro multas Baſilicas ædificauit, quas ſacris imaginibus, doniſque ac muneribus magnificentiſſimis exornauit: facultate etiã data Chriſtianis, quod antea negatum erat, publice templa extruendi. Hoc Pontifice habitum eſt Concilium Nicænum, vbi præſidentibus eius legatis, præſenteque Conſtantino, & trecentis decem & octo Epiſcopis, ſancta & Catholica Fides explicata eſt, Ario einſque ſectatoribus cõdemnatis: quã etiam Synodum confirmauit, petentibus Concilij Patribus vniuerſis.

IN III. NOCTVRNO.

Lect.

Lectio vij.

SVb eodem Siluestro celebratum eſt etiam Concilium Romanum, in quo interfuere ducenti octoginta quatuor Epiſcopi, vbi iterum Arius cõdemnatus eſt. Multa item decreta fecit Eccleſiæ Dei vtilia: in his, Vt à ſolo Epiſcopo Chriſma conficeretur: Vt presbyter Chriſmate baptizati ſummum liniret verticem: Vt Diaconi dalmaticis in Eccleſia, & palla linoſtima ad læuam vterentur: Vt in lineo tantum velo ſacrificium altaris conficeretur.

Lectio viij.

PRæſcripſit tempus omnibus qui Ordinibus initiati eſſent, exercendi ſingulos Ordines in Eccleſia, antequam quiſque ad altiorem gradum aſcenderet: Vt laicus clerico non inferret crimen: Ne clericus apud profanũ iudicẽ cauſam diceret. Sabbati, & Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies Feriarum nomine diſtinctos, vt iam ante in Eccleſia vocari cœperant, appellari voluit: quo ſignificaretur, quotidie clericos, abiecta cæterarum rerum cura, vni Deo prorſus vacare debere.

Lectio ix.

HVic cæleſti prudentiæ, qua Eccleſiam adminiſtrabat, inſignis vitæ ſanctitas, & benignitas in pauperes perpetuo reſpondit. Quo in genere prouidit, vt clericis copioſis egentes coniungeret: & ſacris virginibus, quæ ad victum neceſſaria eſſent, ſuppeditarentur. Vixit in Pontificatu annos viginti vnũ, menſes decem, diem vnũ. Sepultus in cœmeterio Priſcillæ, via Salaria. Fecit Ordinationes ſeptem menſe Decembri, quibus creauit Preſbyteros quadraginta duos, Diaconos viginti quinque, Epiſcopos per diuerſa loca ſexaginta quinque.

Memoria de Natiuitate & de Sanctis, vltimo de Dominica, ſi hac die euenerit.

FESTA IANVARII.

Die ij. Ianuarij.

IN OCTA. S. STEPHANI

Si Dominica fuerit, omnia fiant ſicut in Feſto ipſius, & legantur nouem Lectiones ſequentes.

IN I. NOCTVRNO.

De Epiſtola ad Romanos.

Lectio j. C. 9.

VEritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimoniũ mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto: quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabã enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamẽtum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa: quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem: qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen.

Lectio ij.

NOn autem quòd exciderit verbum Dei. Non enim omnes, qui ex Iſrael ſunt, ij ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemẽ ſunt Abrahæ, omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen: id eſt, nõ

qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine. Promiſſionis enim verbum hoc eſt: Secundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Lectio iij.

NOn ſolum autem illa: ſed & Rebecca ex vno concubitu habens Iſaac patris noſtri. Cum enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali (vt ſecundum electionem propoſitũ Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictũ eſt ei: Quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 2. de S. Stephano, & 70. de Sanctis in append. Lectio iv.

POſt heſternum feſtiuiſſimũ diem, quo Saluatoris noſtri Chriſti nobis natiuitas illuxit, etiam hodiernus dies beati martyris Stephani corona illuſtratur. Martyris illius merita nulla pars orbis ignorat: paſſus enim eſt ipſo principio Eccleſiæ, in ipſa vrbe Ieroſolyma. Ibi enim Diaconus miniſtrauit: & in ipſo iuuentutis flore decorem ætatis ſuæ ſanguine purpurauit. Paſſio eius inſignis eſt, multumque mirabilis. Lectio v.

CHriſtus ergo caput Martyrum prior paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt ſequamur veſtigia eius. Cuius paſſionis veſtigia prior ſecutus beatus Stephanus, confitendo Chriſtum lapidatus à Iudæis, coronam meruit tamquam ſuo ſibi nomine poſitam. Stephanus enim Græce, Latine corona appellatur. Iam coronæ nomen habebat, & ideo palmam martyrij ſuo nomine præferebat.

Idem Serm. 1. de S. Stephano.

Lectio vj.

SAnctus Stephanus dixit: Ne ſtatuas illis hoc peccatum: & hoc dicto obdormiuit in Domino. O ſomnũ pacis! Quid illo ſomno tranquillius? quid illo ſomno quietius? Qualis ibat ad amicos, qui ſic diligebat inimicos? Nam vt nouerit ſanctitas veſtra, quantum valuerit oratio ſancti Stephani martyris, recurrite nobiſcum ad illum adoleſcentem perſecutorem nomine Saulum: à quo, cum Stephanus lapidaretur, omnium lapidantium veſtimenta ſeruabantur, vt tamquam in manibus omnium ipſe lapidare videretur. Nam ſi ſanctus Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 23.

IN illo tempore: Dicebat Ieſus turbis Iudæorum, & principibus ſacerdotum: Ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes, & Scribas: & ex illis occidetis, & crucifigetis. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 4. Comm. in c. 23. Matt.

IEruſalem Ieruſalem, quæ occidis prophetas. Ieruſalem non ſaxa & ædificia ciuitatis, ſed habitatores vocat: quam patris plangit affectu, ſicut & in alio loco legimus, quòd videns eam,

Digitized by Google

eam, fleuerit. In eo autem quod dicit: Quoties volui congregare filios tuos: omnes retro Prophetas à ſe miſſos eſſe teſtatur.

Lectio viij.

Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Hoc ipſum ex perſona Ieremiæ iam ante dixerat: Reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam: facta eſt mihi hereditas mea quaſi ſpelunca leænæ. Deſertam Iudæorum domum, ideſt templum illud, quod fulgebat auguſtius, oculis comprobamus, quia habitatorẽ Chriſtum perdidit, & hereditatem præripere geſtiens occidit heredem.

Lectio ix.

Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Ad Ieruſalem loquitur, & ad populum Iudæorum. Verſiculum autem iſtum (quo & paruuli atque lactentes in ingreſſu Ieruſalem Domini Saluatoris vſi ſunt, quando dixerunt: Benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis) ſumpſit de centeſimo decimo ſeptimo Pſalmo, qui manifeſte de aduẽtu Domini ſcriptus eſt. Si autem Dominica non fuerit, ad Matut. Inuit. Chriſtum natum. Hymn. & Pſalmi de vno Martyre: ſuper Pſalm. Aña. Beatus Stephanus. & ſola dicatur, ℣. de iij. Noctur. vnius Martyris, tres tantum Lectiones de ſuprapoſitis: Duæ nimirum de Scriptura, Tertia prima de Sermone, & tria vltima ℟℟. de Feſto. Te Deum. In Laudibus vna tantum Antiphona, ſcilicet Lapidauerunt. Cap. Hymnus, ℣. Aña ad Benedictus, & Oratio: Horæ etiam ſicut in Die. Ad Veſper. etiam ſi Dominica ſequatur, ſuper Pſalm. Antiph. Lapidauerunt. ſola. Pſalmi de vno Martyre. Preces dicantur in Prima & Complet. niſi Dominica fuerit: nihilominus dicantur ℟℟. Horarum cum Alleluia. & non dicatur Officium B. Virginis: & talis ordo in duobus diebus ſequentibus per omnia obſeruetur. In hac die Octau. Epiphan. excluſiue propter Feſtum S. Hilarij quotidie, niſi in Laud. Vigiliæ, & in primis, ac ſecundis Veſper. & in Laud. die Epiph. & S. Raymundi, poſt alias Mem. fiat Mem. de B. Virg. in Laud. & in Veſper. in Laudib. Antiph. Rubum. 162. ℣. Benedict. qui venit 154.

Oratio.

Deus, qui ſalutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, vt ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum. In Veſper. Antiphona. Germinauit. 162. ℣. Tamquam ſponſus. 146. Oratio. Deus, qui.

Die iij. Ianuarij.

IN OCTAVA S. IOANNIS.

ſiue Dominica fuerit, ſiue non, idem ordo in omnibus ſeruetur, qui in Octaua S. Stephani notatus eſt.

IN I. NOCTVRNO.

De Epiſtola prima beati Ioannis Apoſtoli.

Lectio j. C. 2.

SCribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius. Scribo vobis patres, quoniam cognouiſtis eũ, qui ab initio eſt. Scribo vobis adoleſcentes, quoniam viciſtis malignum. Scribo vobis infantes, quoniam cognouiſtis Patrem. Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum. Lectio ij.

NOlite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo: quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: quæ non eſt ex Patre, ſed ex mũdo eſt. Et mundus tranſit, & concupiſcentia eius. Qui autem fecit voluntatem Dei, manet in æternum.

Lectio iij.

FIlioli, nouiſſima hora eſt: & ſicut audiſtis quia Antichriſtus venit: & nunc Antichriſti multi facti ſunt: vnde ſcimus quia nouiſſima hora eſt. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nã ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum: ſed vt manifeſti ſint quoniam non ſunt omnes ex nobis. Sed vos vnctionem habetis à Sancto, & noſtis omnia.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Tractatu S. Auguſtini Epiſcopi in Ioannem. *Tract. 36. in Ioan.* Lect. iv.

IN quatuor Euangelijs, vel potius quatuor libris vnius Euangelij, ſanctus Ioannes Apoſtolus non immerito ſecundum intelligentiam ſpiritalem aquilæ cõparatus, altius multoſq. ſublimius alijs tribus erexit prædicationẽ ſuã: & in eius erectione etiã corda noſtra erigi voluit. Nam ceteri tres Euãgeliſtæ tãquam cum homine Domino in terra ambulantes, de diuinitate eius pauca dixerũt. Lect. v.

ISte autem, quaſi piguerit in terra ambulare, ſicut ipſo exordio ſui ſermonis intonuit, erexit ſe nõ ſolum ſuper terrã, & ſuper omnẽ ambitũ aeris & cæli, ſed ſuper omnem etiã exercitũ Angelorũ, omnemq. conſtitutionem inuiſibilium poteſtatũ, & peruenit ad eum, per quem facta ſunt omnia, dicẽdo: In principio erat Verbũ, & Verbũ erat apud Deũ, & Deus erat Verbum.

Lectio vj.

AQuila, ipſe eſt Ioannes, ſublimium prædicator, & lucis internæ atque æternæ fixis oculis contemplator. Dicuntur enim & pulli aquilarum à parentibus ſic probari, patris ſcilicet vngue ſuſpendi, & radijs ſolis opponi: qui firme contemplatus fuerit, filius agnoſcitur: ſi acie palpitauerit, tamquam adulterinus ab vngue dimittitur. Iam ergo videte, quàm ſublimia loqui debuit, qui eſt aquilæ comparatus.

IN III. NOCTVRNO

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio vij. C. 21.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Petro: Sequere me. Conuerſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem. Et reliqua.

Homi-

Digitized by Google

Homilia ſancti Ioannis Chryſoſtomi.
Homil. 87. in Ioan. circa med.

CVm magna Chriſtus Petro communicaſſet, orbis terrarum curã demandaſſet, martyrium prædixiſſet, & maiorem erga eum dilectionem teſtatus eſſet: cum vellet Petrus Ioannẽ ſocium & collegam, inquit: Hic autem quid? Numquid eandem viam aggredietur? Et quemadmodum in cœna interrogare non auſus, Ioannem ſuffecit, ita nunc vicem reddit, arbitratus eum velle, ſed non audere de ſe ſciſcitari. Lectio viij.

TVm Chriſtus: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Nam cum nimia id charitate diceret Petrus, nec ab eo diuidi vellet: oſtendens Chriſtus, quòd quantauis eum dilectione proſequeretur, ſuam aſſequi non poſſet, inquit: Si eum volo manere, quid ad te? His verbis nos erudiens, neque dolendum, neque curioſius præter diuinam voluntatem inueſtigandum. Lectio ix.

NAm cum Petrus ſemper in huiuſmodi interrogationes feruentius proſiliret, iterum eius feruorem retundens, quòd non ſit vlterius inquirendum, in hunc modum reſpondit: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Noli arbitrari, inquit, eodẽ modo me de vobis diſpoſuiſſe. Hoc autẽ dixit, vt intempeſtiuum affectum, & conſuetudinis deſiderium tolleret. Cũ enim eſſent orbis terrarum curam ſuſcepturi, ſimul amplius eſſe non oportebat.

Die iiij. Ianuarij.

IN OCT. SS. INNOCENTIVM

Omnia fiant ſicut ſupra in Oct. S. Stephani notatum eſt, & ℟℟. Horarum dicuntur cum Alleluia.

IN I. NOCTVRNO.

De Epiſtola ad Romanos.

Lectio j. C. 9.

AN non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Lectio ij.

QVos & vocauit nos non ſolum ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus, ſicut in Oſee dicit: Vocabo non plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Et erit: in loco, vbi dictum eſt eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viui. Iſaias autem clamat pro Iſrael: Si fuerit numerus filiorum Iſrael tamquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.

Lectio iij.

VErbum enim conſummans, & abbreuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Dominus ſuper terram: & ſicut prædixit Iſaias: Niſi Dñs ſabaoth reliquiſſet nobis ſemẽ, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus. Quid ergo

dicemus? Quòd Gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam: iuſtitiam autem, quæ ex fide eſt. Iſrael vero ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo ſancti Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 3. in Matth. de diuerſ.

Lectio iv.

DIcunt Domino laudes trucidati ab Herode lactentes: loquuntur ſanguine, quod lingua non poſſunt: paſſione canunt, quod ſermone non norunt: occiſi prædicant, quod viui nõ poterant. Contulit martyrium laudẽ, quibus negauerat natura ſermonem: licuit ſanguine clamare, quibus narrare non licebat voce: licuit ſanguine loqui, quibus lingua non licuit: miſcẽt cum Domino colloquia, quibus humana negata ſunt verba. Lectio v.

O Beata lactentium gloria, quibus pro Chriſto contigit dedicare martyria! Experiuntur tempore vno natiuitatem & mortem, ingreſſum & exitum, principium & occaſum: vt ipſis poſſet contingere tempore vno, vt dixi, & ingredi mundum, & dedicare martyrio cælum. Probat nouos exercitus Chriſtus, rudes milites deſignat, legiones lactentes victoria perpetrata coronat. Fiũt pro Chriſto victores, qui ætate fuerunt coæquales: fiunt ſine certamine fortes, ſine pugna victores.

Lectio vj.

TRanſmittit infantes infans Chriſtus ad cælum: noua xenia Patri, primitias fructuum exhibet Genitori. Oſtendit futurum fecundiſſimam meſſem, dum in ſemine tantam exhibet vbertatem. Deriſit ſe, deriſit hoſtilis immanitas, quæ putauit turbare poſſe conſilium Dei, gloriam Chriſti, ſalutẽ neceſſariam mundi. Sed contulit infantibus multis martyrium, dum infantem quærit occidere Chriſtum.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lect. vij. C. 2.

IN illo tempore: Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum: & eſto ibi, vſque dum dicam tibi. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

Hom. 8. in Matt. ante med.

QVæ cum audiſſet Ioſeph, nequaquam paſſus eſt ſcandalum, neque dixit: Incerta iſta res eſt, ac prorſus ambigua. Tu paulo ante dicebas, quia ſaluabit populum ſuum, & nunc ſeipſum quidem non poteſt de periculis liberare: ſed fuga nobis eſt neceſſaria, & peregrinatio, ac tranſmigratio longinqua. Contraria omnino ſunt facta promiſſis. Lectio viij.

SEd horum nihil prorſus opponit: vir enim erat fidelis: neque curioſe reuerſionis tempus inquirit, quod vtique ab Angelo non ſignate fuerat expreſſum: ſed, Eſto ibi, inquit, vſquequo dicam tibi. Verum ille nec per iſta quidem factus eſt ſegnior, ſed obediuit libenter, & credidit, omnes prorſus tribulationes cum gaudio ſuſtinendo. Enimuero miſericors Deus mæ-

ſtis

Digitized by Google

ſtis rebus quædam etiam iucunda permiſcuit. Lectio ix.

QVod certe in ſanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque iucunditates ſinit habere continuas: ſed tum de aduerſis, tum ex proſperis iuſtorum vitam quaſi admirabili varietate contexit. Quod hic quoque eum feciſſe conſidera. Quippe ſanctus Ioſeph videns puerũ natum, maxima exultatione repletus eſt: ſed huic gaudio periculum grande ſucceſſit, cum tota vtique ciuitas turbaretur, ipſe rex fureret, & ad necem puerum quæreret.

Die xxiij. Ianuarij.

IN FESTO S. RAYMVNDI Confeſſoris Ordinis Prædicatorum.

Totum Duplex.

In primis Veſperis fiat tantum Mem.

Oratio.

DEus, qui beatum Raymundum pœnitentiæ Sacramenti inſignẽ miniſtrum elegiſti, & per maris vndas mirabiliter traduxiſti: concede, vt eius interceſſione dignos pœnitentiæ fructus facere, & ad æternæ ſalutis portum peruenire valeamus. Per Dñm.

Tres Lectiones primi Noct. De Eccleſiaſtico. Sapientiam omnium. vt in Feſto S. Thomæ aquinatis 7. Martij.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Bulla Canonizationis eius à Clemente VIII. data Anno Domini 1601. iij. Kalen. Maij, & ex alijs probatis Auctoribus. Lectio iv.

BEatus Raymundus Barcinonenſis ex nobili familia de Peñiafort, originem duxit. Prima in pueritia religionis Chriſtianæ rudimentis imbutus, eximia iam tunc corporis & animi indole ad virtutem & pietatem in dies magis augebatur. Adoleſcens Bononiæ Pontificio ciuiliq; iuri toto pectore incumbens, Doctoris laurea decoratus, ſacros Canones publice magna cum hominũ admiratione eſt interpretatus. Iam inde clara tanti viri fama per Italiam increbreſcẽte, Berengarius Barcinonenſis Epiſcopus Roma ſuã ad Eccleſiam rediens, cum magnis precibus ſecum Barcinonem reduxit, quem etiam eius Eccleſiæ Canonicatu ornauit. Lectio v.

EA dignitate auctus magno integritatis ac doctrinæ ſplendore fulſit. Mira in geſtu motuque modeſtia, morum ſuauitas incredibilis. Erga Deiparam Virginem ſingulari pietatis affectu ducebatur. Ingentem hinc apud omnes auctoritatem, & ſanctitatis opinionem ſibi conciliauit. At vir Dei omnem mundi gloriam calcans, ad ſublimius vitæ genus aſpirabat. Itaque iam matura ætate, annum circiter quintum ſupra quadrageſimum agens, abdicatis honoribus, ſpretiſque mundi oblectamentis, Ordinem Prædicatorum Barcinone profeſſus eſt.

Lectio vi.

HIc iam nouus miles, mirum dictu, quantos fecerit in virtute progreſſus. Humilitatis tenaciſſimus in omni vita fuit: licet talis ac tantus, eo tamen ipſo demiſſius ſentire de ſe, alijs omnia, ſibi nihil tribuere, libentius

Digitized by Google

tius delitescere, quàm in lucem prodire conſueuerat. Obedientiam die ac nocte meditabatur, ac ſepulto propriæ voluntatis arbitrio, totus è ſuperiorũ nutu pendebat. Paupertatem toto pectore amplectebatur, munditiam vitæ, curarum huius mundi abdicationem, caſtitatem cæleſtem & Angelicum theſaurum ſtudioſiſſime ſemper coluit, quam etiam incorruptam & integram ad extremum vſque vitæ diem conſeruauit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

MOnitu ſacræ Virginis Mariæ ſibi in ſomnis apparẽtis ipſe vir ſanctus vnà cum Petro Nolaſco, & Iacobo Aragonum Rege Ordinẽ B. Mariæ de Mercede redemptionis captiuorum fundauit, cui etiam certas viuendi leges præſcripſit ab Apoſtolica Sede approbatas. Atque eundem Petrum, primum Generalẽ Ordinis Magiſtrum, ſuis ipſe manibus habitu ſanctæ religionis indutum creauit. A Gregorio Nono Romam vocatus, & Capellani ac Pœnitentiarij S. Romanæ Eccleſiæ dignitate ornatus, Decreta Romanorum Pontificum in diuerſis Concilijs & Epiſtolis ſparſa, in ordinẽ & compendium redigens, eiuſdem Gregorij Papæ iuſſu in vnum Decretalium volumen colligauit. Cuius idẽ Pontifex in proœmio libri expreſſo nomine, cum laude meminit. Archiepiſcopatum Tarraconenſem ſibi ab Apoſtolica Sede oblatum conſtantiſſime recuſauit.

Lectio viij.

GEneralis totius Ordinis Prædicatorum Magiſter ſummo omnium cõſenſu declaratus, quamquam diu reluctans, ac ægre Magiſtratum iniens, Officio poſt biennium quo illud ſuſceperat, in Generali Capitulo, mærentibus omnibus ſponte ſe abdicauit. Iacobo Aragonum Regi auctor fuit, vt ſacrum Inquiſitionis Officium in ſuis regnis inſtitueret. Innumera patrauit miracula. Inter quæ illud clariſſimum celebratur, quòd ex inſula Baleari maiori Barcinonem traiecit nullo nauigio: ſed pallio tantum ſuper aquas expanſo, reductaque eius ora inſtar veli ad baculum, quo tamquam malo vteretur, veluti ſolidis tabulis vẽctus, centum ſexaginta milliaria ſex horis confecit, cunctis circum littora ſtupentibus.

Lectio ix.

TOtam hebdomadam præter diẽ Dominicum ieiunabat. Orandi, contemplandique ſumma aſſiduitate vtebatur. Cum cæleſtis militiæ Angelo tanta inerat ei familiaritas & amicitia, vt ab eo frequenter ad orandum è ſomno excitatus inuitaretur. Denique plenus virtutibus, & longa ætate confectus, Sacramentis omnibus rite munitus, prope centenarius obdormiuit in Domino, ſalutis humanæ anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto, ipſo die Epiphaniæ: maximis poſt mortem etiam miraculis nobilitatus. Quin & illud perpetui miraculi vim obtinet, quòd è primo eius ſepulchro

chro terra quædam tenuis, ſeu puluis enaſcitur, qui licet magna copia inde exportetur, numquam tamen deficit, ac multæ magnæque corporis infirmitates eo curantur. Relatus eſt in Sanctorum numerum magnifico Canonizationis apparatu à Clemente VIII. Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo primo, tertio Kalendas Maij.

Ceteræ omnia de Cõmuni vnius Conf. II. & infra Octau. & in Octaua fiat Mem. de S. Raymundo.

Die xiiij. Ianuarij.

IN FESTO S. HILARII Epiſc. & Conf. Dupl. Ad Veſp. Pſalm. de Epiph. Aña. Iſte ſanctus. ℟. Sãcte. Ad Magnificat, Aña. Confeſſor.

Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ ſalutis beatum Hilarium miniſtrũ tribuiſti: præſta quæſumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

IN I. NOCTVRNO. Lectiones de Apoſt. Paulo. Et ego, fratres. 179.

IN II. NOCTVRNO. *Ex fortunato, alijſque probatis auctoribus, & ex Breu. Rom.* Lectio iv.

HIlarius in Aquitania nobili genere natus, doctrina & eloquentia excelluit. Qui primum in matrimonio quaſi monachi vitam egit: deinde propter ſingulares virtutes Pictauorũ Epiſcopus creatur: quod munus Epiſcopalẽ ſic geſſit, vt à fidelibus ſummã laudem conſequeretur. Quo tempore, cum terroribus, bonorum ſpoliatione, exilio, & omni crudelitate Conſtãtius Imperator catholicos vexaret, niſi ad Arianas partes tranſirent, Hilarius tãquam firmiſſimum murum ſe Arianis opponens, illorum furorem in ſe concitauit. Lectio v.

ITaque multis petitus inſidijs, tandem dolo Saturnini Arelatẽſis Epiſcopi, de Synodo Biterrenſi in Phrigiã relegatus eſt: vbi & mortuum ſuſcitauit, & libros duodecim ſcripſit de Trinitate contra Arianos. Quadriennio poſt coacto Concilio ad Seleuciam Iſauriæ vrbem, Hilarius adeſſe cõpulſus eſt: ac deinde Conſtantinopolim profectus, vbi extremum Fidei periculum animaduertit, tribus libellis publice datis, audientiam Imperatoris popoſcit, vt de Fide cum aduerſarijs coram diſputaret. Lectio vj.

VErum cum Vrſacius, & Valens Ariani Epiſcopi, quos Hilarius ſcriptis confutarat, præſentis eruditionem pertimeſcerent, Conſtantio perſuaſerunt, vt ſpecie honoris eum in ſuum Epiſcopatum reſtitueret. Tunc Hilarium è prælio hæreticorum reuertentẽ, vt inquit ſanctus Hieronymus, Galliarum Eccleſia complexa eſt: quẽ ad Epiſcopatum ſecutus eſt Martinus, qui poſtea Turonẽſi præfuit Eccleſiæ: tantumque illo doctore profecit, quantum eius poſtea ſanctitas declarauit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

MAgna deinceps tranquillitate Pictauorum Eccleſiam adminiſtrauit:

Digitized by Google

ſtrauit: Galliamq. vniuerſam adduxit, vt Arianorum impietatem condemnaret. Cum ab exilio reuerſus, filiam ſuã, ad quam ex Phrygia epiſtolam deſtinauerat, incolumen inueniſſet, alloquitur eam, num vellet attingere ſpōſum, quem patris gratia prouiderat. Tunc illa libenter, vt celeriter ei iungeretur, optante: pius pater precibus intentus eius deſiderium impleuit: nam placida morte virgo obdormiuit in Domino.

Lectio viij.

ID cum mater vidiſſet, à ſancto Pōtifice poſtulat, vt & ipſa quoque mereatur de mundi turbinibus erepta, vnà cum filia Chriſto præſentari. Annuit diuinus Antiſtes, & ipſam pariter aſſidua oratione ante ſe tranſmiſit ad gloriam. Multos libros ſcripſit mira eruditione, quorum perquàm ſtudioſum fuiſſe ſanctum Hieronymum conſtat: qui etiam Hilarium Latinæ eloquentiæ Rhodanum appellat. Migrauit in cælum Idibus Ianuarij, Valentiniano & Valente Imperatoribus, anno poſt Chriſtum natum trecenteſimo ſexageſimo nono.

Lectio ix.

CLaruit in vita & poſt mortē plurimis miraculis. De translatione corporis eius, præclara hæc inter alia refert B. Petrus Damianus Epiſcopus Cardinalis: Conſtituto igitur die, in quo ſancta membra transferrent, præcedente nocte dum Epiſcopus Pictauienſis, ſimul & Abbas Monaſterij S. Hilarij in vigilijs & orationibus iugiter pernoctarent, repente conſpiciunt, quòd beati Angeli de tumulo, qui iā terebratus fuerat, ſanctum corpus educunt, & in locum qui ſibi præparatus fuerat, proprijs manibus inferunt.

Die xv. Ianuarij.

IN FESTO S. MAVRI ABBAT.

Tres Lectiones. Oratio.

INtercesſio nos quæſumus Domine beati Mauri Abbatis commendet: vt quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per Dominum.

Ex S. Gregorio Papa, & Fauſto, atque Rom. Breu. Lectio ij.

MAurus nobilis Romanus, puer à patre Eutychio Deo & S. Benedicto oblatus, breui tantum diuina gratia profecit, vt ipſi magiſtro admirationi eſſet: qui illum ſæpe, veluti regularis obſeruantiæ & virtutum omnium ſpecimen, ceteris diſcipulis ad imitandum proponebat. Cuius adhuc adoleſcentis illud admirabilis obediētiæ exemplum à S. Gregorio Papa commemoratur.

Lectio iij.

NAm cum Placidus monachus in lacum prolapſus, aquarum impetu raperetur, ſancti Patris iuſſu accurrens Maurus, & ſuper aquas incedens, ſocium capillis apprehenſum, ad terram attraxit. Miſſus in Galliam ab eodem S. Benedicto, celebri monaſterio extructo, cui annos quadraginta præfuit, monaſticam diſciplinam mirifice propagauit. Denique ſanctitate & miraculis clarus, ſeptuagenario maior migrauit in cælum, anno ſalutis quin-

quingenteſimo ſexageſimo quinto.

Die xvi. Ianuarij.

IN FESTO S. MARCELLI

Papæ & mart. Tres Lectiones.

Oratio.

PReces populi tui, quæſumus Domine clementer exaudi: vt beati Marcelli martyris tui atque Pontificis meritis adiuuemur, cuius paſſione lætamur. Per Dominum.

Ex Libro de Romanis Pontificibus, & ex Rom. Breu. Lectio ij.

MArcellus Romanus à Conſtantio & Galerio vſque ad Maxentium Pontificatum geſſit. Vigintiquinque Titulos in Vrbe inſtituit quaſi diœceſes quaſdam, & ad baptiſmum pœnitentiamque eorum, qui ex infide libus Chriſtianam religionem ſuſciperent: & ad Martyrum ſepulturam. A Maxentio ob fidem Chriſti miſſus eſt in catabulum, vt beſtiarum, quæ publice alebantur, curã ſuſtineret. Vbi Marcellus aſſiduis ieiuniis & precibus nouem menſes vitam duxit. Inde ereptus à clericis, hoſpitio recipitur à beata Lucina: in cuius ædibus Eccleſiam dedicauit. Lectio iij.

QVibus cognitis Maxentius in eam Eccleſiam catabuli beſtias transferri, & à Marcello cuſtodiri iubet: vbi loci fœditate, multiſque ærumnis afflictus obdormiuit in Domino. Sedit annos quinque, menſem vnum, dies vigintiquinque. Scripſit Epiſtolam ad Epiſcopos Antiochenæ prouinciæ de primatu Romanæ Eccleſiæ, quam caput Eccleſiarum appellandam demonſtrat; Vbi etiam illud ſcriptum eſt: Nullum Concilium iure celebrari, niſi ex auctoritate Romani Pontificis. Ordinauit menſe Decẽbri Romæ Presbyteros vigintiquinque, Diaconos duos, Epiſcopos per diuerſa loca viginti vnum.

Die xvij. Ianuarij.

IN FESTO S. ANTONII

Abbatis. Totum Duplex.

Oratio.

INterceſſio nos, quæſumus Domine, beati Antonij Abbatis commendet: vt quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per.

Lectiones in j. Nocturno ex Paulo, Fratres, ego me. Feria quinta poſt v. Dominica poſt Octauas Epipha. 222.

IN II. NOCTVRNO.

Ex S. Athanaſio, ac Roman. Breu. Lectio iv.

ANtonius Aegyptius, nobilibus & Chriſtianis parentibus natus, quibus adoleſcens orbatus eſt, cum ingreſſus Eccleſiam ex Euangelio audiuiſſet: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: tamquam ea ſibi dicta eſſent, ſic Chriſto Domino obtemperandum exiſtimauit. Itaque vendita re familiari, pecuniam omnem pauperibus diſtribuit. Quibus ſolutus impedimentis, cæleſtis vitæ genus in terris colere inſtituit. Lectio v.

SEd cum in periculoſum illud certamen deſcenderet: ad fidei præſidium, quo erat armatus, adhibendũ ſibi putauit ſubſidium reliquarum virtutum:

tutum: quarum tanto ſtudio incenſus fuit, vt quemcumque videret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari ſtuderet. Nihil igitur eo continentius, nihil vigilantius erat. Patientia, manſuetudine, miſericordia, humilitate, labore, ac ſtudio diuinarum Scripturarum ſuperabat omnes.

Lectio vj.

AB hæreticorum & ſchiſmaticorum hominum, maxime Arianorum, congreſſu & colloquio ſic abhorrebat, vt ne prope quidem ad eos accedendū diceret. Humi iacebat, cum eum neceſſarius ſomnus occupaſſet. Ieiunium autem adeò coluit, vt ſalem tantummodo ad panem adhiberet: ſitim aqua extingueret: neque ſe ante ſolis occaſū cibo aut potu recreabat, ſæpe etiam biduum cibo abſtinebat: ſæpiſſime in oratione pernoctabat.

IN III. NOCTVRNO. Lect. vij.

CVm talis tantuſq. Dei miles euaſiſſet Antonius, ſanctiſſimum iuuenem hoſtis humani generis varijs tentationibus aggreditur, quas ille ieiunio & oratione vincebat. Nec vero frequens de ſatana triumphus ſecurum reddebat Antonium, qui diaboli innumerabiles artes nocendi nouerat. Itaque contulit ſe in vaſtiſſimam Aegypti ſolitudinem: vbi quotidie ad Chriſtianam perfectionem mirifice proficiebat.

Lectio viij.

DAemones (quorum tanto erant acriores impetus, quanto Antonius ad reſiſtendū fortior euadebat,) ita contempſit, vt illis exprobraret imbecillitatē: ac ſæpe diſcipulos ſuos excitans ad pugnandum contra diabolum, docenſque quibus armis vinceretur: Mihi credite, dicebat, fratres, pertimeſcit ſatanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, miſericordiam, humilitatem, maxime vero ardentem amorem in Chriſtum Dominum, cuius vnico ſanctiſſimæ Crucis ſigno debilitatus aufugit.

Lectio ix.

SIc autem dæmonibus erat formidoloſus, vt multi per Aegyptum ab illis agitati, inuocato nomine Antonij liberarentur: tantaque erat eius fama ſanctitatis, vt per litteras ſe eius orationibus Conſtantinus Magnus & filij commendarent. Qui aliquando quintum, & centeſimū annum agens, cum innumerabiles ſui inſtituti imitatores haberet, ſanctitate, & miraculis clarus migrauit in cælum. Cuius laudes inter alios S. Ioannes Chryſoſtomus ita prædicat: Conſideret virum per cunctorum vſque hodie ora volitantem, quem Apoſtolorum ſimillimum Aegyptus protulit, beatum dico, & magnum illum, de quo ſæpe audiſtis, Antonium.]

Die xviij. Ianuarij.

IN FESTO S. PRISCAE Virginis & Martyris.

Tres Lectiones. Oratio.

DA, quæſumus omnipotēs Deus: vt qui beatæ Priſcæ virginis, & martyris tuæ natalitia colimus: & annua ſolemnitate lætemur, & tantæ fidei proficiamus exēplo. Per Dominū.

Ex

Ex Actis eius, & Romano Breu.

Lectio i.

PRiſca, nobilis virgo Romana, tredecim annos nata, Claudio Imperatore, Chriſtianæ fidei accuſata, eiuſdem iuſſu ducta ad Apollinis templum, vt idolis immolaret, cum rem deteſtaretur, colaphis cæſa, in carcerem traditur: atque inde emiſſa, cũ in fidei conſtantia perſeueraret, affecta verberibus, feruentique adipe delibuta, rurſus in carcerem includitur. Poſt triduum in amphitheatrum producta, leoni obijcitur: qui ſuæ feritatis oblitus, humiliter ſe ad eius pedes abiecit. Lectio iij.

SEd Virgo poſtea in ergaſtulo triduum inedia afflicta, in equuleo ſuſpenditur, & vngulis ferreis excarnificata in rogũ inijcitur, vnde etiam mirabiliter euaſit incolumis. Denique extra Vrbem capite abſciſſo, virginitatis palmam martyrij corona cũmulauit. Cuius corpus via Oſtienſi, decimo ab Vrbe milliario, à Chriſtianis decimo quinto Kalendas Februarij ſepelitur.

Die xix. Ianuarij.

IN FESTO S. FELICIS Presbyteri & Martyris.

Tres Lectione. Oratio.

COncede, quæſumus omnipotens Deus: vt ad meliorem vitam Sanctorum tuorum exempla nos prouocent: quatenus quorum ſolemnia agimus, etiam actus imitemur. Per.

Ex S. Paulino Nolano Epiſcopo, ex Venerab. Beda, & Romano Breu.

Lectio i.

Lectio ij.

FElix Nolanus Presbyter, cum in idola vehementius inueheretur, ab infidelibus varie vexatus, in carcerem conijcitur. Vnde ab Angelo nocte eductus, quærere iuſſus eſt Maximianum Nolæ Epiſcopum: qui cum ſenio confectus deſperaret ſe ferre poſſe ſupplicia perſequentium, ſe abdiderat in ſiluam. Quò cum Felix Deo duce perueniſſet, ſanctum Epiſcopum humi iacentem pene mortuũ videt: quem recreatum, ac ſublatum in humeros, apud fidelem viduam reficiendum curauit. Lectio iij.

SEd cum is iterum idolorum cultores impietatis argueret, facto in ipſum impetu, fugiens in anguſto duorum parietum interuallo ſe occultauit. Qui aditus cum repente aranearum telis pertextus viſus eſſet, nemini recentis latebræ ſuſpicionem reliquit. Inde igitur euadens Felix, in ædibus piæ mulieris tres menſes latuit. Cum vero Dei Eccleſia requieſcere cœpiſſet, Nolam rediens, multiſque ibi vitæ exemplis, & doctrinæ præceptis, miraculiſq. ad Chriſti fidem conuerſis, conſtanter etiã recuſato eiuſdem vrbis Epiſcopatu, obdormiuit in Domino, ſepultuſque eſt prope Nolam in loco, quem in Pincis appellabant. Admirati ſunt S. Paulinus, & S. Auguſtinus ingentia & innumera miracula, quibus hunc Sanctum Dominus illuſtrauit. *Die xx. Ianuarij.*

IN FESTO SANCTORVM Martyrũ Fabiani, & Sebaſtiani. Du. &

Dupl. Quando hoc Feſtum venerit in Dominica Septuageſ. in præcedenti Sabb. celebrari debet. Oratio.

DEus, qui beatos martyres tuos Fabianum atq. Sebaſtianum virtute conſtantiæ in paſſione roboráſti: ex eorum nobis imitatione tribue pro amore tuo proſpera mundi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare. Per Dominum noſtrum.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Lib. de Roman. Pontificibus, & Rom. Breu. Lectio iv.

FAbianum Romanum, indicio columbæ de cælo in caput eius allapſæ, electum fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Pontificem ferunt. Hic à Maximino vſque ad Decium regens Eccleſiam, ſeptem Diaconis Regiones diuiſit, qui pauperum curam haberent. Totidem Subdiaconos creauit, qui res geſtas Martyrum à ſeptem Notarijs ſcriptas colligerent. Idem ſtatuit vt quotannis, Feria quinta in Cœna Domini, vetere combuſto, Chriſma renouaretur. Lectio v.

EO Pontifice, in Africa excitata eſt hæreſis à Nouato, contendente apoſtatas pœnitentes ab Eccleſia recipiendos non eſſe. Denique decimo tertio Kalendas Februarij in perſecutione Decij martyrio coronatus, in cœmeterio Calliſti via Appia ſepelitur, cum ſediſſet annos quindecim, dies quatuor. Hic fecit Ordinationes quinq. menſe Decembri, quibus creauit Presbyteros viginti duos, Diaconos ſeptem, Epiſcopos per diuerſa loca vndecim.

Ex eius actis apud Metaphraſtem, & ex Rom. Breu. Lectio vj.

SEbaſtianus ex patre Narbonenſi, matre Mediolanenſi natus, ob generis nobilitatem & virtutem, Diocletiano Imperatori carus fuit. Cum eſſet dux primæ cohortis, Chriſtianos quorum fidem clam colebat, opera & facultatibus adiuuabat: & qui ex eis tormentorum vim reformidare videbantur, cohortatione ſic confirmabat, vt pro Ieſu Chriſto multi ſe vltro tortoribus offerrent, ac ſtrenue fidem profiterentur.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

INter illos vero, quos Sebaſtianus ad perferendos pro Chriſto cruciatus egregie animauerat, fuere Marcus & Marcellianus fratres, qui Romæ victi in cuſtodia aſſeruabantur apud Nicoſtratum, cuius vxor Zoe vocem, quam amiſerat, Sebaſtiani oratione recuperauit. Quibus Diocletiano delatis, Sebaſtianum accerſit, & vehementius obiurgatum, omnibus artificijs à Chriſti fide conatur auertere. Sed cum nihil nec pollicendo, nec terrendo proficeret, ad palum alligatum ſagittis conſigi iubet.

Lectio viij.

QVem omnium opinionem mortuum, noctu ſancta mulier Irene ſepeliendi gratia iuſſit auferri: ſed viuum repertum domi ſuæ curauit. Itaque paulo poſt confirmata valetudine, Diocletiano obuiam factus,

factus, eius impietatem liberius accuſauit. Cuius aſpectu cum ille primum obſtupuiſſet, quòd mortuum crederet: rei nouitate, & acri Sebaſtiani reprehenſione excandeſcens, cũ tamdiu virgis cædi imperauit, donec animam Deo redderet.

Lectio ix.

Eius corpus in cloacam deiectum Lucina à Sebaſtiano in ſomnis admonita, vbi eſſet, & quo loco humari vellet, ad Catacumbas ſepeliuit: vbi ad cœmeterium Calliſti via Appia ſancti Sebaſtiani nomine celebris Eccleſia, vna ex ſeptem præcipuis Vrbis, eſt ædificata. Temporibus Agathonis Papæ diuino monitu, erecto altari eidem S. Sebaſtiano in Titulo Eudoxiæ ad Vincula S. Petri in Exquilijs, graſſantem luem ab Vrbe fuiſſe depulſam, conſtat.

Die xxj. Ianuarij.

IN FESTO S. AGNETIS Virginis & martyr. Totum Dupl. Ad Veſper. Si eas contingat habere, ſuper Pſalmos. Aña. Veniente ſponſo. ℟. Omnipotens. ix. Ad Magnificat, Aña. Beata Agnes in medio flammarum expanſis manibus orabat: Te deprecor, venerande, colende, Pater metuende, quia per ſanctum Filium tuum minas euaſi ſacrilegi tyranni, & carnis ſpurcitias immaculato calle tranſiui: & ecce venio ad te, quem amaui, quem quæſiui, quem ſemper optaui.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas: concede propitius, vt qui beatæ Agnetis Virginis & martyris tuæ ſolemnia colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus. Per Dominum.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Aña. Diſcede à me pabulum mortis, quia iã ab alio amatore præuẽta ſum. Pſalm. Domine Dominus noſter. 4. Aña. Annulo ſuo ſubarrauit me Dominus meus Ieſus Chriſtus: & tamquam ſponſam decorauit me corona. Pſal. Cæli enar. 11. Aña. Dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretioſis: tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas. Pſal. Domini eſt terra. 15. ℣. Diffuſa eſt gratia, & cet.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. C. 51.

Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum ſaluatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditione à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium, & in conſpectu aſtantium factus es mihi adiutor. Et liberaſti me ſecundum multitudinem miſericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad eſcam de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationũ quæ circundederunt me: à preſſura flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis nõ ſum æſtuata: de altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, à rege iniquo,

iniquo; & à lingua iniuſta. ℟. Diem feſtum ſacratiſſimæ virginis celebremus, qualiter paſſa ſit beata Agnes ad memoriam reuocemus: tertiodecimo ætatis ſuæ anno mortem perdidit, & vitam inuenit: Quia ſolum vitæ dilexit auctorem. ℣. Infantia quidem computabatur in annis, ſed erat ſenectus mentis immenſa. Quia.

Lectio ij.

Laudabit vſque ad mortem anima mea Dominum, & vita mea appropinquans erat in inferno deorſum. Circumdederunt me vndique, & non erat qui adiuuaret. Reſpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. Memorata ſum miſericordiæ tuæ Domine, & operationis tuæ, quæ à ſæculo ſunt: quoniam eruis ſuſtinentes te Domine, & liberas eos de manibus Gentium. ℟. Dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretioſis, tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas: Et circumdedit me vernantibus atq. coruſcantibus gemmis. ℣. Induit me Dominus ciclade auro texta, & immenſis monilibus ornauit me. Et.

Lectio iij.

Exaltaſti ſuper terram habitationem meam: & pro morte defluente deprecata ſum. Inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore ſuperborum ſine adiutorio. Laudabo nomen tuum aſſidue, & collaudabo illud in confeſſione, & exaudita eſt oratio mea. Et liberaſti me de perditione, & eripuiſti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini. ℟. Induit me Dominus veſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ circumdedit me: Et tamquam ſponſam decorauit me corona. ℣. Tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus atque coruſcantibus gemmis. Et tamquam. Gloria. Et tamquam.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. Chriſtus circumdedit me vernantibus atque coruſcantibus gemmis pretioſis. Pſal. Eructauit. 30. Aña. Induit me Dominus ciclade auro contexta, & immenſis monilibus ornauit me. Pſal. Deus noſter. 30. Aña. Poſuit ſignum in faciem meã, vt nullum præter eum, amatorem admittam. Pſal. Fundamenta. 57. ℣. Specie tua & pulchritudine, &c.

Ex Libro ſancti Ambroſij Epiſcopi de Virginibus. *Lib.* 1.

Lectio iv.

Hodie natalis eſt virginis, integritatem ſequamur: natalis eſt martyris, hoſtias immolemus: natalis eſt ſanctæ Agnetis, mirentur viri non deſperent paruuli: ſtupeant nuptæ, imitentur innuptæ. Sed quid dignum ea loqui poſſumus, cuius ne nomen quidem eſt vacuum luce laudis? Fuit deuotio ſupra ætatem, virtus ſupra naturam: vt mihi videatur non hominis habuiſſe nomen, ſed oraculum martyris, quod indicauit quid eſſet futura. ℟. Amo Chriſtum, in cuius thala-

Digitized by Google

thalamum introibo, cuius mater virgo eſt, cuius pater feminam neſcit, cuius mihi organa modulatis vocibus cantant: Quem cum amauero, caſta ſum: cum tetigero, munda ſum: cum accepero, virgo ſum. ℣. Annulo ſuo ſubarrauit me, & immenſis monilibus ornauit me. Quem cum. Lectio v.

NOmen virginis, titulus eſt pudoris. Appellabo martyrem: prædicaui ſatis. Prolixa laudatio eſt, quæ non quæritur, ſed tenetur. Nemo eſt laudabilior, quàm qui ab omnibus laudari poteſt. Quot homines, tot præcones, qui martyrem prædicant dum loquuntur. Hæc tredecim annorum martyrium feciſſe traditur. Quo deteſtabilior crudelitas, quæ nec minuſculæ pepercit ætati. Immo magna vis fidei, quæ etiam ab illa teſtimonium inuenit ætate. ℟. Mel & lac ex ore eius ſuſcepi, Et ſanguis eius ornauit genas meas. ℣. Cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur, ipſi ſoli ſeruo fidem. Et ſanguis. Lectio vj.

FVitne in illo corpuſculo vulneri locus? Et quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret. Hæc inter cruentas carnificum impauida manus, hæc ſtridentium grauibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc neſcia, ſed parata vel ſi ad aras inuita raperetur, tendere Chriſto inter ignes manus, atque in ipſis ſacrilegis focis trophæũ Domini ſignare victoris: nunc ferratis colla manuſque ambas inſerere nexibus. Sed nullus tam tenuia membra poterat nexos includere. ℟. Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſeruiunt, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur: Ipſi ſoli ſeruo fidem, Ipſi me tota deuotione committo. ℣. Dexteram meã & collum meum cinxit lapidibus pretioſis: tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas. Ipſi ſoli. Gloria. Ipſi me tota.

IN III. NOCTVRNO.

Añ. Mel & lac ex eius ore ſuſcepi, & ſanguis eius ornauit genas meas. Pſal. Cantate. j. 63. Añ. Cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur, ipſi ſoli ſeruo fidem. Pſalm. Dominus regnauit, exul. 63. Añ. Ipſi ſoli ſeruo fidem, ipſi me tota deuotione committo. Pſal. Cantate Domino. ij. 64. ℣. Adiuuabit eam Deus, &c. Lectio vij.

NOuum martyrij genus. Nõdum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ: certare difficilis, facilis coronari: magiſterium virtutis impleuit, quæ præiudicium vehebat ætatis! Non ſic ad thalamum nupta properaret, vt ad ſupplicij locum, læta ſucceſſu, gradu feſtina virgo proceſſit. Flere omnes, ipſa ſine fletu. Mirari plerique quòd tam facile vitæ ſuæ prodiga, quam nondum hauſerat, iam quaſi perfuncta donaret. ℟. Iam corpus eius corpori meo ſociatum eſt, & ſanguis eius ornauit genas meas: cuius mater virgo eſt, Cuius pater feminam neſcit. ℣. Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſeruiunt, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur. Cuius pater.

Lectio viij.

STupere vniuerſi, quòd iam diuinitatis teſtis exiſteret, quæ adhuc arbitra ſui per ætatem eſſe non poſſet. Quanto terrore egit carnifex vt timeretur, quantis blandicijs vt ſuaderet, quantorum vota, vt ſibi ad nuptias proueniret! At illa: Et hæc ſponſi iniuria eſt, inquit, expectare placituram. Qui me ſibi prior elegit, accipiet: quid percuſſor moraris? Pereat corpus, quod amari poteſt oculis, quibus nolo. ℞. Pulchra facie, ſed pulchrior fide, beata es Agnes, reſpuens mundum, lætaberis cum Angelis, Intercede pro nobis omnibus. ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, pro ſpere procede, & regna. Intercede.

Lectio ix.

STetit, orauit, ceruicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quaſi ipſe addictus fuiſſet, tremere percuſſoris dexteram, pallere ora alieno timentis periculo: cum puella non timeret ſuo. Habetis igitur in vna hoſtia duplex martyrium, pudoris, & religionis. Et virgo permanſit, & martyrium obtinuit.] Paſſa eſt autẽ beata Agnes Romæ ſub Præfecto Vrbis Symphronio: quam etiam ſancti Patres Damaſus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus ſummis laudibus prædicarunt. ℞. Omnipotens, adorande, colende, venerande, tremende, benedico te, Quia per Filium tuũ vnigenitum, euaſi minas hominum impiorum: & ſpurcitias diaboli, impolluto calle tranſiui. ℣. Te confiteor labijs, te corde: te totis viſceribus concupiſco. Quia. Gloria Patri. Quia.

IN LAVDIBVS. Antiphona.

INgreſſa Agnes turpitudinis locũ, Angelum Domini præparatum inuenit. Pſal. Dominus regnauit. cum ceteris. Aña Mecum enim habeo cuſtodem corporis mei Angelum Domini. Aña. Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſeruiunt: cuius pulchritudinẽ ſol & luna mirantur. Antiph. Benedico te Pater Domini mei Ieſu Chriſti, quia per Filium tuum, ignis extinctus eſt à latere meo. Aña. Congaudete mecum, & congratulamini: quia cũ his omnibus lucidas ſedes accepi.

Ad Benedictus, Antiphona.

Stans beata Agnes in medio flammarum: expanſis manibus, orabat ad Dominum: Omnipotens, adorande, colende, tremende, benedico te, & glorifico nomen tuum in æternum.

Die xxij. Ianuarij.

IN FESTO S. VINCENTII. Mart. Totum Dup. ad Veſper. ſuper Pſal. Aña. Iſte eſt, qui pro lege Dei ſui morti ſe tradidit: non dubitauit mori: ab iniquis interfectus eſt, & in æternum viuit cum Chriſto: Agnum ſecutus eſt, & accepit palmam. ℞. Chriſti miles. vj. Hymnus. Deus tuorum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Sacram præſentis diei ſolemnitatem humili celebremus deuotione: qua inuictus Chriſti martyr Vincentius, tyranno deuicto, inſignem victoriæ palmam cælo gaudens inulit.

Ora-

Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris: vt qui ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus, beati Vincentij martyris tui interceſſione liberemur. Per Dominum.

Memoria de S. Agnete, niſi Feſta transferantur, Antiph. Ecce quod concupiui, iam video, quod ſperaui, iam teneo: illi ſum iuncta in cælis, quem in terris poſita tota deuotione dilexi. Ad Matutinum, Inuitatorium. Vincentem mundum adoremus Dominum: In quo preſſuram mundi martyr vicit Vincentius.

IN I. NOCTVRNO.

Aña. Sanctus Vincentius à pueritia ſtudijs litterarum traditus, ſuperna ſibi prouidente clementia, gemina ſciẽtia efficaciſſime claruit. Pſal. Beatus vir. 1. Aña. Sanctitate quoque inſignis, Diaconij arce ſuſcepta, vices Pontificis diligenter exequebatur. Pſalm. Quare frem. 1. Aña. Valerius igitur Epiſcopus, & Leuita Vincentius, ſpe fruẽdi victoria diuinitus ſubnixi, in confeſſione Deitatis alacriter cucurrerunt. Pſalm. Domine quid. 2. ℣. Gloria & honore &c.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Romanos. Lectio j. C. 8.

EXiſtimo enim quòd nõ ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eũ, qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatẽ gloriæ filiorum Dei. ℟. Sacram præſentis diei ſolemnitatẽ, humili celebremus deuotione, qua inuictus Chriſti martyr Vincentius, tyranno deuicto, inſignẽ victoriæ palmam cælo gaudens intulit. ℣. Peracto paſſionis ſuæ uenerãdo triumpho, Angelorum cœtibus comitatus. Inſignem.

Lectio ij.

SCimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. Non ſolum autem illa, ſed & noſipſi primitias ſpiritus habentes: & ipſi intra nos gemimus adoptionẽ filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalui facti ſumus. Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus: per patientiam expectamus. ℟. Sanctus Vincentius Chriſti martyr prouidente ſuperna clementia, quæ ſibi eum præuidebat vas electionis futurum, Gemina ſcientia efficaciſſime claruit. ℣. Sanctitate quoque inſignis, Diaconij arce ſuſcepta, vices Pontificis diligenter exequebatur. Gemina.

Lectio iij.

SImiliter autem, & Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis. Scimus autem quo-

quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs, qui ſecundum propoſitũ vocati ſunt ſancti. ℟. Leuita Vincentius dixit beato Valerio: Si iubes pater ſancte, reſponſis iudicem aggrediar. Iam tibi fili chariſſime, diuini verbi curam commiſeram, Nunc quoque Pro fide, qua aſtamus, reſponſa committo. ℣. Tibi enim gemina ſcientia pollẽti, ac ſuperni amoris igne feruenti, cæleſtis verbi curam commiſeram. Nunc. Gloria. Pro fide.

IN II. NOCTVRNO.

Añ 1. Tanto namque feliciores ſe eſſe credebant, quanto acriora tyranni ſupplicia, pia longanimitate certaſſent euincere. Pſalm. Cum inuocarem. 2. Añ 2. Leuita Vincentius dixit beato Valerio: Si iubes pater ſancte, reſponſis iudicem aggrediar. Pſal. Verba. 2. Añ 3. Iam tibi fili chariſſime, diuini verbi curam commiſeram: nunc quoque pro fide, qua aſtamur, reſponſa committo. Pſal. Domine Dominus noſter 4. ℣. Poſuiſti Domine.

Ex Aurelio Prudentio, Actis eius ſinceris Latinis, & Græcis, apud Metaphraſtem, & ex Rom. Breu. Lectio iv.

VIncentius, Oſcæ in Hiſpania citeriore natus, à prima ætate ſtudijs deditus, ſacras litteras à Valerio Cæſarauguſtano Epiſcopo didicit: cuius etiam partes ſuſcepit prædicandi Euangelium, quòd Epiſcopus, propter linguæ impedimentum, prædicationis officio fungi non poterat. Ea re ad Dacianũ, prouinciæ à Diocletiano & Maximiano præpoſitum, delata Vincentius Cæſarauguſtæ compreheñditur, & vinctus ad Dacianum Valentiam Hiſpaniæ Tarraconẽſis inſignem vrbem adducitur. ℟. Ecce iam in ſublime agor, & omnes principes tuos, ſæculo altior, tyranne deſpicio: nolo gloriam meam minuas, nec damna inferas laudi: Paratus ſum enim ad omnia tormẽta, pro Saluatoris nomine ſuſtinenda. ℣. Inſurge ergo, & toto malignitatis ſpiritu debacchare, videbis me Dei virtute plus poſſe dum torqueor, quàm poſſis ipſe qui torques. Paratus ſum.

Lectio v.

IBi verberibus & equuleo tortus, multis præſentibus, cum nulla aut tormentorum vi, aut acerbitate, vel lenitate verborum à propoſito deterreri poſſet, in craticula impoſitus, prunis ardentibus ſuppoſitis, ac ferreis vnguibus excarnificatus, candentibuſque laminis exuſtus, iterum ducitur in carcerem ſtratum teſtaceis fragmẽtis, vt eius nudũ corpus, ſomno oppreſſum, à ſubiectis etiam teſtarum aculeis torqueretur. Verum, illo in tenebricoſa incluſo cuſtodia, clariſſimus ſplendor obortus totum carcerem illuſtrauit: quæ lux, cum ſumma admiratione omnes qui aderant, affeciſſet, res à cuſtode carceris ad Dacianum defertur. ℟. Aſſumptus ex equuleo Leuita Vincentius, atque ad patibulum raptus, tortores ſuos pene præueniens, Moras carnificum arguendo, ad pœnam alacriter properabat. ℣. Intrepidus itaque Dei athleta candentis ferri machinam vltro conſcendit. Moras.

Lectio

Digitized by Google

Lectio vj.

Qvi eductum inde Vincentium in molli culcitra collocat: & quem cruciatibus in ſuā ſententiam trahere non poterat, delicijs perducere conatur. Sed inuictus Vincentij animus Ieſu Chriſti fide ſpeq. munitus vicit omnia: & ignis, ferri, tortorum immanitate ſuperata, victor ad cæleſtem martyrij coronam aduolauit, vndecimo Kalendas Februarij. Cuius corpus, cum proiectū eſſet inhumatum, coruus & à volucribus, & à lupo, vnguibus, roſtro, alis mirabiliter defendit. Qua re cognita, Dacianus illud in altum mare demergi iubet: ſed inde etiam diuinitus eiectum ad littus, Chriſtiani ſepeliunt. ℟. Chriſti miles pretioſus Leuita Vincētius, vt tribunal, ſponte rogum conſcendit intrepidus: Cuius ſalis crepitantis per corpus minutiæ ſparſim ibant, Atque prunæ vernabantur ſanguine. ℣. Inter hæc manet immotus ille Dei famulus orans Chriſtum, in ſublime erectis luminibus. Cuius. Gloria Patri. Atque.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Beatus Vincentius, cuius mens iam conſcia de corona, dixit Daciano: Hactenus à te habitus ſermo de neganda fide perorauit. Pſalm. In Domino. 6. Antiph. Nefarium tamen apud Chriſtianorum prudentiam eſſe cognoſce, Deitatis cultum abnegando blaſphemare. Pſ. Domine quis 7. Aña. Profitemur enim Chriſtianæ religionis nos eſſe cultores: ac vnius veri Dei permanentis in ſæcula, famulos, & teſtes. Pſal. Domine in virtute tua. 13. ℣. Magna eſt gloria eius, &c.

S. Gregorius Turon. lib. 3. Hiſtor. Francor. cap. 29. Lectio vij.

Ingens autem illud miraculum, quo ſacra S. Vincentij tunica Cæſarauguſtana vrbs ab arctiſſima Francorum obſidione liberata fuit, S. Gregorius Turonenſis Epiſcopus ita narrat: Childebertus rex in Hiſpaniam abijt: quam ingreſſus cum Clothario, Cæſarauguſtanam ciuitatē cum exercitu vallant atque obſident. At illi in tanta humilitate ad Deum conuerſi ſunt, vt induti cilicijs, abſtinentes à cibis & poculis, cum tunica beati Vincentij martyris, muros ciuitatis pſallētes circumirēt: mulieres quoq. amictæ nigris pallijs, diſſoluta cæſarie, ſuperpoſito cinere, vt eas putares virorum funeribus deſeruire, plangendo ſequebantur. ℟. Beatus Dei athleta Vincentius horrendo clauſus ergaſtulo carceris, pſalmum Deo, & hymnum, Angelorum frequentia releuatus, lætus dicebat: Quorum vallatus caterua, venerando fouebatur obſequio, & mulcebatur alloquio. ℣. Dantur ergo laudes Deo altiſſimo: & reſonante organo vocis Angelicæ, modulata ſuauitas procul diffunditur. Quorum vallatus. Lectio viij.

Hi autem qui obſidebant, neſcientes quid obſeſſi agerent, cum viderent ſic murum circuiri, putabant eos aliquid agere maleficij. Tūc apprehenſum virū de ciuitate ruſticū,

ipſum interrogat, quid hoc eſſet quod agerent. Qui ait: Tunicam beati Vincentij deportant: & cum ipſa, vt eis Dominus miſereatur, exorant. Quod illi timentes, ſe ab ea ciuitate remouerunt, & in Gallias redierunt.] Sicque pretioſis tanti Martyris exuuijs, vrbs imminens periculum euaſit. ℟. Agnoſce, ò Vincenti inuictiſſime, pro cuius nomine fideliter decertaſti, Ipſe tibi coronam paratam ſeruat in cælis, qui te fecit victorē in pœnis. ℣. Eſto igitur iam ſecurus de præmio, quia mox depoſito onere carnis, noſtro eris addendus collegio. Ipſe tibi.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Serm 11. de Sanctis. Lectio ix.

IN paſſione quæ nobis hodie recitata eſt, fratres chariſſimi, euidenter oſtēditur iudex ferox, tortor cruētus, martyr inuictus. In cuius corpore pœnis varijs exarato, iam tormenta defecerant, & adhuc membra durabant. Tot conuicta miraculis perſiſtebat impietas, tot vexata ſupplicijs non cedebat infirmitas: agnoſcatur ergo operata Diuinitas. Sed iam, fratres, illa omnia tranſierunt, & ira Daciani, & pœna Vincentij. Nunc autem pœna Daciano, corona vero manet Vincentio. Quæ hodie regio, quæue prouincia vlla, quouſque, vel Romanum Imperium, vel Chriſtianū nomen extenditur, natalem non gaudet celebrare Vincentij Diaconi? ℟. Vir inclytus Vincentius, martyr Domini pretioſus, ſuccenſus igne diuini amoris, conſtanter ſuſtinuit ſupplicia poſſionis: Et per immanitatem tormentorum, Peruenit ad ſocietatem Angelorum. ℣. Cuius interceſſio nobis obtineat veniam, qui per tormenta paſſionis æternam meruit palmam, & ſempiternam coronam. Et per. Gloria. Peruenit.

IN LAVDIBVS. Antiphona.

ASſumptus ex equuleo Leuita Vincentius, atque ad patibulum raptus, moras carnificum arguendo, ad pœnam alacriter properabat. Pſalm. Dominus regnauit. cum ceteris de Laudibus. Aña. Intrepidus itaque cādentis ferri machinam vltro cōſcendit: ac manens immotus, erectis in cælum luminibus, Dominum precabatur. Aña. Hinc horrendo carceris clauſus ergaſtulo Dei athleta, Angelorum venerando fouebatur obſequio, & mulcebatur alloquio. Aña. Agnoſce ò Vincenti inuictiſſime: quia pro cuius nomine fideliter decertaſti, ipſe tibi coronam præparatam ſeruat in cæleſtibus. Antiph. Dantur ergo laudes Deo altiſſimo, & reſonante organo vocis Angelicæ, modulata ſuauitas procul diffunditur.

Ad Benedictus, Antiphona.

Egregius Dei Martyr Vincentius: diris tormentorum ſupplicijs pro Chriſto alacriter ſuperatis, ac felicis pugnæ agone conſtanter expleto: tandem pretioſam reſolutus in mortem, cælo triumphans ſpiritum reddidit.

Ad Magnificat, Antiphona

Beatus Vincentius applicatus torrētis, alacri vultu, Dei præſentia roboratus,

ratus, dixit: Hoc eſt quod ſemper optaui, & votis omnibus exquiſiui.

Per Octau. S. Vincentij martyris. Ad Memoriam, in Laudibus. Antiphona. Aſſumptus. ℣. Corona aurea. Oratio. Adeſto. In Veſp. Antiphona. Beatus Vincentius applicatus. ℣. Gloria & honore. Orat. vt ſupra.

Die xxiij. Ianuarij.

IN FESTO SANCTAE Emerentianæ virginis & martyris.

Tres Lectiones. Oratio.

INdulgentiā nobis quæſumus Domine beata Emerentiana virgo, & martyr imploret: quæ tibi grata ſemper extitit & merito caſtitatis, & tuæ profeſſione virtutis. Per Dominum.

Ex fidelioribus Actis, & Rom. Breu.

Lectio ij.

EMerentiana virgo Romana, collactanea beatæ Agnetis, adhuc catechumena, & charitate flagrans, furentes in Chriſtianos idolorum cultores cum vehementius accuſaret, à concitata multitudine lapidibus obruta eſt. Quæ in cruciatibus orans ad ſepulchrum ſanctæ Agnetis, proprio ſanguine, quem pro Chriſto conſtanter effudit, baptizata, animam Deo reddidit.

Die xxiij. Ianuarij.

IN FESTO SANCTI Timothei Epiſcopi & martyris.

Tres Lectiones. Oratio.

LAetetur Eccleſia tua, Deus, beati Timothei martyris tui atque Pontificis confiſa ſuffragijs: atque eius precibus glorioſis & deuota permaneat, & ſecura conſiſtat. Per Dñm.

B.P.

Incipit Epiſtola ſecunda beati Pauli Apoſtoli ad Timotheum.

Lectio j. C. 1.

PAulus Apoſtolus Ieſu Chriſti per voluntatem Dei, ſecundum promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu: Timotheo chariſſimo filio, gratia, miſericordia, pax à Deo Patre, & Chriſto Ieſu Domino noſtro. Gratias ago Deo, cui ſeruio à progenitoribus in conſcientia pura, quòd ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die deſiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, vt gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice, certus ſum autē quòd & in te.

Ex eius Actis apud Metaphraſtem. & ex Rom. Breuiario. Lectio ij.

TImotheus Lyſtris in Lycaonia natus ex patre Gentili, & matre Iudæa, Chriſtianam colebat religionē, cum in ea loca venit Paulus Apoſtolus. Qui fama cōmotus, quæ de Timothei ſāctitate percrebuerat, ipsū adhibunt ſocium ſuæ peregrinationis: ſed propter Iudæos, qui ſe ad Chriſtum conuerterant, ſcientes Timothei patrem eſſe Gentilem, eum circumcidit. Cum igitur ambo Epheſum veniſſent, ibi ordinatus eſt Epiſcopus ab Apoſtolo, vt eam Eccleſiam gubernaret.

Lectio iij.

AD quem Apoſtolus duas epiſtolas ſcripſit, alteram Laodicea, alteram Romæ: quibus in paſtoralis

officij cura confirmatus, cum ſacrificium quod vni Deo debetur, fieri dæmonum ſimulacris, ferre non poſſet: populum Epheſinum, Dianæ in eius celebritate immolantem, ab illa impietate remouere conatus eſt, lapidibus obrutus eſt: ac pene mortuus à Chriſtianis ereptus, & in montem oppido vicinum delatus, nono Kalendas Februarij obdormiuit in Domino. S. Martyr Ignatius Epiſtola ad Philadelphios, eum inter virgines annumerat. *Die xxv. Ianuarij.*

IN CONVERSIONE Sancti Pauli Apoſtoli.

Totum Duplex. Ad Veſp. ſuper Pſal. Ant. Sancte Paule Apoſtole, prædicator veritatis, & doctor Gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit. Pſalm. Laudate. cum cæteris.

Capitulum. *Act. 9.*

SAulus adhuc ſpirans minarum & cædis in Diſcipulos Domini, acceſſit ad principem ſacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas: vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem. ℟. Magnus Sanctus Paulus. ℣. Hymnus.

DOctor egregie Paule mores inſtrue,
Et mente polum nos transferre ſatage:
Donec perfectum largiatur plenius,
Euacuato quod ex parte gerimus.
Sit Trinitati ſempiterna gloria
Honor, poteſtas, atque iubilatio,
In vnitate, cui manet imperium
Ex tunc & modo per æterna ſecula. Amen. ℣. In omnem &c.

Ad Magnificat, Antiphona.

Elegit Dominus virum de plebe, & claritatem viſionis æternæ dedit illi: celebremus Conuerſionem ſancti Pauli Apoſtoli: gaudium fit in cælo, & in terra pax hominibus bonæ volũtatis.

Oratio.

DEus qui vniuerſum mundum beati Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti: da nobis quæſumus, vt qui eius hodie Conuerſionẽ colimus, per eius ad te exẽpla gradiamur. Per.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Laudemus Deum noſtrum, In Conuerſione Apoſtoli Pauli. Hymnus. Doctor egregie.

IN I. NOCTVRNO.

Antiph. Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in Diſcipulos Domini, abijt ad principem ſacerdotum, & petijt ab eo, vt vbicumque inueniret huius viæ viros, vinctos perduceret in Ieruſalem. Pſalm. Cæli enar. 11.

Antiph. Ibat igitur Saulus furijs inuectus, dirumque toto pectore virus efflabat: & ſanctorũ ſanguinẽ ſine intermiſſione ſitiebat. Pſ. Benedicam. 21.

Antiph. Et ſubito circumfulſit eũ lux de cælo, & cecidit in terram, nihilque videbat. Pſalm. Eructauit cor meum. 30. ℣. In omnem terram &c.

De Epiſtola beati Pauli Apoſtoli ad Galatas. Lectio I. C. I.

NOtum enim vobis facio, fratres Euangeliũ, quod euangelizatũ eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem:

minem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per reuelationẽ Ieſu Chriſti. Audiſtis enim conuerſationem meã aliquando in Iudaiſmo: quoniam ſupra modũ perſequebar Eccleſiã Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaiſmo ſupra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator exiſtẽs paternarum mearũ traditionum. ℟. Saulus adhuc ſpirans minarum, & cædis in Diſcipulos Domini, abijt ad principem ſacerdotum, & petijt ab illo, Vt vbicumque inueniret huius viæ viros, vinctos perduceret in Ieruſalẽ. ℣. Ibat igitur Saulus furijs inuectus: dirũq. toto pectore virus efflabat. Vt.

Lectio ij.

CVm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret Filium ſuum in me, vt euangelizarem illũ in Gentibus: continuo non acquieui carni & ſanguini, neque veni Ieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos: ſed abij in Arabiam: & iterum reuerſus ſum Damaſcum: deinde poſt annos tres veni Ieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim: alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini. ℟. Ibat igitur Saulus furijs inuectus, dirumque toto pectore virus efflabat, Et ſanctorum ſanguinem ſine intermiſſione ſitiebat. ℣. Per totam Iudæam inſania ferebatur, vt Chriſti membra laniaret in terris. Et ſanctorum.

Lectio iij.

QVæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior. Deinde veni in partes Syriæ, & Ciliciæ. Eram autem ignotus facie Eccleſijs Iudææ, quæ erant in Chriſto: tantum autem auditum habebant: Quoniam qui perſequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat: & in me clarificabant Deum. Deinde poſt annos quatuordecim, iterum aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba, aſſumpto & Tito. Aſcendi autem ſecundum reuelationem: & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem ijs qui videbantur aliquid eſſe: ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem. ℟. A Chriſto de cælo vocatus, & in terram proſtratus, ex perſecutore effectus eſt vas electionis: & plus omnibus laborans, multo latius inter omnes verbi gratiam ſeminauit, Atque doctrinam Euangelicam ſua prædicatione compleuit. ℣. Inter Apoſtolos vocatione nouiſſimus, prædicatione primus, nomen Chriſti multarum gentium manifeſtauit populis. Atque. Gloria Patri. Atque.

IN II. NOCTVRNO.

Antiphona. Saule, Saule, quid me perſequeris? Quis es Domine? Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris: durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Pſalm. Omnes gentes. 31. Antiphona. Saulus autem tremens, ac ſtupens, dixit ad Ieſum: Domi-

Domine, quid me vis facere? Ait autem Dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Pſalm. Exaudi Deus deprec. 39. Aña. A Chriſto de cælo vocatus, & in terram proſtratus: ex perſecutore factus eſt vas electionis Pſalm. Exaudi Deus orationem. 40. ℣. Conſtitues eos principes, &c.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 14. *de Sanctis.* Lectio iv.

APoſtolus Paulus ex perſecutore Chriſtianorum, annunciator factus eſt Chriſti. Proſtrauit enim Chriſtus perſecutorem, vt faceret Eccleſiæ doctorem: percutiens eum, & ſanans: occidens, & viuificans: occiſus Agnus à lupis, & faciens agnos de lupis. Ita enim in præclara illa prophetia, cum Iacob Patriarcha benediceret filijs ſuis, præſentes tangens, futura proſpiciens, prædictum erat quod in Paulo contigit. Erat autem Paulus, ſicut ipſe teſtatur, de tribu Beniamin. Cum autē Iacob benedicens filios ſuos, veniſſet ad benedicendū Beniamin, ait de illo: Beniamin lupus rapax. ℞. Vade Anania, & quære Saulum, quia vas electionis eſt mihi, vt portet nomē meum Coram Gentibus, & regibus, & filijs Iſrael. ℣. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Coram.

Lectio v.

QVid ergo? lupus ſemper rapax? Abſit, ſed quid? Mane rapiet prædam, & ad veſperam diuidet eſcas. Hoc in Apoſtolo Paulo impletum eſt, quia & de illo dictum erat. Iam, ſi placet, audiamus illum mane rapientem, & ad veſperam eſcas diuidentem. Mane & veſpere poſita ſunt pro eo ac ſi diceretur, prius & poſtea. Sic igitur accipiamus: Prius rapiet, poſtea diuidet eſcas. Attendite raptorem. Saulus, inquit, acceptis epiſtolis à principibus ſacerdotum, ibat, vt vbicumque inueniret Chriſtianos, ad Sacerdotes traheret & adduceret, vtique puniendos. ℞. Ingreſſus Paulus in Synagogas, prædicabat Ieſum Iudæis, affirmans: Quia hic eſt Chriſtus. ℣. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, dicentem. Quia.

Lectio vj.

IBat ſpirans & anhelans in cædes: hoc eſt, mane rapiens. Nam & quando lapidatus eſt Stephanus primus martyr pro nomine Chriſti, euidentius erat ibi Saulus, & ſic aderat lapidantibus, vt non ei ſufficeret, ſi tantum ſuis manibus lapidaret. Vt enim eſſet in omnium lapidātium manibus, ipſe omnium veſtiměta ſeruabat: magis ſeuiens omnes adiuuando, quàm ſuis manibus lapidando. Audiuimus, mane rapiet: videamus ad veſperam qualiter diuidat eſcas. Voce Chriſti de cælo proſtratus, & accipiens deſuper edictum iam non ſæuiendi, cecidit in faciem ſuam, prius proſternendus, poſtea erigendus: prius percutiendus, poſtea ſanandus. ℞. Magnus ſanctus Paulus vas electionis, vere digne eſt glorificandus, Qui & meruit thronum duodecimum poſſidere. ℣. A Chriſto de

Digitized by Google

ſto de cælo vocatus, & in terram proſtratus, ex perſecutore effectus eſt vas electionis. Qui. Gloria Patri. Qui.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Viri autem, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocẽ, ſed neminem videntes. Pſalm. Confitebimur. 48. Aña. Ad manus autem illum trahentes, introxerunt Damaſcum; & erat tribus diebus non videns, nec manducauit, neq; bibit. Pſal. Dominus regnauit, exultet. 63. Aña. Vade Anania, & quære Saulum: ecce enim orat, quia vas electionis eſt mihi, vt portet nomen meũ coram Gentibus, & regibus, & filijs Iſrael. Pſal. Dominus regnauit, iraſcantur. 64. ℣. Nimis honorati ſunt amici tui Deus.

Sermo. S. Ioannis Chryſoſtomi.

Hom. 1. de Laudib. Pauli.

Lectio vij.

NIhil prorſus errauerit, qui pratum inſigne quoddam virtutum, & Paradiſum ſpiritalem, Pauli animum nuncupauerit: tam mira enim gratia floruit, tamque huic gratiæ cõgruente vitæ perfectione reſplenduit. Quoniam enim vas electionis effectus eſt, & bene ſeipſum emendare curauit, largiſſime in eum ſancti Spiritus munus effuſum eſt. Vnde & mirabiles nobis fluuios genuit, non ſecundum Paradiſi fontem, quatuor tantum, ſed multo etiam plures, & quotidie fluentes: nec terram rigantes, ſed animas hominum ad producendum virtutum germina ſuſcitantes. Tu autem.

℟. Tu es vas electionis ſancte Paule Apoſtole, prædicator veritatis in vniuerſo mundo, Per quem omnes Gentes cognouerunt gratiam Dei. ℣. Intercede pro nobis ad Deum qui te elegit. Per quem. Lectio viij.

QVæ autẽ lingua laudibus eius inuenietur æqualis, cum omnia, quæ ſunt in hominibus bona, vna anima poſſideat, & ea cuncta plene atque cumulate, quæ non ſolum hominũ ſunt, ſed quod amplius eſt, Angelorum? Siue enim Prophetæ potentius aliquid in ſe oſtenderint, magiſq. mirabile, ſiue Patriarchæ, ſiue iuſti, ſiue Apoſtoli, ſiue Martyres: hæc omnia ſimul colligens Paulus habet cum tanto cumulo, cum quanto nullus eorum, bonum, quo excellebat, impleuit. ℟. Sancte Paule Apoſtole, prædicator veritatis, & doctor Gentium, Intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit. ℣. Vt digni efficiamur gratia Dei. Intercede pro nobis.

Idem Hom. 8. de Laudibus Pauli.

Lectio ix.

SEd quamdiu verſabo linguam, nunc iuſtis viris Paulum, nunc etiam Angelis comparando? Opulentiſsimum hunc igitur theſaurum in noſtris auide pectoribus recondamus. Hauriamus certatim virtutes ex abũdanti iſto bonæ voluntatis fonte manantes, & cupiditate maxima feraciſſimæ huius arboribus poma rapiamus, varijſque floribus, ac fructibus plenũ Apoſtolicarum virtutum pratum metentes,

tentes, ſumamus è Paulo fulgentem roſam caſtitatis: eligamus fidei florem marceſcere neſcientem: decerpamus ex eo vberrimos patientiæ fructus, & virtutum omnium faſciculum colligamus. ℟. Celebremus Conuerſionem S. Pauli Apoſtoli: Quia hodie ex perſecutore effectus eſt vas electionis. ℣. Gaudent Angeli, & exultant Archangeli, & collaudant in cælis Filium Dei. Quia. Gloria. Quia. ℣. Dediſti hereditatem &c.

IN LAVDIBVS, Añ. SAulus, qui & Paulus, magnus prædicator, à Deo confortatus, conualeſcebat, & cõfundebat Iudæos. Pſalm. Dominus regnauit. cum reliquis de [illegible] [illegible] Saule frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu ſancto. Añ. Sub manu continuo Ananiæ ceciderunt ſquamæ ab oculis eius: & ſurgens baptizatus eſt, & accipiens cibum confortatus eſt. Añ. Proſtratus eſt ſæuiſſimus perſecutor, ſed erectus eſt fideliſſimus prædicator: quos Domine verbis edocet de te, meritis ducat ad te. Añ. Ingreſſus Paulus in ſynagogas prædicabat Iudæis Ieſum, affirmans quia hic eſt Chriſtus. Cap. Saulus adhuc. Hym. Aeterna Chriſti munera.

Ad Benedictus, Antiphona.

Celebremus Conuerſionem S. Pauli Apoſtoli, quia hodie ex perſecutore effectus eſt vas electionis: ideo gaudẽt Angeli lætantur Archangeli, & collaudant in cælis Filium Dei.

Ad Horas diei, Antiphonæ Laudum. Ad Tertiam, Capitulum. Saulus adhuc ſpirans.

Ad Sextam Capitulum. *Act. 9.*

VAde Anania, quoniam vas electionis mihi eſt iſte, vt portet nomen meum coram Gentibus, & regibus, & filijs Iſrael.

Ad Nonam, Capitulum. *Act. 9.*

ET abijt Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu ſancto. Ad Veſp. ſuper Pſal. Añ. Saulus, qui & Paulus magnus. Capitulũ. Hymn. ℣. vt in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cum autem complacuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit me per gratiam ſuam, vt reuelaret in me Filium ſuum in Gentibus: continuo non acquieui carni & ſanguini.

Die xxvi. Ianuarij.

IN FESTO S. POLYCARPI

Epiſcopi & mart. Tres Lectiones.

Oratio.

DA quæſumus omnipotẽs Deus: vt qui beati Polycarpi martyris tui atque Põtificis ſolemnia colimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur. Per Dominum.

Ex Libro S. Irenæi Epiſcopi & Martyris aduerſus hæreſes. *Lib. 3. cap. 3.*

Lectio ij.

POlycarpus autem non ſolum ab Apoſtolis edoctus, & conuerſatus cum multis ex eis, qui Dominum noſtrum

ſtrum viderunt: ſed etiam ab Apoſtolis in Aſia, in ea quæ eſt Smyrnis Eccleſia conſtitutus Epiſcopus, quem & nos vidimus in prima noſtra ætate: multum enim perſeuerauerat, & valde ſenex glorioſiſſime & nobiliſſime martyrium faciens, exiuit de hac vita. Hic docuit ſemper quæ ab Apoſtolis didicerat, quæ & Eccleſiæ tradidit, & ſola ſunt vera. Is enim eſt qui ſub Aniceto cum aduenifſet in Vrbem, multos Marcionitas & Valentinianos conuertit in Eccleſiam Dei. Lectio iij.

ET ſunt qui audierunt eum dicentem, quoniam Ioannes Domini diſcipulus in Epheſo iens lauari, cum vidiſſet intus Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens, Quòd timeat ne balneum concidat, cum intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis. Et ipſe autem Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti ſibi, & dicenti, Cognoſce nos, reſpondit: Cognoſco te primogenitum Satanæ. Eſt autem & epiſtola Polycarpi ad Philippẽſes ſcripta perfectiſſima, ex qua characterem fidei eius, & prædicationem veritatis, qui volunt, & curam habent ſuæ ſalutis poſſunt diſcere.] Fuit Polycarpus diſcipulus Ioannis Euangeliſtæ, & ab eo Smyrnæ Epiſcopus ordinatus, quẽ etiam S. Ignatius in Epiſtolis mirifice laudat. Cùm à Proconſule iuberetur in Chriſtum iactare conuicia: reſpondit: Octoginta ſex annos illi ſeruio, & nihil me læſit vnquam, quomodo Regẽ meum poſſum contumelia afficere? Smyrnæ igni traditus, & gladio confoſſus martyrij coronam accepit ſub Marco Aurelio Imperatore.

Die xxvij. Ianuarij.

IN FESTO S. IOANNIS Chryſoſtomi Epiſ. & Confeſſ. Duplex.

Oratio.

ECcleſiam tuam, quæſumus Domine, gratia cæleſtis amplificet: quam beati Ioannis Chryſoſtomi confeſſoris tui atque Pontificis illuſtrare voluiſti glorioſis meritis & doctrinis. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Actis eius à multis integra fide conſcriptis, & ex Rom. Breu. Lect. iv.

IOannes Antiochenus, propter aureum eloquẽtiæ flumen cognomento Chryſoſtomus, à forenſibus & ſæcularibus ſtudijs ad diuinas litteras ſumma cum ingenij & induſtriæ laude ſe contulit. Itaque ſacris initiatus, ac presbyter Antiochenæ Eccleſiæ factus, mortuo Nectario, Arcadij Imperatoris opera, inuitus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præficitur. Quo ſuſcepto paſtorali munere, deprauatos mores, & nobiliorum hominum viuendi licentiam vehementius obiurgare cœpit. Qua ex libertate magnam multorum ſubijt inuidiam. Lectio v.

APud Eudoxiam etiam, quòd eã propter ademptam Theognoſti viduæ vineam reprehẽdiſſet, grauiter offendit. Quare aliquot Epiſcoporum acto Chalcedone conuentu, quo ipſe vocatus ire noluit, quòd nec legitimũ concilium, nec publicum eſſe diceret: nitente in primis ipſa contra Chryſoſtomum

Digitized by Google

ſtomum Eudoxia: eijcitur in exilium: ſed paulo poſt propter eius deſideriũ ſeditione populi facta, admirabili ciuitatis plauſu ab exilio reuocatur. Verum cum perditos mores increpare non deſiſteret, & ad argenteam Eudoxiæ ſtatuam in foro ſanctæ Sophiæ ludos fieri prohiberet: conſpiratione inimicorum Epiſcoporum iterum exulare cogitur, viduis & egentibus omnibus communis parentis eiectionem lugentibus.

Lectio vi.

IN exilio Chryſoſtomus incredibile eſt, & quanta mala perpeſſus ſit, & quàm multos ad Ieſu Chriſti fidem conuerterit. Verum cum decreto Innocentij primi Pontificis cuncta aduerſus Chryſoſtomũ perpetrata damnarentur: mutando exilia, à militibus qui eum cuſtodiebant, miris in itinere malis & calamitatibus afficitur. Cum per Armeniam duceretur, S. Baſiliſcus martyr, in cuius templo orauerat, noctu ſic eum affatus eſt: Ioannes frater, craſtinus dies nos loco coniũget. Quare poſtridie ſumpto Euchariſtiæ Sacramento, ſeque crucis ſigno muniẽs, animam Deo reddidit, decimo octauo Kalendas Octobris. Quo mortuo, horribilis grando Conſtantinopoli cecidit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vii.

EIus corpus inſigni pompa & hominum multitudine celebratum, magniſque miraculis clarum, Theodoſius Arcadij filius Conſtantinopolim portandum, & honorifice ſepeliendum curauit, ſexto Kalendas Februarij. Multitudinem, pietatem, ac ſplendorem concionum, ceterorumque eius ſcriptorum, interpretandi etiam rationem, & inhærentem ſententiæ ſacrorum librorum explanationem, omnes admirantur: dignumque exiſtimant, cui Paulus Apoſtolus, quem ille mirifice coluit, ſcribenti & prædicanti multa dictaſſe videatur. Lucubranti enim illi, ac in Epiſtolas Pauli Commentaria meditanti, idem ſanctus Apoſtolus viſus eſt ſæpius adſtare veneranda ſenis ſpecie, barba denſa prolixaque, ac inſignis caluitie, quædam quaſi in aurem obmurmurans.

Lectio viij.

FErunt quoque Chryſoſtomum diuinas Scripturas veteris ac noui Teſtamenti ab ipſo principio vſque ad finem Græco ſermone declaraſſe. De quo etiam in Prato apud Sophronium hæc leguntur: Iuſte & digniſſime Ioannes pro puritate doctrinæ, & ſplendore venuſtiſſimi eloquij Chryſoſtomus cognominatus eſt: qui ex quo ſalutare baptiſmum accepiſſet, numquam omnino iurauit, neque aliquem iurare compulit, neque mentitus eſt, neque alicui vmquam maledixit, neque ſcurrilia locutus eſt, nec iocos admiſit.]

Lectio ix.

ILlud quoque mirabile de Chryſoſtomo S. Nilus ad Anaſtaſium hiſce verbis refert: Ioannes Sacerdos admirandus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, immo vero totius Orbis ſplendor, vir animi perſpicacis, omni fere tem-

tempore videbat Domum Domini refertam Angelorum cœtu, & tunc in primis, cum diuinum & incruentum ſacrificium offerebatur: quo quidem tempore, ſtupore & lætitia plenus, rem præcipuis amicis ſpiritualibus priuatim enarrauit. Cum cœpiſſet, inquit, Sacerdos ſanctum ſacrificiũ ſeu oblationem facere, plurimæ ſtatim ex illis Virtutibus è cælo deſcendentes, ſtolis indutæ ſplendidiſſimis, nudis pedibus, intentis oculis pronæ altari, magno cum ſilentio ac reuerentia, quoad venerandum illud myſterium expletum fuit, circumſteterunt. Deinde huc illuc ſingulæ per totam Domum diffuſæ, Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis diſtributionem corporis, & pretioſi ſanguinis miniſtrantibus adhæſerunt, ſatagentes, & ſedulo adiuuantes.]

Die xxviij. Ianuarij.

IN FESTO S. AGNETIS. ſecundo. Tres Lectiones.

Oratio.

DEus, qui nos annua beatæ Agnetis virginis & martyris tuæ ſolemnitate lætificas: da quæſumus, vt quam veneramur officio, etiam piæ conuerſationis ſequamur exemplo. Per Dominum.

Ex re geſta apud S. Ambroſium Lib. 4. Epiſt. 34. & ex Rom. Breu.

Lectio iij.

BEata Agnes, parentibus ad eius ſepulchrum aſſidue vigilantibus, quadam nocte choro virginum comitata cum apparuiſſet, ſic ad eos locuta dicitur: Ne me parentes mortuam lugeatis: nam vnà cum his virginibus viuo apud illum in cælis, quem in terris tota mente dilexi. Cum aliquot poſt annos Conſtantia, Conſtantini Imperatoris filia, inſanabili vlceri medicinã quærens, nondum Chriſtiana ad idem ſepulchrum acceſſiſſet: obdormiſcens ſibi audire viſa eſt vocem hanc Agnetis: Conſtanter age Conſtantia: crede in Ieſum Chriſtum Filium Dei, qui te ſanam faciet. Quæ ſanata, paulo poſt vnà cum multis ex familia Imperatoris baptiſmum ſuſcipiens, ibi Eccleſiã nomine beatæ Agnetis ædificauit.

Die xxix. Ianuarij.

IN FESTO S. PAVLI primi Eremitæ. Tres Lectiones.

Oratio.

DEus, qui nos beati Pauli confeſſoris tui annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum.

Ex Actis eius à S. Hieronymo conſcriptis, & ex Romano Breuiario.

Lectio ij.

PAulus, Eremitarum auctor & magiſter, apud inferiorem Thebaidem natus, cum quindecim eſſet annorum orbatus parentibus eſt: qui poſtea declinandæ cauſa perſecutionis Decij & Valeriani, & Deo liberius inſeruiendi in eremi ſpeluncam ſe contulit: vbi palma ei victum & veſtitum præbente, vixit ad centeſimum & decimum tertium annum, quo tempore ab Antonio nonagenario Dei admonitu inui-

inuiſitur. Quibus inter ſe, cum antea non noſſent, proprio nomine conſalutantibus, & multa de regno Dei colloquentibus, coruus leuiter ſubuolãs, integrum panem ante mirantium ora depoſuit. Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium miſit, vere pius, vere miſericors. Sexaginta iam anni ſunt, cum accipio quotidie dimidij panis fragmentum, nunc ad aduentum tuũ, militibus ſuis Chriſtus duplicauit annonam.

Lectio iij.

DIluculo Paulus de morte, quæ ſibi inſtaret, admonẽs Antonium hortatur, vt pallium, quod ab Athanaſio acceperat, ad inuoluendum ſuum corpus afferret. Quo ex itinere rediẽs ille, vidit inter Angelorum choros, inter Prophetarum & Apoſtolorum cœtus Pauli animam ad cælum aſcendere. Cumque ad eius cellam perueniſſet, nec ſarculum quo terram foderet ad corpus ſepeliendum haberet: duo leones ex interiore eremo affuerunt, qui certatim terram pedibus effodientes, foueam quæ hominem commode caperet, effecerunt. In quam Antonius ſanctum corpus intulit: & iniecta humo tumulum ex Chriſtiano more cõpoſuit: tunicam vero Pauli ex palmarum folijs contextam ſecum auferens, eo veſtitu diebus ſolemnibus Paſchæ & Pentecoſtes, quoad vixit, vſus eſt.

Die xxxi. Ianuarij.

IN FESTO S. IVLIANI

Epiſc. & Conf. Tres Lect. Oratio.

EXaudi quæſumus Domine preces noſtras, quas in beati Iuliani confeſſoris tui atque Pontificis ſolemnitate deferimus: vt qui tibi digne meruit famulari, eius intercedentibus meritis, ab omnibus nos abſoluas peccatis. Per Dominum.

Ex Romano Martyrologio, & Hom. 59. S. Maximi Epiſcopi. qua eſt 2. de S. Euſebio Vercellenſi.

Lectio iij.

IVlianus primus Cenomanenſium Epiſcopus fuit, quem ſanctus Petrus Apoſtolus illuc ad prædicandum Euangeliũ miſit. Sed ad ſancti ac beatiſſimi patris noſtri Iuliani, cuius hodie feſta celebramus, laudes addidiſſe aliquid, decerpſiſſe eſt: ſiquidem virtutũ eius gratia non ſermonibus exponenda eſt, ſed operibus comprobanda. Cũ enim dicat Scriptura diuina: Gloria patris eſt filius ſapiens: quantæ huius ſunt gloriæ, qui tantorum filiorum ſapientia & deuotione lætatur? In Chriſto enim Ieſu per Euangelium ipſe nos genuit.

FESTA FEBRVARII.

Die j. Februarij.

IN FESTO S. IGNATII

Epiſcopi & marty. Duplex.

Oratio.

DA quæſumus omnipotens Deus: vt qui beati Ignatij martyris tui atque Pontificis ſolemnia colimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

Ex ſinceris Actis apud Metaphraſtem, & ex S. Hieron. de Scrip. Eccleſiaſtic. S. Chryſ. Ser. de S. Ignatio tom. 5. & alijs.

Lectio

Lectio iv.

IGnatius, diſcipulus Ioannis Euangeliſtæ, Antiochenæ Eccleſiæ tertius poſt Petrum Apoſtolum Epiſcopus, commouente perſecutionem Traiano, damnatus ad beſtias Romam vinctus mittitur. In itinere poſitus, plures ad diuerſas Eccleſias Apoſtolico ſpiritu plenas ſcripſit epiſtolas, quas omnes S. Polycarpus eius ſodalis Smyrnenſis Epiſcopus collegit: & hodie tamquam aureum plane Apoſtolicarũ traditionum promptuarium, integræ conſeruantur. In ea quam ad Romanos miſit, nobile Romanæ Eccleſiæ defert teſtimonium: ipſam appellans ſanctificatam, illuminatam, Deo dignam, caſtiſſimam, beatificandam, Spiritu ſancto plenam.

Lectio v.

RVrſus in eadem Epiſtola de ſuis vinculis hæc ait: A Syria Romã vſque terra marique cum beſtijs depugno, noctu diuque alligatus decem leopardis, quæ eſt militaris cuſtodia, qui & beneficio affecti peiores fiunt. At ego eorum iniurijs magis erudior. Sinite me ferarum eſcã fieri, per quas licebit Deum adipiſci. Frumentũ ſum Dei: dentibus ferarum molar, vt mundus Dei panis inueniar. Fruar beſtijs mihi paratis, quas opto truculentiores mihi inueniri: quas & blãdicijs demulcebo, vt crudelius me deuorent: non vt quoſdam metuentes non attigerunt. Et illæ ſi ſponte nolint, ego illas vi adigam. Ignoſcite mihi: quid mihi vtile ſit, ego noui.

Lectio vj.

NVnc incipio diſcipulus Chriſti eſſe, cum nihil expetam aut viſibilium aut inuiſibilium, vt Ieſum Chriſtum aſſequar. Ignes, cruces, ferarum concurſus, ſectiones, laniena, oſſium diſcerptiones, membrorum conciſiones, totius corporis ſolutio, diaboli tormenta in me veniant: tantummodo vt Chriſtum nanciſcar. Nihil me iuuabunt fines mundi, nec regna huius ſæculi. Melius eſt mihi emori propter Ieſum Chriſtum, quàm imperare finibus terræ.] Romam igitur adductus: Neque, inquit S. Chryſoſtomus, vt extra muros in barathro, aut in carcere, aut in angulo aliquo occideretur, damnatus eſt: ſed in medio theatro, vniuerſa ciuitate ſeorſum conſidente & ſpectante, beſtijs in ipſum immiſſis & concitatis, martyrium pertulit: vt ſub omnium oculis aduerſus diabolum trophæum erigeret.]

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

CVm ergo vniuerſa ciuitas ſederet in theatro, cum ardenti ſpiritu & oculis iam ſpectaculum amantibus, vtpote cum iam fama vbique annunciaſſet, Syriæ Epiſcopum cum feris eſſe pugnaturum: conuerſus ille ad populum, quodam generoſo & inflexibili animo: Viri, inquit, Romani, & præſentes huius certaminis ſpectatores, non hæc mihi fiunt, vt luam pœnas alicuius maleficij, ſed vt Deum aſſequar, cuius quidem teneor deſiderio, & quem cupio inſatiabiliter.

Digitized by Google

Lectio viij.

ET cum rugientes audiret leones, ardore patiendi ait: Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inueniar. Celebrauit hoc tanti Martyris dictum & S. Irenæus: Quemadmodum, inquit, quidam de noſtris dixit, propter martyrium in Deum adiudicatus ad beſtias: Quoniam frumentum ſum Chriſti, & per dentes beſtiarum molor, vt mundus panis Dei inueniar.] Dimiſſi ergo leones, eum ſtatim lacerauerunt & deuorauerunt, à ſolis aſperioribus illius oſſibus abſtinentes: & reuera impletis votis, vt beſtiæ eſſent eius ſepulchrum.

Lectio ix.

PAſſus eſt anno vndecimo Traiani. Reliquiæ corporis eius Antiochiam ſumma cum pompa ſunt delatæ, & poſitæ in cœmeterio extra portam Daphniticam: quas innumeris coruſcaſſe miraculis S. Chryſoſtomus refert. Quiſquis enim, inquit, cum fide ad illum accedit, magnis afficitur beneficijs. Sanctorum enim non modo corpora, ſed ipſi loculi, & monumenta ſpirituali gratia cõferta ſunt.] S. Dionyſius Areopagita libro de Diuinis nominibus, ipſum, Diuinum Ignatium appellauit.

Die ij. Februarij.

IN PVRIFICATIONE B. Mariæ Virg. Totum Duplex. Ad Veſper. ſuper Pſal. Aña. O admirabile commercium, creator generis humani, animatum corpus ſumens, de Virgine naſci dignatus eſt: & procedens homo ſine ſemine, largitus eſt nobis ſuã Deitatem! Pſal. Laudate pueri. cum ceteris. Capitulum. Malach. 3.

ECce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciẽ meã: & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis. ℟. Gaude Maria. ix. Et poſt Gloria patri. dicatur ſtatim ſine reſumptione ℟. Proſa ſequens.

INuiolata, intacta, & caſta es Maria.

Quæ es effecta fulgida cæli porta.

O mater alma Chriſti chariſſima!

Suſcipe pia laudum præconia.

Noſtra vt pura pectora ſint, & corpora.

Te nũc flagitãt deuota corda, & ora,

Tua per precata dulciſona,

Nobis concedas veniãm per ſæcula.

O benigna, quæ ſola inuiolata permanſiſti!

Hymnus.

AVe maris ſtella,
Dei mater alma,
Atque ſemper Virgo,
Felix cæli porta:

Sumens illud Aue,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Euæ.

Solue vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.

Monſtra te eſſe matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus,

Tulit

Digitized by Google

Tulit eſſe tuus.
Virgo ſingularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis ſolutos,
Mites fac & caſtos.
Vitam præſta puram,
Iter para tutum,
Vt videntes Ieſum,
Semper collætemur,
Sit laus Deo Patri,
Summo Chriſto decus,
Spiritui ſancto,
Tribus honor vnus. Amen.

℣. Reſponſum accepit Simeon à Spiritu ſancto. ℟. Non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cum inducerent puerum Ieſum parẽtes eius, accepit eum Simeon in vlnas ſuas, & benedixit Deum, dicens: Nũc dimittis Domine ſeruum tuum in pace.

Oratio.

Omnipotẽs ſempiterne Deus, maieſtatem tuam ſupplices exoramus: vt ſicut vnigenitus Filius tuus hodierna die cum noſtræ carnis ſubſtantia in templo eſt præſentatus: ita nos facias purificatis tibi mentibus præſentari, Per eundem Dominum.

Ad Complet. ſuper Pſal. Aña. **Sancta Dei genitrix virgo ſemper Maria, intercede pro nobis ad Dominum Deũ noſtrum.** Ad Nunc dimittis, Antiph. **Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.**

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Ecce venit ad templum ſanctum ſuum Dominator Dominus: Gaude & lætare Sion, occurrens Deo tuo.

Hymnus.

**Qvem terra, pontus, æthera
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam regentem machinam
Clauſtrum Mariæ baiulat.
Cui luna, ſol, & omnia
Deſeruiunt per tempora,
Perfuſa cæli gratia,
Geſtant puellæ viſcera.
Beata mater munere
Cuius ſupernus artifex
Mundum pugillo continens,
Ventris ſub arca clauſus eſt.
Beata cæli nuncio.
Fecunda ſancto Spiritu:
Deſideratus Gentibus
Cuius per aluum fuſus eſt.
Maria mater gratiæ,
Mater miſericordiæ,
Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.**

Prædicti ℣℣. **Maria. & Gloria &c.** dicantur ad omnes Hymnus, eiuſdem metri, quandocumque agitur de B. Virgine.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Aña. **Benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui.** Pſal. **Domine Dominus noſter. 4.** Aña. **Sicut myrrha electa odorem dediſti ſuauitatis, ſancta Dei genitrix.** Pſalm. **Cæli enarrant. 11.** Aña. **Poſt partum Virgo**

inuiolata permanſiſti, Dei genitrix intercede pro nobis. Pſalm. Domini eſt terra. 15. ℣. Sancta Dei Genitrix virgo ſemper Maria. ℟. Intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum.

De Libro Exodi. Lect. j. C. 13

LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluã in filijs Iſrael, tã de hominibus, quàm de iumentis: mea ſunt enim omnia. Et ait Moyſes ad populum: Cum introduxerit te Dominus in terrã Chananæi, ſicut iurauit tibi & patribus tuis, & dederit tibi eã: ſeparabis omne quod aperit vuluam Domino, & quod primitiuum eſt in pecoribus tuis: quidquid habueris maſculini ſexus, conſecrabis Domino. Primogenitum aſini mutabis oue. Quod ſi non redemeris, interficies. Omne autem primogenitũ hominis de filijs tuis pretio redimes. ℟. Adorna thalamum tuum Sion, & ſuſcipe Regem Chriſtum: Quem virgo concepit, virgo peperit, virgo poſt partum, quẽ genuit, adorauit. ℣. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum. Quem virgo.

De Libro Leuitici. Lect. ij. C. 12.

LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos: Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, iuxta dies ſeparationis mẽſtruæ. Et die octauo circumcidetur infantulus: ipſa vero triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis ſuæ. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menſtrui; & ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. ℟. Poſtquã impleti ſunt dies purgationis Mariæ, ſecundum legem Moyſi, tulerunt Ieſum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino: Sicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur. ℣. Obtulerunt pro eo, Domino par turturum, aut duos pullos columbarum. Sicut.

Lectio iij.

CVmque expleti fuerint dies purificationis ſuæ, pro alio, ſiue pro filia, deferet agnum anniculum in holocauſtum, & pullum columbæ ſiue turturem pro peccato, ad oſtium tabernaculi teſtimonij, & tradet ſacerdoti, qui offeret illa coram Domino: & orabit pro ea, & ſic mundabitur à profluuio ſanguinis ſui. Iſta eſt lex parientis maſculum, aut feminam. Quòd ſi non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnũ: ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum in holocauſtum, & alterum pro peccato: orabitque pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur. ℟. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum, Sicut ſcriptum eſt in lege Domini. ℣. Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ, ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſa-

ruſalem. Sicut. Gloria. In lege.

I N I I. N O C T V R N O.

Antiph. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Pſal. Eructauit. 30. Aña. Fons hortorum, puteus aquarum viuentiũ, quæ fluunt impetu de Libano. Pſalm. Deus noſter refugium. 30. Aña. Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum. Pſalm. Fundamenta. 57. ℣. Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti. ℟. Dei genitrix intercede pro nobis.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 13. de Temp, cap. 3.

Lectio iv.

SIc olim prædictũ eſt: Mater Sion dicet, homo & homo factus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus. O omnipotentia naſcentis, ò magnificentia de cælo ad terram deſcendentis! Adhuc in vtero portabatur, & ex vtero matris à Ioanne Baptiſta ſalutabatur: in templo præſentabatur, & à Simeone ſene annoſo, probato, coronato agnoſcebatur. Tunc cognouit, tunc adorauit, tunc dixit: Nunc Domine, dimittis ſeruum tuũ in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuũ. ℟. Simeon iuſtus & timoratus expectabat redemptionem Iſrael: Et Spiritus ſanctus erat in eo. ℣. Reſponſũ accepit Simeon à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtũ Domini. Et Spiritus. Lectio vi.

DIfferebatur exire de ſæculo, vt videret natum, per quem conditum eſt ſæculum. Agnouit infantem ſenex, factus eſt in puero puer, innouatus in ætate, qui plenus erat pietate. Simeon ſenex ferebat Chriſtũ infantẽ, Chriſtus regebat Simeonis ſenectutẽ. Dictum ei fuerat à Domino, quòd non guſtaret mortem, niſi videret Chriſtum Domini natum: natus eſt Chriſtus, & impletum eſt deſiderium ſenis in mundi ipſius ſenectute. Ipſe ad ſenem hominem venit, qui mundum inueteratum inuenit. ℟. Reſponſum accepit Simeon à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum in pace: quia viderũt oculi mei ſalutare tuum, Domine. ℣. Cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, accepit eum Simeon in vlnas ſuas, & dixit. Nunc. Lectio vj.

IN iſto quidem ſæculo diu eſſe nolebat, & Chriſtum in hoc ſæculo videre cupiebat, cantans cum Propheta, & dicens: Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. Denique, vt noueritis ita eſſe iſtius lætitiã, cõcluſit, dicens: Nũc dimittis Domine ſeruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Prophetæ cecinerunt, conditorem cæli & terræ cũ hominibus in terra futurũ: Angelus nũciauit, creatorẽ carnis & ſpiritus in carne venturũ: ſalutauit Ioannes ex vtero in vtero Saluatorẽ: Simeõ ſenex Deũ agnouit infantẽ. ℟. Cũ inducerẽt puerũ Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundum conſuetudinẽ legis pro eo, accepit eũ

Simeon in vlnas ſuas, & benedixit Deum,& dixit: Nunc dimittis Domine ſeruum tuum in pace. ℣. Suſcipiẽs Simeon puerum in manibus,exclamauit, dicens. Nunc dimittis. Gloria. Nunc dimittis.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Pſal. Cantate. j. 63 Aña. Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meũ cum lacte meo. Pſal. Dominus regnauit,exultet. 63. Aña. Talis eſt dilectus meus,& ipſe eſt amicus meus filiæ Ieruſalem. Pſal. Cantate. ij. 64. ℣. Speciosa facta es,& ſuauis. ℟. In delicijs tuis ſancta Dei genitrix.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 2.

IN illo tempore: Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ, ſecundum legem Moyſi, tulerunt Ieſum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 2. in Luc. cap. 2.

ET ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus & timoratus,expectans conſolationem Iſrael. Non ſolum ab Angelis,& Prophetis,& paſtoribus, ſed etiã à ſenioribus & iuſtis generatio Domini accipit teſtimonium. Omnis ætas, & vterque ſexus, euentorumque miracula fidem adſtruunt. Virgo generat,ſterilis parit,mutus loquitur, Eliſabeth prophetat, Magus adorat, vtero clauſus Ioannes exultat, vidua confitetur, iuſtus expectat. ℟. Suſcipiens Ieſum in vlnas ſuas Simeon, exclamauit,& dixit: Tu es vere lumen ad illuminationem Gentium,& gloriam plebis tuæ Iſrael. ℣. Simeon in manibus infantem accepit, ſed maieſtatem intus agnouit,& dixit. Tu.

Lectio viij.

ET bene iuſtus,qui non ſuam,ſed populi gratiã requirebat, cupiẽs ipſe corporeæ vinculis fragilitatis exolui,ſed expectans videre promiſſum: ſciebat enim quia beati oculi qui eum viderent. Et accepit eum in manibus ſuis,& benedixit Deum,& dixit: Nũc Domine dimitte ſeruum tuum in pace. Vide iuſtum, velut corporeæ carcere molis incluſum,velle diſſolui, vt incipiat eſſe cum Chriſto. Diſſolui enim, & eſſe cum Chriſto, multo melius eſt. ℟. Senex puerum portabat,puer autẽ ſenem regebat: Quem virgo concepit,virgo peperit, virgo poſt partum, quem genuit,adorauit. ℣. Reſponſum accepit Simeon à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem,niſi videret Chriſtum Domini. Quem. Lectio ix.

SEd qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in Ieruſalem, expectet Chriſtum Domini, accipiat in manibus Verbum Dei, complectatur velut quibuſdam fidei ſuæ brachijs: tunc dimittetur, vt non videat mortem, qui viderit vitam. Vides vberem in omnes gratiam, Dñi generatione diffuſam, & prophetiam incredulis eſſe negatam, non

non iuſtis. Ecce & Simeon prophetat, in ruinam & reſurrectionem multorũ veniſſe Dominum Ieſum Chriſtum. ℟. Gaude Maria virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti, quæ Gabrielis Archangeli dictis credidiſti, Dum virgo Deum & hominem genuiſti: Et poſt partum virgo inuiolata permãſiſti. ℣. Gabrielem Archangelum ſcimus diuinitus te eſſe affatum: vterum tuum de Spiritu ſancto credimus impregnatum: erubeſcat Iudæus infelix, qui dicit Chriſtum ex Ioſeph ſemine eſſe natum. Dum virgo. Gloria Patri. Et poſt partum. ℣. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

IN LAVDIBVS, Aña. Simeon iuſtus & timoratus expectabat redemptionẽ Iſrael, & Spiritus ſanctus erat in eo. Pſal. Dominus regnauit. cum reliquis. Aña. Reſponſum accepit Simeon à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Dominum. Aña. Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum. Aña. Obtulerunt pro eo Domino par turturũ, aut duos pullos columbarum. Aña. Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Capit. Ecce ego.

Hymnus.

O Glorioſa Domina,
Excelſa ſupra ſidera:
Qui te creauit prouide
Lactaſti ſacro vbere.
Quod Eua triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent vt aſtra flebiles,
Cæli feneſtra facta es.
Tu Regis alti ianua,
Et porta lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.
Maria mater gratiæ &c.
Gloria tibi Domine, &c.

℣. Elegit eam Deus, & prælegit eã. ℟. Et habitare eam facit in tabernaculo ſuo. Ad Benedictus, Antiphona. Senex puerum portabat, puer autem ſenem regebat: quem virgo peperit, & poſt partum virgo permanſit, ipſum quem genuit, adorauit. Ad Primã. ℟. Ieſu Chriſte. ℣. Qui natus es de Virgine Maria. Iſte ℣. dicatur in omnibus ſolemnitatibus B. Virginis, & per Oct. quando de ipſis agitur, & in Sabbatis, quando de ipſa agitur. Ad Tertiam, Capit. Ecce ego. ℟. Sancta Dei genitrix, virgo ſemper Maria, Allel. allelu. Sancta. ℣. Intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum. Allelu. Gloria Patri. Sancta. ℣. Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti. ℟. Dei genitrix intercede pro nobis.

Ad Sextam, Capitulum. *Mal. 3.*

Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonũ: & ſedebit conflans, & emundãs argentum: & purgabit filios Leui. ℟. Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti, Allel. allel. Poſt partum. ℣. Dei genitrix intercede pro nobis. Alleluia. Gloria Patri. Poſt partum. ℣. Specioſa facta es, & ſuauis. ℟. In delicijs tuis ſancta Dei genitrix.

Digitized by Google

Nonam Capitulum. *Mal. 3.*

IT colabit eos quaſi aurū, & quaſi argentum: & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia. ℟. Speciosa facta es, & ſuauis, Alleluia, alleluia. Speciosa. ℣. In delicijs tuis Sancta Dei genitrix. Alleluia. Gloria Patri. Speciosa. ℣. Elegit eam Deus, & prælegit eam. ℟. Et habitare eam facit in tabernaculo ſuo. Infra Septua. non dicantur ℟℟. Horarum cum Alleluia. Ad Veſp. ſuper Pſalm. Aña. Simeon. Pſalm. Dixit Dominus. 75. Laudate pueri. 76. Lætatus ſum. 86. Niſi Dominus. 88. Lauda Ieruſalem Dominum. 97.

Prædicti Pſalmi dicantur in ij. Veſper. in omnibus feſtiuitatibus B. Mariæ. Cap. Hymn. ℣. vt in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Hodie beata Virgo Maria puerum Ieſum præſentauit in templo: & Simeon repletus Spiritu ſancto accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum.

Die iij. Februarij.

IN FESTO S. BLASII

Epiſcopi & Martyris. Simplex.

Oratio.

DA quæſumus omnipotēs Deus: vt qui beati Blaſij martyris tui atque Pontificis ſolemnia colimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Actis apud Metaphraſtem, & ex Rom. Breu. Lectio iv.

BLaſius, Sebaſte in Armenia cum virtutum laude floreret, eiuſdem ciuitatis Epiſcopus eligitur. In primis autem mira manſuetudine pollebat. Qui quo tempore Diocletianus inſatiabilem crudelitatem in Chriſtianos exercebat, ſe in ſpeluncā abdidit montis Argæi: vbi orationibus & meditationibus aſſiduę vacabat. Feræ ſilueſtres ad eum confluebāt, nec prius inde abibant quàm accepta ab ipſo benedictione. Ibi tamdiu latuit, dum ab Agricolai Præfecti militibus venantibus debrehenſus, & ad Præfectum ductus, eius iuſſu coniectus eſt in vincula. Nocte, quæ diem præceſſit quo captus eſt, apparuit illi Chriſtus Dominus, dicens: Surge offer mihi ſacrificia pro more tui ſacerdotij. Lect. v.

IN carcere poſitus multos ægrotos ſanauit, qui ad Blaſium, eius fama ſanctitatis adducti, deferebantur. In illis puer fuit, matris vnicus, qui deſperata à medicis ſalute, tranſuerſa ſpina faucibus inhærente, animam agebat. Productus autem ad Præfectum, cum nec blanditijs, nec minis adduci poſſet vt dijs ſacrificaret, primùm virgis agreſtibus diriſſime cæditur, deinde in carcerem ducitur. Vbi pia anus porcellum quem à lupo raptū ſancti Epiſcopi precibus miraculosè illæſum receperat, cum occidiſſet, caput & pedes coctos in caniſtro cum alijs terræ frugibus & cereis, ad recreandum Blaſium detulit. Quibus ille cū gratiarū actione perceptis, mulieri benedixit, ac Dominum precatus eſt, vt quiſquis exemplo officioſæ mulieris, Deo in memoriam Blaſij eiuſmodi res obtuliſſet, benedictionem

ctionem à Domino conſequeretur.

Lectio vj.

ITerum autẽ ſanctus Antiſtes præſidi ſiſtitur, & cum conſtantior in fidei confeſſione maneret, ligno ſuſpenditur, acerrime verberatur, carnes ei ferreis pectinibus dilaniantur, poſtea in lacum demergitur, vnde ſaluus ab Angelo extrahitur: tandem iubente eodem Iudice, vna cum duobus pueris capite truncato illuſtre fidei teſtimonium Chriſto Domino dedit, tertio Nonas Februarij. Ante eum vero ſeptem mulieres quæ guttas ſanguinis eius defluentes, dum torqueretur, colligebant, deprehenſæ quòd eſſent Chriſtianæ, poſt dira tormenta gladio percuſſæ ſunt. In tertio Noct. Homil. ſuper Euang. Si quis vult venire poſt me. In Cõmuni vnius Martyris. vel Lect. In Sancto iſto.

Die v. Februarij.

IN FESTO S. AGATHAE Virg. & mart. Duplex.

Ad Veſp. ſuper Pſal. Aña. Veniẽte. ℟. B. Agatha. lx. Ad Magnificat, Antiphona. Agatha virgo ſacra, nobili orta genere, glorioſam propter Chriſtum pertulit paſſionem.

Oratio.

DEus, qui inter cetera potẽtiæ tuæ miracula, etiam in ſexu fragili victoriã martyrij cõtuliſti: cõcede propitius, vt qui B. Agathæ virginis & martyris tuæ natalitia colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per Dominũ.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Aña. Ingenua ſum, & ſpectabilis genere, vt omnis parentela mea teſtatur Pſal. Domine Dominus. 4. Aña. Ancilla Chriſti ſum, & ideo me oſtendo ſeruilem perſonam. Pſal. Cæli enarrant. 11. Aña. Summa ingenuitas iſta eſt, in qua ſeruitus Chriſti cõprobatur Pſal. Domini eſt. 15. ℣. Diffuſa eſt, &c. Lect. j. Noct. de Apoſtolo Paulo, quæ habentur pro Feſto S. Luciæ. 564.

℟. j. Dum torqueretur B. Agatha in mamilla grauiter, dixit ad iudicẽ: Impie, crudelis, & dire tyranne, non es confuſus amputare in femina, quod ipſe in matre ſuxiſti? ℣. Ego habeo mamillas integras intus in anima mea quas ab infantia Domino conſecraui. Impie. ℟. ij. Vidiſti Domine, & ſpectaſti agonem meũ quomodo pugnaui in ſtadio: ſed quia nolui obedire mãdatis Principum, Iuſſa ſum in mamilla torqueri. ℣. Propter veritatem & mãſuetudinem & iuſtitiam. Iuſſa. ℟. iij. Quis es tu, qui veniſti ad curare vulnera mea? Ego ſum Apoſtolus Chriſti: nihil in me dubites filia: ipſe me miſit ad te, Quem dilexiſti mente & puro corde. ℣. Nam & Apoſtolus eius ſum & in nomine eius ſcias te eſſe ſaluandam. Quem. Gloria. Quem.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. Agatha lætiſsime & glorianter ibat ad carcerem: & quaſi ad epulas inuitata, agonem ſuum Domino precibus commendabat. Pſal. Eructauit. 30. Aña. Si ignem adhibeas, rorẽ mihi ſaluificum de cælo Angeli miniſtrabunt. Pſal. Deus noſter. 30. Aña. Niſi diligenter perfeceris corpus meum à car-

Digitized by Google

à carnificibus attrectari, nõ poteſt anima mea in paradiſum Domini cum palma martyrij introire. Pſalm Fundamenta. 57. ℣ Specie tua &c.

Ex ſinceris Actis eius tum Latinis tum Græcis apud Metaphraſtem, & alios, & ex Romano Breuiario. Lectio iv.

Agatha virgo in Sicilia nobilibus parentibus nata, in perſecutione Decij Imperatoris Catanæ glorioſi martyrij coronam conſecuta eſt. Nam cum pari pulcritudinis & caſtitatis laude commendaretur, Quintianus Siciliæ Prætor, eius amore captus eſt. Sed cum, tentata modis omnibus eius pudicitia, Agatham in ſuam ſententiam perducere non poſſet, Chriſtianæ ſuperſtitionis nomine comprehenſam, Aphrodiſiæ cuidam mulieri deprauandum tradit. Quæ Aphrodiſiæ conſuetudine cum de conſtantia colendæ Chriſtianæ fidei, & ſeruandæ virginitatis remoueri non poſſet: nunciat illa Quintiano, ſe in Agatha operam perdere. ℟ Ipſe me coronauit, qui per Apoſtolum ſuum, in cuſtodia confortauit me: pro eo quòd iuſſa ſum ſuſpendi in equuleo. Propter fidem caſtitatis, Adiuua me Domine Deus meus in tortura mamillarum mearum. ℣ Ipſe me dignatus eſt ab omni plaga curare, & mamillã meam meo pectori reſtituere. Adiuua me. Lectio v.

Qvare ille ad ſe Virginem adduci iubet: &, Nonne, inquit, te pudet nobili genere natam, humilem, & ſeruilem Chriſtianorum vitam agere? Cui Agatha: Multo præſtantior eſt Chriſtiana humilitas, & ſeruitus, regum opibus ac ſuperbia. Quamobrem iratus Prætor hanc ei optionem dat, velitne potius venerari deos, an vim tormentorum ſubire. At illa conſtans in fide, primum colaphis cæſa mittitur in carcerem: vnde poſtridie educta, cum in ſententia permaneret, admotis candentibus laminis in equuleo torquetur: tum ei mamilla abſcinditur. ℟ Agatha lætiſſime & glorianter ibat ad carcerem: & quaſi ad epulas inuitata, Agonem ſuum Domino precibus commendabat. ℣ Nobiliſſimis orta natalibus, ab ignobili gaudens trahebatur ad carcerem. Agonem. Lectio vj.

Qvo in vulnere Quintianum appellans Virgo, Crudelis, inquit, tyranne, non te pudet amputare in femina, quod ipſe in matre ſuxiſti? Sed tamen etiam ſi externam mamillam abſcidiſti, habeo aliam in anima mea, quam non poteris exſcindere, eſt enim oblata Chriſto Deo meo, à tenera ætate. Mox coniecta in vincula, circa mediam noctem, in ſenis ſpecie apparuit ei Apoſtolus Petrus, quem præcedebat puer ferens lampadem in manibus, plurima habens medicamenta: qui & ſe medicũ eſſe dicens, his eam verbis compellat: Cum tibi Prætor mamillam iuſſit abſcindi, ibi aderam, & animaduerti vulnus tuum poſſe ſanari. ℟ Ego autem adiuta à Domino, perſeuerabo in confeſſione eius, Qui me ſaluam fecit, & conſo-

conſolatus eſt me. ℣. Mens mea ſolidata eſt, & in Chriſto fundata. Qui me. Gloria. Qui me.

IN III. NOCTVRNO.

Antiph. Agatha ſancta dixit: Si feras mihi promittis, audito Chriſti nomine manſueſcunt. Pſal. Cantate. i. 63. Aña. Vidiſti Domine agonem meum, quomodo pugnaui in ſtadio: ſed quia nolui obedire mandatis Principum, iuſſa ſum in mamilla torqueri. Pſalm. Dominus regnauit, exultet. 63. Aña. Propter fidem caſtitatis iuſſa ſum ſuſpendi in equuleo: adiuua me Domine Deus meus in tortura mamillarum mearũ. Pſal. Cantate. ij. 64. ℣. Adiuuabit eam Deus, &c. Lectio vij.

Cæterum Agatha reſpondit ad ſenem: Medicinam carnalem corpori meo numquam exhibui, ſed habeo Saluatorem Dominum Ieſum Chriſtum qui curat omnia verbo. Ipſe, ſi velit, poteſt me quoque conſeruare, quæ ſum indigna eius ancilla. Tunc ſenex ſubridens, ait: Ipſe quoque me miſit ad te, & ego Apoſtolus eius ſum. Vide autem te ipſam, quemadmodum ſis curata. Hæc cum dixiſſet, euanuit ab oculis eius. Tunc Agatha procumbẽs in oratione, & gratias Chriſto agens, inuenit ſe omnino ſanatam, & mamillã pectori reſtitutam. Tota vero nocte lux fulſit in carcere, & cuſtodes territi fugerunt, relicto oſtio carceris aperto. ℟. Gaudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes in honore Agathæ virgininis: De cuius paſſione gaudent Angeli, & collaudant Filiũ Dei. ℣. Immaculatus Dominus, immaculatam ſibi famulã, in hoc fragilitatis corpore poſitam miſericorditer conſecrauit. De cuius. Lectio viij.

Ipſa autem cum poſſet, fugere noluit, ne coronã perderet martyrij, & cuſtodes conijceret in periculum. Rurſus euocata à Prætore, & in Chriſti confeſſione perſeuerans, in acutis teſtulis, & candentibus carbonibus ei ſubiectis voluntatur. Quo tẽpore ingenti terræ motu vrbs tota cõtremuit, ac duo parietes corruentes, Siluinum & Falconium intimos Prætoris familiares oppreſſerũt. Quare vehementer cõmota ciuitate, veritus populi tumultum Quintianus, Agathã ſemimortuã clam reduci imperat in carcerem. ℟. Qui me dignatus eſt ab omni plaga curare, & mamillã meam meo pectori reſtituere, Ipſum inuoco Deum viuũ. ℣. Medicinam carnalem corpori meo numquam exhibui, ſed habeo Dominum Ieſum Chriſtũ, qui ſolo ſermone reſtaurat vniuerſa. Ipſum Lectio ix.

Quæ ſic Deum precata: Domine, qui me cuſtodiſti ab infantia, qui abſtuliſti à me amorem ſæculi, qui me carnificum tormẽtis ſuperiorẽ præſtitiſti, accipe animã meam. Ea in oratione migrauit in cælum, Nonis Februarij. Cum autẽ eius corpus à Chriaſtianis ſepeliretur, pulcher quidã adoleſcens ignotus, quem ſequebantur alij centũ iuuenes omnes ſplendidis amicti veſtibus, adfuit, & ad caput ſanctæ Martyris tabellam ex marmo-

marmore poſuit cum hac inſcriptione: Mentem ſanctam, ſpontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationẽ.

℟. Beata Agatha ingreſſa carcerem, expandit manus ſuas ad Deum, & dixit: Domine, qui me feciſti vincere tormenta carnificum, Iube me Domine ad tuam miſericordiam peruenire.

℣. Domine qui me creaſti, & tuliſti à me amorem ſæculi: qui corpus meum à pollutione ſeparaſti. Iube me. Gloria. Iube me.

IN LAVDIBVS, Antiphona.

Qvis es tu, qui veniſti ad me, curare vulnera mea? Ego ſum Apoſtolus Chriſti: nihil in me dubites filia. Pſalm. Dominus regnauit. cum reliquis, Aña. Medicinam carnalem corpori meo numquã exhibui, ſed habeo Dominũ Ieſum Chriſtum, qui ſolo ſermone reſtaurat vniuerſa. Aña. Gratias tibi ago Domine, quia memor es mei, & miſiſti ad me Apoſtolũ tuum, curare vulnera mea.

Aña. Benedico te pater Domini mei Ieſu Chriſti: quia per Apoſtolũ tuum, mamillã meã meo pectori reſtituiſti.

Antiph. Qui me dignatus eſt ab omni plaga curare, & mamillã meã meo pectori reſtituere, ipſum inuoco Deum viuum. Ad Benedictus, Antiphona. Paganorum multitudo fugiens ad ſepulchrum Virginis, tulerunt velum eius contra ignẽ: vt comprobaret Dominus, quòd à periculis incẽdijs meritis Agathę martyris ſuę eos liberaret.

Ad Mem. vel ad Magnif. Antiphona. Mentem ſanctam, ſpontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem.

Die vi. Februarij.

IN FESTO S. DOROTHEAE Virg. & Mart. Duplex. Oratio.

Deus, qui nos annua beatæ Dorotheæ virginis & martyris tuæ ſolemnitate lætificas: da quæſumus, vt quam veneramur officio, etiam piæ conuerſationis ſequamur exẽplo. Per.

Eodem die in Veſp. Mem. SS. Vedaſti & Amandi Confeſſ. Aña. Fulgebunt iuſti, & tamquã ſcintillæ in arundineto diſcurrent: iudicabunt nationes, & regnabunt in æternum. ℣. Lætamini &c. Oratio.

Deus, qui nos ſanctorum confeſſorum Vedaſti & Amandi confeſſionibus glorioſis circumdas & protegis: da nobis, eorum imitatione proficere, & interceſſione gaudere. Per.

Poſt Cineres. Lect. j. Noctur. vt in die ſancti Agnetis. 601.

IN II. NOCTVRNO.

Ex ſinceris Actis. Lectio iv.

Dorothea virgo in Cæſarea Cappadociæ, propter Chriſti confeſſionem, ab Sapricio illius Prouinciæ Præfecto comprehenſa, Chriſtæ & Calliſtæ ſororibus, quæ à fide defecerant, tradita eſt, vt eam à propoſito remouerent. Sed contra factum eſt: nam eas Dorothea ad cultum Chriſtianæ religionis reduxit, propter quã etiam martyrium ſuſceperunt. In cupam enim miſſæ, & incenſæ ſunt. Dorotheam vero iuſſit Præſes in cataſta leuari, quæ dixit ad illum: Numquã in tota vita mea ſic lætata ſũ ſicut hodie.

Lectio v. De Communi Virginum. vel Lect.

TVm Præſes imperat ad eius latera lampades ardentes apponi, dein ex cataſta depoſitæ palmis facies diutiſſime cæditur: ad extremum iubetur gladio percuti. Quæ clara voce dixit: Gratias tibi ago amator animarum, qui me ad Paradiſum tuum vocaſti. Sed cum duceretur ad ſupplicium, Theophilus quidam Præſidis Aduocatus irridens, ait: Eia tu ſpō ſa Chriſti, mitte mihi de Paradiſo ſpō ſi tui mala, aut roſas. Et Dorothea reſpondit: Plane ita faciam. Cum veniſſet ad ictū percuſſoris, rogauit carnificem, vt permitteretur breuiter precari. Abſoluta oratione, pulchra ſpecie puer ante eam apparuit, ferens in orario tria mala & tres roſas. Cui illa ait: Obſecro te, vt feras ea Theophilo. Tunc gladio percuſſa perrexit ad Chriſtum. Lectio vj.

IGitur cum Theophilus irridens promiſſionem ſanctæ Dorotheæ ſodalibus narraret, ecce puer ante eum cum orario, in quo ferens tria mala magnifica, & tres roſas elegantiſſimas, dixit ei: En ſicut petenti promiſit virgo ſacratiſſima Dorothea, tranſmiſit hæc tibi de Paradiſo ſponſi ſui. Tum Theophilus ſtupens, quòd eſſet Februarius & gelu cūcta rigerent, ea accepit, atque exclamauit: Vere Deus Chriſtus eſt. Sicque palam fidem Chriſti profeſſus, ſtrenue quoque pro ea martyrium pertulit. In iij. Noctur. De Homilia ſuper Euangelium. Simile eſt regnum cælorum theſauro.

Cum in toto.

Memoria SS. Vedaſti, & Amandi.

Aña. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs. ℣. Mirabilis Deus. ℟. In ſanctis ſuis. Oratio. vt ſupra.

Die vij. Februarij.

IN FESTO S. ROMVALDI Abbatis. Duplex. Oratio.

INterceſſio nos, quæſumus Domine, beati Romualdi Abbatis commendet: vt quod noſtris meritis nō valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Actis eius à B. Petro Damiano conſcriptis, & ex Rom. Breu. Lectio iv.

ROmualdus Rauennæ ex illuſtriſſima Ducum familia, patre Sergio natus, adoleſcens, quòd conflictui in quo affinis ceciderat, interfuiſſet, pœnitentiæ cauſa in propinquū Monaſterium Claſſenſe S. Apollinaris ſeceſſit: vbi cū quidam religioſus vir ad pietatis ſtudiū & ſæculi contemptū illum hortaretur, hæc poſt varios ſermones adiecit: Si tibi ego B. Apollinarē corporali ſpecie, ita vt eū manifeſte videre poſſis, oſtendero, quid à te præmij reportabo? Cui Romualdus: Fidē, inquit, meā obſtringo, mox vt S. Appollinarem videro, me ſæculo nuncium remiſſurum. Lectio v.

VTerque igitur noctem in Eccleſia vigilijs & orationibus ducūt: & ec-

& ecce circa gallicinium beatus Apollinaris, illis aperte cernentibus, exijt de ſuo altari, quod in medio Eccleſiæ ad honorem B. Virginis Mariæ conſtructum erat. Confeſtim vero tantus ſplendor totam repleuit Eccleſiam, ac ſi ſol fulgoris ſui radios intra ipſos parietes cohiberet. Tunc beatiſſimus Martyr ſacerdotalibus infulis mirabiliter exornatus, aureum in manu portans thuribulum, cuncta Eccleſiæ incenſauit altaria, & hoc facto, ſtatim vnde exierat, redijt: & fulgor euanuit. Exinde Romualdus monachus efficitur.

Lectio vi.

Mox ad Marinum, vitæ ſancti-tate atque aſperitate in finibus Venetorum eo tempore celebrē, ſe contulit, vt ad arctam & ſublimem perfectionis viam eo magiſtro ac duce vteretur. Solebat cum Marino alternis Pſalmos recitare, ſed cum non ſatis expedite legēret, Marinus virga quam gerebat, ſiniſtram capitis eius partem ſæpiſſime verberabat. Poſt multa autem Romualdus graui admodum neceſſitate compulſus, humiliter ait: Magiſter, ſi placet, à dextro me deinceps tempore percute, quia iam læuæ auris auditum funditus perdo. Tum ille tantam eius patientiam admiratus, à ſeuera abſtinuit diſciplina.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

Innumeras à Satana paſſus eſt inſidias. Per continuum ferme quinquennium ſuper pedes eius & crurā diabolus nocturno tempore iacuit, & ne huc illucque ſe facile verteret, typo phantaſtici ponderis aggrauauit. Hominum inuidia oppugnatus, tanto humilior ſe aſſidue ieiunijs & orationibus exercebat, & rerum cæleſtium meditatione, vim lacrymarum aſſidue profundens, fruebatur: vnde factum eſt vt Miſſam nollet coram pluribus celebrare, quia ſe à lacrymarum inundantia continere non poterat. Vultu tamen adeo læto ſemper erat, vt intuentes exhilararet. Septem annos in Sytriæ monte incluſus manſit, & ſilentium continuum inuiolabiliter obſeruauit.

Lectio viij.

Cum aliquando pro monacho inobediente defuncto orationes fieri interdixiſſet, quidam ex fratribus in Eccleſia orans vidit alium fratrem, qui antea perſanctè obierat, librum aureis litteris ſcriptum tenentem, qui ad altare Miſſarum ſacra faceret: illum vero inobedientem, mæſto ac demiſſo vultu à longe ſtantem, & tamquam excommunicatum, ſacris myſterijs appropinquare non auſum: qui & dixerit: Vides frater, librum illum aureum ego quoque haberem, niſi ipſum mihi inobedientia abſtuliſſet. Qua relata viſione iuſſit S. Romualdus pro illo etiam à fratribus preces fundi. Magno apud Principes & Reges in honore fuit: multiq. eius cōſilio, mundi illecebris abiectis ſolitudinem petierunt.

Lectio ix.

Martyrij quoque cupiditate flagrauit. In vita & poſt mortem miraculis clarus, ſpiritu etiam

pro-

prophetico non caruit. Scalam à terra cælum pertingentem, in ſimilitudinē Iacob Patriarchæ, per quam homines in veſte candida aſcendebant, & deſcendebant, per viſum conſpexit, eoq. Camaldulenſes monachos, quorum inſtituti auctor fuit, deſignari mirabiliter agnouit. Denique cum annos centum & viginti ageret, & centum ipſos in ſumma vitæ aſperitate Deo ſeruiſſet, ad eum migrauit anno ſalutis milleſimo vigeſimo ſeptimo. Eius corpus quinquennio poſtquam ſepultum fuit, integrum eſt repertum.

Si hoc Feſtum poſt Cineres incidat, Lect. j. Noctur. vt in Feſto S. Benedicti. 22. Martij. 647.

Die ix. Februarij.

IN FESTO S. APOLLONIAE Virg. & martyr. Tres Lectiones.

Oratio.

Deus, qui nos annua B. Apolloniæ virginis & martyris tuæ ſolennitate lætificas: da quæſumus vt quam veneramur officio, etiam piæ conuerſationis ſequamur exemplo. Per Dominum.

Ex Epiſtola S. Dionyſii Epiſc. Alexandrini ad Fabium Epiſc. Antioch. & ex Rom. Breu. Lectio ij

Apollonia virgo Alexandrina, vno anno ante exortam, Decij perſecutionem Alexādriæ glorioſum pro Chriſto martyrium conſummauit. Cum enim ingraueſcente iam ætate ad idola ſiſteretur, vt eis veneratione adhiberet: illis contemptis, Ieſum Chriſtum verum Deum colendum eſſe prædicabat. Quamobrem omnes ei contuſi ſunt & euulſi dentes: ac niſi Chriſtum deteſtata deos coleret, accenſo rogo, combuſturos viuam minati ſunt impij carnifices.

Lectio iij.

Quibus illa, ſe quamuis mortem pro Ieſu Chriſti fide ſubituram, reſpondit. Itaque comprehenſa vt combureretur, cum pauliſper, quaſi deliberās quid agendum eſſet, ſtetiſſet, ex illorum manibus elapſa, alacris in ignem ſibi paratum, maiori Spiritus ſancti flamma intus accenſa, ſe iniecit. Vnde breui conſumpto corpore, puriſſimus ſpiritus in cælum ad ſempiternam martyrij coronam euolauit.

Die x. Februarij.

IN FESTO S. SCHOLASTICAE Virginis. Tres Lectiones. In Veſp. & Matutin. Hymnus. Huius obtentu. ℟. ℟. iij. Noct. de Cōmuni vnius Virg.

Oratio.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt ſicut de Beatæ Scholaſticæ virginis tuæ feſtiuitate gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum noſtrum.

Ex Libro Dialagorū S. Gregorij Papæ. *Lib. 2. Dialog. cap. 33.* Lectio ij.

Soror ſancti Benedicti Scholaſtica nomine, omnipotenti Domino ab ipſo infantiæ tempore dedicata, ad eum ſemel per annum venire conſueuerat. Ad quam vir Dei, non longe extra ianuam in poſſeſſione monaſterij deſcendebat. Quadam vero die, cum

Digitized by Google

cum inter ſacra colloquia tardior ſe hora protraheret, beata Scholaſtica rogauit fratrem, vt etiam per illam noctem ibi maneret, ad colloquendū de cæleſtis vitæ gaudijs. Quod cum ille negaſſet, ipſa inſertas digitis manus ſuper menſam poſuit, & caput in manibus, Dominum rogatura, declinauit. Lectio iij.

Cvmq. de menſa leuaret caput, tanta conſecrationis & tonitrui virtus, tantaq. inundatio pluuiæ erupit, vt venerabilis Benedictus extra loci limen, quo conſederat, pedem mouere nō potuerit. Sicq. factum eſt, vt totam noctem peruigilem ducerēt, atque per ſacra ſpiritalis vitæ colloquia ſeſe vicaria relatione ſatiarent. Cumq. die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam receſſiſſet, vir Dei ad monaſterium redijt. Cum ecce poſt triduum in cella conſiſtens, eleuatis in aera oculis, vidit eiuſdem ſororis ſuæ animam de corpore egreſſam, in columbæ ſpecie, cæli ſecreta penetrare. Qui protinus fratres miſit, vt eius corpus ad monaſterium deferrent, atque in ſepulchro quod ſibi parauerat, ponerent.

Die xiiij. Februarij.

IN FESTO S. VALENTINI.

Martyris. Tres Lectiones.

Oratio.

Præſta quæſumus omnipotēs Deus: vt qui beati Valentini martyris tui natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus eius interceſſionibus liberemur. Per Dominum.

Ex ſincerioribus Actis. Lectio iij.

Valentinus Presbyter ob Chriſti fidem à Claudio Imperatore comprehēdi, catenisq. & compedibus vinciri iuſſus, & ab eodem poſt biduū auditus, traditur Calpurnio: qui egit per Aſterium, vt Valentinum ad cultum idolorum reuocaret. Sed cum filia Aſterij cæca à Valentino fuiſſet lumini reſtituta, credidit ipſe, atque vxor eius & tota familia: qui die ſancto Dominico, ab Epiſcopo baptizati ſunt. Valentinus vero poſt multa ſanitatum & doctrinæ inſignia, poſt longum carcerem, fuſtibus cæſus, & decollatus eſt via Flaminia, decimo ſexto Kalendas Martij.

Die xxij. Februarij.

IN CATHEDRA S. PETRI.

Duplex. Omnia fiant de Communi vnius Confeſſoris, præter hic poſita.

Hymnus.

Iam bone paſtor Petre, clemens accipe
Vota precantum, & peccati vincula
Reſolue, tibi poteſtate tradita,
Qua cunctis cælum verbo claudis, aperis.
Sit Trinitati ſempiterna gloria,
Honor, poteſtas, atque iubilatio
In vnitate, cui manet imperium
Ex tunc & modo per æterna ſæcula.
Amen.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Ad Magnificat, Ant. Tu es paſtor ouium, princeps Apoſtolorum, tibi traditæ ſunt claues regni cælorum.

Ora-

Digitized by Google

Oratio.

DEus, qui beato Petro Apoſtolo tuo, collatis clauibus regni cæleſtis, ligandi atque ſoluendi Pontificium tradidiſti: concede, vt interceſſionis eius auxilio, à peccatorũ noſtrorũ nexibus liberemur. Qui viuis.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Tu es paſtor ouium, princeps Apoſtolorum: Tibi tradidit Deus claues regni cælorum. Hymn. Iam bone.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Incipit Epiſtola prima B. Petri Apoſtoli. Lectio i. C. 1.

PEtrus Apoſtolus Ieſu Chriſti electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ, ſecundum præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti: Gratia vobis, & pax multiplicetur. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiã ſuam magnam, regenerauit nos in ſpem viuã, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis: in hereditatem incorruptibilẽ, & incontaminatam, & immarceſcibilem, conſecutam in cælis in vobis, qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem, paratam reuelari in tempore nouiſſimo. Lectio ij.

IN quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in varijs tentationibus: vt probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro, quod per ignẽ probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in reuelatione Ieſu Chriſti: quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata: reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum. Lectio iij.

DE qua ſalute exquiſierũt atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerũt: ſcrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti, prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt, paſſiones, & poſteriores glorias: quibus reuelatum eſt quia nõ ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos qui euangelizauerunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cælo, in quem deſiderant Angeli proſpicere.

IN II. NOCTVRNO.

De Epiſtola prima beati Petri Apoſtoli. Lectio iv. C. 1.

PRopter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrij perfecte ſperare in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in reuelationem Ieſu Chriſti: quaſi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorãtiæ veſtræ deſiderijs: ſed ſecundum eum, qui vocauit vos, Sanctum: & ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis: quoniam ſcriptum eſt: ſancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum. Lectio v.

ET ſi Patrẽ inuocatis eũ, qui ſine acceptione perſonarum iudicat ſecundũ vniuſcuiuſq. opus, in timore incolatus veſtri tẽpore conuerſamini. Scientes quòd nõ corruptibilibus auro, vel

Digitized by Google

vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis: ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati: præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem nouiſſimis temporibus propter vos, qui per ipſum fideles eſtis in Deo, qui ſuſcitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo. Lectio vi.

Animas veſtras caſtificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde inuicem diligite attentius: renati non ex ſemine corruptibili per verbum Dei viui, & permanentis in æternum: quia omnis caro vt fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit. Verbum autem Domini manet in æternum. Hoc eſt autem verbum, quod euangelizatum eſt in vos.

IN III. NOCTVRNO.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 15. de Sanctis. Lectio vii.

Inſtitutio ſolemnitatis hodiernæ à ſenioribus noſtris Cathedræ nomen accepit, ideo quòd primus Apoſtolorum Petrus hodie Epiſcopatus cathedram ſuſcepiſſe referatur. Rectè igitur Eccleſiæ natalem ſedis illius colunt, quam Apoſtolus pro Eccleſiarũ ſalute ſuſcepit, dicẽte Domino: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Lectio viij.

Petrũ itaq. fundamentũ Eccleſiæ Dominus nominauit: & ideo digne fundamentũ hoc Eccleſia colit, ſupra quod Eccleſiaſtici ædificij altitudo cõſurgit. Vnde cõuenienter Pſalmus qui lectus eſt, dicit: Exaltent eum in Eccleſia plebis, & in cathedra ſeniorũ laudent eum. Benedictus Deus, qui exaltari in Eccleſia hoc præcepit: quia dignum eſt vt fundamentum hoc in Eccleſia honoretur, per quod ad cælum aſcenditur. Lectio ix.

Quòd natalis ergo Cathedræ hodie colitur, ſacerdotale honoratur officiũ. Sibi hoc Eccleſiæ inuicẽ præſtant, quia tãto neceſſe plus habet Eccleſia dignitatis, quanto ſacerdotale officiũ, plus honoris. Cum ſolemnitatẽ hanc Eccleſijs merito religioſa obſeruatio introduxerit, miror, cur apud quoſdã infideles hodie tam pernicioſus error increuerit, vt ſuper tumulos defunctorũ cibos & vina conferãt, quaſi egreſſæ de corporibus animæ carnales cibos requirãt. ℟. Quodcumq. ligaueris ſuper terrã, erit ligatũ & in cælis, Et quodcumq. ſolueris ſuper terrã, erit ſolutũ & in cælis. ℣. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam. Et quodcumq. Gloria. In cælis. ℟. Quodcumque. ℣ ante Laudes. Exaltent eum in Eccleſia plebis. ℟. Et in cathedra ſeniorum laudẽt eum.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terrã, erit ſolutum & in cælis, dixit Dominus Simoni Petro. In ij. Veſper. Hymn. Iam bone

Ad Ma-

Digitized by Google

Ad Magnificat, Antiphona.
Simon Bariona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus: ianitor cæli pulsātibus aperi, ſupra modū omnes peccauimus, dimitte ſeptuagies ſpecies. *Die xxiij. vel xxiv. in anno biſſextili Vigilia S. Matthiæ Apoſtoli.*

Die xxiiij. vel xxv. Feb. anno biſſext.

IN FESTO S. MATTHIAE Apoſtoli. Totum Dup. Oratio.

Deus, qui beatum Matthiā Apoſtolorum tuorum collegio ſociaſti: tribue quæſumus, vt eius interuentione, tuæ circa nos pietatis ſemper viſcera ſentiamus. Per Dominum.

IN PRIMO NOCTVRNO.

De Epiſtola prima B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios. Lectio j. C. 4.

Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & deſpenſatores myſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autē pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die: ſed neque meipsū iudico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me, Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus: qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Lectio ij.

Haec autem, fratres, transfigurai in me & Apollo, propter vos: vt in nobis diſcatis, ne ſupra quàm ſcriptum eſt, vnus aduerſus alterum infletur pro alio. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis: ſine nobis regnatis: & vtinam regnetis, vt & nos vobiſcū regnemus. Lect. iij.

Puto enim quòd Deus nos Apoſtolos nouiſſimos oſtendit, tamquam morti deſtinatos: quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus. Nos ſtulti propter Chriſtum, vos autem prudentes in Chriſto: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur, & obſecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti ſumus omnium peripſema vſque adhuc.

IN II. NOCTVRNO.

Ex vetuſtis Autoribus. Lectio iv.

Matthias, vnus primū è Septuaginta duobus Chriſti Diſcipulis, poſt Aſcenſionē Domini ab Apoſtolis in locum Iudæ proditoris numero duodecim Apoſtolorū ſorte adſcriptus fuit. Eam ſortē fuiſſe quidā diuini & præcipui muneris, per quod illi Choro ſacratiſſimi inſinuaretur, qui eſſet diuina electione declaratus, ſanctus Dionyſius Areopagita teſtatur. Cumq. in Iudæa & in Aethiopia Euangeliū prædicaſſet, ac multos verbo & exemplo Chriſtianæ fidei adiūxiſſet,

tandem martyrij gloriam adeptus, doctrinam ſuam, & Apoſtolicũ decus fuſo pro Chriſto ſanguine cõſecrauit.

Sermo ſancti Ioannis Chryſoſtomi.
In Encomio. 12. Apoſtolorum apud Metaphraſt. menſe Iun. Lectio v.

SEd ò beatum, & præclarum veſtrum, ò Apoſtoli, cœtum! quòd omnia facti eſtis omnibus Dei gratia: non arundine, ſed ſermone greges hominum perite capientes. Vos enim eſtis immobiles columnæ rectæ fidei, ſceptra Eccleſiæ, & huius maxime Paſtoris vigiles defenſores, morbi humanitatis gratuiti medici, & noſtræ ad Deum pœnitentiæ ſuſceptores miſericordes. Cum enim eſſetis veluti quædam animatæ incudes, dum verberamini, eos, qui verberabant, fabricati eſtis ad agnitionem. Lectio vj.

NOn ceſsãt omnes omnibus vbiq. benefacere. Puluerem immortalem reliquerunt in ſepulchris: nunc quidem pij cultores, paulo poſt autẽ ſedentes mundi iudices. Cum huic appropinquaſſet claudus, reuerſus eſt ſanis & integris pedibus. Cum in illum incidiſſet paralyticus, iuſſus eſt ferre grabatum. Alius vocabat mortuos, illi vero ſtatim obtemperarunt. Alterius autem vmbra ſola fugabat morbos. Alterius inuocationẽ exhorrebãt dæmones, & eorũ ſudaria diſtillabant medicinã. IN III. NOCTVR.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C 11.

IN illo tempore: Reſpondens Ieſus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.
Homil. 39. in Matth.

QVod hic, Confiteor, dixit, idẽ valet, quod gratias ago. Non ergo quia ſapientes non cognouerunt, gaudet: ſed quia paruuli perceperunt, lætatur. Ita & Paulus dicit: Gratias ago Deo meo, quoniam fuiſtis ſerui peccati: obediſtis autem ex corde in quam traditi eſtis formã doctrinæ. Non itaque Paulus propterea gaudet, quia erant ſerui peccati: ſed quia cum eſſent huiuſmodi, veritatis cultores facti ſunt. Lect. viij.

PRudentes autem hic Scribas, & Phariſæos appellat: quibus verbis alacriores reddit diſcipulos, cum intelligant illa ſe piſcatores eſſe conſecutos, à quibus illi ſummi, vt videbãtur, viri exciderunt. Cum autem ſapientes dixerit, non illam veram laudabilem ſapientiã intelligit, ſed hanc quæ ſæculari doctrina præſtatur. Idcirco etiam non dixit, Stultis reuelaſti, ſed paruulis: quaſi non formatis adhuc, ſed ſimplicibus. Lectio ix.

ITa oſtendit non indigne illos, ſed iure his rebus fuiſſe priuatos: ac per omnia nos docet flatum ſuperbiæ omnino eſſe fugiendum, ac ſimplicitatem admirandã. Quod Paulus amplioribus verbis ſcribit, dicens: Si quis in vobis videtur in hoc ſæculo ſapiens eſſe, is fiat ſtultus, vt ſapiens efficiatur. Cum autẽ audis, omnia ſibi à Pa-

à Patre tradita, nihil humano more factum ſuſpiceris. Quæ dictio, ne duos ingenitos arbitrari quis poſſit, poſita eſt: Filius enim Dñs omnium naſcitur.

FESTA MARTII. *Die i.*

IN FESTO S. ALBINI Epiſcopi & Confeſſoris.

Tres Lectiones. Oratio.

DA quæſumus omnipotẽs Deus: vt beati Albini confeſſoris tui atque Pontificis veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum.

Ex Fortunato Presbytero. Lectio iij.

ALbinus in Venetica regione Oceano Brittannico cõfini, nobilibus parẽtibus ortus, puerulus adhuc pietatis ſtudio feruens, ad monaſterium Cincillacenſe ſe contulit: vbi adeo virtutibus enituit, vt natus annos triginta quinque Abbas eligeretur: quam præfecturã ſummo probitatis & integritatis exemplo per viginti quinque annos adminiſtrauit. Deinde Andegauenſis Epiſcopus, quamquam inuitus, maximo populi conſenſu creatur. In eo Sacerdotij honore poſitus, totus erat in eleemoſynis pauperum, defenſione ciuium, viſitatione languentium, redemptione captiuorum, & alijs bonis operibus. Tandem cum Epiſcopatũ viginti annos, & ſex menſes rexiſſet, multis clarus miraculis & præſtanti ſanctitate conſpicuus octogenarius migrauit ad Chriſtum. *Die vij. Martij.*

IN FESTO SANCTI Thomæ de Aquino, Ord. Præd. Confeſſ. & Eccleſiæ Doctoris. Totum Duplex. Ad Veſper. ſuper Pſalm. Aña. Felix Thomas Doctor Eccleſiæ, lumẽ mundi, ſplendor Italiæ, candens virgo flore munditiæ, bina gaudet corona gloriæ. Pſal. Laudate pueri. cum ceteris. Capitulum. *Eccl. 45.*

ELegit eũ Dominus ex omni carne: & dedit illi coram præcepta, & legem vitæ & diſciplinæ, docere Iacob teſtamentum ſuum, & iudicia ſua Iſrael. ℟. Seruum geſtans. &c.

Hymnus.

EXultet mentis iubilo,
Laudans turba fidelium,
Errorum pulſo nubilo
Per noui ſolis radium.
Thomas in mundi veſpere
Fudit theſauros gratiæ,
Donis plenus ex æthere
Morum, & ſapientiæ.
De cuius fonte luminis
Verbi coruſcant faculæ,
Scripturæ ſacræ numinis,
Et veritatis regulæ.
Fulgens doctrinæ radijs,
Clarus vitæ munditia,
Splendens miris prodigijs,
Dat toti mundo gaudia.
Laus Patri ſit, ac Genito,
Simulque ſancto Flamini,
Qui ſancti Thomæ merito
Nos cæli iungant agmini. Amen.

℣. Ora pro nobis, &c. Ad Magnificat. Aña. Doctor ciuis cæleſtium, orbis decor, dux, lux fidelium, norma, limes, lex morum omnium, vas virtutum ad vitæ brauium.

Oratio.

DEus, qui Eccleſiam tuam Beati Thomæ Confeſſoris tui mira eruditione clarificas, & ſancta operatione fecundas: da nobis quæſumus, & quæ docuit, intellectu cõſpicere, & quæ egit, imitatione complere. Per.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Adſunt Doctoris cælici Thomæ feſta ſolemnia: Deuotione ſupplici laudes promat Eccleſia. Hymnus.

THomas inſignis genere
Claram ducens originem,
Subit ætatis teneræ
Prædicatorum Ordinem.

Typum geſſit luciferi,
Splendens in cœtu nubium,
Pluſquam doctores ceteri
Purgans dogma Gentilium.

Profunda ſcrutans fluminum,
In lucem pandit abdita,
Dum ſupra ſenſus hominum
Obſcura facit cognita.

Fit Paradiſi fluuius
Quadripartite peruius:
Fit Gedeonis gladius,
Tuba, lagena, radius.

Laus Patri ſit, ac genito,
Simulq. ſancto Flamini,
Qui ſancti Thomæ merito
Nos cæli iungant agmini. Amen.

IN I. NOCTVRNO.

Aña. Doctor Thomas repletus gratia præmonſtratus ſacris oraculis, mundi, carnis, hoſtiſque vitia fugat, exemplar datũ ſæculis. Pſal. Beatus vir. 1. Aña. Mentis innocentia, floſque puritatis extiterunt præuia luci veritatis. Pſalm. Quare frem. 1. Aña. Ope Doctoris cælici, tota gaudet Eccleſia: fulget Ordo Dominici peculiari gloria. Pſalm. Domine quid. 2. ℣. Amauit eum Dominus, &c.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. C. 39.

SApientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conſeruabit, & in verſutias parabolarum ſimul introibit. Occulta prouerbiorum exquiret, & in aſcondi tis parabolarum conuerſabitur. In medio magnatorum miniſtrabit, & in conſpectu præſidis apparebit. In terram alienigenarum gentium pertranſiet: bona enim & mala in hominibus tentabit. ℟. Sancti viri verbum propheticum præmonſtrauit mundo mirificum ſanctum Thomam doctorem cælicum, Sectaturum ſanctum Dominicum. ℣. Nam vir ſanctus hunc matri grauidæ ducem promiſit doctrinæ lucidæ. Sectaturum. Lectio ij.

COr ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur. Aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum: & ipſe tamquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ, & in oratione confitebitur Domino: & ipſe diriget conſiliũ eius, & diſciplinam, & in abſconditis ſuis conſiliabitur. ℟. Chriſti pia tractus dulcedine, mundũ linquens probatur

batur turbine, Pugil fortis raptus de Ordine, vicit prorſus pulſa libidine. ℣. Orat preſſa Cruce mirifica, renes cingit manus Angelica. Pugil. Lect. iii.

Ipſe palam faciet diſciplinā doctrinæ ſuæ, & in lege teſtamēti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi ſapientiā eius, & vſque in ſæculum non delebitur. Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem. Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudē eius enūciabit Eccleſia. Si permanſerit, nomē derelinquet pluſquā mille: & ſi requieuerit, proderit illi. ℟. O anima ſanctiſſima, qua contemplante dulciter, corpus linquebat infima, Stans ſurſum mirabiliter! ℣. Nullo prorſus fultus ſubſidio, leuabatur in raptus gaudio. Stans. Gloria. Stans.

IN II. NOCTVRNO.

Antiph. O munus Dei gratiæ, vincens quoduis miraculū, peſtiferæ ſuperbiæ numquā perſenſit ſtimulū. Pſal. Cum inuocarē. 2. Aña. Prece curat ſocium febrem patientē: & in ora veſtiū ſanguine fluentē. Pſ. Verba mea. 2. Aña. Stella candens emicat, ſtuporē dans inſolitum: quæ inſtantē indicat beati Thomæ tranſitum. Pſalm. Domine Dominus. 4. ℣. Iuſtum deduxit &c.

Ex probatis Auctoribus vita eius, & ex Romano Breuiario. Lectio iv.

Illuſtriſſimum Chriſtiani orbis decus, beatiſſimus vir Thomas Aquinas, tantis fuit diuinitus auctus & naturæ, & gratiæ donis, vt inter præclariſſima Eccleſiæ Dei lumina merito numeretur. Landulpho Comite Aquinate, & Theodora Neapolitanā nobilibus parentibus natus eſt. Cum infantulū adhuc nutrix in balneo aquis vellet abluere, extenſa ille manu chartulam è terra ſuſtulit, eamque compreſſa manu valide retinuit. Sed nutrix vt eum lauare poſſet, conata eſt chartulam è manu extrahere. Quod ille non ferens, acriter flere cœpit. Nutrix pietate cōmota importunior eſſe noluit, ac relicta in manu chartula illum abluit, exterſit, & induit, remq. totā matri eius indicauit. Quæ ægre tandē manū infantis aperuit: abſtractaq. charta, conſpicuis litteris in ea ſcripta viſebatur Angelica Salutatio, Aue Maria. Sed cū infans ploratu & geſtu chartulā inſtanter repeteret, redditā ille mox deglutiuit. ℟. De excelſis fons ſapientiæ ſancto Thomæ infudit copiam, tamquā flumē claræ ſcientiæ: qui ſuſceptā refudit gratiā: Dū fluentis ſummæ peritiæ, Rigat totā ſanctā Eccleſiā. ℣. Stylus breuis, grata fecūdia: celſa, clara, firma ſentētia. Rigat.

Lectio v.

Qvintum annū agens, monachis ſancti Benedicti Caſſinatibus pietate, & primis litterarū rudimētis imbuēdus & cuſtodiēdus traditur. Inde Neapolim ſtudiorū cauſa miſſus, iam adoleſcens Fratrū Prædicatorū Ordinē ſuſcepit. Sed matre Fratribus id indigne ferētibus, Lutetiam Pariſiorū mittitur. Quem fratres in itinere per vim raptū, in arcē caſtri ſancti Ioānis perducūt: vbi varie exagitatus, vt

ſanctum propoſitum mutaret, mulierē etiam, quæ ad labefactandam eius cōſtantiam introducta fuerat, titione fugauit. Mox beatus iuuenis flexis genibus ante ſignum Crucis orans, ibique ſomno correptus, per quietem ſentire viſus eſt, ſibi ab Angelis cōſtringi lumbos: quo ex tempore, omni poſtea libidinis ſenſu caruit. ℟. Felix Doctor, cuius ſolatio Angelorum ſeruit attentio: Petrus, Paulus fauent obſequio, Dei mater mulcet alloquio. ℣. Eleuatus à terra cernitur, Crucifixus eum alloquitur. Dei. Lectio vj.

EMiſſus è caſtro per feneſtrā, Neapolim reducitur: vnde Romam, poſtea Pariſium à Fratre Ioanne Theutonico, Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro ductus, Alberto Magno doctore, Philoſophiæ ac Theologiæ operam dedit: vigintiquinque annos natus magiſter eſt appellatus, publiceque Philoſophos ac Theologos ſumma cum laude eſt interpretatus. Nunquam ſe lectioni aut ſcriptioni dedit, niſi poſt orationem. In difficultatibus locorum ſacræ Scripturæ, ad orationē ieiunium adhibebat. Quin etiam ſodali ſuo Fratri Reginaldo dicere ſolebat, quidquid ſciret, nō tam ſtudio aut labore ſuo peperiſſe, quàm diuinitus traditum accepiſſe. ℟. Sidus miſſum Thomæ de ſuperis, nouo ſigno diuini muneris. Hunc cæleſtem demonſtrat ceteris, Verbo, vita, doctrina, litteris. ℣. Quàm excelſus, quem cæli prædicant, quàm præclarus, quem ſtellæ indicant! Hunc. Gloria Patri. Verbo,

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Inſtante vitæ termino, vidit regna cæleſtia: & reuelante Domino, nouit parata præmia. Pſal. Dñe, quis. 7

Aña. Seminauit hic largiter doctor virtuoſus: metit illic feliciter victor glorioſus. Pſal. Domine in virtute. 13

Aña. Sidus de nube trahitur, de fœno flos elicitur: adeps de carne tollitur, dum Thomas cælo redditur. Pſal. Domini eſt terra. 15. ℣. Iuſtus vt palma &c. Lectio vij.

NEapoli, cum ad imaginem Crucifixi vehementius oraret, hanc vocem audiuit: Bene ſcripſiſti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies? Cui ille: Non aliam Domine niſi te ipſum. Nullum fuit ſcriptorum genus, in quibus non eſſet diligentiſſime verſatus. Collationes Patrum aſſidue peruolutabat: nec tamē à prædicatione diuini verbi deſiſtebat. Quod cum faceret per Octauam Paſchæ in Baſilica Sācti Petri, mulierem quæ eius fimbriam tetigerat, à fluxu ſanguinis liberauit. Memoria fuit incredibili: nam vt Frater Reginaldus referebat, de rebus diuerſis quandoque tribus, interdum vero etiam quatuor amanuenſibus ſcribenda dictabat. Socijs oſtendentibus ac laudantibus vrbem Pariſienſem, dixit: At ego mallem mihi dono dari Chryſoſtomi Homilias in Matthæum, quàm Lutetiam Pariſiorum. ℟. Scholas Thomæ Paulus ingreditur: ſacra ſimul fantur myſteria, digna tādem per raptū trahitur, Vir cæleſtis ad cæli præmia. ℣. Clamor Fratris tri-

nus

nus emittitur: Doctor noſter à nobis tollitur. Vir.

Lectio viij.

AB Vrbano Quarto Romam vocatus, adduci non potuit, vt honores acciperet. Archiepiſcopatum Neapolitanum etiam deferente Clemente Quarto Pontifice recuſauit. Miſſus à Gregorio Decimo ad Concilium Lugdunenſe, in Monaſterio Foſſæ nouæ in morbum incidit. Vbi à Religioſis benignè acceptus, eorũ officijs non ſine commiſeratione vtens, dixit: Quis ego ſum, vt ſerui Chriſti mea cauſa tãtos ſuſcipiant labores? Rogatus à Monachis, ægrotus Cantica Canticorum expoſuit. Sed cum morbus increſceret, petijt ſibi ſacroſanctam Euchariſtiam exhiberi. Vt allata fuit, tametſi fractis viribus eſſet, humi ſe deiecit, & cum lacrymis ac admirabili pietate Dominum adorans, accepit. Sumpta deinde Sacra Vnctione, iunctis & ſurſum ad Deum erectis manibus, feliciſſime obdormiuit in Domino. ℟. Beati Thomæ gloria diuo fulſit miraculo, dum odoris fragrantia mira fluxit ex tumulo, Qui nitẽs pudicitia, vixit abſque piaculo. ℣. Hic ſpeciali gratia, luſtrato mentis oculo, celſa nouit myſteria, cæli doctus oraculo. Qui nitens.

Lectio ix.

OBijt quinquagenarius, anno ſalutis milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto, Nonis Martij. Miraculis & viuus & mortuus floruit. A Ioanne Vigeſimo ſecundo in Sanctorum numerum relatus eſt anno milleſimo treceteſimo vigeſimo tertio: cuius corpus poſtea ab Vrbano Quinto ſummo Pontifice Toloſam trãſlatum eſt. Scripta eius & multitudine, & varietate, & felicitate explicandi res difficiles, ac ſecuritate cum primis integerrimæ doctrinæ adeo excellunt, vt ob eam cauſam etiam nomen Doctoris Angelici iure ſit adeptus. Ac dici non poteſt, quanto in pretio ſinceriſſima eius in rebus Theologicis doctrina ſemper ſit in Eccleſia habita. Quẽ omnes Theologorũ Academiæ tamquam principem ac parentem Theologiæ merito venerantur ac laudant. ℟. Sertum geſtans cum torque dupli ci, cappa gemmis ornata cernitur, ex monili fulgoris cælici, lux emiſſa mundo diffunditur, Auguſtinus Fratri ſic loquitur. ℣. Thomas mihi par eſt in gloria, virginali præſtans munditia. Auguſtinus. Gloria. Auguſtinus.

IN LAVDIBVS, Aña.

ADeſt dies lætitiæ, quo Thomas doctor inclytus fit ciuis cæli curiæ, bina corona præditus. Pſal. Dominus regnauit. cum reliquis. Aña. Aurũ ſub terra tegitur, & lucerna ſub modio, ſed virtus Dei cernitur miraculorum radio. Antiph. Alma mater Eccleſia, Chriſti fundata ſanguine ſceptra conſcendit grandia, noui Doctoris lumine. Antiph. Preſſus vi dæmonij cito liberatur: raptu merſus fluuij vitæ reſtauratur. Antiph. Tumor gulæ pellitur, leproſus mundatur: cæco lumen redditur, claudo greſſus datur. Capit. Elegit.

Hymnus.

LAuda mater Eccleſia
Thomæ felicem exitum,
Qui peruenit ad gaudia
Per verbi vitæ meritum.
Foſſa noua tunc ſuſcipit
Thecam theſauri gratiæ,
Cum Chriſtus Thomam efficit
Hæredem regni gloriæ.
Manens doctrinæ veritas,
Et funeris integritas,
Mira fragrans ſuauitas,
Aegris collata ſanitas.
Monſtrat hunc dignum laudibus
Terræ, ponto, & ſuperis,
Nos iuuet ſuis precibus,
Deo commendet meritis.
Laus Patri ſit, ac Genito,
Simulque ſancto Flamini,
Qui ſancti Thomæ merito
Nos cæli iungant agmini. Amen.

℣. Iuſtus germinabit ſicut lilium. ℟. Et florebit in æternum ante Dñm. Ad Benedictus, Añã. Viror carnis flore mũditiæ, vigor vitæ fructu iuſtitiæ, ſplẽdor verbi dono ſciẽtiæ, te decorãt ſtantẽ in acie, te coronant in ſtatu gloriæ. Ad iij. Capit. Elegit. ℣. ℟. Horarum de Comm. vnius Confeſſoris

Ad Sextam, Capitulum. *Eccl. 39*

IPſe tamquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ, & palam faciet diſciplinam doctrinæ eius: collaudabunt multi ſapientiam eius, & vſque in ſæculum non delebitur.

Ad Nonam, Capitulum. *Sap. 7.*

LAetatus ſum quoniam antecedebat me iſta ſapientia, quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico: & honeſtatem illius non abſcondo.

Ad Magnificat, Antiphona.

Militantis doctor Eccleſiæ, virginali florens munditia, triumphantis optata curiæ, ſãcte Thoma, largire gaudia. Per Octau. In Laudibus, Antiphona. Collaudetur Chriſtus Rex gloriæ, qui per Thomam lumen Eccleſiæ, mundũ replet doctrina gratiæ. ℣. Iuſtus germinabit. Ad Veſperas, Aña. O Thoma laus & gloria Prædicatorum Ordinis, nos transfer ad cæleſtia, profeſſor ſacri numinis. ℣. Ora pro nobis.

Die xij. Martij.

IN FESTO S. GREGORII Papæ & Confeſſoris, & Eccleſiæ Doctoris. Totum Duplex. Oratio.

DEus, qui nos beati Gregorij Cõfeſſoris tui atque Pontificis annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius opere, atque doctrina Scripturæ tuæ myſteria multa cognouimus, ejus apud te ſemper patrocinia ſentiamus. Per Dominum.

In j. Noctur. Lect. de Eccleſ. Sapientiam omnium. Vt in Feſto S. Thomæ 640.

IN II NOCTVRNO.

Ex Ioanne Diacono aliíſque, & ex Roman. Breu. Lect. iv.

GRegorius Magnus Romanus, Gordiani Senatoris filius, adoleſcens philoſophiæ operam dedit, & Prætorio officio functus, patre mortuo ſex Monaſteria in Sicilia ædificauit, Romæ ſeptimum S. Andreæ nomine

in ſuis

in ſuis ædibus, prope Baſilicam Sanctorum Ioannis & Pauli ad cliuum Scauri: vbi Hilarione ac Maximiano magiſtris, monachi vitam profeſſus, poſtea Abbas fuit. Mox Diaconus Cardinalis creatus, Conſtantinopolim à Pelagio Pontifice, ad Tiberium Conſtantinum Imperatorem legatus mittitur.

Lectio v.

APud quem memorabile etiam illud effecit, quòd Eutychium Patriarcham, qui ſcripſerat contra veram ac tractabilem corporũ reſurrectionem, ita conuicit, vt eius librũ Imperator in ignem inijceret. Quare Eutychius, qui etiam ſanctitate claruit, paulo poſt cum in morbum incidiſſet, inſtante morte, pellem manus ſuæ tenebat multis præſentibus, dicens: Confiteor, quia omnes in hac carne reſurgemus.

Lectio vj.

ROmam rediens, Pelagio peſtilentia ſublato, ſummo omniũ conſenſu Pontifex eligitur: quem honorem ne acciperet, quamdiu potuit recuſauit. Nam alieno veſtitu in ſpelunca delituit: vbi deprehenſus indicio igneæ columnæ, ad ſanctum Petrum conſecrauit. In Pontificatu multa ſucceſſoribus doctrinæ ac ſanctitatis exempla reliquit. Peregrinos quotidie ad menſam adhibebat: in quibus & Angelum, & Dominum Angelorum peregrini facie accepit. Pauperes & vrbanos & externos, quorum numerum deſcriptum habebat, benigne ſuſtentabat. Catholicam fidem multis locis lebefactatam reſtituit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

GOthos hæreſim Arianam relinquere coegit. Miſſis in Britanniam doctis & ſanctis viris Auguſtino, & alijs monachis, inſulam ad Ieſu Chriſti fidem conuertit, verè à Beda Presbytero, Angliæ vocatus Apoſtolus. Ioannis Patriarchæ Conſtantinopolitani audaciam fregit, qui ſibi Vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopi nomen arrogabat. Mauritium Imperatorem, eos qui milites fuiſſent, monachos fieri prohibentem, à ſententia deterruit. Eccleſiam ornauit ſanctiſſimis inſtitutis & legibus.

Lectio viij.

APud Sanctum Petrum coacta Synodo, multa conſtituit: in ijs, Vt in Miſſa Kyrie eleiſon nouies repeteretur: Vt extra in tempus, quod continetur Septuageſima & Paſcha, Alleluia diceretur: Vt adderetur in Canone: Dieſq. noſtros in tua pace diſponas. Litanias, Stationes, & Eccleſiaſticum Officium auxit. Quatuor Concilijs, Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi, tamquam quatuor Euangelijs honorem haberi voluit. Multos libros confecit: quos cum dictaret, teſtatus eſt Petrus Diaconus, ſe Spiritum ſanctum columbæ ſpecie in eius capite ſæpe vidiſſe.

Lectio ix.

ADmirabilia ſunt, quæ dixit, fecit, ſcripſit, decreuit, præſertim infirma ſemper & ægra valetudine. Qui denique multis editis miraculis, Ponti-

Pontificatus anno decimo tertio, menſe ſexto, die decimo, quarto Idus Martij, ad cæleſtem beatitudinem euocatus eſt. Quem inter alios S. Ildefonſus Archiepiſcopus Toletanus his exornat encomijs: Ita, ait, cunctorum meritorum claruit perfectione ſublimis, vt excluſis omnium virorum illuſtriũ comparationibus, nihil illi ſimile demonſtret antiquitas: vicit enim ſanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, ſapientia Auguſtinum.

Die xix. Martij.

IN FESTO S. IOSEPH Confeſſ. & Sponſi B. Mariæ. Totum Duplex. Oratio.

BEati Patriarchæ Ioſeph, ſanctiſſimæ Genitricis tuæ ſponſi, quæſumus Domine, meritis adiuuemur: vt quod poſſibilitas noſtra nõ obtinet, eius nobis interceſſione donetur. Qui viuis & regnas.

IN PRIMO NOCTVRNO.

De Libro Prouerbiorum.

Lectio j. C. 10.

BEnedictio Domini ſuper caput iuſti: os autem impiorum operit iniquitas. Memoria iuſti cum laudibus & nomen impiorum putreſcet. Sapiẽs corde præcepta ſuſcipit: ſtultus cæditur labijs. Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter: qui autem deprauat vias ſuas, manifeſtus erit. Qui annuit oculo, dabit dolorẽ: & ſtultus labijs verberabitur. Lectio ij.

VEna vitæ, os iuſti: & os impiorũ operit iniquitatem. Odium ſuſcitat rixas: & vniuerſa delicta operit charitas. In labijs ſapientis inuenitur ſapientia: & virga in dorſo eius qui indiget corde. Sapientes abſcondunt ſcientiam: os autem ſtulti confuſioni proximum eſt. Subſtantia diuitis, vrbs fortitudinis eius: pauor pauperum, egeſtas eorum. Lectio iij.

OPus iuſti ad vitam: fructus autem impij ad peccatum. Via vitæ, cuſtodienti diſciplinam: qui autẽ increpationes relinquit, errat. Abſcõdunt odium labia mendacia: qui profert cõtumeliam, inſipiens eſt. In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt. Argentum electum, lingua iuſti: cor autem impiorum pro nihilo.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo ſancti Bernardi Abbatis.

Homil. 2. ſuper Miſſus eſt, prope finem.

Lectio iv.

QVis & qualis homo fuerit beatus Ioſeph, coniice ex appellatione, qua, licet diſpenſatoria, meruit honorari à Deo, vt pater Dei & dictus & creditus ſit: coniice & ex proprio vocabulo, quod augmẽtum non dubites interpretari: ſimul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & ſcito, ipſius iſtum non ſolum vocabulum fuiſſe ſortitum, ſed & caſtimoniã adeptum, innocentiam aſſecutum, & gratiam. Lectio v.

SIquidem ille Ioſeph fraterna ex inuidia venditus, & ductus in Ægyptum, Chriſti vẽditionem præfigurauit: iſte Ioſeph, Herodianum inuidiam

uidiam fugiens, Chriſtum in Aegyptum portauit. Ille domino ſuo fidem ſeruans, dominæ noluit commiſceri: iſte Dominam ſuam Domini ſui matrem, virginem agnoſcens, & ipſe continens fideliter cuſtodiuit. Illi data eſt intelligentia in myſterijs ſomniorum: iſti datum eſt conſcium fieri atq. participem cæleſtium ſacramentorum.

Lectio vj.

ILle frumenta ſeruauit nō ſibi, ſed omni populo: iſte panem viuum è cælo ſeruandum accepit tam ſibi quā toti mundo. Non eſt dubium, quin bonus & fidelis homo fuerit iſte Ioſeph, cui mater deſpōſata eſt Saluatoris. Fidelis, inquam, ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, ſolum denique in terris magni conſilij coadiutorem fideliſſimum.

In iij. Noctur. Homilia in Euangeliū. Cum eſſet deſponſata. In Vigilia Natiuit. Domini. 145. Quod ſi hoc Feſtum in Tempore Paſchali celebrabitur, Lectiones erūt. Prima de Scriptura, & duæ primæ de Sermone.

Die xxi. Martij.

IN FESTO S. BENEDICTI.

Abbatis. Duplex. Oratio.

INterceſſio nos, quæſumus Dñe, beati Benedicti Abbatis cōmēdet: vt quod noſtris meritis nō valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per Dominū.

IN PRIMO NOCTVRNO.

De Libro Prouerbiorū. Lect. j. C. 4.

AVdite filij diſciplinam patris, & attendite vt ſciatis prudentiam. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis. Nam & ego filius ſui patris mei, tenellus, & vnigenitus coram matre mea: & docebat me, atque dicebat: Suſcipiat verba mea cor tuum: cuſtodi præcepta mea, & viues. Lectio ij.

POſſide ſapientiam, poſſide prudentiam. Ne obliuiſcaris, neque declines à verbis oris mei. Ne dimittas eam, & cuſtodiet te: dilige eam, & conſeruabit te. Principium ſapientiæ, poſſide ſapientiam, & in omni poſſeſſione tua acquire prudentiam: arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarū, & corona inclyta proteget te.

Lectio iij.

AVdi fili mi, & ſuſcipe verba mea vt multiplicentur tibi anni vitæ. Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, ducam te per ſemitas æquitatis: quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. Tene diſciplinam, ne dimittas eam: cuſtodi illam, quia ipſa eſt vita tua.

IN II NOCTVRNO.

Ex Libro 2. Dialogorum S. Gregorij. Papæ, & ex Rom. Breu. & alijs.

Lectio iv.

BEnedictus, Nurſiæ nobili genere ortus, Romæ liberalibus diſciplinis eruditus, vt totum ſe Ieſu Chriſto daret, ad eum locum qui Sublacus dicitur, in altiſſimam ſpeluncam penetrauit: in qua ſic per triennium delituit,

delituit, vt vnus id ſciret Romanus monachus, quo ad vitæ neceſſitatem miniſtro vtebatur. Dum igitur ei quodam die ardentes ad libidinem facies à diabolo ſubijcerentur, ſe in vepribus tamdiu volutauit, dum lacerato corpore, voluptatis ſenſus dolore opprimeretur.

Lectio v.

SEd iam erumpente ex illis latebris fama eius ſanctitatis, quidam monachi ſe illi inſtituendos tradiderunt: quorum viuendi licentia cum eius obiurgationes ferre non poſſet, venenum in potione dare cõſtituunt. Verum poculum ei præbentibus, Crucis ſigno vas confregit, ac relicto monaſterio in ſolitudinem ſe recepit. Sed cum multi ad eum quotidie diſcipuli conuenirent, duodecim monaſteria ædificauit, eaq. ſanctiſſimis legibus communiuit.

Lectio vj

POſtea Caſſinum migrauit, vbi ſimulacrum Apollinis, qui adhuc ibi colebatur, comminuit, aram euertit, & lucos ſuccendit: ibiq. ſancti Martini ſacellum, & ſancti Ioannis ædiculam extruxit: oppidanos autem & incolas Chriſtianis præceptis imbuit. Quare augebatur magis in dies diuina gratia Benedictus, vt antiquus hoſtis magnis clamoribus ſe ab eo vim perpeti in aperta viſione quereretur: eundẽ ſanctũ per contumeliã nõ Benedictum, ſed Maledictũ appellans.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

PRophetico ſpiritu clarus etiam ventura prædicebat. Quod vbi accepit Totila Gothorum rex, exploraturus an re in ita eſſet, ſpatharium ſuum regio ornatu & comitatu præmittit, qui ſe regem ſimularet. Quem vt ille vidit, Depone, inquit, fili, depone quod geris: nam tuum non eſt. Sed & Totila ad eum accedens, ſe humi proſtrauit: cui propter ſcelera increpato prædixit aduentum eius in Vrbem, maris tranſmiſſionem, & poſt nouem annos mortem.

Lectio viij.

VErum Benedictus aliquot menſibus antequam è vita migraret, præmonuit diſcipulos quo die eſſet moriturus: ac ſepulchrum, in quo ſuum corpus condi vellet, ſed diebus antequam eo inferretur, aperiri iuſſit: ſextoq. die deferri voluit in Eccleſiã: vbi ſumpta Euchariſtia, ſublatis in cælum oculis orans, inter manus diſcipulorum efflauit animam: cuius cæleſtis gloria duobus monachis in diuina viſione oſtenſa fuit.

Lectio ix.

SIquidem viderunt eam euntem in cælum pallio ornatã pretioſiſſimo, circum eam fulgentibus lampadibus, & clariſſima & grauiſſima ſpecie virum ſtantem ſupra caput ipſius dicentem audierunt: Hæc eſt via, qua dilectus Domini Benedictus in cælum aſcendit. Hic beatiſſimus vir monachorum diſciplinam in Occidente pene collapſam reſtituit, ac præclara inſtituta Religione mirifice propagauit: ex qua innumera diuerſorum Ordinum, tamquam à præclara ſtirpe, germi-

Digitized by Google

germinarunt agmina monachorum, ſanctitate, ac doctrina toti orbi facta conſpicua: quibus Eccleſia catholica plurimum illuſtrata refulget.

Quod ſi hoc Feſtũ tempore Paſchali celebrabitur, tres Lectiones erunt, Prima, Quarta, & Octaua.

Die xxv. Martij.

IN ANNVNCIATIONE.

Beatæ Mariæ Virg. Totum Duplex.

Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona.

Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

Pſalmus. Laudate: cum ceteris.

Capitulum. *Iſa.7.*

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: butyrum & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. ℟. Quomodo fiet iſtud. ix.

Hymnus. Aue maris ſtella. 620.

℣. Rorate cæli deſuper, & nubes pluãt iuſtum. ℟. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.

Ad Magnificat. Antiphona.

Orietur ſicut ſol Saluator mundi, & deſcendet in vterũ Virginis ſicut imber ſuper gramen. Oratio.

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis vtero, Verbum tuum, Angelo nunciante, carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis, vt qui vera eam Genitricem Dei credimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur. Per eundem Dominum.

Ad Complet. Antiphona. Ecce virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel.

Ad Nunc dimittis, Antiphona

Ecce Ancilla Domini: fiat mihi ſecundum verbum tuum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Aue Maria gratia plena: Dominus tecum. Hymnus. Quem ter. 621.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Aña. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Pſalm. Domine Dominus noſter. 4. Aña. Beata es Maria, quæ credidiſti: perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino. Pſalm. Cæli enarrant. 11. Aña. Angelus Domini nunciauit Mariæ, & concepit de Spiritu ſancto. Pſal. Dñi eſt ter. 15.

℣. Ex Sion ſpecies decoris eius.

℟. Deus noſter manifeſte veniet.

De Iſaia Propheta. Lectio j. C.7.

Et adiecit Dñs loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelsũ ſupra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Ex dixit: Audite ergo domus Dauid: Numquid parum vobis eſt, moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo? Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: butyrũ & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. ℟. Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus, eſt, Et ipſe erit expectatio Gentium. ℣. Pulchriores ſunt oculi eius vino: & dentes eius lacte candi-

Digitized by Google

candidiores. Et ipſe erit expectatio Gentium. C.11. Lectio ij.

Et egredietur virga de radice Ieſſe,& flos de radice eius aſcendet. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini: ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet: ſed iudicabit in iuſtitia pauperes,& arguet in æquitate pro manſuetis terræ: & percutiet terrã virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Et erit iuſtitia cingulũ lumborum eius: & fides cinctorium renum eius. ℟. Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariam virginem deſpõſatam Ioſeph, nuncians ei verbum: & expaueſcit Virgo de lumine. Ne timeas Maria: inueniſti gratiam apud Dominum: Ecce concipies & paries, Et vocabitur Altiſſimi Filius. ℣. Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid patris eius,& regnabit in domo Iacob in æternum. Et vocabitur.

De Epiſtola Beati Pauli Apoſtoli ad Epheſios. Lectio iij.

Deus autem, qui diues eſt in miſericordia,propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto (cuius gratia eſtis ſaluati) & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſtò Ieſu: vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu. Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur. ℟. Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: Quod enim ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei. ℣. Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpõdens Angelus, dixit ei. Spiritus ſanctus. Gloria Patri. Quod.

IN II NOCTVRNO.

Aña. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Pſal. Eructauit. 30. Aña. Fons hortorum, puteus aquarum viuentiũ, quæ fluunt impetu de Libano. Pſal. Deus noſter. 30. Antiphona. Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum. Pſal. Fundamenta. 57. ℣. Egredietur virga de radice Ieſſe. ℟. Et flos de radice eius aſcendet.

Sermo ſancti Baſilij Magni.

Homil. de humana Chriſti generatione, quæ eſt 25. Lectio iv.

Poſtquã Dei gratia ſalutaris omnibus apparuit, & iuſtitiæ ſol ortus eſt: abſorpta eſt mors in victoria, & veræ vitæ peregrinationem nequaquam ſuſtinuit. O altitudinem benignitatis, humanitatiſque Dei! Ex bonitatis copia à ſeruitute vendicamur. Sed cur Deus homo factus eſt, rationem exquirunt homines, cum magis eius bonitatem adorare deceat, quàm diuini-

Digitized by Google

diuinitatem curioſius indagare. Carnem ſuſcepit Deus, quoniam execrabilem, contaminatamque hanc, purgatam, ſanctamque reddi oportuit, infirmam ac debilem corroborari à Deo, ob peccatum alienatam conciliari, è paradiſo excidentem in cælum referri. ℟. Suſcipe verbum virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum tranſmiſſum eſt: Concipies & paries Deum pariter & hominem, Vt benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Paries quidem filium, & virginitatis non patieris detrimentum: Efficieris grauida, & eris mater ſemper intacta. Vt.

Lectio v.

ET quæ eſt diſpenſationis huius officina? Virginis beatæ corpus. Quæ autem generationis principia? Spiritus ſanctus, virtuſque Altiſſimi obumbrans. Cum eſſet, inquit Maria, mater ipſius, deſpõſata Ioſeph, priuſquam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Beata, quæ Emmanuel peperit: & vbera, quæ lac præbuerunt. Cor mihi floridum quid germinat: mens eſt alacris, lingua vero modica, & ſermo exilis eſt ad hoc, vt tantum gaudium exprimat. ℟. Ecce virgo concipiet & pariet filium, dicit Dominus: & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Deus, Fortis. ℣. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit in æternum. Admirabilis.

Lectio vi.

COgita de incarnatione Domini magnifice, intellige diuinitatem eſſe intactam & immaculatam, quæ etſi in materiali ſit natura, ita illi ineſt, vt eius imperfectum fragileque corrigat: nõ autem vt ipſa paſſionum debilitate inquinetur. Nonne ſolem conſpicis in luto ſe voluntatem, minimeque cõtaminantem, & ſuper cœno coruſcantem, minime tamen fœtidum aliquid referentem? Quid igitur dubitas de immenſa, incorruptaq. natura, ne aliquam ex nobis maculam cõtraxerit? ℟. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius, aſcendet, Et erit iuſtitia cingulũ lumborũ eius, Et fides cinctorium renum eius. ℣. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus. Et erit. Gloria. Et fides.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Veni in hortum meũ ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Pſal. Cantate. j. 63.

Aña. Comedi fauum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo. Pſal. Dominus regnauit, exul. 63. Aña. Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem. Pſal. Cãtate. ij. 64. ℣. Egredietur Dñs de loco ſancto ſuo. ℟. Veniet vt ſaluet populum ſuũ.

Tres Lectiones de Homilia in Euang. Miſſus eſt Angelus Gabriel. quæ habetur Feria iv. Quatuor Temp. in Aduentu, 135. vij. ℟. Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtũ, Aperiatur terra, & germinet Saluatorẽ. ℣. Emitte Agnũ, Domine dominatorẽ terræ, de Petra deſerti ad montẽ filiæ Sion. Aperiatur. viij. ℟. Naſcetur vobis paruulus, & vocabitur Deus, Fortis:

ipſe ſedebit ſuper thronum Dauid patris ſui, & imperabit: Cuius poteſtas ſuper humerum eius. ℣. In ipſo benedicentur omnes tribus terræ. Cuius poteſtas. IX. ℟. Quomodo fiet iſtud reſpondens ait Maria, quia virum non cognoſco? Angelus ad hæc: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. ℣. Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Spiritus. Gloria. Et. ... Emitte Agnum Domine, dominatorem terræ. ℟. De Petra deſerti ad montem filiæ Sion.

IN LAVDIBVS, Aña.

Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Mariam Virginem deſponſatam Ioſeph. ... Dominus regnauit. ... Aue Maria gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Antiph. Ne timeas Maria, inueniſti gratiam apud Dominum: ecce concipies & paries filium. Antiph. Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in æternum. Antiph. Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Cap. Ecce virgo. Hymn. O glorioſa. 625. ℣. Elegit eam Deus, & præelegit &c.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quomodo fiet iſtud Angele Dei, quia virum in concipiendo non pertuli? Audi Maria virgo Chriſti: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ad Tertiam, Capit. Ecce virgo. ℟℟. vt in Purificatione. 625.

Ad Sextam, Capitulum. *Iſa.* 11.

Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: & requieſcet ſuper eum ſpiritus Dñi.

Ad Nonam, Capitulum. *Iſa.* 45.

Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem: & iuſtitia oriatur ſimul, ego Dominus creaui eũ. Ad Veſp. ſuper Pſalm. Aña. Miſſus. Cap. Hymn. ℣. vt in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Hæc eſt dies, quam fecit Dominus: hodie Dominus afflictionem populi ſui reſpexit, & redemptionem miſit: hodie mortem, quam fœmina intulit, fœmina fugauit: hodie Deus homo factus eſt, id quod fuit permanſit, & quod non erat, aſſumpſit: ergo exordium noſtræ redemptionis deuote recolamus, & exultemus, dicentes: Gloria tibi Domine. Complet. vt ſupra. In Paſchali tempore, hoc modo fiat Officium. Ad omnes Horas, præterquam ad Matutin. omnia fiant, ſicut prænotatum eſt: niſi quod in fine Hymnorum dicetur. Quæſumus auctor &c. Maria mater gratiæ, &c. Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine, &c. In Hymnis eiuſdem metri, & ℟℟. ad Horas dici, & ℣℣. dicentur cum Alleluia. Ad Matutin. Inuit. Hymn. vt ſup. Tres primæ Aña. cum ſuis Pſal. ℣. Ex Sion. Tres Lectiones de Homil. Euãgelij. Miſſus eſt. ℟. i. Miſſus eſt. 650. ℟. ij. Aue Maria. 650. ℟. iij. Quomodo. 651. ℣. ante Laudes. Emitte Agnum. Cetera vt ſu-

Digitized by Google

vt ſupra. Niſi quod ad finem Antiphonarum, Verſuum ac Reſponſoriorum omnium additur. Alleluia.

FESTA APRILIS.

Die ij. Aprilis.

IN FESTO S. FRANCISCI de Paula Confeſſ. Duplex.

Oratio.

DEus humiliũ celſitudo, qui beatum Franciſcum Confeſſorem, ſanctorum tuorum gloria ſublimaſti: tribue quæſumus, vt eius meritis & imitatione, promiſſa humilibus præmia feliciter conſequamur. Per Dom.

IN I. NOCTVRNO.

Lectiones vt in Feſto S. Benedicti

Audite filij diſciplinam. 647.

IN II NOCTVRNO.

Ex Bulla Canonizationis eius data à Leone X. Anno Incarnat. Domini 1519 *Kalendis Maij, & ex Romano Breu.*

Lectio iv.

FRanciſcus, Paulæ, quod eſt Calabriæ oppidum, loco humili natus eſt: quem parentes, cum diu prole caruiſſent, voto facto, B. Franciſci precibus ſuſceperunt. Is puer diuino ardore ſuccenſus, in eremum ſeceſſit, vbi meditationibus cæleſtibus ſuauẽ vitam duxit. Sed cum virtutum eius fama longius manaret, multiq. ad eum pietatis ſtudio concurrerent, fraternæ charitatis cauſa è ſolitudine egreſſus, Eccleſiam prope Paulam ædificauit, ibiq. prima ſui Ordinis fundamenta iecit.

Lectio v.

ERat in eo mirifica loquendi gratia: perpetuam virginitatem ſeruauit: humilitatem ſic coluit, vt ſe omnium minimum diceret, ſuoſque alumnos Minimos appellari voluerit. Quippe diſcipulis ſuis diſcumbentibus miniſtrabat, ſæpeque Eccleſiam & altaria verrebat, aliorumque Fratrum, etiam nouitiorum indumenta proprij ipſe manibus abluebat. Et cum iuuenis adhuc eſſet, numquam niſi nudis pedibus etiam per glacies, niues, montes & acuta ſaxa, vepres, ſpinaſq. incedebat, nullamq ex eo, etiam grauiſſimo ſæpe pondere preſſus, læſionem pedibus patiebatur.

Lectio vj.

RVdi amictu vtebatur, humi cubabat. Cibi abſtinentia fuit admirabili: ſemel in die poſt ſolis occaſum reficiebatur, & ad panem, & aquæ potum vix aliquid eiuſmodi obſonij adhibebat, quo veſci in Quadrageſima licet: quam conſuetudinem, vt Fratres ſui toto anni tempore retinerent, quarto eos voto adſtrinxit. Cum ad eum viſendum Aubicularius Pauli ſecundi Pontificis veniſſet, ac vitam eius arduam, difficilemq. miraretur, Franciſcus arripiens de proximo, illæſis manibus, ardentes prunas, ait: Qui perfecto corde Domino ſeruiunt, omnia creata illis obtemperant.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

MVlta etiam futura prophetico ſpiritu prædixit. Plurimis quoque miraculis ſerui ſui ſanctitatem Deus teſtari voluit, quorum illud in primis celebre, quòd à nautis reiectus,

Siciliæ fretum ſtrato ſuper fluctibus pallio cum ſocio tranſmiſit. Ludouicus vndecimus Francorum Rex ipſum videre cupiens, à Sixto Quarto impetrauit, vt eidem beato viro Apoſtolicis præceptis iuberet, vt ex Calabria in Franciam ſe conferret. Parens Dei ſeruus iuſſis Pontificis, magno in honore à præfato Rege eſt habitus.

Lectio viij.

NAm cognita viri ſanctitate, ipſi eiuſque Fratribus prope Vrbem Turonenſem Regium palatium attribuit, amplamq. & magnificam Domum cum Eccleſia illis conſtruxit. Poſt multa igitur virtutum inſignia, cum vitæ ſuæ finem iam proximum vir Dei diuina inſpiratione proſpiceret, pridie quam decederet, ſacroſanctam Euchariſtiam in Eccleſia cum profundiſſima humilitate, & vberrima lacrymarum effuſione, ac ſumma pietate ſuſcepit. Deinde Chriſto Domino, beatæque Mariæ, & ſanctis omnibus deuote peractis gratiarum actionibus, in cellam pedibus, baculo innixus redijt.

Lectio ix.

CVm annum circiter nonageſimũ primum feliciter impleuiſſet, anno ſalutis milleſimo quingenteſimo ſeptimo, Aprilis ſecunda, quæ fuit Paraſceues, circa horam qua Chriſtus eſt paſſus, omnibus Eccleſiaſticis Sacramentis, & ſigno Crucis rite communitus, perlecta coram eo Dominica Paſſione, ſanctæ crucis trophæum pie complexus, Turonis migrauit ad Dominum. Cuius corpus dies vndecim inſepultum, ita incorruptum permanſit, vt ſuauem etiam odorem efflaret. Eum Leo Papa Decimus in Sanctorum numerum retulit.

Quãdo hoc feſtum in Tempore Paſchali celebrabitur, Lectiones erunt, prima de ſacra Scriptura Feriæ currẽtis. Quarta & Nona de ſupra poſitis.

Die iv. Aprilis.

IN FESTO S. AMBROSII Epiſcopi & Confeſſ. & Eccle. Doctoris. Totum Duplex. Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ ſalutis beatum Ambroſium miniſtrum tribuiſti: præſta quæſumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

IN PRIMO NOCTVRNO.

De Libro Sapientiæ.

Lectio j. C. 7. 8.

NEminem enim diligit Deus, niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat. Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarũ, luci comparata inuenitur prior. Illi enim ſuccedit nox; ſapientiam autem non vincit malitia. Attingit ergo à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute mea; & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.

Lectio ij.

GEneroſitatem illius glorificat, contubernium habens Dei: ſed & omniũ Dominus dilexit illam: doctrix enim eſt diſciplinæ Dei, & electrix operum

rum illius. Et ſi diuitiæ appetuntur in vita, quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia? Si autem ſenſus operatur: quis horũ, quæ ſunt, magisquàm illa eſt artifex? Et ſi iuſtitiam quis diligit: labores huius magnas habent virtutes: ſobrietatem enim, & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus.

Lectio iij.

ET ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat quis, ſcit præterita, & de futuris æſtimat: ſcit verſutias ſermonũ, & diſſolutiones argumentorum: ſigna & monſtra ſcit antequã fiant, & euentus temporum & ſæculorum. Propoſui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum: ſciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores iuuenis: & acutus inueniar in iudicio, & in conſpectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Paulino amanuenſi S. Ambroſii, & alijs antiquis Patribus.

Lectio iv.

FActus Epiſcopus Ambroſius, fidem & diſciplinam Eccleſiaſticam acerrime defendit: multoſque Arianos, & alios hæreticos ad fidei veritatem conuertit, in quibus clariſſimum Eccleſiæ lumen ſanctum Auguſtinum Ieſu Chriſto peperit. Gratiano Imperatore occiſo, ad Maximum eius interfectorem legatus iterum profectus eſt: eumque pœnitentiam agere recuſantem, a communionis conſortio ſegregauit. Ambroſij illa præclara vox fuit, de Maximo ſibi minitante dicentis: Felicius Epiſcopos perſequantur Imperatores, quàm diligant.

Lectio v.

THeodoſium Imperatorem, propter cædem Theſſalonicæ factã, ingreſſu Eccleſiæ prohibuit. Cui, cum ille, Dauid quoque regem adulterum, & homicidam fuiſſe dixiſſet, reſpondit Ambroſius: Qui ſecutus es errantem, ſequere pœnitentem. Quare Theodoſius ſibi ab eo impoſitam pœnitentiam humiliter egit: ac de Ambroſio dignum illud protulit elogiũ: Aegre tandem didici, quid inter Imperatorem interſit, & Epiſcopum: ægre tandem reperi veritatis magiſtrum: nam ſolum Ambroſium noui Epiſcopum, dignum eo nomine. Cum ſacerdotali conſtantia illicitis Valentiniani Imperatoris conatibus obſiſteret, Calligonus præpoſitus cubiculi minatus eſt: Caput tibi tollo. Reſpondit: Deus permittat tibi vt impleas quod minaris, ego enim patiar quod Epiſcopi.

Lectio vj.

SAcroſanctum Miſſæ ſacrificium quotidie peragebat, quolibet vero die Dominico in Eccleſia pro cõcione populũ docebat. Munia omnia Eccleſiaſtica ſic ſtrenue obibat, vt circa baptizandos ipſe ſolus impleret, quod poſt eius obitũ vix quinque Epiſcopi perficere potuerũt. Erat multæ abſtinẽ-

Digitized by Google

tiæ, & vigiliarum multarum ac laborum, quotidie ieiunio macerans corpus. Cui prandendi numquam conſuetudo fuit, niſi die Sabbato & Dominico, vel cum natalitia celeberrimorum Martyrum eſſent. Orandi etiã aſſiduitas magna die ac nocte. Nec operam declinabat ſcribendi propria manu libros, niſi cum aliqua infirmitate corpus attenuaretur.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

QVotieſcumque illi aliquis, ob percipiendam pœnitentiam, lapſus ſuos cõfeſſus eſſet, ita flebat vt & illum flere compelleret. Flebat etiam amariſſime, cum ei forte alicuius ſancti ſacerdotis obitus nunciabatur, dicens: Non ſe flere quia receſſerat, ſed quia ſe præceſſerat: vel quia difficile eſſet eiuſmodi inuenire. Et cũ omnibus omnia fieret ſanctus Antiſtes vt omnes lucrifaceret, à tribus tamen perpetuo ſe continuit, nimirum vt nemini vxorem quæreret, nullique militiam ſuaderet, neque ad conuiuiũ inuitatus accederet. Cuius in hac re inſtituti rationem plurimum laudauit S. Auguſtinus.

Lectio viij.

CVm aliquando in Eccleſia apud populum cõcionaretur, viſus eſt Angelus ad aures eius loquens, vt verba Angeli populo Epiſcopus renũciare videretur. Quadam nocte vigilanti Paulus Apoſtolus clare ſeſe oſtendit. Aruſpex quidam Innocentius nomine faſſus eſt, miſiſſe ſe dæmones qui Ambroſium necarent: ſed dæmones renũciaſſe, ſe non ſolum ad ipſum appropinquare minime potuiſſe, verum etiã nec ad fores domus, in qua manebat Epiſcopus: quòd ignis inſuperabilis omne illud ædificium communiret, vt etiam longe poſiti ipſi vrerentur.

Lectio ix.

ANte paucos vero dies quam lectulo detineretur, cum quadrageſimum tertium Pſalmum dictaret, ſubito in modum ſcuti breuis, ignis caput eius cooperuit, atque paulatim per os ipſius ingreſſus eſt: poſt quod facta eſt facies eius ſicut nix: quo die ſcribendi finem fecit. Cum lecto decumberet & oraret, vidit Dominum Ieſum Chriſtum venientẽ ad ſe, & arridentem ſibi. Ergo ſanctus Epiſcopus pro Eccleſia Dei maximis laboribus, curiſq. perfunctus, multis libris egregie conſcriptis, pluribus in vita & poſt mortem clarus miraculis, ſumpto Domini corpore, conformatis in Crucis ſimilitudinem manibus, orans, animã Deo reddidit pridie Nonas Aprilis, anno poſt Chriſtum natum trecenteſimo nonageſimo ſeptimo: quem euntem in cælum plurimi infantes è ſacro fonte redeuntes viderunt. Si Feſtum S. Ambro. Tempore Paſchali venerit, ad Matut. tres tantum Lect. legentur de ſuprapoſitis: Prima, initium Quartæ cum tota Sexta, & Nona.

Die v. Aprilis.

IN FESTO S. VINCENTII Confeſſ. Ordin. Prædic. Totum Dupl.

Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona.

Diem nouæ laudis, & gloriæ lætum

ducat

ducat cœtus fidelium: quo ſublime decus Helperiæ, gratulante turba cæleſtium, à Principe ſupernæ curiæ, binæ ſumpſit coronæ præmium. Temp. Reſurrect. Alleluia. Pſal. Laudate pueri. cum ceteris. Capitulum. *Ephеſ. 3*

MIhi omnium ſanctorũ minimo data eſt gratia hæc, In Gẽtibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo. ℞. Quatuor vecta. vt ſ.

Hymnus.

MEnte iucunda iubilent fideles,
Vocibus hymnos reſonent canentes:
Nam datus mundo nouus eſt precator
Ante Tonantem.

Alme Vincenti, veneranda cuius
Hæc dies totum colitur per orbem:
Quas tibi cantat chorus hic fidelis,
Accipe laudes.

Rite mox annis teneris peractis
Prædicatorum ſitiens adiſti
Ordinem, ſeruans documenta patrũ
Mente pudica.

Tactus è cælis operam dediſti
Litteris ſacris vtriuſque Legis,
Quas docens verbo, fidei repleſti
Lumine mundum.

Inde feruente cito iam propinquum
Sæculi finem fore nunciaſti,
Vt Deum Gentes timeant, patenter
Vociferando.

Angelus alter penitus fuiſti,
Ille qui cæli medium volabat
Nuncians cunctis populis, & linguis.
Iudicis horam.

Lingua quæ ſancta populos docebas,
Rebus & ſignis varijs probabas,
Languidis reddens cruce ſanitatis
Robora membris.

Inter electos modo collocaris,
Semper in cælis merito triumphans,
Fulgidis ſertis redimitus omni
Tempore ſæcli.

Summa ſit Chriſto ſalus, & perennis
Gloria Patri, pariterque ſancto
Flamini, quorum ſine fine virtus
Regnat in orbe. Amen.

℣. Ora pro nobis beate Vincenti.
℞. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Ad Magnificat, Antiphona.

Qui prophetico fretus lumine mira de mundi fine docuit, in occiduo terræ cardine vt ſol Vincentius occubuit: & ſeptus Angelorum agmine, lucidas cæli ſedes tenuit. Oratio.

DEus, qui Gentium multitudinẽ, mira beati Vincentij Confeſſoris tui prædicatione, ad agnitionem tui nominis venire tribuiſti: præſta, quæſumus, vt quem venturum iudicẽ nunciauit in terris, præmiatorem habere mereamur in cælis, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Quando hæc Oratio dicitur ad Mem. & ſequitur alia Memo. ſic terminetur. habere mereamur in cælis, Chriſtum Dominum noſtrum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Veneremur Chriſti vultum: Quem Vincentius prædicauit iudicem eſſe venturum.

Hymnus.

Lumen in terris populi fidelis,
Ciuis, & cæli modo factus alti,
Acta, Vincenti, tua concinentes
Dirige voces.
Flore primæuo nitidæ iuuentæ,
Eligens puræ documenta vitæ,
Ordinis magnum imitans Parentem
Prædicatorum.
Luce doctrinæ rutilans ſerenæ,
Ambitum terræ, pelagique luſtrans,
Semper ardenti reſonando ſacrum
Pectore verbum.
Dum viam cunctis referas ſalutis,
Orbis occaſum canis, & propinquũ,
Iure te clarum genus omne reddit
Prodigiorum.
Hinc velut ſolis radius candentis,
Conditus terra Britonum remota,
Pulchrior regnis oriens ſupernis,
Aethera ſcandis.
Angelis ſeptus, decoratus aſtris,
Doctor & virgo, geminis coronis
Inter illuſtres animas refulges
Munere Chriſti.
Sit Patri, Nato, pariter coæuo
Flamini ſancto ſalus vna, cuius
Nomen in cælis ſine fine laudat
Spiritus omnis. Amen.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Aña. Attentam matrem reddidit latrans in ventre catulus, vt quæreret quem edidit, qualis eſſet infantulus. Pſalm. Beatus vir. 1. Aña. Vincentij ſublimitas quæ ſit futuro tempore, matris monſtrat agilitas, roburque datũ corpori. Pſalm. Quare fremuerunt. 1. Aña. Religionem inclytam poſtquam ſubit Dominici, virtutem ſibi præſtitã laude monſtrat multiplici. Pſal. Domine, quid. 2. ℣. Amauit eum Dominus, & ornauit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum. Lectiones primi Nocturni. De Epiſtola ij. ad Corinth. Scimus enim. Feria v. poſt Dominicam ij. poſt Octa. Epiphaniæ. 107.
℟. j. Summus parens ac rector gentium, in veſpere labẽtis ſæculi, nouum vatem miſit Vincentium, Chriſtiani magiſtrum populi: refert inſtare Dei iudicium, Quod ſpectabunt cunctorũ oculi. ℣. Timete Deum, clamat ſæpius, venit hora iudicij eius. Quod ſpectabunt. ℟. ij. In vrbe nobili Valentia generoſis ortus natalibus, ſincera puer innocentiæ, ingenuis præpollet moribus, naturæ pariter, & gratiæ, Opimis affluens muneribus. ℣. Sub toga regulari candida, vita cœpit florere ſplendida. Opimis affluens. ℟. iij. Chriſti viam ſecutus arduam, à terrenis procul illecebris, veritatem reddit conſpicuam, profligatis errorum tenebris, Oram illuminat occiduam, toto factus In orbe celebris. ℣. Cuius doctrina ſole gratior, ſermo erat flammis ardentior. Oram. Gloria Patri. In orbe celebris.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. Imitans exercitia ducis eius mirifici, purgauit mundi vitia, dono verbi ſaluifici. Pſal. Cum inuocarem. 2.
Aña. Bellauit cum victoria, vincens mundana gaudia: hinc ſumma cæli curia eum cepit cum gloria. Pſal. Verba mea. 2. Aña. Emittebat vberrimas ſæ-

pe plorando lacrymas, Chriſti mortẽ conſiderans, eiuſq. corpus conſecrans. Pſal. Domine Dominus noſter. 4. ℣. Iuſtum deduxit &c.

Ex Bulla Canonizationis, & probatis Auctoribus. Lectio iv.

VIncentius, clariſſima Hiſpaniæ Tarraconenſis Vrbe Valentia, ex antiqua honeſtaque Ferrariorum familia pijs parentibus eſt ortus. Mater adhuc eum vtero geſtãs ſæpius audiuit tanquam latratus canis in vẽtre ſonantes: certum plane indiciũ Euangelici muneris in filio naſcituro, quod eius animantis ſymbolo ſolet in diuinis litteris adumbrari. Ab ipſa ferme infantia, mirifice in illo ſtudium pietatis eluxit: nullus eo frequentius Eccleſiarum limina terebat, nullus auidius ſacris concionibus intererat, nullus crebrius ieiunabat. Annos decem natus, congregatis alijs puerulis, in editiorem locum, ceteris conſidentibus, aſcendebat, & quæ à concionatoribus audierat, voce geſtuq. reddebat, pueros ſubinde rogans, num aptus ineptusve cõcionator ipſis futurus videretur. ℟. Nocte ſacris incumbens litteris contemplatur vigil in ſtudio: mane pulchri ad inſtar ſideris, miro lucet doctrinæ radio, Morbos omnis veſpere generis ſalutari pellens remedio. ℣. Nulla præterit hora temporis, quo non recti quid agat operis. Morbos.

Lectio v.

ANnos iàm adoleſcentiæ agens, cæleſti rore perfuſus, Ordinem Prædicatorum in Valentino Cœnobio eſt ingreſſus. Indutus habitum, ante omnia ſancti Patris ſui Dominici præclara geſta attentiſſime ſibi legenda propoſuit: vt illa cum primis ſedulo obſeruaret, in quibus tantum ducẽ ac parentem eſſet imitaturus. Potiſſimum vero, exemplo præclari magiſtri, ſtudio ſacrarum Scripturarum, ac diuinæ Theologiæ egregiam nauabat operam: vt auidius hauſta opportuno tempore ad populorum ſalutem promere poſſet. Sacris igitur ſtudijs probe perfunctus, in numerum Magiſtrorum Theologiæ eſt cooptatus. Exinde cœpit ſaluberrimas apud populos habere conciones. ℟. Verba perennis vitæ proferens, animos inflãmat aſtantiũ: pectoribus humanis inſerens amorem donorum cæleſtium, de virtutibus alta diſſerens, Frænare docet omne vitium. ℣. Illum auida turba ſequitur, dum hoc ore diuino loquitur. Frænare docet.

Lectio vj.

TAnti igitur viri ſanctitatis & doctrinæ fama cœpit longe lateq. diffundi, qui ſe totum & verbo, & exẽplo proximorum ſaluti procurãdæ penitus conſecrauit. Pro tollendo diro ſchiſmate, quo tunc Eccleſia diſcindebatur, magnos labores pertulit. Auinione cum in grauiſsimum, ac plane deſperatum morbum incidiſſet, affuit illi Chriſtus fulgẽtiſsima & feſtiuiſsima ſpecie, cinctus agminibus Angelorũ, ac ſanctis Patriarchis Dominico & Frãciſco comitatus, qui leuiter tacta Vincẽtii maxilla eum ſurgere à lecto præcepit, & ſuauiſsimis verbis ſolatus

tus eſt: atque etiam iuſſit vt per diuerſas mundi regiones verbũ Dei omni ſtudio prædicaret: iamiamque imminentem ſæculi finem, & extremum Iudicij diem denunciaret. ℟. Quatuor vectarotis agitur mirabilis quadriga Domini Vincentius, cum Chriſto iungitur trino Prædicatorum cardini, Quorum virtute fides regitur: Diuino ſit pia laus nomini. ℣. Ducunt hi rhedam Euangelij, velut equi fortes & varij. Quorum virtute. Gloria. Diuino ſit.

IN III. NOCTVRNO.

Añ. Laude digna Valentia ipſum mortalem edidit: ſed felix hunc Britannia regno cælorum reddidit. Pſal. Domine, quis. 7. Añ. Honores omnes renuit pro Chriſti ſacro nomine, mentem conſtantem tenuit, ſacro rigatus flumine. Pſalm. Domine in virtute. 13. Añ. In Chriſtum ſemper retulit, quidquid fecit dum viueret: ſe à terrenis abſtulit, vt cælum tandem ſcanderet. Pſal. Domini eſt terra. 15. ℣. Iuſtus vt palma florebit, &c.

Lectio vij.

QVamprimum autem ſacram Euangelij propagandi functionem exorſus eſt, hanc cœpit tenere vitæ rationem, quam deinceps vſque ad obitum perpetuo tenore cõſeruauit. Nocturnum tempus, breui deguſtato ſomno, orationibus & ſacris lectionibus tranſigebat. Mane celebrata cum cantu Miſſa, maximo ſpiritus feruore concionabatur: quod ei exercitium pene quotidianum erat. Carnes à tempore ſuæ profeſſionis ad extremum vſque vitæ terminum, niſi graui cogente neceſſitate, numquam comedit. Vinum non niſi multa dilutum aqua ſumebat. Quadraginta annos, præter Dominicos dies, integros ferme ieiunauit. Iter fere ſemper pedes agebat, niſi quòd extrema ſenectute ſaucio crure, coactus ſit humili iumento vehi. Numquam lecto, ſed ſuper ſarmenta, aut palearum ſtramina ſanus cubabat. ℟. Res agitur digna ſpectaculo, ab ignotis quando vectoribus allatos panes tradidit populo degenti ſecum in nemoribus, qui ſæpe ſtupet hauſto poculo, Non conſumptis vini liquoribus. ℣. Tunc exultant virorum millia, dum intuentur viri magnalia. Non conſumptis. Gloria.

Lectio viij.

IN ſacroſancti incruenti ſacrificij celebratione ingentem lacrymarum vim fundebat. Claruit etiam ſpiritu Prophetico. Incredibile dictu quàm vberes animarũ ſalutis fructus ex ſua prædicatione reportarit. Supra centum millia perditorum hominum ad meliorem frugem, & ante actæ vitæ ſeriam pœnitentiam traduxit. Pluſquam viginti quinque millia Iudæorum conuertit ad Chriſtum: & ſupra octo millia Saracenorum, relicto Mahomete, ad Eccleſiam adduxit. Nactus quoque illud mirabile Spiritus ſancti donum, vt vernacula ſuæ gentis lingua apud diuerſiſſimas nationes prædicans, ab omnibus clariſſime intelligeretur: ab Regibus & Princi-

Principibus magnô ſemper in pretio habitus. ℟. Vincentium doctorem inclytum, cum decore ſemper & gloria, ſanctitate illuſtri præditum, veneratur omnis Heſperia, cuius celſum monſtratur meritum, In tumuli ſacra memoria. ℣. Hinc mirifica ſigna prodeunt: nã ad vitã defuncti redeũt. In.

Lectio ix.

Virginitatis integerrimam puritatem illibatam ſemper, velut pretioſum monile, ſecũm in cælum intulit. Nullus neque ex intimioribus amicis carnem eius vnquam nudam aſpexit: ad quam in officio continendam, ſingulis noctibus per totam fere vitam duro flagello acriter nudũ corpus cædebat. Delectus cum alijs Iudex arbiter apud Caſpenſe oppidum, regnum Aragoniæ Ferdinando Infanti Caſtellæ adiudicauit. Patres quoque Concilij Conſtantienſis plurimũ ei detulerunt, honorifica ad eum legatione deſtinata. Tandem peragratis multis regionibus, multis in propagatione Euangelij exantlatis laboribus, Venetiæ in Britannia Minori, receptis deuotiſſime Eccleſiaſticis Sacramentis, feliciter ſpiritum Chriſto reddidit, anno Salutis milleſimo quadringenteſimo decimo nono: innumerabiliũ miraculorũ tam viuens quàm poſt mortem patrator. Vir plane diuinus & Apoſtolicus, potens in opere & ſermone: adſcriptus eſt Sanctorum Catalogo à Calliſto Tertio Põtifice. ℟. Prædicator ò Vincenti doctor maxime, quem Angelorum cum ordinibus triumphantem, felices animæ perſequuntur iucundis laudibus, Te laureæ coronant plurimæ, Sublimem in regnis cæleſtibus. ℣. Tu Chriſti potens gratia, nos tuis foue precibus: quem aſcripſit Eccleſia ſacris Sanctorum cœtibus. Te laureæ. Gloria Patri. Sublimem. ℣. Ora pro nobis &c.

IN LAVDIBVS, Antiphona.

Feſtiua vox pſallentium collaudet Regem gloriæ, qui cum ſanctis Vincentium glorificauit hodie. Pſal. Dominus regnauit. cum reliquis Antiphona. Erat vir Euangelicus Chriſti præco cũm prædicat: dux illius Dominicus in terris ipſum viſitat. Aña. Candens virgo diuinitus hoſtem pellit ab obſeſſis: cunctis viuens humanitus ſalutem reddit oppreſſis. Aña. Infantulus laceratur mox matris per excidium: vitæ alter reſtauratur, quem clauſit præcipitium. Antiph. Tunc ſub patenti ſpecie Angelorum exercitus: odor portentum gratiæ, conuenit hora tranſitus. Capitulum. Mihi omnium. Hymnus.

Magna Vincenti noua lux olympi,
Noctis obſcuræ tenebras reſolue:
Vt tuas puro modulemur omnes
Carmine laudes.

Sidus extremæ Venetenſis oræ,
Et Valentinæ decus vrbis almæ:
Ordinis ſacri nitor es, & æui
Gloria noſtri.

Cuius inſtructi monitis Hebræi,
Vna cum Mauris, veteri relicta
Lege, diuinis renouantur vndis,
Men-

Mente fideli.

Signa quæ multis patuere terris,
Te probant amplis meritis refertum,
Ac viris celſis fore comparandum
Temporis acti.

Dæmonum ſæuos reprimis furores,
Peſtis & morbos miſeratus omnes:
Sæpe defunctos reuocas in auras
Lucis amœnas.

Inde poſt claræ monimenta vitæ,
Ad poli regnum, ſuperumq. cœtum
Lætus aſcendis, capiens perennes
Victor honores.

Sit Patri, Nato, ſimul vtriuſque
Flamini ſplendor, decus, & poteſtas:
Cuius æternum chorus Angelorum
Numen adorat. Amen.

℣. Iuſtus germinabit ſicut lilium. ℟. Et florebit in æternum ante Dominũ.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cuius ſincera puritas virginali candore nituit: ſalutaris doctrinæ veritas prædicando vbique claruit: illi ſumma bonitas geminam pro meritis coronam tribuit.

Ad Tertiam, Cap. Mihi omnium.

Ad Sextam, Capitulum. *Apoc.* 10.

Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.

Ad Nonam, Capitulum. *Iſa.* 43.

Noli timere, quia ego tecũ ſum: ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente cõgregabo te. Dicam Aquiloni, Da: & Auſtro, Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.

Ad Veſp. Cap. Hymn. ℣. vt in primis Veſp. Ad Magnificat, Antiphona.

Glorioſe pater ò Vincenti, cui arcem ſcandenti polorum, cũ honore obuius ingenti plaudens venit chorus Angelorum, canentes te duc laude frequenti ad amœna regna beatorum.

Per Oct. Ad Benedictus, Antiphona.

Peruigil Chriſti nuncius vocans ad lucis opera, ad fruenda Vincentius nos ducat vitæ munera. ℣. Iuſtus germinabit ſicut lilium. &c.

Ad Magnificat. Antiphona.

Adſit nobis propitius in huius vitæ veſpere, ad Chriſtũ nos Vincẽtius tuto ferẽs itinere. ℣. Ora pro nobis &c.

In Paſchali Tempore ad vtraſque veſperas, & ad omnes Horas dici, fiant omnia, ſicut prænotatum eſt: niſi quod Aña. ℟℟. & ℣℣. dicuntur cum Allel. Ad Matutinum, Inuitat. & Hymn. vt ſupra. In Noctur. tres primæ Antiphonæ, cum ſuis Pſalmis: & legantur tres Lectiones de ſuprapoſitis, Secunda videlicet de Scriptura, initium Quartæ cum tota Sexta & Nona: cum tribus vltimis ℟℟. In Laudib. omnia vt ſupra.

COMMVNE SANCTORVM
Temporis Paſchalis.

In Communi vnius Apoſtoli, ſeu plurimorum, ſiue vnius Euangeliſtæ, in Paſchali Tempore, ad Veſp. ſuper Pſal. Antiph. Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpẽte: & accipietis regnum æternum, allelu. ℟. Candidi. ℣. Ad Magnificat, Antiph. Filiæ Ieruſalem venite, & videte Martyrem cum corona, qua coronauit

eum

eum Dominus in die ſolemnitatis, & lætitiæ, alleluia, alleluia.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Exultent in Domino ſancti, Alleluia. Super Pſalmos, Aña. Triſtitia veſtra, alleluia, vertetur in gaudium, alleluia. Tres Pſal. & ℣. ante 1. Lect. de Communi Apoſt. dicantur ſecundum ordinem Noct. ℟. j. Virtute magna reddebant Apoſtoli Teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri, alleluia, allel. ℣. Repleti quidem Spiritu ſancto loquebantur cum fiducia verbum Dei. Teſtimoniũ. ℟. ij. Iſti ſunt agni nouelli, qui annunciauerunt, alleluia: modo venerũt ad fontes, Repleti ſunt claritate, alleluia, alleluia. ℣. In conſpectu Agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Repleti ſunt. ℟. iij. Cãdidi facti ſunt Nazaræi eius, alleluia: ſplendorem Deo dederunt, alle. Et ſicut lac coagulati ſunt. Allel. allel. ℣. In omnẽ terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum. Et ſicut. Gloria. Alleluia.

IN LAVDIBVS, Aña.

SAncti tui Domine florebunt ſicut lilium, allel. & ſicut odor balſami erunt ante te, allel. Pſalm. Dñs regn. cum reliquis. Aña. Sãcti & iuſti in Domino gaudete, alleluia: vos elegit Deus in hereditatẽ ſibi, allel. Aña. In velamento clamabunt ſancti tui Dñe allel. allel. allel. Aña. Spiritus, & animæ iuſtorum hymnum dicite Deo noſtro, alleluia, allel. Aña. In cæleſtibus regnis ſanctorum habitatio eſt, allel. & in æternum requies eorum, alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Lux perpetua lucebit ſanctis tuis Domine, alleluia, & æternitas temporum, alleluia, alleluia, alleluia.

Ad Veſp. ſup. 1. Pſal. Aña. Sancti tui. Pſal. Dixit Dñs. & ceter. de Apoſt.

Ad Magnificat, Antiphona.

In ciuitate Domini clare ſonãt iugiter organa Sanctorum: ibi Angeli & Archangeli hymnum decantant ante thronum Dei, alleluia. Cetera omnia ſumantur de Communi Apoſtolorum & Euangeliſtarum alterius temporis.

IN COMM. VNIVS MART.

in Paſchali tempore.

Ad Veſp. ſuper Pſal. Aña. Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde, allel. ℟. Deo ore prudentis. ij.

Ad Magnificat, Antiphona.

Filiæ Ieruſalem. Ad Matut. Inuitat. Exultent. In Noctur. Aña. Triſtitia. Tres Pſal. & ℣. dicantur de uno Martyre ſecundum ordinem Noctur. ℟. j. Beatus vir, qui metuit Dominũ, allel. In mandatis eius cupit nimis, allel. ℣. Potẽs in terra erit ſemẽ eius: generatio rectorum benedicetur. In. ℟. ij. De ore prudentis procedit mel, allel. dulcedo mellis eſt lingua eius, allel. Fauus diſtillans labia eius, allel. allel. ℣. Sapientia requieſcit in corde eius, & prudentia in ſermone oris illius. Fauus. ℟. iij. Filiæ Ieruſalem, venite, & videte martyrem cum corona, qua coronauit eum Dominus, In die ſolẽnitatis, & lætitiæ, Allel. ℣. Induit illum Dominus ſtolam gloriæ, &

corona-

Digitized by Google

coronauit eum. In die. Gloria. Allel. In Laudibus, Aña. Sancti tui & aliæ vt ſupra. In Feſto vero trium Lectionum vna tantum dicatur. Ad Benedictus, Antiphona. Lux perpetua. Ad Horas Añæ Laud. ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona. Sancti tui.

Ad Magnificat, Antiphona. In ciuitate. Cetera omnia ſumantur de Communi vnius Martyris alterius temporis.

IN COMMVNI PLVRIMORVM.

Martyr. in Temp. Paſchali.

Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona. Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, alleluia. ℟. Lux perpetua. ℣. Ad Magnificat, Antiph. Filiæ Ieruſalem.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Exultent. Super Pſalm. Antiphona. Triſtitia veſtra. Tres Pſal. & ℣. dicantur de Martyr. ſecūdū ordinē Noctur. ℟. j. Pretioſa in conſpectu Domini, alleluia, Mors ſanctorum eius, allel. ℣. In conſpectu populi eius. Mors ſanctorum. ℟. ij. Triſtitia veſtra, alleluia. Conuertetur in gaudium, alleluia, alleluia. ℣. Mundus autē gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra. Conuertetur. ℟. iij. Lux perpetua lucebit ſanctis tuis Domine, & æternitas temporum. Allel. allel. ℣. Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt. Alleluia. Gloria. Alleluia. In Laudibus, Antiphona. Sancti tui. Ad Benedict. Antiph. Lux perpetua. Cetera omnia ſumantur de Communi plurimorum Martyrum, alterius temporis.

IN COMMVNI VNIVS

Confeſſ. in Temp. Paſchali.

Super Pſalm. Antiph. Iſte ſanctus digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium tranſijt Angelorum, alleluia. ℟. De ore prudentis.

Ad Magnificat, Antiphona. Filiæ Ieruſalem. Ad Matutinum, Inuitatorium, Aña. ſuper Pſalm. ℟℟. Añæ. Laud. Aña ad Benedictus, & ad Magnifi. ſicut ſupra in Communi vnius Mart. notatum eſt. Tres Pſalm. in Noctur. cum vno ℣. de Communi vnius Confeſſ. alterius temporis ſecundum Ferias: cetera ſimiliter de eodem Communi accipiantur.

AD Memoriam vnius, vel plurimorum Sanctorum in Tempore Paſchali in Veſper. Antiphona. Filiæ Ieruſalem. In Laudib. Antiph. Lux perpetua. ℣. ſicut in alio Tempore. De Virginibus vero, & de non Virg. fiat tam Officium, quam Memoria, ſicut in alio tēpore cum Allel. niſi quòd tres tantum Pſalmi, & tres Lect. dicētur. Quòd ſi cōtingat celebrari de vno Mart. ſiue Confeſſ. & fieri Mem. de alio Martyre, vel Confeſſ. eodem die ad Magnif. & ad Benedict. dicatur pro vno Aña de Communi Temp. Paſchalis, & ad Memor. alterius de Communi extra Tempus Paſchale. *Die xiiij. Aprilis.*

IN FESTO SS. TIBVRTII

& Valeriani mart. iij. Lect.

Ora-

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt qui ſanctorum martyrũ tuorum Tiburtij, Valeriani, & Maximi ſolemnia colimus: eorum etiam virtutes imitemur. Per Dominum.

Ex ſinceris Actis S. Cæciliæ, & Romano Breuiario. Lectio ij.

VAlerianus Romanus, nobili genere ortus, Alexandro Seuero Imperatore, hortatu beatæ Cæciliæ virginis, quã ſibi pari nobilitate vxorem deſponderat, vnà cum Tiburtio fratre à ſancto Vrbano Papa baptizatur. Quos vbi Præfectus Vrbis Almachius Chriſtianos eſſe cognouit, & patrimonio pauperibus diſtributo, Chriſtianorũ corpora ſepelire, accerſitos grauiter reprehendit: atque vbi Chriſtum Deum conſtanter confitentes, deos autem dæmoniorum inania ſimulacra prædicantes videt, virgis cædi iubet. Lectio iij.

SEd cum verberibus cogi non poſſent, vt Iouis ſimulacrum venerarentur, immo fortes in fidei veritate permanerent, ad quartum ab Vrbe lapidem ſecuri feriuntur. Quorum virtutem admiratus Maximus Præfecti Cornicularius, qui eos ad ſupplicium perduxerat, Chriſtianum ſe eſſe profeſſus eſt, cum multis præterea Præfecti miniſtris: qui paulo poſt plũbatis contuſi, omnes ex diaboli miniſtris, Chriſti Domini martyres euaſerunt. *Die xx. Aprilis.*

IN FESTO B. AGNETIS de Monte Politiano, Virginis Ordinis Prædicatorum. Totum Duplex.

Oratio.

DEus, qui beatam Agnetem virginem tuam cæleſti rore ſæpe perfundere, & orationis eius loca diuerſis enatis floribus decorare dignatus es: concede propitius, vt eius precibus, perpetuo tuæ benedictionis rore conſperſi, æternitatis fructus percipere mereamur. Per Dominum.

De Libro Apocalypſis beati Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 14.

ET vidi, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. Et nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit.

Ex B. Raymundo Capuano, & ex Bulla Beatificationis data à Clemẽte VIII. Anno Domini 1601. *Die* 23. *Februarij.* Lectio ij.

AGnes virgo Ordinis ſancti Patris Dominici, in pago quodam vrbis Montis Politiani pijs parentibus nata, qua hora ex aluo materna prodiit, cereæ faces apparuerunt in eo conclaui accenſæ diuinitus. Nonum agens annum, religionis habitum in ſacro Virginũ cœnobio ſuſcepit. Non maior annis quatuordecim ſæpe inter precandum, nullis adminiculis nixa, cubito à terra tollebatur. Annum quin-

quintumdecimum necdum egreſſa, Summi Pontificis iuſſu, monaſterio ſacrarum Virginum vel inuita præficitur. Eius lectulus nuda humus, ſaxum durum fuit illi ceruical. Quindecim annos quotidie ieiunauit, ſolo pane & aqua contenta. Sæpe obſeruatũ eſt eius pallium, cum ab oratione ſurgeret, rore quodam candido reſperſum, cuius guttæ ſingulæ Crucis effigiem referebant. Interdum locus vbi genua ad precandum fixiſſet, ſubito enatis floribus, violiſque pulcherrimis ornabatur. Lectio iij.

DVm oraret aliquando, à ſacra Deipara Ieſum forma lactentis infantis accepit, eumque aliquamdiu ſinu complexa, paruulam Crucem tenui filo nexam, ab eiuſdem collo recedentis pio furto detractam, meruit retinere. Quin etiam terram Chriſti ſanguine in paſſione fuſo cruentatam diuinitus accepit: ac fruſtum quoque peluis, vbi ipſe infantulus Ieſus à Virgine matre fuit ablutus. Sed & SS. Apoſtoli Petrus, & Paulus particulis ſuarum veſtium eandem pro magno munere donarunt. Sæpius eidem Angelus Euchariſtiam ſua manu porrexit: Vix mente concipi poteſt, quantis eam Chriſtus ſponſus cæleſtibus honoribus decorauerit. Virtutibus & miraculis illuſtris, ac pretioſa virginitatis corona redimita migrauit in cælum, anno ſalutis milleſimo trecenteſimo decimo ſeptimo. Cum S. Catharina Senenſis eius corpus integrũ, atque incorruptum in ſepulchro ſeruatum inuiſeret, ac eius pedes de oſculari vellet, Agnes alterum pedem extulit ad os vſque Catharinæ: quæ cum alio etiam tempore reuerſa, ſe ad caput Agnetis demiſiſſet, manna inſtar niuis toto illo loco pluere cœpit. Cætera de Communi Virg. Per Octau. & in Octau. Mart. ôr.

Die xxiij. Aprilis.

IN FESTO S. GEORGII

Martyris. Simplex. Oratio.

DEus, qui nos beati Georgij martyris tui meritis & interceſſione lætificas: concede propitius, vt qui tua per eum beneficia poſcimus, dono tuæ gratiæ conſequamur. Per.

Ex probatis Auctoribus. Lectio iij.

GEorgius genere Cappadox, ſub Diocletiano Imperatore illuſtre peregit martyrium. Poſt carceres enim, verbera, rotam gladijs armatam, & alia tormenta, per ſanguinem migrauit ad Chriſtum. Eius venerandum caput Romæ ſeruatur ad Velum Aureum, quod Zacharias Papa in theca repertum, cum Græca inſcriptione ibidem recondidit. Redditus eſt hic ſanctus Martyr toti Orienti, & Occidenti clariſſimus, cum in varijs regionibus plura celebrentur eius diuina miracula. Reges etiam in bellis ipſum implorare ſolitos, plura & antiqua & recentiora promuntur exẽpla. Romana quoque Eccleſia inter ſanctos, quos præcipue aduerſus fidei hoſtes inuocare conſueuit, Sanctũ Georgium cumprimis vt ſingularem patronum veneratur.

Die

Digitized by Google

Die xxiv. Aprilis.

IN FESTO S. ADALBERTI Epiſc. & mart. Tres Lectiones.

Oratio.

INfirmitatem noſtram omnipotens Deus reſpice: & quia pondus propriæ actionis grauat, beati Adalberti martyris tui atque Pontificis interceſſio glorioſa nos protegat. Per Dñm.

Ex Anonymo Monacho eius familiari ac integræ fidei. Lectio ij.

ADalbertus natione Boemus nobilibus parentibus è regio ſanguine ortus, cum adoleſcens terrenis delicijs incubaſſet, viſo Epiſcopi Pragenſis horribili obitu, qui moriens exclamauerat, ſe à nigris ſpiritibus deportari: ad mentem redijt, & magno cleri plebiſque conſenſu in Epiſcopũ Pragenſem eligitur. Epiſcopatu ſuſcepto, Eccleſiæ prouẽtus ita partitus eſt: vt vna pars Clero cederet, altera pauperibus, tertia captiuis, quarta ſuis, ſuorumque neceſſarijs vſibus inſeruiret. Mirifice ſe virtutum omnium genere exercebat. Sed vitia ſubditorum ferre non valens, Romam profectus eſt, ibique monachum agere cœpit.

Lectio iij.

ALiquando interrogatus, cur vir tantus ſine Epiſcopali baculo incederet, memorabile illud reſpõdit: Viuit Deus in cuius conſpectu ſto, facile eſt geſtare pedum, ſed difficile reddere rationem. Poſt varias igitur ad ſacra loca ſuſceptas peregrinationes, Polonis & Hungaris Euangeliũ prædicauit: ac tandem à barbaris gladio trãſuerberatus, martyrij palmam adeptus cælum victor intrauit. Quem quoque Dominus multis in vita & poſt mortem miraculis illuſtrauit.

Die xxv. Aprilis.

IN FESTO S. MARCI Euangeliſtæ. Totum Duplex.

Oratio.

DEus, qui beatum Marcum Euangeliſtam tuum Euãgelicæ prædicationis gratia ſublimaſti: tribue quæſumus, eius nos ſemper, & eruditione proficere, & oratione defendi. Per Dominum.

De Libro Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 4.

ET in conſpectu ſedis tamquam mare vitreum, ſimile cryſtallo: & in medio ſedis, & in circuitu ſedis, quatuor animalia plena oculis ante & retro. Et animal primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti. Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas: & in circuitu, & intus plena ſunt oculis: & requiem nõ habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sãctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.

Ex Libro S. Hieronymi Presbyteri, de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Lectio ij.

MArcus diſcipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue ſcripſit Euangeliũ. Quod cum Petrus audiſſet, & probauit, &

Eccleſiæ legendum ſua auctoritate dedit. Aſſumpto itaque Euangelio quod ipſe confecerat, perrexit in Aegyptum, & primus Alexandriæ Chriſtum annuncians, conſtituit Eccleſiã tanta doctrina & vitæ continentia, vt omnes ſectatores Chriſti ad exemplũ ſui cogeret. Denique Philo diſertiſſimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam Eccleſiam adhuc iudaizantẽ, quaſi in laudẽ gentis ſuæ librũ ſuper eorũ cõuerſatione ſcripſit. Lect. iij.

ET quomodo Lucas narrat Ieroſolymæ credentes omnia habuiſſe communia: ſic & ille, quod Alexandriæ ſub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus eſt autem octauo Neronis anno, & ſepultus Alexandriæ.] Martyrio obiiſſe certum eſt. Fuiſſe Marcum primum parentem, & auctorem Aegyptiorum Monachorũ etiam conſtat. S. Petrus Martyr Alexandrinus Epiſcopus, cũ ſacra myſteria celebraturus in throno S. Marci nollet de more ſedere, ſed potius in ſuppedaneo ſcabello maneret, id ægre ferenti populo, reſpondit: Plerumq. cum throno illi appropinquare volo, video quandam in eo diuinam ſedere virtutem, fulgore luminis admodũ radiantem. Mox ego inter gaudiũ & pauorẽ ſuſpenſus, agnoſco me tãtæ ſeſſionis prorſus indignũ.

Die xxviij. Aprilis.

IN FESTO S. VITALIS mart. Tres Lectiones. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt, intercedente beato Vitale martyre tuo, & à cunctis aduerſitatibus liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mẽte. Per Dominum noſtrum.

Ex Actis SS. Geruaſii, & Protaſii, & Romano Breuiario.

Lectio iij.

VItalis miles, ſanctorum Geruaſij & Protaſij pater, vnà cum Paulino iudice Rauennam ingreſſus, cum vidiſſet Vrſicinum medicum ob Chriſtianæ fidei confeſſionem ductũ ad ſupplicium, paululũ in tormentis titubare, exclamauit: Vrſicine medice, qui alios curare ſolitus es, caue ne te mortis æternæ iaculo cõficias. Qua voce confirmatus Vrſicinus, martyrium fortiter ſubiuit. Quare Paulinus incenſus, Vitalem comprehendit iubet, & equuleo tortũ, atque in profundam foueã demerſũ, lapidibus obrui. Quo facto quidã Apollinis ſacerdos, qui Paulinum in Vitalem incitarat, oppreſſus à dæmone, clamare cœpit: Tu me nimium Vitalis Chriſti martyr incendis: & illo æſtu iactatus, ſe præcipitauit in flumen.

Die xxix. Aprilis.

IN FESTO S. PETRI MART. Ordin. Prædicat. Totum Duplex. Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona. Collætetur turba fidelium triumphantis athletæ gaudio: qui conſeruans pudoris lilium, & coruſcans doctrinæ radio, dum pro fide ſubit martyrium, trino felix potitur brauio, alleluia. Pſalm. Laudate pueri. cum ceteris. ℟. Dum Samſonis. iij.

Hymnus.

Hymnus.

MAgnæ dies lætitiæ,
Nobis illuxit cælitus:
Petrus ad thronum gloriæ
Martyr peruenit inclytus.
Puer in fide claruit,
Parentum carens nebula:
Deo ſeruire ſtuduit
Sub paupertatis regula.
Carnem afflixit iugiter
In labore multiplici:
Viam ſequens humiliter
Patris ſui Dominici.
Vita, mors, ſigna varia,
Cælum frequenti lumine,
Dant Petro teſtimonia
De ſanctitatis culmine.
Quæſumus auctor omnium,
In hoc Paſchali gaudio,
Per ipſius ſuffragium
Creſcat noſtra deuotio.
Gloria tibi Domine,
Qui ſurrexiſti à mortuis:
Et fortes in certamine
Sertis ornas perpetuis. Amen.

℣. Ora pro nobis beate Petre &c.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Petre martyr inclyte, Prædicatorũ gloria, virginitate prædite, verbo, ſignis, & gratia, conceſſa nobis ſolitæ pietatis clementia, tranſacto mundi tramite, nos transfer ad cæleſtia, allel.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotẽs Deus: vt beati Petri martyris tui fidem congrua deuotione ſectemur: qui pro eiuſdem fidei dilatatione, martyrij palmam meruit obtinere. Per.

B.P.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Cæleſtis exercitus Regem adoremus, Et pro palma militis eius iubilemus, alleluia.

Hymnus.

ADeſt triumphus nobilis,
Feſtumq. cæli curiæ,
Quo roſa delectabilis
Offertur Regi gloriæ.
Petrus flos pulchritudinis,
Et virtutum ſacrarium,
Nullum mortalis criminis
Senſit vnquam contagium.
Roborare cum nititur
Fidem verbi præconio,
Pro fide tandem cæditur
Hæreticorum gladio.
Dum ſic in petra fidei,
Petri tenet veſtigia,
Ad petram Chriſtum prouehi,
Meretur cum victoria.
Quæſumus auctor &c.

In Noct. Aña. De fumo lumen oritur, & roſæ flos de ſentibus: doctor, & martyr naſcitur Petrus de infidelibus, alleluia. Pſal. Beatus vir. 1. Aña. Prædicatorum Ordinis militans in acie, nũc coniunctus eſt agmini cæleſtis militiæ, alleluia. Pſalm. Quare fremuer. 1. Aña. Mens fuit Angelica, lingua fructuoſa: vita Apoſtolica, mors quàm pretioſa, alleluia. Pſal. Domine quid. 2. Gloria & honore coronaſti eum Domine. &c.

De Epiſtola ij. B. Pauli Apoſtoli ad Timotheum. Lect. j. C. 3.

TV autem aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectio-

nem, ſapientiam, perſecutiones, paſſiones: qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconij, & Lyſtris: quales perſecutiones ſuſtinui, & ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes, qui pie volunt viuere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur. Mali autem homines, & ſeductores proficient in peius, errantes, & in errorem mittentes. Tu vero permane in ijs, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris: & quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. ℞. O Petre ſidus aureum, ſummi vas honoris, candorem ſeruans niueum dono Creatoris, Decus habes virgineum in ſupernis choris, alleluia. ℣. Tu ſpeculum munditiæ, tu cuſtos innocentiæ, tu ſancti flos pudoris. Decus habes.

Ex Bulla Canonizationis, & probatis Auctoribus, ac Romano Breuiario.

Lectio ij.

PEtrus, Veronæ parentibus Manichæorum hæreſi infectis natus, ab ipſa pene infantia contra hæreſes pugnauit. Puer annorum ſeptem, cum ſcholas frequentaret, aliquando à patruo hæretico interrogatus, quid tandem in ijs didiciſſet, Chriſtianæ fidei Symbolum ſe didiciſſe reſpondit: neque vllis vnquam patris, patruique blãdicijs, aut minis, à fidei conſtantia dimoueri potuit. Adoleſcens Bononiam ſtudiorum cauſa venit: vbi à Spiritu ſancto ad ſublimioris vitæ formã vocatus, Ordinis Prædicatorum inſtitutum ſuſcepit. Magno virtutum ſplendore in religione eluxit: corpus & animam ab omni impuritate ita cuſtodiuit, vt nullius mortiferi peccati labe ſe inquinatum vmquam ſenſerit. Carnẽ ieiunijs & vigilijs macerabat: mentem diuinis contemplationibus exercebat: virginitatis decus inuiolatum perpetuo conſeruauit. ℞. Prædicator feruidus, fidei zelator, circuit intrepidus hæreſum damnator: vitiorum rigidus ſemper expugnator, Veritatis lucidus doctor, & amator, alleluia. ℣. Verbo, vita prædicat, ſignis crebris emicat legis æmulator. Veritatis.

Lectio iij.

IN ſalute animarum procurandæ aſſidue verſabatur: peculiaris gratiæ dono hæreticos acriter confutabat. Itaque hæretici necem, quam is paulo ante concionando prædixerat, illi intulerunt. Nam cum ſanctæ Inquiſitionis munus gereret, illum Como Mediolanum redeuntem, impius ſicarius ſemel atque iterum in capite gladio vulnerauit: iamque pene mortuus, Symbolum fidei, quam infans virili fortitudine confuſus fuerat, in ipſo ſupremo ſpiritu pronunciauit: iterumque latera mucrone tranſuerberatus, ad Martyrij palmam migrauit in cælum, anno Salutis milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecũdo: quem multis illuſtrem miraculis Innocentius Quartus anno ſequenti ſanctorũ Martyrũ numero adſcripſit. ℞. Dũ Samſonis vulpes quærit, ab iniquis emitur: caput ſacrũ lictor ferit, iuſti

ſanguis

Digitized by Google

ſanguis funditur; Sic triumphi palmã gerit, dum pro fide moritur, Alleluia. ℣. Stat inuictus pugil fortis, conſtans profert hora mortis fidem pro qua patitur. Sic. Gloria. Alleluia.

IN LAVDIBVS, Aña.

PEtrus nouus incola, cælos laureatus aſcendit, aureola triplici dotatus, alleluia. Pſal. Dominus regnauit. cum reliquis. Aña. Turbæ currunt languentium, ſigna coruſcant varia: & in Petri præconium crebra creſcunt prodigia, allel. Aña. Bolus digne ſuffocat guttur detrahentis: ſed mox ipſum reuocat votum pœnitentis, allel. Aña. Motu, ſenſu corporis iuuenis priuatur: tactu ſacri pulueris vitæ reſtauratur, alleluia. Aña. Ad ſancti Petri tumulum fſequens lux deſcendit: in cuius laudis titulum, lampades accendit, alleluia. Hymnus.

EXultet claro ſidere,
Fulgens mater Eccleſia:
Petrus martyr in æthere
Noua profudit gaudia.
Pauper, pudicus, humilis,
Chriſto ſe totum dedicat:
In lege Dei docilis,
Verbis, exemplis prædicat.
Triumphat per martyrium,
Chriſti fortis in acie,
Conſeruans ſemper lilium
Virginalis munditiæ.
Lux cæli, vitæ meritum,
Cum ſignorum frequentia:
Petri commendant exitum,
Et prædicant magnalia.
Quæſumus auctor &c.

B.P.

Ad Benedictus, Antiphona.

Summa pollens Petrus munditia, & præfulgens doctrinæ gratia, martyrij clarus victoria, trinæ fulget coronæ gloria, alleluia. Ad Veſp. ſuper Pſal. Aña. Petrus. Hymn. ℣. vt in j. Veſp. Ad Magnificat, Antiphona.

O martyr egregie, doctor veritatis, puritatis vaſculum, norma ſanctitatis, tua per ſuffragia, veniam peccatis, & vitã in gloria præſta cum beatis, alleluia. Pro Octaua fiat Memoria [illegible] per Añam. Petrus nouus. ℣. Corona aurea. Ad Veſp. per Añam [illegible] ℣. Ora pro nobis. Oratio vt ſupra.

FESTA MAII. *Die j.*

IN FESTO SS. PHILIPPI

& Iacobi Apoſt. Tot. Dupl. Omnia de Comm. Apoſt. Temp. Paſchali. 662. præter hic poſita. ℟. Tanto tẽpore. iij.

Oratio.

DEus, qui nos annua Apoſtolorũ tuorum Philippi & Iacobi ſolemnitate lætificas: præſta quæſumus, vt quorum gaudemus meritis, inſtruamur exemplis. Per Dominum.

De Epiſtola ij. B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios. Lect. j. C. 4.

HAbentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt. Credidi, Propter quod locutus ſum: & nos credimus, Propter quod & loquimur, ſcientes quoniam qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum. Omnia enim propter vos: vt gratia abundans, per multos in gratiarũ actione, abundet in gloriam Dei. Propter quod non deficimus: ſed

Digitized by Google

licet is,qui foris eſt, noſter homo corrumpatur:tamen is, qui intus eſt,renouatur de die in diem.

Ex antiquis Auctoribus, & Romano Breu. Lectio ij.

PHilippus Bethſaidæ natus, vnus ex duodecim Apoſtolis,cuius nõ ſemel ſacra Euangelia meminerunt, accepto Spiritu ſancto, cum ei Scythia ad prædicandum Euãgelium obtigiſſet, omnem fere illam gentem ad Chriſtianam fidem cõuertit. Poſtremo cum Hierapolim Phrygiæ veniſſet,pro Chriſti nomine Cruci affixus, lapidibuſq. obrutus eſt, Kalẽdis Maij. Eius corpus ibidem à Chriſtianis ſepultum,poſtea Romam delatum, in Baſilica duodecim Apoſtolorum, vnà cũ corpore beati Iacobi conditum eſt.

Ex ſancto Hegeſippo, S.Hieronymo, & alijs, ac Rom. Breu.

Lectio iij.

IAcobus frater Domini cognomento Iuſtus, ab ineunte ætate vinum, & ſiceram non bibit, carne abſtinuit, numquam tonſus eſt, nec vnguento, nec balneo vſus, cui etiam aſſiduitas orandi ita callum genibus obduxerat, vt camelorum duritiem traxiſſe viderentur. Ab Apoſtolis poſt Aſcenſionem Domini Ieroſolymorum Epiſcopus ordinatus,cũ plures annos illi Eccleſiæ ſanctiſſime præfuiſſet,Chriſtum Dei Filium conſtantiſſime prædicans, lapidibus primum appetitus,mox in altiſſimum templi locum adductus,inde præcipitatur. Qui cum confractis cruribus adhuc ſemiuiuus tendens in cælum manus diceret: Domine,ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt, fullonis fuſte grauiter in capite percuſſus, animam Deo reddidit, ſeptimo Neronis anno. ℟. Tanto tempore vobiſcum ſum,& non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum,alleluia: non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Alleluia, alleluia. ℣. Domine, oſtende nobis Patrem,& ſufficit nobis. Philippe. Gloria. Alleluia.

IN LAVDIBVS, Aña.

DOmine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis,alleluia. Pſalm. Dominus regnauit. cum ceteris. Aña. Philippe qui videt me, videt & Patrem meum, alleluia. Aña. Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum,alleluia. Aña. Si cognouiſſetis me, & Patrem meum vtique cognouiſſetis:& amodo cognoſcetis eum, & vidiſtis eum, alleluia, alleluia, alleluia. Aña. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem:quia Pater maior me eſt,allel.

Ad Benedictus, Antiphona.

Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque petieritis, fiet vobis, alleluia,alleluia,allel.

Die ij. Maij.

IN FESTO S. ANTONINI Archiepiſcopi Florentini, Ord.Prædicatorum. Totum Duplex.

Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona.

O Virgo,ò doctor, ò vigil,& bone paſtor,vota noſtra, & voces ne deſpice: ſed

ſed qui te laudibus efferunt, pietatis ſinu complectere, alleluia. Pſal. Laudate pueri Dominum. cum ceteris.

Capitulum. *Eccl.44.*

ECce ſacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inuentus eſt iuſtus: & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio. ℞. Vir Dei Antoninus. iij.

Hymnus.

VT Antonini gloriam
Concinamus vberius,
Afflare nunc pectoribus
Noſtris Deus omnipotens.
Is teneris ab vnguibus,
Sacros edoctus canones,
Mundi ſpretis illecebris,
Chriſti ſe iugo ſubdidit.
Prædicatorum Ordinem
Delegit inter ceteros,
Vt litteris, & moribus
Incumberet ardentius.
Sed non bene ſub modio,
Lumen ardens occulitur,
Ad præſulatum trahitur
Lucens, inflammans populos.
Quæſumus auctor omnium,
In hoc Paſchali gaudio,
Aeternæ mortis iaculum
Eius vitemus precibus.

vel Tempore Aſcenſionis. Tu eſto noſtrum. Gloria tibi Domine, qui ſurrexiſti à mortuis. vel, qui ſcandis ſupra ſidera. ℣. Ora pro nobis beate Antonine, allel. ℞. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona

Te virginum chorus laudat, te doctorum cœtus prædicat, te vnanimi voce ſancti præſules præſulem admirantur: ò beate Antonine, nos te quoque laudantes, paternis ſemper oculis intuere, Alleluia.

Oratio.

SAncti Antonini Domine Confeſſoris tui atque Pontificis meritis adiuuemur: vt ſicut te in illo mirabilē prædicamus, ita in nos miſericordem fuiſſe gloriemur. Per Dominum.

Deinde fiat Mem. Apoſtol. per Añam.

Non turbetur cor veſtrum, neque formidet, creditis in Deum, & in me credite: in domo Patris mei manſiones multæ ſunt, alleluia, alleluia.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Adoremus ſacerdotem magnum Chriſtum: In ſolemnitate ſancti præſulis Antonini, alleluia.

Hymnus.

ATræ noctis obſcuritas
Antonini fulgoribus
Fugatur, qui prodigijs
Vitæ, & ſignorum radiat.
Virginitate niueus,
Doctrinæ luce ſplendidus,
Præſul, & paſtor optimus,
Clarum virtutis ſpecimen.
Pauper amauit pauperes,
In miſeros miſericors,
Intrepidus in perditos,
Pluſquam mitis in humiles.
Quàm potens apud Dominum,
Qui mortis iura ſubruit,
In hanc lucem dum reuocat
Mortis reuinctum nexibus!
Quæſumus auctor &c.

vel, Tempore Aſcenſionis.

Tu eſto noſtrum.

Gloria tibi &c. Amen.

In Nocturno, Antiphona. Beatus Antoninus à pueritia in Prædicatorum Ordine plantatus, fructum poſtea ſanctitatis & doctrinæ dedit, allel. Pſalm. Beatus vir. 1. Aña. Cum non poſſet à ſe proijcere iugum præſulatus, prædicauit præceptum Domini, conſtitutus in monte ſancto eius, alleluia. Pſalm. Quare fremuerunt. 1. Aña. Non dormiuit, neque ſoporatus eſt cum Dominus ad ſacerdotium caput eius exultauit, alleluia. Pſal. Domine, quid 2. ℣. Amauit eum Dominus &c.

De Libro Iob. Lect. j. C. 29

QVando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi. Videbant me iuuenes, & abſcondebantur: & ſenes aſſurgentes ſtabant. Principes ceſſabant loqui, & digitū ſuperponebant ori ſuo. Vocem ſuam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi ſuo adhærebat. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi. Eo quòd liberaſſem pauperē vociferantem, & pupillum, cui non eſſet adiutor.. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Iuſtitia indutus ſum: & veſtiui me, ſicut veſtimento & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum: & cauſam quam neſciebam, diligentiſſime inueſtigabam. ℟. Iuſtitia indutus ſum: & veſtiui me, ſicut veſtimento & diademate, iudicio: Pater eram pauperum, oculus fui cæco, & pes claudo, allel. ℣. Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Pater.

Ex Bulla Canonizationis, & ex probatis Auctoribus vitæ eius.

Lectio ij.

ANtoninus, Florētiæ honeſtis parentibus natus, ab ipſa iam pueritia egregium futuræ ſanctitatis ſpecimen exhibuit. Annum agēs ſextum decimum, Religionem Prædicatorum amplexus, cœpit exinde maximis clarere virtutibus. Otio perpetuum bellū indixit: poſt nocturnum breuem ſomnum primus Matutinis Precibus aderat: quibus perſolutis, reliquū tempus noctis orationibus, aut certe lectioni, & ſcriptioni librorum tribuebat: & ſi quando importunior feſſis membris ſomnus obreperet, ad parietem paululum declinato capite, ac tantiſper diſcuſſo ſomno, mox ſacras vigilias auidius repetebat. Diſciplinæ regularis ſui ipſius ſeueriſſimus exactor, carnes, niſi in graui ægritudine numquā edit. Humi, aut in nudo tabulato cubabat, cilicio ſemper vſus, & interdum zona ferrea ad viuā cutem incinctus. Virginitatem integerrime ſemper coluit. In explicandis conſilijs tantæ dexteritatis fuit, vt communi elogio, Antoninus conſiliorum diceretur. ℟. O virum mirabilē! quem tanta ſignorum poteſtate dominus decorauit, Vt etiam vnigenitum patris ad vitam reuocauerit, alleluia. ℣. Erat enim magnus in opere & ſermone, & rerum mira-

mirabilium patrator. Vt etiam.

Lectio iij.

A Deo autem in eo humilitas enituit, vt etiam Cœnobijs ac Prouincijs præfectus, abiectiſſima monaſterij officia demiſſiſſime obiret. Ab Eugenio Quarto Florentinus Archiepiſcopus renunciatus, ægerrime tandem, nec niſi Apoſtolicis minis perterrefactus, vt Epiſcopatum acciperet, acquieuit. In eo munere vix dici poteſt quantum prudentia, pietate, charitate, manſuetudine, & Sacerdotali zelo excelluerit. Illud mirandum, tantum ingenio valuiſſe, vt omnes ferme ſcientias per ſe nullo adhibito præceptore abſolutiſſime didicerit. Tandem poſt multos labores, multis etiam editis inſignis doctrinæ libris, ſacra Euchariſtia & Vnctione percepta, complexus Crucifixi imaginem, mortem lætus aſpexit, ſexto Nonas Maij, anno Salutis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo nono. Miraculis viuens & poſt obitum cõſpicuus, Sanctorum numero adſcriptus eſt ab Hadriano Sexto, anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio. ℟. Vir Dei Antoninus cum bonum certamẽ certaſſet, curſum cõſummaſſet, fidẽ ſeruaſſet in agone mortis poſitus lætãter dixit: Seruire Deo regnare eſt, Alluluia. ℣. De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Seruire. Gloria. Alleluia.

IN LAVDIBVS. Antiph. Beatus Antoninus ad præſulatum quaſi ad cruciatũ raptus, doctrina, & moribus gregem ſuũ pauit, allel. Pſal. Dominus regnauit, cum reliquis Aña. Pater eram pauperũ, oculus fui cæco, & pes claudo, allel. Aña. Conſtanti pectore pro lege Dei aduerſus impios, murum ſe validum oppoſuit, allel. Aña. Accepi diſciplinam, & nõ pecuniã, doctrinam magis, quàm aurũ elegi, allel. Aña. In humilitate magnus, in paupertate diues, in corpore Angelus, ò beate Antonine, ora pro nobis quæſumus, allel. Capit. Ecce ſacerdos magnus. Hymnus.

Cvm ſol ad curſum properat,
Ad te præſul confugimus,
Qui tuas laudes canimus,
Tuas ſub alas protege.

Tu qui tot à corporibus,
Morbos depellis hominum:
Caſus afflictos miſerans,
Emenda noſtras animas.

Tot iam malis atterimur,
In tot lapſus incidimus:
Vt pene ſpes nos deſerat,
Dextram niſi porrexeris.

Virgo perpurga corpora,
Doctor animos inſtrue:
Paſtor egentes refice,
Tibi cuncta debebimus.

Quæſumus auctor omnium,
In hoc Paſchali gaudio,
Aeternæ mortis iaculum,
Eius vitemus precibus.

vel, Tu eſto noſtrum. Tempore Aſcẽſionis: Gloria tibi, &c. Amen.

℣. Iuſtus germinabit, &c.

Ad Benedictus, Antiphona.

Sanctus Antoninus vere eſt glorificãdus,

dus, cui morbi cedunt, elementa parent, & mors inexorabilis ad eius nutum tremit, alleluia. Ad Tertiam Capitul. Ecce ſacerdos magnus.

Ad Sextam, Capitulum. *Eccl.* 45.

DEdit illi coram præcepta, & legem vitæ & diſciplinæ:& beatificauit illum in gloria.

Ad Nonam, Capitulum. *Eccl.* 50.

CVrauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione: & adeptus eſt gloriam in conuerſatione gentis. Ad Veſp. Capitulum, Hymnus, ℣. vt in primis Veſperis. Ad Magnif Aña Dux fidei, pietatis doctor, mundi lampas, ſacerdotum decor, feciſti quæ docebas, deſpiciens carnem, adhærens Deo permanenti: beate Antonine cum aſcendente Chriſto cælos aſcendiſti, ne derelinquas nos orphanos in hoc exilio, alleluia, alleluia. Per Oct Mem. ad Matut. Antiph Pater eram pauperum. ij. Laud. Ad Veſp. Aña. In humilitate magnus. v. Laud. ℣. Ora pro nobis. *Die iij. Maij.*

IN INVENTIONE

Sanctæ Crucis. Totum Duplex.

Ad Mem. In primis Veſp. Antiph O Crux benedicta, quæ ſola fuiſti digna portare Regem cælorum, & Dominum, alleluia. ℣. Hoc ſignum Crucis erit in cælo, alleluia. ℟. Cum Dominus ad iudicandũ venerit, alleluia.

Oratio.

DEus, qui præclara ſalutiferæ Crucis Inuẽtione paſſionis tuæ miracula, ſuſcitaſti: concede, vt vitalis Ligni prætio, æternæ vitæ ſuffragia cõſequamur. Qui viuis & regnas.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Alleluia: Salue ſancta Crux, Salue, alleluia. Hymnus

SAlue Crux ſancta, ſalue mundi gloria.
Vera ſpes noſtra, vera ferẽs gaudia,
Signum ſalutis, ſalus in periculis,
Vitale lignum vitam ferens omniũ.
Te adorandã, te Crucem viuificam,
Per te redempti dulce decus ſæculi,
Semper laudamus, ſemper tibi canimus,
Per lignũ ſerui, per te ſumus liberi.
Sit Deo Patri laus in Cruce Filij,
Sit coæqualis laus ſancto Spiritui:
Ciuibus ſummis gaudiũ ſit Angelis,
Honor ſit mundo Crucis hæc inuentio.
vel Crucis exaltatio. Amen.

In Noctur. ſuper Pſalm. Antiphona. Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum, alleluia. Pſalm. Domine Dominus noſter. 4. Domine in virtute. 13. Domini eſt terra. 15. ℣. Hoc ſignum Crucis &c.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Coloſſenſes. Lectio j. C. 2.

IN Chriſto inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis: in quo & circumciſi eſtis circumciſione non manu facta in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti, conſepulti ei in baptiſmo, in quo & reſurrexiſtis per fidẽ operationis Dei,

qui

qui ſuſcitauit illum à mortuis. Et vos cum mortui eſſetis in delictis & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cũ illo, donans vobis omnia delicta: delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigẽs illud cruci: & expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo. ℟. Dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus ſuſtinuit, Quæ digna fuit portare pretium huius ſæculi, alleluia. ℣. Hoc ſignum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit. Quæ digna fuit portare pretium huius ſæculi, alleluia.

Ex S. Ambroſio, S. Paulino, S. Seuero Sulpitio, & alijs, ac ex Rom. Breu.

Lectio ij.

HElena Conſtantini Imperatoris mater in ſomnis admonita, conquirendæ Dominicæ Crucis ſtudio Ieroſolymam venit: vbi marmoream Veneris ſtatuam in Crucis loco a Gentibus collocatam, ad tollendã Chriſti Domini paſſionis memoriam, poſt centum circiter octoginta annos euertendam curauit. Itaque loco Crucis purgato, alte defoſſæ tres cruces erutæ ſunt, repertuſque ſeorſum ab illis Crucis Dominicæ Titulus: qui cum ex tribus cui affixus fuiſſet, non appareret, eam dubitationem ſuſtulit miraculum. Nam recens hominis cadauer affertur, iacenti vna & altera de crucibus admouetur, ſed earum ligna mors ſpreuit. Adhibetur Crux Dominica, & ſtatim homo ſurrexit viuus. ℟. Ecce Crucem Domini, fugite partes aduerſæ, vicit leo de tribu Iuda, Radix Dauid, alleluia. ℣. Crux benedicta, in qua triumphauit Rex Angelorum. Radix Dauid, alleluia.

Lectio iij.

HElena igitur, ſalutari Cruce inuenta, magnificentiſſimam ibi exſtruxit Eccleſiam, in qua partem Crucis reliquit thecis argenteis incluſam, partẽ Conſtantino filio detulit: quæ Romæ repoſita fuit in Eccleſia S. Crucis in Ieruſalem. Clauos etiam attulit filio, quibus ſanctiſſimum Ieſu Chriſti corpus fixum fuerat. Ceterum inſigne illud in ligno viuificæ Crucis miraculum diuinitus fieri ſolitum, vt quamuis ex eo plures particulæ ſcinderentur, nullam inde diminutionẽ iacturamue ſentiret: B. Cyrillus Ieroſolymitanus, & S. Paulinus Nolanus Epiſcopi, merito admirantur. ℟. Per tuam Crucem ſalua nos Chriſte Redemptor, qui mortem noſtram moriendo deſtruxiſti, Et vitam reſurgendo reparaſti, Alleluia. ℣. Miſerere noſtri Ieſu benigne, qui paſſus es clementer pro nobis. Et vitam. Gloria. Alleluia. ℣. Dicite in nationibus, alleluia. ℟. Quia Dominus regnauit à ligno, alleluia.

IN LAVDIBVS, Antiph.

O Magnũ pietatis opus: mors mortua tũc eſt, In ligno quãdo mortua vita fuit, allel. Pſ. Dominus regnauit. cũ reliquis. Aña. Ecce Crucẽ Domini, fugite partes aduerſæ, vicit Leo de tri-

de tribu Iuda, radix Dauid, alleluia. Aña Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, alleluia. Aña. O Crux admirabilis, euacuatio vulneris, reſtitutio ſanitatis, alleluia. Aña. Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit: Atque cruore ſuo vulnera noſtra lauit, alleluia. Capitulum. *Gal.* 6.

Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Hymnus.

Originale crimen necans in Cruce.
Nos à priuatis Chriſte munda maculis:
Humanitatem miſeratus fragilem,
Per Crucem ſanctam lapſis dona veniam.
Protege, ſalua, benedic, ſanctifica
Populum cunctum Crucis per ſignaculum:
Morbos auerte corporis & animæ:
Hoc contra ſignum nullum ſtet periculum.
Sit Deo Patri laus in Cruce Filij,
Sit coæquali laus ſancto Spiritui,
Ciuibus ſummis gaudiũ ſit Angelis,
Honor ſit mundo Crucis hæc inuentio. vel Crucis exaltatio. Amen.

℣. Tuam Crucẽ adoramus Domine, allel. ℟. Tuam glorioſam recolimus paſſionem, allel. Ad Benedictus, Aña. Super omnia ligna cedrorum tu ſola excelſior, in qua vita mundi pependit, in qua Chriſtus triumphauit, & mors mortẽ ſuperauit in æternũ, allel.

EODEM DIE S. ALEXANDRI ſociorumque eius mart. Memor.

In Laudibus. Oratio.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt qui ſanctorum martyrum tuorum Alexandri, Euentij, & Theoduli natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus eorum interceſſionibus liberemur. Per Dominum.

Ad Tertiam, Capitul. Mihi. ℟. Hoc ſignum Crucis erit in cælo, Alleluia, allel. Hoc. ℣. Cum Dominus ad iudicandũ venerit Alleluia. Gloria. Hoc. ℣. Per ſignum. vt infra.

Ad Sextam, Capitulum. 1. *Cor.* 1.

Verbum crucis pereuntibus ſtultitia eſt: ijs autẽ, qui ſalui fiunt, id eſt, nobis virtus Dei eſt. ℟. Per ſignum Crucis de inimicis noſtris, Alleluia, alleluia. Per. ℣. Libera nos Deus noſter. Alleluia. Gloria. Per. ℣. Adoramus. vt infra.

Ad Nonam, Capitulum. 1. *Cor.* 1.

Nos autem prædicamus Chriſtũ crucifixum, Iudæis quidẽ ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiã. ℟. Adoramus te Chriſte & benedicimus tibi, Alleluia, allel. Adoramus. ℣. Quia per Crucem tuã redemiſti mundum. Alleluia. Gloria. Adoramus. ℣. Tuam Crucem. Ad Veſp. ſuper Pſalm. Aña O magnum. Pſal. Dixit Dominus. 75. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri. 76. Laudate Dominũ omnes gentes. 78. Capit. Mihi autẽ. Hym. Salue crux ſãcta. ℣. Hoc

Hoc ſignũ. ℟. Cum Dominus. vt ſup.

Ad Magnificat, Antiphona.

O crux ſplendidior cunctis aſtris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, ſanctior vniuerſis, quæ ſola fuiſti digna portare talentũ mundi: dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferẽs pondera; ſalua præſentem caterũa in tuis hodie laudibus congregatam, alleluia, alleluia, allel. Quando hoc Feſtum S. Crucis venerit in Vig. Aſcenſionis Domini, habebit primas Veſp. & dicetur ſuper Pſalm. Antiph Crucem ſanctam ſubijt, qui infernum confregit, accinctus eſt potentia, ſurrexit die tertia, alleluia, Capit. vt ſupra. ℟. Per tuam. iij. Dominica proxima poſt Feſtũ S. Crucis agitur Feſtum ſanctæ virginis Catherinæ de Senis: quod, ſi ſtatim poſt Feſtum ſanctæ Crucis ſequatur, non habebit in primis Veſperis niſi ſolam Memor. cum præſertim Feſtum S. Crucis, ob Feſtum antecedens S. Antonini, primas Veſp. habuerit impeditas. Alias habebit à principio totas Veſper. etiam in Vigilia. Si autem ipſa die Dominica occurerit aliud Feſtum, transferatur, & de S. Catherinæ omnino agatur, niſi quando Aſcenſio Domini venerit die vltima Aprilis, quia tunc celebratur Feſtũ S. Catharinæ Dominica j. poſt Octau. Corporis Chriſti: & Antiphonæ, Reſp. Vv. &c. quæ deſunt, de Cõmuni vnius Virg. aſſumuntur: Lection. vero j. Noct. de Apoſtolo currẽtes pro Dominica currente ſignatæ: pro ſecũdo autem & tertio Nocturno duæ infra poſitæ de eius vita in ſex diuidentur.

IN FESTO S. CATHARINAE de Senis, Virg. Ord. Prædic. Totũ Duplex. *Officiũ à Pio ÿ. Pontif. editum.*

Ad Veſp. ſuper Pſalm. Aña. Immortali laude Catharina virgo Senenſis eſt efferanda: quandoquidem ſuæ ſanctitatis præſtantia vniuerſo generi humano innotuit, alleluia. Pſal. Laudate pueri. cum ceteris.

Capitulum. *Sap.* 8.

Hanc amaui, & exquiſiui à iuuẽtute mea, & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius, dicit Dominus omnipotens. ℣. Vitam. ij. Hymnus.

Haec tuæ virgo monumenta laudis,
Quæ tuis lætis Catharina ſacris,
Hoc quidem pacto modulamur omnes.
Perfer olympo.

Si ſatis digne nequeant referri,
Annuas nobis veniam, precamur:
Non ſumus tanti ingenij, fatemur,
Optima virgo.

Quis fuit dignas modulatus vmquam
Virginis laudes? quis in orbe toto
Feminæ inuictæ peritura numquam
Carmina pandet?

Prædita exemplis Catharina claris,
Moribus præſtans, ſapiens abunde,
Temperans, fortis quoque, iuſta, prudens
Aethera ſcandis.

Quem latet virtus, facinuſq. clarum,
Quo nequit dici ſanctius per orbẽ?
Vulnerum formã miſerata Chriſti,
Exprimis ipſa.

Nam

Nam breuis, mæſtæ, miſeræque vitæ,
Et malis cunctis penitus refertæ,
Fortiter ſpernens precioſa quæque,
Sidera adiſti.
Gratias ſummas habeamus omnes
Filio magni Genitoris almo,
Spiritus ſanctus veneretur, & ſit
Laus tamen vna. Amen.

℣. Ora pro nobis beata Catharina, alleluia, &c.

Ad Magnificat, Antiphona.

Virginis Catharinæ hæc dies eſt dicata ſacris, vt numquam tantæ ſanctitatis præſtātia mortalium memoria excidere queat: & cunctis celeberrima perpetuo fiat, alleluia.

Oratio.

Deus, qui beatæ Catharinæ virginitatis & patientiæ ſpeciali priuilegio decoratæ malignantium ſpirituum certamina vincere, & in amore tui nominis inconcuſſe permanere tribuiſti: concede quæſumus, vt eius imitatione, calcata mundi nequitia, & omnium hoſtium ſuperatis inſidijs ad tuam ſecure gloriam tranſeamus. Per Dominum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Chriſtũ Regem regum ſupplices adoremus: Qui immortali gloria virginem Senenſem dotauit Catharinam, alleluia.

Hymnus.

Laudibus virgo nimis efferenda
Iure cenſeris, quoniam triumphos
Ipſa cælorum, probitate mira,
Nacta refulges.
Præmium ſanctæ tamen ipſa vitæ,
Et ſimul munus probitatis almæ
Accipis cælo, cumulata cunctis
Denique rebus.
Tu grauem ſacris meritis refertum,
Orbis exemplar pietate plenum:
Prædicatorum venerata Patrem,
Ordine fulges.
Nulla iam rerum placuit voluptas,
Nullus ornatus, nitor ecce nullus:
Corporis ſemper fugiens iniqua
Carmina vitæ.
Sæpius corpus domitans acerbe,
Quàm pie flagris cruor hinc & inde
Fluxerat riuis, hominumq. demum
Crimina flebas.
Qui per ingentes, varioſq. caſus,
Orbe terrarum cruciantur omnes,
Quotq. vel curis agitantur ipſi
Vndiq. diris.
Suppetent nobis totidem canenda,
Si tuæ laudes repetantur omnes:
Tu quidem longe pietate cunctis
Inclyta præſtas.
Gratias ſummas habeamus omnes
Filio magni Genitoris almo,
Spiritus ſanctus veneretur, & ſit
Laus tamen vna. Amen.

In Nocturno, Aña. Admirabilem Dei noſtri clementiam contemplari maxima Catharinæ conſtantia nos ſemper efficiet, alleluia. Pſal. Domine Dominus noſter. 4. Aña. Miſericordia ſumma erga egenos atque ægrotos ſummopere affecta, ipſorum ærumnas deflere hæc virgo ſolebat, alleluia. Pſalm. Cæli enarrant. 11. Aña. Chriſtianos quidem tanta charitate proſequebatur, vt eorum amore incenſa

incenſa die noctuq. flagraret, alleluia. Pſal. Domini eſt terra. 15. ℣. Diffuſa eſt gratia, &c.

De Epiſtola beati Pauli Apoſtoli ad Galatas. Lectio j. C. 6.

Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. In Chriſto enim Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura. Et quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei. De cetero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum ſpiritu veſtro, fratres Amen. ℟. Nihil huic virgini ſatius, nihilque dignus in rerum natura viſum eſt quàm Ieſu Chriſti præcepta, Et vitam æternam omnibus perſuadere, alleluia. ℣. Dedit enim ſemper operam reuocare perditos. Et vitam.

Ex Bulla Canonizationis, & ex B. Raymundo Capuano, aliiſq. probatis Auctoribus vitæ eius.

Lectio ij.

Catharina, Senis nobili Etruriæ vrbe modicis parentibus orta, ab ipſa ferme infantia ad ingentia diuinæ gratiæ beneficia nutriebatur. Exemplo ſacræ Deiparæ virginitatem ſuam, adhuc in teneris annis voto nuncupato, Deo perpetuo conſecrauit. Exinde cœpit ad altiſſimam vitæ perfectionem aſpirare: Monitis beati Dominici ſibi in ſomnis apparentis, Prædicatorum Ordinem profeſſa, ſeueriſſime corpus ſuum coercebat. Ita paulatim cibos ſibi detraxit, vt ſolis crudis herbis, deinde nullo penitus cibo, ſola ſacra Euchariſtia, non ſine raro miraculo, victitaret. Ferrea catena nuda latera ita conſtringebat, vt propemodum carni concreta videretur. Horam vix dimidiam per biduum integrum dormiebat. Ferreo flagello ſeſquihoræ ſpatio adeo acriter ſe affligebat, vt ſanguis ab humeris ad terram vſque manaret. ℟. Sapientia atque doctrina hæc virgo referta, codices nonnullos condidit, ediditq. Vt veram viuendi rationē omnibus oſtēderet, alleluia. ℣. His illa humanas fragileſq. res ſpernere ſuadet. Vt.

Lectio iij.

Tanta autem eam Chriſtus Dominus dignatus eſt familiaritate, vt frequenter ſolus cum illa per cellam deambulans, vicibus alternis diceret Pſalmos: cumque ipſa pronunciatura eſſet: Gloria Patri, ad Chriſtum inclinata dicebat: Gloria Patri, & Tibi, & Spiritui ſancto. Aliquando Chriſtus cum ſanctiſſima Matre, aliiſque Sanctis illi apparens, ſibi eam diuina quadam ratione deſponſauit: cuius etiam corpori pretioſa ſua quinque vulnera alio tempore mirabiliter impreſſit. Mira fuit in pauperes benignitate, patientia incredibili. Denique poſt innumera virtutum inſignia, dono Prophetiæ & plurimis miraculis clara, multis præſtantis doctrinæ editis libris, Romæ, in manus Chriſti

Chriſti Sponſi felicem animam depoſuit, anno Domini milleſimo trecenteſimo octogeſimo. Quam Pius ſecũdus in Sãctarum Virginum numerum adſcripſit anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo.

℞ Vitam Catharinæ innocentiſſimã miracula illa notiſſimã efficiunt, Quæ viuens, atque vita functa liquido oſtẽdit, Alleluia Curauit ægrotos, vitam mortuis reſtituit, & id genus multa fecit. Quæ. Gloria. Alleluia. ℣ Ora pro nobis beata Catharina, &c.

IN LAVDIBVS. Antiph.

Omnipotenti Virgo Catharina Dei Filio ſolum obſequi, atque ſeruire conſtituit, allel. Pſal. Dominus regnauit. cum reliquis. Antiph. Exultabunda cæli munera contemplabatur, quæ cunctis rebus maxime præpoſuit, alleluia. Antiph Diuinis namq. oblectata rebus, die noctuq. orationibus, atque vigilijs operam dabat, alleluia. Añа. Rerum omnium conditori Catharina benedicebat, qui beatitudinis ſemitã mortalibus oſtendit, allel. Aña. Laudauit Catharina ſemper Dominum, & ab eo in excelſis exaltata eſt, allel. Cap Hanc amaui.

Hymnus.

Iam ferox miles tibi ſæpe ceſſit,
Et Duces iras poſuere ſæuas:
Hi necem diram populo minati
Sæpe Senenſi.

Quid quòd & ſacris ſtudijs frequẽter
Viribus ſummis operam dediſti:
Litteræ doctæ, lepidæq. claris
Vrbibus extant.

Niteris verbis reuocare lapſos,
Niteris rectum ſuadere cunctis:
Sic ais: Tantum probitas beatos
Efficit omnes.

Iura tu ſæuæ tremebunda mortis
Fortiter temnens, nihil extimeſcẽs,
Præmium noſtræ vocitare vitæ
Sæpe ſolebas.

Vnde cum tempus properaret ipſum,
Quo ſacros artus cineresque buſto
Linqueres, cælos aditura, flentes
Ipſa docebas.

Sic ſacrum Chriſti venerata corpus,
Hoſtiam libans, lacrymis obortis,
Dixeras cunctis documenta vitæ,
Voce ſuprema.

Gratias ſummas habeamus omnes
Filio magni Genitoris almo,
Spiritus ſanctus veneretur, & ſit
Laus tamen vna. Amen.

℣ Adducentur Regi virgines, &c.

Ad Benedictus, Antiphona.

Maxima eſt Catharinæ virginis Senenſis præſtantia, quæ incolumitatem languentibus, & vitam mortuis reſtituere potuit, alleluia. Ad iij. Capit. Hanc amaui. Ad Sextã, Cap. *Sap.* 8.

Dominus omnium dilexit illam: doctrix eſt enim diſciplinæ Dei, & electrix operum illius.

Ad Nonam, Capit. *Eccl.* 11.

Breuis in volatilibus eſt apis, & initiũ dulcoris habet fructus illius.

Ad Magnificat, Antiphona.

O virgo maxima gloria præſtans, cuius ſacra ſtata orbis vniuerſus hodierna die celebrat: quam Angeli cum laudibus efferunt, ac ceteri ſuperni ciues

ciues admirantur: age apud Deum, quo mentes noſtræ ſemper diuinis præceptis obtemperēt: noſque virtutibus, alijſque bonis augeat, alleluia.

℣ Per Octa. Ad Benedictus, Aña.

Det Catharina frui nos vero lumine Christi: Et ſociet ſuperis virgo beata choris, alleluia. ℣ Adducētur Regi.

Ad Magnificat, Antiphona

Ad ſedes regni faciat tranſire ſuperni Virgo fouens meritis nos Catharina ſuis, alleluia. ℣ Ora pro nobis.

Die v. Maij.

IN FESTO S. ATHANASII Epiſcopi & Confeſſ. Duplex. Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ ſalutis beatum Athanaſium miniſtrum tribuiſti: præſta quæſumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

De Libro Eccleſiaſtici. Lect. j. C. 50.

ECce ſacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum. Templi etiam altitudo ab ipſo fundata eſt, duplex ædificatio & excelſi parietes templi. In diebus ipſius emanauerunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modū. Qui curauit gentem ſuam, & liberauit eam à perditione. Qui præualuit amplificare ciuitatem, qui adeptus eſt gloriā in cōuerſatione gētis, & ingreſſū domus, & atrij amplificauit. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet. Et quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in tēplo Dei.

Ex ipſius ſcriptis, & ex S. Greg. Nazianzeno, & antiquis Eccleſiaſticis Hiſtoricis, & Rom. Breu. Lectio ij.

ATHanaſius Alexandrinus, Catholicæ religionis propugnator acerrimus, ab Alexādro Epiſcopo Alexādrino Diaconus factus eſt: in cuius locum ſucceſſit, quem etiā ante ſecutus fuerat ad Nicænum Cōcilium: vbi cum Arij impietatem repreſſiſſet, tantum odium Arianorum in ſe concitauit, vt ex eo tēpore eis inſidias moliri numquam deſtiterint. Nam in exiliū actus, in Gallia apud Treueros manſit. Grauibus deinceps ac diuturnis ſub Conſtantio Imperatore Arianorū fautore, tempeſtatibus iactatus, & incredibiles calamitates perpeſſus, magnā orbis terræ partem peragrauit: ac ſæpe à ſua Eccleſia eiectus, ſæpe etiā in eandem & Iulij Romani Pontificis auctoritate & Cōſtantis Imperatoris, Cōſtantij fratris patrocinio, decretis quoque Cōcilij Sardicenſis & Ieroſolymitani, reſtitutus eſt. Lectio iij.

SEd Arianis illi ſemper infeſtis, ſummum vitæ diſcrimen fugiens, in ſicca ciſterna quinque ferme annis ad obitum vſque Conſtantii delituit. Sub Iuliano primum ad Eccleſiam reuerſus, non multo poſt ab eodem quæſitus ad mortem, diuina ope euaſit. Extincto Iuliano, Alexandriæ alia exorta tempeſtate, quatuor menſes in paterno ſepulchro ſe condidit. Tandem poſtquam Alexandrinā Eccleſiam inter maximos rerū turbines quadraginta & ſex annos ſanctiſſime gu-

me gubernaſſet, Alexandriæ in lectulo, ſub Valente Imperatore moriens, de proſtrata impietate clariſſimis erectis trophæis, laborum coronas percepturus conſcendit in cælum, in vita & in morte magnis nobilitatus miraculis, ingenijq. ac admirandæ doctrinæ multis poſt ſe relictis immortalibus monumentis, de quibus ſanctiſſimus Abbas Coſmas dignum illud protulit elogium: Cum ex S. Athanaſij Opuſculis aliquid inueneris, nec ad ſcribendum chartas habueris, in veſtimentis tuis ſcribe illud.] Innumeræ plane ſunt laudes quibus eum Sancti Patres celebrarunt.

Extra Tempus Paſchale in j. Noct. Lectiones de Temp. in ij. Noct. duæ hic poſitæ in tres diuidantur: in iij. Noct. Lect. Ad Sancti in Communi.

Die vi. Maij.

IN FESTO S. IOANNIS ante Portam Latinam. Duplex.

Omnia erunt de Comm. Euang. Paſchalis Temporis, excepta infra poſita Aña ad Mag. Quod ſi extra Temp Paſch. celebrabitur, omnia accipientur de Communi extra Tempus Paſchale, & tamen dicetur ad Magnificat, Antiph. In feruentis. Prima Lectio de Scriptura hic poſita: & duæ aliæ priores Feſti ipſius: in ij. Noct. duæ hic poſitæ Lection. ex S. Hieron. diuidantur in tres: & in iij. Noct. legitur Homilia, vt in die S. Iacobi. 25. Iulij. Ad Magnificat Antiphona.

In feruentis olei doliū miſſus Ioannes Apoſtolus, diuina ſe protegente gratia, illæſus exiuit, allel.

Oratio.

Deus, qui conſpicis, quia nos vndique mala noſtra perturbant: præſta quæſumus, vt beati Ioannis Apoſtoli tui & Euangeliſtæ interceſſio glorioſa nos protegat. Per Dñm.

Ex Libro Apocalypſis beati Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 1.

Ego Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Chriſto Ieſu, fui in inſula quæ appellatur Patmos propter verbum Dei, & teſtimonium Ieſu: fui in ſpiritu in Dominica die, & audiui poſt me vocem magnam tamquam tubæ, dicentis: Quod vides ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccleſijs, quæ ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.

Ex Libro S. Hieronymi Presbyteri contra Iouinianū. Lect. ij. *Lib. 1.*

Ioannes Apoſtolus, vnus ex diſcipulis Domini, qui minimus natu traditur fuiſſe inter Apoſtolos, & quē fides Chriſti virginem repererat, virgo permanſit: & ideo plus amatur à Domino, & recumbit ſuper pectus Ieſu: & quod Petrus interrogare non audet, illum rogat vt interroget: & poſt reſurrectionem, cum eſſent in naui, & piſcarentur in lacu Genezareth, Ieſus ſtabat in littore, nec ſciebant Apoſtoli quem viderent: ſolus virgo virginem agnoſcit, & dicit Petro: Dominus eſt. Lectio iij.

Fvit autem Ioannes, & Apoſtolus, & Euangeliſta, & Propheta. Apoſtolus,

ſtolus, quia ſcripſit ad Eccleſias, vt magiſter: Euangeliſta, quia librum Euangelij condidit, quod excepto Matthæo, alij ex duodecim Apoſtoli non fecerunt: Propheta, vidit enim in Patmos inſola, in qua fuerat à Domitiano Principe ob Domini martyriū relegatus, Apocalyſim infinita futurorum myſteria continentem. Refert autem Tertulianus, quòd Romæ miſſus in feruentis olei dolium, purior & vegetior exierit, quàm intrauerat.

Die vij. Maij.

IN FESTO CORONAE Domini. Totum Duplex.

Ad Veſp.ſuper Pſalm. Antiph. Summum Regem gloriæ ſpinis coronatū ridet plebs perfidiæ, morti condemnatum, alleluia. Pſal. Laudate. cum ceteris. Capitulum. *Cant. 6.*

EGredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua. ℟. Felix ſpina. iij. Hymnus.

Aeterni Regi gloriæ
Deuota laudum cantica
Fideles ſoluant hodie,
Pro Corona Dominica.
Coronat Regem omnium
Corona contumeliæ,
Cuius nobis opprobrium
Coronam confert gloriæ.
De ſpinarum aculeis
Chriſti Corona plectitur,
Qua miniſtris tartareis
Mundi poteſtas tollitur.
Corona Chriſti capitis
Sacro perfuſa ſanguine,
Pœnis ſolutis debitis,
Reos purgat à crimine.
Quæſumus auctor omnium.
vel. Tu eſto noſtrum.
Laus Chriſto Regi gloriæ,
Pro Coronæ virtutibus,
Qua nos reformans gratiæ,
Coronet in cæleſtibus. Amen.

℣. Tuam Coronam adoramus Domine, alleluia. ℟. Tuum glorioſum recolimus triumphum, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Gaude felix mater Eccleſia, adſunt tibi noua ſolemnia: nā Corona quondam ingloria, nunc per orbem refulget, gloria, alleluia. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt qui in memoriam paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti Coronam eius ſpineam veneramur in terris, ab ipſo gloria & honore coronari mereamur in cælis. Qui tecum viuit.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Adſunt Dominici ſerti ſolemnia: Laude multiplici plaudat Eccleſia, alleluia. Hymnus. Aeterno Regi gloriæ. In Noctur. ſuper Pſalm. Antiphona. Chriſtum ſub ſerto ſpineo deridet plebs perfidiæ: cuius cruore roſeo ſertum confertur gloriæ, alleluia. Pſal. Beatus vir. 1. Quare fremuer. Domine quid. ℣. Tuam Coronam &c.

De Canticis Canticorū. Lect. 1. C. 3.

FErculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureū, aſcenſum purpureum: media charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem.

Egredimini, & videte filiæ Sion regẽ Salomonem in diademate, quo coronauit illũ mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. ℟. Spina carens flos, ſpina pungitur, per quam culpæ ſpina confringitur: Spina mortis ſpinis retunditur, dum vita moritur, alleluia. ℣. Per hoc ludibrium hoſtis deluditur: mortis dominium per mortem tollitur. Spina mortis.

Sermo B. Cyrilli Epiſcopi Ieroſolymitani. Lectio ij. *Catech.* 13.

MIlites coronam impoſuerunt capiti eius. Quid enim refert etiam ſi ſpineã. Omnis rex à militibus appellatur: oportebat, & Ieſum à militibus typice crucifigi. Sicut ideo Scriptura in Canticis dicit: Exite, & videte filiæ Ieruſalem in corona, qua coronauit ipſum mater eius. Myſterium erat corona: ſolutio enim erat peccatorum, diſſolutio autem maledictionis. Accepit ſententiam Adam: Maledicta terra in operibus tuis, ſpinas & tribulos adferet tibi. Propterea Ieſus accepit ſpinas, vt ſoluat hanc maledictionem. ℟. Coronat Regem omnium Iudæa ſerto ſpineo: ſtat inter ſpinas lilium vernans cruore roſeo. Spinarum culpæ neſcium ſpinæ punctum aculeo, alleluia. ℣. Sub decore fulget purpureo corpus nitens candore niueo. Spinarum.

Sermo S. Athanaſij Epiſcopi.

In Euan. de paſſ. & c. Dni. t. 3. Col. 873. [illegible]

ALia quoque ratione ſpineam coronam geſtare videri poteſt, nimirum, vt ſollicitudines noſtræ vitæ extirparet. Iniecit enim ſceleſtus ille, quamquam nolens, ſollecitudines noſtras ſuper Dominum, non animaduertens futurum eſſe, vt earum geſtatione Dominus omnes in ſecuritatem aſſereret: quo & ſementem verbi à ſpinis depurgatam haberent, & in precibus mentem incouulſam poſſiderent. Ipſe enim in doloribus & curis erat, vt nos doloribus careremus. ℟. Felix ſpina, cuius aculei guttis rubent roris ſanguinei: Vires frangunt regis tartarei, feras pandunt regni ſiderei, Alleluia. ℣. O ſpinarum immenſa gloria, quæ tot nobis præſtant remedia! Vires. Gloria. Alleluia. ℣. Plectentes coronam de ſpinis, alleluia. ℟. Poſuerunt ſuper caput Domini, alleluia.

IN LAVDIBVS, Antiph.

ADeſt dies lætitiæ, quo diadema ſpineum commendatur memoriæ, Chriſti cruore roſeum, alleluia, alleluia. Pſalm. Dominus regnauit. Antiphona. Summum Regem gloriæ ſpinis coronatum ridet plebs perfidiæ, morti condemnatum, alleluia. Antiph. O quàm felix punctio, quàm beata ſpina, de qua fluit vnctio, mundi medicina! alleluia. Antiph. Pungens ſpina vulnerat Chriſtum patientem: & à morte liberat populum credentem, alleluia. Antiph. Spinæ rubent ſanguine, Chriſtum cruentantes: mundum lauant crimine, cælum reſerantes, alleluia. Capit. Egredimini.

Hym-

Hymnus.

LAuda fidelis concio
Spinæ trophæum inclytum:
Per quam perit perditio,
Vitæ que datur meritum.
Nos à puncturis liberat,
Aeterni Patris Filius,
Dum ſpinis pungi tolerat,
Spinarum culpæ neſcius.
Dum ſpinarum aculeum
Chriſtus pro nobis pertulit,
Per diadema ſpineum,
Vitæ coronam contulit.
Plaudat turba fidelium,
Quòd per ſpinæ ludibrium
Purgat Creator omnium,
Spineti noſtri vitium.
Quæſumus auctor. vel. Tu eſto noſtrum. Laus. ℣. Eris corona gloriæ in manu Domini, alleluia. ℟. Et diadema regni in manu Dei tui, alleluia.

Ad Benedictus, Antiphona.

Aue ſpina, pœnæ remedium, ſerui decus, Regis opprobrium: tua plaga, dolor, ludibrium, vitæ nobis mercantur præmium, alleluia. Ad Tertiam, Capitul. Egredimini. ℟. Tuam coronam adoramus Domine, Alleluia, alleluia. Tuam. ℣. Tuum glorioſum recolimus triumphum. Alleluia. Gloria Patri. Tuam. ℣. Gloria & honore coronaſti eum Domine, alleluia. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, alleluia.

Ad Sextam, Capitulum. *Apoc. 6.*

VIdi, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum: & data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret. ℟. Gloria & honore coronaſti eum Domine, Allel. allel. Gloria &c. ℣. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Alleluia. Gloria Patri. Gloria & honore. ℣. Poſuiſti Domine ſuper caput eius, alleluia. ℟. Coronam de lapide pretioſo allel. Ad Nonã, Capit. *Iſa. 28.*

IN die illa erit Dominus exercituũ corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui. ℟. Poſuiſti Domine ſuper caput eius, Alleluia, alleluia. Poſuiſti. ℣. Coronam de lapide pretioſo. Allel. Gloria. Poſuiſti. ℣. Eris corona gloriæ in manu Domini, allel. ℟. Et diadema regni in manu Dei tui, allel. Ad Veſp. ſuper Pſalm. Añа. Adeſt. Pſal. Dixit Dominus. 75. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri Dominũ. Laudate Dominũ omnes gentes. 78. Capit. Egredimini. Hymn. Aeterno Regi gloriæ. ℣. Tuam coronam. Ad Magnificat, Aña. O decus Eccleſiæ glorioſa Spina, ſertum Regis gloriæ, mundi medicina, præſentis anguſtiæ dulcor & reſina, te laudantes hodie, ſerues à ruina, alleluia.

Non celebratur Feſtum Coronæ Domini extra Tempus Paſchale [illegible]

Die viij. Maij.

IN APPARITIONE

S. Michaelis Archangeli. Totum Duplex. In j. Veſp. omnia fiant ſicut in alio Feſto ipſius, addito ℟. ℣. & Antiphona. Alleluia. In Matutinis, Inuitatorium, Antiphonæ, Pſalm. & ℣. primi Noctur. & iii. vltima Reſponſoria, ſimiliter cum Alleluia.

De Libro Apocalypſis beati Ioannis Apoſtoli. Lectio j. C. 12.

ET factum eſt prælium magnum in cælo: Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo. Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & ſatanas, qui ſeducit vniuerſum orbem: & proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo miſſi ſunt. Et audiui vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius.

Ex vetuſtis monumentis, Auctoribus, & Rom. Breu. Lectio ij.

GElaſio primo Pōtifice maximo, in Apulia in vertice Gargani mōtis, ad cuius radices incolūt Sipontini, Archāgeli Michaelis fuit illuſtris apparitio. Factū eſt enim, vt ex gregibus armentorū Gargani cuiuſdā taurus longe diſcederet: quem diu cōquiſitum, in aditu ſpeluncæ hærentē inuenerunt. Cum vero quidam ex illis, vt taurū configeret, ſagittam emiſiſſet, retorta ſagitta ipſum recidit ſagittarium. Qua res cū præſentes, ac deinceps ceteros tanto timore affeciſſet, vt ad eā ſpeluncā propius accedere nemo auderet, Sipontini Epiſcopum conſulunt: qui indicto trium dierū ieiunio & oratione, rem à Deo reſpondit quæri oportere. Lectio iij.

POſt triduum Michael Archangelus Epiſcopum monet, in ſua tutela eſſe eū locum, eoque indicio demonſtraſſe, velle ibi cultum Deo in ſui & Angelorum memoriam adhiberi. Quare Epiſcopus vnà cum ciuibus ad eam ſpeluncam ire pergit. Quam cum in templi cuiuſdam ſimilitudinem conformatam vidiſſent, locum illum diuinis officijs celebrare cœperunt: qui multis poſtea miraculis illuſtratus eſt. Hodiernus igitur dies Archangeli Michaelis apparitione conſecratus eſt. Cetera omnia ad Laudes & Horas diei, ſicut in alio Feſto ipſius, addito ℞℞. Antiphonis, & ℣℣. Alleluia. Quod ſi hoc Feſtum celebretur extra Tempus Paſchale, omnia fiant ſicut in alio Feſto. 29. Menſis Septembris, niſi quòd in ſecundo Nocturno, duæ ex poſitis Lectionibus de hiſtoria in tres diuiſæ legentur. *Die ix. Maij.*

IN FESTO S. GREGORII Nazianzeni Epiſcopi, & Confeſſoris.

Duplex. Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ ſalutis beatum Gregorium miniſtrum tribuiſti: præſta quæſumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

Ex eius ſcriptis, ex Gregorio Presbytero, alijſque antiquis Auctoribus, & ex Rom. Breu. Lectio ij.

GRegorius, nobilis Cappadox, ex ſingulari diuinarum litterarum ſcientia Theologi cognomen conſecutus, Nazianzi natus, Athenis in omni diſciplinarum genere vnà cum

cum S. Baſilio eruditus, ad ſtudia ſacrarum litterarum, ſe conuertit, in quibus ſe in cœnobio per aliquot annos exercuerunt, illarum ſententiam non ex proprio ingenio, ſed ex maiorum ratione, & auctoritate interpretantes. Gregorius vero aliquando domum reuerſus, primum Saſimorum Epiſcopus creatus eſt, deinde Naziãzenam Eccleſiã ad breue tempus adminiſtrauit. Tum ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam regendã accerſitus, eam ciuitatem hæreſum purgatã erroribus ad Catholicam fidem traduxit. Lectio iij.

SEd cum exardeſcente inuidia propter eum inter Epiſcopos magna eſſet coorta ſeditio, ſponte ceſſit Epiſcopatu, ac Nazianzum reuerſus eſt: cui Eccleſiæ cum Eulalium præficiendum curaſſet, totum ſe ad contẽplationem & ſcriptionem diuinarum rerum contulit. Scripſit autem multa, & ſoluta oratione, & carmine, mirabili pietate & eloquentia. Conſubſtantialitatis Filij fuit acerrimus propugnator. Illibatam à pueritia virginitatem ad obitum vſque ſeruauit. Demum ſenio & laboribus fractus, Imperatore Theodoſio ad cæleſtem vitam euolauit, ſplendidiſſimum ſcientiæ & doctrinæ iubar ſemper habitus. Si inciderit hoc Feſtum Temp. Paſch. in diem, in quo non ſunt Lectiones de Scriptura, Lect. j. Ecce ſacerdos. vt in die S. Athanaſij. 682. Extra Tẽpus Paſch. Tres primæ Lect. de Temp. in ij. Noct. duæ hic poſitæ in tres diuidantur. in iij. Noct. Homil. in Euang. Vos eſtis ſal terræ. *Die x. Maij.*

IN FESTO SS. MARTYRVM Gordiani, & Epimachi. Tres Lectiones. Oratio.

DA quæſumus omnipotẽs Deus: vt qui beatorum martyrum tuorum Gordiani atque Epimachi ſolemnia colimus: eorum apud te interceſſionibus adiuuemur. Per Dominũ. *Ex Actis, & S. Dionyſ. Epiſc. Alexandrino, & Rom. Breu.* Lectio iij.

GOrdianus Iudex, cum ad eum Ianuarius Presbyter, vt condẽnaretur ſub Iuliano Apoſtata ductus eſſet, ab eodem in Chriſtiana fide inſtructus, cum vxore & quinquaginta tribus alijs ex eadem familia Romæ baptizatur. Quare Præfectus relegato Ienuario, Gordianum à Clemetiano Vicario includi iubet in carcerem: qui poſtea eundẽ Gordianũ vinctum catenis ad ſe accerſitum, cum à fidei propoſito deterrere nõ poſſet, plũbatis diu cæſum, capite plecti imperat. Eius corpus ante Apollinis templũ canibus obiectũ, noctu à Chriſtianis via Latina ſepelitur in eadem crypta, in quam reliquiæ beati Epimachi martyris trãſlatæ fuerãt ab Alexãdria: vbi is antea ſub Decio Imperatore poſt carcerẽ dilaniatus nouaculis, & flagellis laceratus, poſtremo cõbuſtus, martyrio coronatus eſt. *Die xi. Maij.*

IN FESTO S. STANISLAI Epiſc. & Mart. Duplex. Oratio.

DEus, pro cuius honore glorioſus Pontifex Stanislaus gladijs im-

Digitized by Google

piorum occubuit: præſta quæſumus, vt omnes, qui eius implorant auxiliũ, petitionis ſuæ ſalutarem conſequantur effectum. Per Dominum.

Ex bonis Auctoribus, & Roman. Breu.

Lectio ij

STanislaus Polonus, apud Cracouiam nobili genere natus, parentibus mortuis, vitæ monaſticæ deſiderio amplum patrimonium pauperibus diſtribuit. Sed Dei prouidentia primũ Canonicus, deinde Epiſcopus Cracouienſis eligitur. Quo in munere, omnium paſtoralium virtutum laude, & præcipue miſericordia in pauperes enituit. Cum Boleslai Poloniæ Regis notam libidinẽ publice argueret, grauiter offenſus Rex in ſolemni regni Cõuentu Stanislaum per calumniã in iudicium coram ſe vocari iubet, tamquã pagum occuparet, quem Eccleſiæ ſuæ nomine coemerat. Quod cum neque tabulis probare poſſet, & teſtes veritatem dicere timerent, ſpondet Epiſcopus, ſe Petrum pagi venditorem, qui triennio antea obierat, intra dies tres in iudicium adducturum. Conditione cum riſu accepta, vir Dei toto triduo ieiunijs & orationi incumbit.

Lectio iij.

IPſo ſponſionis die, poſt oblatum Miſſæ ſacrificium, Petrum è ſepulchro ſurgere iubet: qui ſtatim rediuiuus, Epiſcopum ad regiũ tribunal euntem ſequitur, ibique, Rege & ceteris ſtupore attonitis, de agro à ſe vẽdito, & pretio rite ſibi ab Epiſcopo perſoluto, teſtimonium dicit, atque iterum in Domino obdormiuit. At Boleslaũ fruſtra ſæpe admonitum, Stanislaus tandem a fidelium cõmunione remouet. Ille iracũdia furens Sacerdotem Dei, hoſtiam immaculatam ad altare offerentem, ſua manu obtruncat. Corpus mẽbratim conciſum, & per agros proiectum Canonici Cracouiẽſes, noctu ni de cælo ſplendoris indicio colligũt, & ſuis locis apte membra diſponunt: quæ ſubito ita inter ſe copulata ſunt, vt nulla vulnerum veſtigia extarent. Multis deinde miraculis virum Dei coruſcantem Innocentius Quartus in ſanctorum Martyrum numerũ retulit.

Si venerit Temp. Paſch. in die in quo non ſunt Lect. de Scriptura, Lect. j. **Exiſtimo enim.** vt in Feſto S. Vincentij Mart. 605. Extra Temp. Paſch. tres primæ Lect. de Tẽpore. Tres aliæ erũt duæ ſuprapoſitæ in tres diuiſæ. In iij. Noctur. erunt tres Lect. de Sermone. **Hodie natalem Martyris.** In Communi vnius Martyris.

Die xij. Maij.

IN FESTO SANCTORVM Nerei, Achilei, & Pancratij Martyrũ.

Tres Lectiones. Oratio.

SEmper nos Domine martyrũ tuorum Nerei, Achillei, atque Pancratij foueat quæſumus beata ſolẽnitas, & tuo dignos reddat obſequio. Per.

Ex Actis, & Rom. Breu. Lect. ij.

NEreus & Achilleus fratres, eunuchi Flauiæ Domitillæ, Titi & Domitiani Imperatorũ neptis, à beato Petro vnà cum ipſa, eiuſq. matre Plautilla baptizati, cum Domitillæ perſuaſiſſent,

ſent, vt virginitatem ſuam Deo conſecraret, ab eius ſponſo Aureliano tamquam Chriſtiani accuſati, ob præclaram fidei confeſſionem in Pontiam inſulam relegantur: vbi ad quæſtionẽ iterum vocati, & verberibus cæſi, mox Tarracinam perducti, à Memmio Ruſo equuleo & flammis cruciati, cum conſtanter aſſererent, ſe à S. Petro baptizatos nullis tormentis cogi poſſe, vt idolis immolarent, ſecuri percuſſi palmam martyrij perceperunt.

Ex Actis, & Romano Breuiario.

Lectio iij.

PAncratius in Phrygia nobili genere natus, puer quatuordecim annorum Romam venit, Diocletiano & Maximiano Imperatoribus: vbi à Pontifice Romano baptizatus, & in fide Chriſtiana eruditus, ob eam paulo poſt comprehenſus, cum dijs ſacrificare conſtanter renuiſſet, virili fortitudine datis ceruicibus, illuſtrem martyrij coronam conſecutus eſt: cuius corpus Octauilla matrona noctu ſuſtulit, & vnguentis delibutum via Aurelia ſepeliuit. Eſſe hunc Martyrem acerrimum aduerſus periuros vindicem, miracula ad eius ſepulchrum patrata teſtantur. *Die xiij. Maij.*

IN FESTO S. SERVATII

Epiſc. & confeſſ. Tres Lectiones.

Oratio.

EXaudi quæſumus Domine preces noſtras, quas in beati Seruatij confeſſoris tui atque Pontificis ſolemnitate deferimus: vt qui tibi digne meruit famulari, eius intercedentibus meritis, ab omnibus nos abſoluas peccatis. Per Dominum.

Ex S. Athanaſio, S. Seuero Sulpitio, ſancto Gregorio Turonenſi. Lectio iij.

SEruatius Tungrẽſis Epiſcopus, ſanctitate & doctrina ſuo tẽpore floruit. Interfuit enim Concilio Sardicenſi, vbi fides Nicænæ Synodi cõfirmata eſt: & in Concilio Criminenſi conſtantiſſimus eſt habitus. Miſſus à Magnentio tyranno vnà cum ſancto Maximino Treuerenſi Epiſcopo ad Conſtantium Imperatorẽ legatus, Alexandriam appulſi, à S. Athanaſio honorifice excepti ſunt. Seruatius vero rediẽs in Gallias, prouinciæ mala, quæ tũc à Barbaris vaſtabatur, ferre nõ ſuſtinẽs, apud Traiectũ obdormiuit in Domino. Ad cuius meritũ omnibus demonſtrandum, cum tempore hiemis omnia in circuitu nix repleret, ſepulchrum eius numquam operuit, donec induſtria ciuium Baſilica ſuper illud ædificata eſt. *Die xix. Maij.*

IN FESTO S. PVDENTIANAE

Virg. Tres Lectiones. Ad Veſp. & Matut. Hym. Huius obtentu. Oratio.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt ſicut de beatæ Pudẽtianæ virginis tuæ feſtiuitate gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per.

RR. tertij Noct. de Commu. Virg.

Ex Actis, & Rom. Breu. Lect. ij.

PVdentiana virgo, Pudẽtis Romani filia, parentibus orbata, cũ admirabili pietate Chriſtianam religionẽ coleret, vnà cũ ſorore Praxede pecuniã ex vendito patrimonio redactã paupe-

pauperibus diſtribuit, ſeque ieiunijs & orationibus dedit. Cuius etiam ope ra tota eius familia, in qua erant nonaginta ſex homines, à Pio Pontifice baptizata eſt. Lectio iij.

QVòd autem ab Antonino Imperatore ſancitum erat, ne Chriſtiani publice ſacrificia facerent: Pius Pontifex in ædibus Pudentianæ cum Chriſtianis ſacra celebrabat. Quibus illa benigne acceptis, quæ ad vitam neceſſaria eſſent, ſuppeditabat. Itaque in his Chriſtianæ pietatis officijs migrauit è vita, & in ſepulchro patris ad cœmeterium Priſcillæ via Salaria ſepulta eſt, decimo quarto Kalendas Iunij.

Die xxiv. Maij.

IN FESTO TRANSLATIONIS Beatiſſimi Dominici Patris noſtri.

Totum Duplex.

Si in Tempus Paſchale inciderit, ſic fiat Officium. Veſperæ dicantur vt in præcipuo Feſto ipſius, addito. **Allel.** ad finem Antiph. & ℣. Ad Matut. Inuitatorium, Hymnus, tres Pſalmi, & tres Añæ cum ℣. de primo Nocturno, & tria vltima Reſp. ad finem addito. **Alleluia.** & dicentur Tres ſequentes Lectiones.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. C.48.

BEati ſunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt. Nam nos vita viuimus tãtum, poſt mortem autem non erit tale nomen noſtrum. Elias quidem in turbine rectus eſt, & in Eliſæo completus eſt ſpiritus eius: in diebus ſuis non pertimuit principẽ, & potentia nemo vicit illum. Nec ſuperauit illum verbum aliquod: & mortuum prophetauit corpus eius. In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt.

Ex Theodorico de Appoldia S. Antonino, & alijs. Lectio ij.

SAnctiſſima beatiſſimi patriarchæ Dominici anima ad æternum gloriæ regnum commigrante, corpus illud candore virginitatis puriſſimum, humili modicoque ſepulchro conditũ fuit. In arcam enim ligneam valide vndique clauis compactam illatum, in tumulum ſolidis ſaxis tenaci calce reuinctis circumſeptum, deponitur: ingentique lapide os ſepulchri, quo ſecuritati tanti theſauri prouide conſultum eſſet, occluditur. Sed cum felices diuini Patris reliquiæ innumeris miraculis coruſcarent, indignum prorſus eſt viſum, vt corpus illud humo mortaliũ pedibus ſubſtrata tegeretur, quod ſolis inſtar à ſublimi cælo radiantis, tantis virtutum fulgoribus emicabat. Igitur de transferendis in celſiorem atque decentiorem locum ſacris oſſibus, cum ab omnibus certatim in ſententiam itum eſſet, dies tantæ rei perficiendæ præſtituitur.

Lectio iij.

ADerat Archiepiſcopus Rauennas, & venerabilis Iordanus ſẽcundus Ordinis Magiſter, vir egregia virtutum laude cõſpicuus: adfuit etiã Magiſtratus Bononiẽſis. Confluxerat ad ſpectaculum, præter Fratres, clericoſque,

coſque, innumerabilis multitudo ciuiũ Bononienſium, & vicinarum quoque vrbium. Reuellitur ſaxum quod erat monumento impoſitum: cum ſubitò odor ſuauiſſimus atque iucundiſſimus, quoſuis naturæ odores fragrantia ſuperans, ex virgineis arentibus oſſibus ſpirare cœpit: qui & nares animoſque omnium qui aderant in Eccleſia tanta voluptate compleuit, vt non defuncti corporis buſtum, ſed præſtantiſſimorum vnguentorum apotheca patuiſſe videretur. Tunc vir admirandus Iordanus cum alijs Fratribus perfuſi lacrymis, ſacras reliquias ſumma cum veneratione è priore arca extrahentes, in noua alia repoſuerunt, quæ in marmoreo ſepulchro condita fuit. Vbi quoque Deus virum Apoſtolicum innumeris diuinis ornauit honoribus. Facta eſt hæc trãslatio anno Salutis milleſimo ducenteſimo trigeſimo tertio. In Laudibus, & ad Horas dic. & Veſperas, omnia fiant vt in præcipuo Feſto, cum Alleluia. Si vero extra Tempus Paſchale hæc Translatio venerit, omnia dicentur vt in alio Feſto B. Dominici, niſi quod in ſecundo Nocturno duæ præcedentes Lectiones in tres diuiſæ legentur.

Die xxv. Maij.

IN FESTO S. VRBANI

Papæ & mart. Tres Lectiones.

Oratio.

DA quæſumus omnipotẽs Deus: vt qui beati Vrbani martyris tui atque Pontificis ſolemnia colimus: eius apud te intercesſionibus adiuuemur. Per Dominum noſtrum.

Ex Actis S. Cæciliæ, & Rom. Brev.

Lectio iij.

VRbanus Romanus, Alexandro Seuero Imperatore, doctrina & vitæ ſanctitate multos ad Chriſti fidẽ conuertit: in illis Valerianum, beatæ Cæciliæ ſponſum, & Tiburtium Valeriani fratrem, qui poſtea martyrium forti animo ſubierũt. Hic de bonis Eccleſiæ attributis ſcripſit his verbis: Ipſæ res fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alijs vſibus, quàm Eccleſiaſticis & Chriſtianorum fratrũ vel indigentium conuerti: quia vota ſunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum. Sedit annos ſex, menſes ſeptem, dies quatuor: ac martyrio coronatus, ſepultus eſt in cœmeterio Prætextati octauo Kalendas Iunij. Ordinationibus quinque habitis menſe Decembri, creauit Presbyteros nouem, Diaconos quinque, Epiſcopus per diuerſa loca octo.

Die xxxi. Maij.

IN FESTO S. PETRONILLAE

Virginis, Tres Lectiones.

Ad Veſp. & Matut. Hymn. Huius obtentu. Tria vltima Reſponſoria de Communi Virginum.

Oratio.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt ſicut de beatæ Petronillæ virginis tuæ feſtiuitate gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Lectio Tertia, de Sermone. Virginitas flos eſt. In Communi Virg.

FE-

FESTA IVNII.

Die ij. Iunij.

IN FESTO SS. MARCELLINI & Petri mar. Tres Lectiones. Oratio.

DEus, qui nos annua beatorum martyrum tuorum Marcellini & Petri ſolẽnitate lætificas: præſta quæſumus, vt quorum gaudemus meritis, prouocemur exemplis. Per Dominũ.

Ex Actis, & Rom. Breu. Lectio ij.

PEtrus Exorciſta, Diocletiano Imperatore, Romæ à Sereno iudice pro Chriſti nomine in carcerem coniectus, Paulinam Artemij, carceris cuſtodis filiam, ab immundo ſpiritu liberauit. Quo facto ipſum Artemium cum coniuge, & filia, ac tota domo, & pleroſque vicinos, qui ad miraculum conuenerant, Ieſu Chriſto conciliauit: quos omnes Marcellinus Presbyter baptizauit.

Lectio iij.

QVod vbi reſciuit Serenus, Marcellinum & Petrum ad ſe vocatos magna verborum acerbitate, additis minis atque terroribus, à Chriſto dimouere conatur. Cui cum Marcellinus Chriſtiana libertate reſponderet: pugnis contuſum, & à Petro ſeiunctum, nudum in carcerem vitri fragmentis perſtratum includit, ſine cibo ac ſine lumine. Petrum item arctiſſimis vinculis conſtringi imperat. Sed diu cruciati, cum fortiores in dies in Chriſti confeſſione inuenirentur, capite plexi martyrio coronantur.

Die viij. Iunij.

IN FESTO S. MEDARDI Epiſcopi & Confeſſ. Tres Lectiones.

Oratio.

EXaudi quæſumus Domine preces noſtras, quas in beati Medardi confeſſoris tui atque Pontificis ſolemnitate deferimus: vt qui tibi digne meruit famulari, eius intercedentibus meritis, ab omnibus nos abſoluas peccatis. Per Dominum.

Ex Fortunato, S. Gregorio Turonen. & alijs. Lectio ij.

MEdardus in regione Nouiomẽſi honeſtis parentibus ortus, à puero fuit virtutibus ornatiſſimus. Veſtem quã ipſi mater haud paruo pretio confecerat, cuidam pauperi cæco ac nudo obuiam facto, dedit. Ob ſingulares virtutes factus Epiſcopus Viromandẽſis, deinde Epiſcopatu Nouiomum translato, concreditum ſibi gregem egregia ſanctitatis laude gubernauit, effuſiſſima præſertim in pauperes benignitate perpetuo vſus.

Lectio iij.

POſt plurima igitur præclara opera, multis in vita & poſt mortem patratis miraculis, æterna præmia percepturus, feliciter carne depoſita migrauit in cælum, eodem prorſus die quo frater germanus eius S. Gildardus Rhotomagenſis Epiſcopus obijt: qui mirabili exemplo vno ventre, eodem die nati, eodemq. Epiſcopi conſecrati, vno quoque die ex hac vita ſubtracti, ſimul in cælum euolarunt. Corpus ſancti Medardi, Chlotarij regis Francorum humeris elatum eſt in ſepulchrum.

Die ix. Iunij.

IN FESTO SANCTORVM Primi & Feliciani marty. Tres Lect.

Oratio.

FAc nos, quæſumus Domine, ſanctorum martyrum tuorum Primi & Feliciani ſemper feſta ſectari, & eorum ſuffragijs, protectionis tuæ dona ſentire. Per Dominum.

Ex Actis, & Rom. Breu. Lect. ij.

PRimus & Felicianus fratres, grandæua iam ætate in perſecutione Diocletiani & Maximiani accuſati Chriſtianæ religionis, in vincula conijciuntur, ſed ab Angelo ſoluti, inde eripiuntur. Mox ad Prætorem adducti, cum Chriſtianam fidem inuicte tuerentur, alter ab altero diſtracti ſunt: ac primum Felicianũ in confeſſione Chriſti perſiſtentem, affixis ſtipiti manibus eius & pedibus, ſine cibo & potu inde triduum pendentem relinquunt. Deinde Prætor vocatum ad ſe Primum ſic affatur: Frater tuus quàm te prudentior, obſecutus Imperatoribus apud ipſos eſt in honore: in eodem tu eris, ſi eum imitari volueris. Lectio iij.

CVi Primus: Quid factum ſit fratri meo, cognoui ex Angelo. Vtinam ei merear iungi. Excanduit Prætor, & ad ceteros cruciatus, quibus Primum, præſente iam Feliciano, affecit, liquatum igne plumbũ in os eius iuſſit infundi. Mox vtrumque in theatrũ perductum duobus leonibus obijci imperat: qui proſtrati ad eorum genua, capite & lingua ipſis blandiebantur. Ad id ſpectaculum cum amplius duodecim millia hominum conueniſſent, quingenti cum ſuis familijs Chriſto crediderunt. Quibus rebus incenſus Prætor, eos ſecuri percuti iuſſit.

Die xi. Iunij.

IN FESTO S. BARNABAE Apoſtoli. Totum Duplex. Oratio.

QVæſumus omnipotens Deus: vt beatus Barnabas Apoſtolus tuũ pro nobis imploret auxilium: vt à noſtris reatibus abſoluti, à cũctis etiam periculis eruamur. Per Dñm.

Si celebratur hoc Feſtum Tempore Paſchali, leguntur tantum tres Lect. ſtatim ſequentes. Si vero alio Tempore, pro j. Nocturno tres primæ de Feſto S. Matthiæ Apoſtoli. 637. & tres immediate ſequentes pro ij. & tres de Homilia pro iij. [illegible] de Communi Apoſtolorum, in Paſchalis 662. [illegible] alterius Temporis accipiantur.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Actibus Apoſtolorum, & ex Antiquis Auctoribus, & Rom. Breu.

Lectio iv.

BArnabas Leuites, Cyprius genere, qui & Ioſeph, vnus fuit de ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis. Is agro vendito quem habebat, redactam ex eo pecuniam attulit Apoſtolis. Cum Paulo Gentium Apoſtolus ordinatus eſt. Miſſus autem Antiochiam prædicationis cauſa, cum ibi multos ad Chriſti religionem adiunctos inueniſſet, mirifice lætatus, eos hortabatur vt in fide Chriſti permanerent: qua exhortatione multum profecit, quòd eſſet vir bonus & Spiritu ſancto plenus.

Lectio

Lectio v.

PRofectus inde Tarſum vt quæreret Paulum, cum eo Antiochiam venit. In ea Eccleſia annum commorati, illam fidei & vitæ præceptis imbuerunt: vbi etiam Ieſu Chriſti cultores primum Chriſtiani ſunt appellati. Multas deinde cum Paulo vrbes regioneſque, prædicans Euangelium, ſumma cum audientium vtilitate peragrauit. Cuius præclare res geſtas S. Lucas Euangeliſta diuino ſpiritu conſcripſit.

Lectio vj.

POſtremo Barnabas digreſſus à Paulo, vnà cum Ioanne qui cognominatus eſt Marcus, nauigauit in Cyprum: ibiq. circiter ſeptimum Neronis annum tertio Idus Iunij ad Apoſtolici muneris laudem, martyrij coronam adiunxit. Eius ſacrum corpus ipſo reuelante ſub Zenone Imperatore repertum eſt in inſula Cypro: ad cuius pectus erat Euangelium Matthæi Hebraicum ipſius Barnabæ manu conſcriptum. Virginem ipſum fuiſſe pro certo traditur.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio. vii. C. 10.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporũ. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 34. in Matt. poſt init.

CVm Dominus omnem ſollicitudinem à diſcipulorum cordibus eiecerit, & oſtenſione ſignorum armauerit, atque ab omnibus negotijs ſæcularibus alienatos, & ab omni temporalium rerum cura liberatos, ferreos quodammodo atque adamantinos fecerit, tum denique euentura illis aduerſa prædicit. Multa enim ex hac prædictione futurarum rerum commoda conſequebantur. Primum vt eius præſcientiæ vim ediſcerent. Deinde, vt nemo ſuſpicaretur ex magiſtri infirmitate tam grauia mala deſcẽdere.

Lectio viij.

PRæterea, ne qui ea paſſuri erant, ſubito ac inopinato rerum euentu perturbarentur. Denique, ne cum iſta ſub ipſum paſſionis ſuæ tempus audirent, nimium commouerentur. Iam vero, vt intelligant nouum hoc præliandi morem, cum illos nudos mitteret, vna indutos tunica, ſine calceis, abſque virga, & abſque zona & pera, & ab excipiẽtibus ali iuberet.

Lectio ix.

NOn fecit hic dicendi finem, ſed inexplicabilem virtutem ſuam proferens, Etiam ſic euntes, inquit, manſuetudinem tamen ouium oſtendite, quamuis ad lupos ituri, nec ſimpliciter ad lupos, ſed etiam in medio luporum: (neque vero ouium tantum manſuetudinem habere iubet, ſed etiã columbæ ſimplicitatem:) ſic enim virtutem meam maxime oſtendam, cum ab ouibus lupi ſuperabuntur.

Die xij. Iunij.

IN FESTO SS. MARTYRVM Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarij.

Tres Lectiones.

Oratio.

Digitized by Google

Oratio.

SAnctorum martyrum tuorum Baſilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarij, quæſumus Domine, natalitia nobis votiua reſplendeant: & quod illis contulit excellentia ſempiterna, fructibus noſtræ deuotionis accreſcat. Per Dominum noſtrum.

Ex Actis, & Rom. Breu. Lectio iij.

DIocletiano ſæuiente in Chriſtianos, Romani milites, Baſilides, Cyrinus, Nabor, & Nazarius, genere, & virtute illuſtres, Chriſtũ prædicantes, ab Aurelio Vrbis Præfecto capti, cum ſacrificare nollent, in carcerem miſſi ſunt. Quibus orantibus, tantus ſplendor carcerem colluſtrauit: vt Marcellus cuſtodiæ præpoſitus, & multi alij in Chriſtum crederent. Poſtea carcere emiſſi cum fidem conſtãter aſſererẽt, ab Imperatore Maximiano iuſſi ſunt ſcorpionibus lacerari, & in carcerem iterũ recludi. Educti autem poſt dies ſeptem, cum ſacrificare nollent, damnati, ſecuri feriuntur. Quorum corpora feris obiecta, nec ab illis tacta, à Chriſtianis honorifice ſepulta ſunt.

Die xiij. Iunij.

IN FESTO S. ANTONII de Padua Confeſſoris, Duplex

Oratio.

ECcleſiam tuam Deus, beati Antonij confeſſoris tui ſolemnitas votiua lætificet: vt ſpiritualibus ſemper muniatur auxilijs, & gaudijs perfrui mereatur æternis. Per Dominum noſtrum.

IN II NOCTVRNO.

Ex Actis ſinceris, & ex Rom. Breu.

Lectio iv.

ANtonius, Vlyſsipone in Luſitania honeſtis ortus parentibus, & ab ipſis pie educatus, adoleſcens inſtitutum Canonicorum Regularium ſuſcepit. Sed cum corpora beatorum quinque Martyrum, Fratrum Minorum, Conimbriam transferrentur, qui paulo ante apud Marrochiũ pro Chriſti fide paſsi erant, martyrij deſiderio incenſus ad Franciſcanum Ordinem tranſiuit. Mox eodem ardore impulſus, ad Saracenos ire perrexit: ſed aduerſa valetudine afflictus, & redire coactus, cum naui ad Hiſpaniæ littora tenderet, ventorum vi in Siciliam delatus eſt. Lectio v.

ASſiſium è Sicilia ad Capitulum generale venit: inde in eremũ montis Pauli in Aemilia ſeceſsit, vbi diuinis contemplationibus, ieiunijs & vigilijs diu vacauit. Poſtea ſacris Ordinibus initiatus, & ad prædicandum Euangelium miſſus, dicendi ſapientia & copia tantum profecit, tantamq. ſui admirationem commouit, vt eum ſummus Pontifex aliquando concionantem audiens, Arcam Teſtamenti appellarit: Adeo promptus ac facilis erat in expromendis ſacræ Scripturæ teſtimonijs, vt ipſos vtriuſque Teſtamenti libros memoriæ affixos habere videretur. Lectio vj.

PRimus eſt ſuo Ordine, ob doctrinæ præſtantiam, Bononiæ, & alibi ſacras litteras eſt interpretatus,

Fra-

Fratrumq. ſuorũ ſtudijs præfuit. Spiritu prophetico quoque præditus futura multa prædixit:nam cum ſcribam quemdam, vitæ aloquin ſolutiſſimæ, ſæpius obuiam factum venerabundus, & in genua procũbens ſalutaret, illeq. ſatis ſibi conſcius tanto ſe honore indignum,id in contumeliam acciperet, quin & ira ſuccenſus ſancto viro comminaretur;reſpondet Antonius:O fili, tali te dignor honore, quia ſcio te præclarum martyrem futurum. Et res vaticinio ſucceſſit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

HAereſes vero ſumma vi profligauit. In Toloſana regione incidit illi cum peruicaciſſimo hæretico acrior diſputatio: pene hominem validis ex verbo Dei rationibus in ſententiam Catholicæ fidei pertraxerat, cum ille ceu coluber pede preſſus inſurgens: Miſſa, inquit,faciamus verba, & ad res veniamus. Si tu miraculo teſtatum reddideris, in Euchariſtia verum eſſe Chriſti corpus, exemplo victus huic tuæ fidei manus dabo. Cum id ſe facturum in Domino ſanctus vir polliceretur, adiecit hæreticus: Habeo iumẽtum quod tridui inedia macerabo: poſt triduum adero, ego cum iumento, tu adſis cum Sacramento. Si animal neglecto pabulo, ad ſuum Deum adorandum accurrerit,Eccleſiaſticæ doctrinæ totus aſſentiar.

Lectio viij.

ACcepta ab Antonio cõditio eſt: qui triduum illud ſe vigilijs, ieiunijs ac precibus afflixit,Domino totam cauſam commendans. Igitur in maxima hominum frequentia,quæ ad ſpectaculum confluxerat, Antonius, cum ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium in proxima Eccleſia celebraſſet, ſecũ ferens diuinum Chriſti Corpus, egreditur: adfuit illico hæreticus cum iumento fame pene confecto. Proijcitur illi pabulum magna copia. Tum Antonius in manu tenens ſacroſanctã Euchariſtiam, elata voce,In nomine, inquit, Domini præcipio tibi brutum animans, vt relicto pabulo Deum tuũ adores. Mira res! Iumentum ſtatim accurrit, & ſubmiſſo capite profuſum in terram,ſacrum Chriſti corpus adorauit.

Lectio ix.

IGitur vir Dei Euangelicum verbum per multas prouincias ſpargens, anno ante obitum Patauium venit, vbi illuſtria ſanctitatis ſuæ monimenta reliquit. Denique magnis laboribus pro gloria Dei perfunctus,meritis & miraculis clarus obdormiuit in Domino Idibus Iunij,anno ſalutis milleſimo ducenteſimo trigeſimo primo: quem Gregorius Nonus Põtifex maximus ſanctorum Confeſſorum numero adſcripſit.

Die xiv. Iunij.

IN FESTO S. BASILII

Epiſcopi & Confeſſoris. Dupl.

Oratio.

DEus, qui populo tuo, æternæ ſalutis beatum Baſilium miniſtrum tribuiſti: præſta quæſumus, vt quem Doctorem vitæ habuimus in terris,

Digitized by Google

terris, interceſſorem habere mereamur in cælis. Per Dominum.

Tres primæ Lectiones ſicut in Feſto S. Benedicti. pag. 647.

IN II. NOCTVRNO.

Ex S. Gregorio Nazianzeno, S. Greg. Nyſſeno, S. Ephræm Syro, & ex alijs bonis Auctoribus. Lectio iv.

BAſilius, nobilis Cappadox ab auia S. Macrina, quæ S. Gregorij Thaumaturgi diſcipula fuit, in ipſa infantia pietatis dogmatibus, vt ipſe ait, fictus & formatus, Athenis poſtea vnà cum Gregorio Nazianzeno, eius amiciſſimo, ſæcularibus litteris, deinde in monaſterio ſacris mirabiliter eruditus, cum breui curſum fecit ad omnẽ doctrinæ, & morum excellentiam, vt inde Magni cognomen iure meruerit. Ab Iuliano Apoſtata officioſiſſimis litteris euocatus, ire contempſit, magna animi conſtantia Chriſtianam fidem profeſſus. Lectio v.

CVm aliquando Baſilius in Ponto ante imaginem ſacræ Dei Genitricis, in qua Mercurij etiam celebris Martyris figura deſcripta erat, adſtaret ſupplicans vt impius Iulianus Apoſtata tolleretur, ex ipſa imagine didicit, quid eſſet euenturum. Vidit enim Martyrem ad exiguũ tempus obſcurum, non multo autem poſt haſtam cruentam tenẽtem. Factus Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ, Fidem catholicam Homouſij valide propugnauit: ac Valentem Imperatorem ſibi iratum miraculis adeo flexit, vt incumbentem ad voluntatem eijciendi ipſum in exilium, à ſententia diſcedere coegerit. Lectio vj.

NAm primum cum ei Valens minas intentaret, quòd niſi in craſtinum Ariano dogmati conſentiret, eſſet omnino moriturus, reſpõdit: Ego ſane cras ero ſicut hodie: tu vtinam te mutares. Vtinam haberem aliquid digni muneris, quod offerrem huic, qui maturius Baſilium de nodo follis huius abſoluerer. Sed & ſella, in qua facturus decretum de eijciendo è ciuitate Baſilio, ſedere Imperator volebat, confracta eſt: & tribus ab eo calamis adhibitis ad ſcribendam exilij legem, nullus eorum reddidit atramentum: & cum nihilominus in propoſito ſcribendi impium decretum perſiſteret, ipſius dextera, diſſolutis neruis, tota contremuit. His commotus Valens chartam vtraque manu conſcidit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

EA autem nocte, quæ ad deliberandum Baſilio data eſt, Valẽtis vxor intimis eſt cruciata doloribus, & vnicus filius in grauem morbum incidit. Quibus ille perterritus, Baſilium accerſit: quo præſente puer cœpit conualeſcere: verum, vocatis à Valente ad viſendum puerum hæreticis, paulo poſt moritur. Adfuit tunc quoque Demoſthenes quidam culinæ Imperatoriæ præfectus, qui more plane barbaro Baſiliũ reprehendit. At ille ſubridens: Demoſthenem, inquit, illitteratum vidimus. Vbi vero ille maiore exardeſcens iracundia minari cœpit: Tuum

eſt, inquit Baſilius, iuſculorum curare condimenta: nam cum aures habeas oppletas ſordibus, ſacroſancta dogmata audire non potes. Lectio viij.

ABſtinentia & continentia fuit admirabili: vna tunica contentus erat: in ieiunio ſeruando diligentiſſimus, in oratione aſſiduus, in qua ſæpe totam noctem conſumebat: humi cubabat. Cum aliquando fames grauis, & ſæua regionem Cæſarienſem deuaſtaret, omne patrimonium ſuum diſtractum in pauperes erogauit. Virginitatem perpetuo coluit. Monaſterijs extructis, ita Monachorum inſtitutum temperauit, vt ſolitariæ atque actuoſæ vitæ vtilitates præclare ſimul coniungeret. Multa erudite ſcripſit, ac nemo, teſte S. Gregorio Nazianzeno, ſacræ Scripturæ libros verius aut vberius explicauit.

Lectio ix.

INter eos autem qui totam diuinam Scripturam à principio ad finem vſque ſunt interpretati, Baſilius & Gregorius Nazianzenus recenſentur. Sanctus Ephræm Edeſſenæ in Syria Eccleſiæ Diaconus, vidit aliquando ſuper Baſilij dexteram Spiritum ſanctum columbæ ſpecie inſidentem, & eidem concionanti ſermonem ſuggerentem. Obijt Kalendis Ianuarij, cum tantum ſpiritu viuens, præter oſſa & pellem, nulla præterea corporis parte conſtare videretur: quem tanto Patre dignis elogijs S. Gregorius Nazianzenus, S. Gregorius Nyſſenus, & S. Ephræm Syrus luculentiſſimè celebrarunt.

Die xv. Iunij.

IN FESTO SS. VITI, MODESTI, atque Creſcentiæ Martyrum. Tres Lectiones.

Oratio.

DA Eccleſiæ tuæ, quæſumus Domine, ſanctis martyribus tuis Vito, Modeſto, atque Creſcentia intercedentibus, ſuperbe non ſapere, ſed tibi placita humilitate proficere: vt praua deſpiciens, quæcumque recta ſunt, libera exerceat charitate. Per Dominum noſtrum.

Ex Actis, & Rom. Breu. Lectio ij.

VItus admodum puer inſcio patre baptizatus eſt: quod cum ille reſciuiſſet, nihil prætermiſit, quo filium à Chriſtiana fide remoueret. Sed cum nihil proficeret, Valeriano iudici verberibus caſtigandum tradidit. Iudex in ſententia perſiſtentem patri reddidit: qui dum eum grauius punire cogitat, Vitus Angeli monitu, comitibus Modeſto & Creſcentia, eius educatoribus, migrat in alienas terras: vnde, ſanctitatis eius fama ad Diocletianum perlata, ipſum Imperator accerſiuit, vt filiam ſuam à dæmone vexatam liberaret: quod vt Vitus præſtitit, cum ei ampliſſimis præmijs ingratus Imperator, vt deos coleret, perſuadere non potuiſſet, vnà cum Modeſto, & Creſcentia vinctum mittit in carcerem. Lectio iij.

QVos in fide cõſtantes in ingens vas liquato plumbo, feruenti reſina ac pice plenum demitti iubet: in quo cum trium Hebræorum puerorum more diuinos hymnos canerent,

nerent, inde extracti leoni obijciuntur, qui proſternens ſe, eorum pedes lambebat. Quare ira ardens Imperator, quòd multitudinē cerneret miraculo commoueri, eos in cataſta ſterni iubet, & ita cædi eorum membra, atque oſſa diuelli. Quo tempore tonitrua, magniq. terræmotus fuere, quibus templa deorū corruerunt, & multi oppreſſi ſunt. Tandē beati Martyres, curſu glorioſi certaminis peracto, cæleſtes coronas acceperunt.

Die xvi. Iunij.

IN FESTO S. MARTIALIS Epiſcopi & Confeſſoris. Tres Lectiones. Oratio.

OMnipotens ſēpiterne Deus, qui beatum Martialem confeſſorē tuum, atque Pontificē, Eccleſiæ tuæ ſanctæ præeſſe voluiſti: quæſumus, vt eius ſuffragantibus meritis, pietatis tuæ gratiam largiaris. Per Dominū.

Ex Actis probatioribus, & Innocentio 3. Extr. de Sacr. Vnction. Lectio iij.

MArtialis, vnus de Septuaginta Chriſti diſcipulis, ac puer ille fuiſſe traditur, qui quinque panes ordeaceos, & duos piſces attuliſſe in Euangelio memoratur. Ex Oriēte cum ſancto Petro Apoſtolo Romam venit, & ab eodē in Gallias cauſa propagandi Euangelij miſſus, Lemouicenſes, Toloſanos, Burdegalenſes, Cadurcēſes, & Aquitanos, atque alios populos Chriſtianā religionem edocuit: vnde Galliarum eſt dictus Apoſtolus. Admoto baculo S. Petri, quē ab eo Romæ acceperat, mortuū reduxit in vitam. Tandē poſt multa præclara sāctitatis & doctrinæ opera, in cælū emigrauit.

EODEM DIE MEMORIA in Laudibus SS. Quirici & Iulittæ martyr. Oratio.

DEus, qui nos cōcedis ſanctorum martyrū tuorū Quirici & Iulittæ natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorū ſocietate gaudere. Per Dominum. *Die xviij. Iunij.*

IN FESTO SS. MARCI & Marcelliani martyrum. Tres Lectiones. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt qui ſanctorum martyrū tuorū Marci & Marcelliani natalitia colimus, à cunctis malis imminētibus eorū interceſſionibus liberemur. Per.

Ex Actis S. Sebaſtiani, & Rom. Breu.

Lectio iij.

MArcus & Marcellianus fratres Romani, propter Chriſtianā fidē à Fabiano duce cōprehenſi, ad ſtipitē alligati ſunt, pedibus clauis cōfixis. Ad quos cū ita loqueretur iudex: Reſipiſcite miſeri, & vos ipſos ab his cruciatibus eripite: reſponderūt: Nūquam tā iucūde epulati ſumus, quàm hæc libēter Ieſu Chriſti cauſa perferimus, in cuius amore nūc fixi eſſe cœpimus: vtinā tamdiu nos hæc pati ſinat, quādiu hoc corruptibili corpore veſtiti erimus. Qui diē noctemq. in tormētis diuinas laudes canentes, denique telis transfixi, ad martyrij gloriam peruenerunt. *Die xix. Iunij.*

IN FESTO SS. MARTYRVM Geruaſij & Protaſij. Simplex.

Oratio.

DEus, qui nos annua ſanctorum martyrũ tuorũ Geruaſij & Protaſij ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per.

IN II. NOCTVRNO

Ex ſincerioribus Actis, & Rom. Breu.

Lectio iv.

GEruaſius & Protaſius, Vitalis & Valeriæ filij, quorũ pater Rauẽnæ, mater Mediolani pro Chriſti Domini fide martyriũ ſubierunt, diſtributo pauperibus patrimonio, domeſticos ſeruos libertate donarunt. Quo facto Gentiliũ ſacerdotes immane in illos conceptũ odium habebant. Quare cum Aſtaſius Comes in bellũ proficiſci vellet, hanc occaſionem perdendi pios fratres ſe nactos eſſe putauerunt.

Lectio v.

ITaque Aſtaſio perſuadẽt, ſe à dijs admonitos eſſe, nullo modo cũ in bello victorẽ futurũ, niſi Geruaſio & Protaſio coactis Chriſtũ negare eoſdem ad ſacra dijs faciẽda cõpelleret. Quod cũ illi deteſtarentur, Aſtaſius imperauit, Geruaſiũ tamdiu cædi, dũ inter verbera expiraret: Protaſium fuſtibus contuſum ſecuri percuti iubet. Paſſi ſunt Mediolani decimo tertio Kalendas Iulij.

Lectio vj.

HOrum ſanctorũ Martyrũ corpora ſanctus Ambroſius Dei monitu inuenit, & in ſacro, inſigniq; loco collocãda curauit. De quibus ipſe hæc ad ſanctã Marcellinã ſororem ſcribit: Inuenimus miræ magnitudinis viros duos, vt priſca ætas ferebat, oſſa omnia integra, ſanguinis plurimũ.] Qui etiam ingentia tũc ad ſanctorũ gloriã parata fuiſſe miracula narrat. Sed & S. Auguſtinus, Tantæ, inquit, gloriæ Martyrũ etiam ego teſtis fui, vbi Mediolani eram, facta miracula noui.]

In iij. Noctur. Homilia in Euangeliũ. Deſcendens Ieſus de monte. De Communi plurimorũ Martyrum. vel, Quibus ego vos. *Die xxij. Iunij.*

IN FESTO SS. DECEM millium Martyrũ. Duplex. Oratio.

DEus, qui ad imitandũ paſſionis tuæ exemplũ, Decẽ millia Martyrum crucis patibulũ ſubire feciſti: concede propitius, vt qui paſſionem eorum veneramur in terris, Paſſionis tuæ remedia conſequi mereamur in cælis. Qui viuis & regnas cum Deo.

IN II. NOCTVRNO

Ex Martyrologio Romano, & Græco Menologio, & ex Sermone S. Ephræm in laudem omnium Martyrum. Tom. 3.

Lectio iv.

DEcem milliũ Martyrum nobile certamen, quo in monte Armeniæ Ararath pro Chriſtianæ fidei confeſſione crucibus affixi, clariſſimũ trophæũ ſanguinis cælo victores intulerunt, Eccleſia Latina, & Græca pari conſenſu publicis inſculptũ monumẽtis, anniuerſario ritu, ac virenti in ſẽpiternũ memoria, dignis præconijs celebrat. In quorũ ſane laudes egregias, sãcti Patris Ephræm verba mirifice cõcinunt, cum ita Martyres prædicat: Quibus vos encomijs celebrem, ò per

fecti

fecti pugiles Chriſti? aut quo vos nomine appellem, viri inclyti, ac ter quaterque beati? Lectio v.

OBſtupuit namq. ſummorũ Oratorum eloquentia, & Philoſophorum ſapientia, dum adeo mirabilia in Chriſti ſeruis fieri cernerent. Tyrãnis, atque Iudicibus verba defecerunt, ſanctorũ Chriſti Martyrũ fidẽ atque conſtantiã, alacritatemq. cum incredibili tolerantia atque perſeuerantia intuẽtibus. Quã ergo nos, quæſo dilectiſſimi fratres, in die extremi iudicij excuſationẽ apud Deum habebimus: qui abſque vlla perſecutionis atrocitate, tormentorumq. vi, charitatem Dei, vitamq. noſtram vſque adeo neglex imus, atque tam profundo corporis atque deſidiæ ſomno demerſi ſumus? Lectio vj.

OBteſtamur igitur vos, ò ſanctiſſimi Martyres, qui pro Domino Saluatore eiuſque amore, ſponte ac prompte atrociſſima tormenta ſubijſtis: quamobrẽ etiam familiarius iam ei coniuncti eſtis: vt pro nobis miſeris peccatoribus negligẽtiæ ſqualore obſitis Dominum deprecemini, vt diuinam ſuam in nos infundat gratiam. Vos etenim vere nunc beati ac glorioſi eſtis, quos Angeli pariter & homines vna voce atque cõſenſu felices & beatos prædicãt. In tertio Noctur. Homilia in Euangeliũ. **Cum audieritis prælia.** De Communi Martyrum.

Die xxiij. Iunij.

IN VIGILIA S. IOANNIS Baptiſtæ.

B.P.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio i. C. I.

FVit in diebus Herodis regis Iudææ, ſacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Eliſabeth. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 1. in Lucam, init.

DOcet nos Scriptura diuina, non ſolum mores in ijs qui prædicabiles ſunt, ſed etiam parentes oportere laudari: vt veluti tranſmiſſa immaculatæ puritatis hereditas. in ijs quos volumus laudare, præcellat. Quæ enim alia intentio hoc loco ſancti Euãgeliſtæ, niſi vt ſanctus Ioannes Baptiſta nobilitetur parentibus, miraculis, moribus, munere, paſſione? Lect. ij.

SIc etiam ſancti Samuel mater Anna laudatur: ſic Iſaac à parentibus nobilitatem pietatis accepit, quam poſteris dereliquit. Sacerdos itaque Zacharias, nec ſolum ſacerdos, ſed etiã de vice Abia, ideſt, nobilis inter ſuperiores ſemine. Et vxor, inquit, eius de filiabus Aaron. Non ſolũ igitur à parentibus, ſed etiam à maioribus ſancti Ioannis nobilitas propagatur, non ſæculari poteſtate ſublimis, ſed religionis ſucceſſione venerabilis. Lectio iij.

TAles enim maiores habere debuit prænuncius Chriſti, vt non repente conceptam, ſed à maioribus acceptam, & ipſo infuſam iure naturæ, prædicare fidem Dominici videretur aduentus. Erant, inquit, ambo iu-

bo iuſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela. Quid ad hoc referunt, qui peccatis ſuis ſolatia præferentes, ſine peccatis frequentibus hominem putant eſſe non poſſe: & vtuntur verſiculo illo, quia ſcriptū eſt in Iob: Nemo mundus à ſorde, nec ſi vnius diei vita eius ſit in terra?

Die xxiv. Iunij.

IN NATIVITATE S. IOANNIS Baptiſtæ. Totum Duplex.

Ad Veſp. ſuper Pſalm. Añā. Ingreſſo Zacharia templum Domini, apparuit ei Gabriel Angelus, ſtans à dextris altaris incenſi. Capitulum. *Ier.* 1.

PRiuſquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, ſanctificaui te: & prophetam in gentibus dedi te. ℟. Inter natos mulierum. ix. Hymnus.

VT queant laxis reſonare fibris,
Mira geſtorum famuli tuorum,
Solue polluti labij reatum,
Sancte Ioannes.

Nuncius celſo veniens olympo,
Te patri magnum fore naſciturum,
Nomen, & vitæ ſeriem gerendæ
Ordine promit.

Ille promiſſi dubius ſuperni,
Perdidit promptæ modulos loquelæ:
Sed reformaſti genitus peremptæ
Organa vocis.

Ventris obſtruſo poſitus cubili
Senſeras Regem thalamo manentem.
Hinc parens nati meritis vterque,
Abdita pandit.

Laudibus ciues celebrant ſuperni
Te Deus, ſimplex pariterque trine:
Supplices & nos veniam precamur,
Parce redemptis. Amen.

℣. Fuit homo miſſus à Deo. ℟. Cui nomen erat Ioannes.

Ad Magnificat, Antiphona.

Pro eo quòd non credidiſti verbis meis, eris tacens, & non poteris loqui vſque in diem natiuitatis eius.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus: vt familia tua per viam ſalutis incedat, & beati Ioannis Præcurſoris hortamenta ſectando, ad eũ quem prædixit, ſecura perueniat, Dominum noſtrum Ieſum &c.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Regem Præcurſoris Dominum, Venite adoremus. Hymnus.

ANtra deſerti teneris ſub annis,
Ciuiũ turmas fugiens, petiſti,
Ne leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſes.

Præbuit hirtum tegumen camelus
Artubus ſacris, ſtrophium bidentes:
Cui latex hauſtum, ſociata paſtum
Mella locuſtis.

Ceteri tantum cecinere vatum
Corde præſago iubar affuturum:
Tu quidem mundi ſcelus auferentem
Indice prodis.

Non fuit vaſti ſpatium per orbis
Sanctior quiſquam genitus Ioanne:
Qui nefas ſæcli meruit lauantem
Tingere lymphis.

Laudibus ciues. vt ſupra.

IN

IN PRIMO NOCTVRNO.

Antiph. Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de ventre, ſanctificaui te. Pſalm. Beatus vir. Antiph. Ad omnia quæ mittam te, ibis, dicit Dominus, ne timeas: & quæ mandauero tibi, loqueris ad eos. Pſal. Quare fremuerunt. 1. Añã. Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum ſum, dicit Dominus. Pſalm. Domine, quid. 2. ℣. Gloria & honore coronaſti eum Domine. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

De Ieremia Propheta. Lect. i. C. 1.

ET factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, ſanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te. Et dixi: A a a, Domine Deus: ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere, Puer ſum: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis: & vniuerſa, quæcumque mandauero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum: quia tecum ego ſum, vt eruã te, dicit Dominus. ℟. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit, vt teſtimonium perhiberet de lumine, & pararet Domino plebem perfectam. ℣. Erat Ioannes in deſerto prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Hic venit.

De Iſaia Propheta. Lect. ij. C 49.

AVditæ inſulæ, & attendite populi de longe: Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei. Et poſuit os meum quaſi gladium acutum: in vmbra manus ſuæ protexit me, & poſuit me ſicut ſagittam electam: in pharetra ſua abſcondit me. Et dixit mihi: Seruus meus es tu Iſrael, quia in te gloriabor: Et nunc dicit Dominus, formans me ex vtero ſeruum ſibi, vt reducam Iacob ad eum, & Iſrael non congregabitur: & glorificatus ſum in oculis Domini, & Deus meus factus eſt fortitudo mea. ℟. Eliſabeth Zachariæ magnum virum genuit Ioannem Baptiſtam Præcurſorem Domini: Qui viam Domino præparauit in eremo. ℣. Erat quidem infecunda corpore, ſed ſeruata myſterio: caruitque ſterilitatis opprobrio, gignendo filium de cælo promiſſum. Qui.

Lectio iij. C. 40.

COnſolamini, conſolamini popule meus, dicit Deus veſter. Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam: quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius: ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur. & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. ℟. Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & antequã exires de vẽtre, ſanctificaui te: Et prophetã in gentibus dedi te. ℣. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce cõſtitui te ſuper Gentes & regna. Et. Gloria. Et.

IN II. NOCTVRNO

Aña. Miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum: & prophetam in gentibus dedit me Dominus. Pſal. Cum inuocarem. 2. Aña. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce conſtitui te ſuper Gentes & regna. Pſalm. Verba mea auribus. 3. Aña. Dominus ab vtero vocauit me: de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei. Pſal. Domine Dominus noſter. ℣. Poſuiſti Domine ſuper caput eius. ℟. Coronam de lapide pretioſo.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 20. *de Sanctis.* Lectio iv.

POſt illum ſacroſanctum Domini natalis diem, nullius hominis natiuitatẽ legimus celebrari, niſi ſolius beati Ioannis Baptiſtæ. In alijs ſanctis & electis Dei nouimus illum diẽ coli, quo illos poſt conſummationem laborum, & deuictum triumphatumq. mundum, in perpetuas æternitates præſens hæc vita parturijt: in alijs, inquam conſummata vltimi diei merita celebrantur: in hoc etiam prima dies, & ipſa Ioannis initia conſecrantur: pro hac abſque dubio cauſa: quia per hunc Dominus aduentum ſuum, ne ſubito inſperatum homines non agnoſcerent, voluit eſſe teſtatum. ℟. Deſcendit Angelus Domini ad Zachariam, dicens: Accipe puerum in ſenectute tua: Et habebit nomen Ioãnes Baptiſta. ℣. Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt oratio tua: Et Eliſabeth vxor tua pariet tibi filium. Et habebit.

Lectio v.

IOannes autem figura fuit veteris teſtamenti: & in ſe prætulit formam legis: & ideo prænunciauit Saluatorem, ſicut lex gratiam præcucurrit. Quòd autem nondum natus de ſecreto materni vteri prophetauit, & expers lucis, iam teſtis eſt veritatis: hoc eſt intelligendũ, quòd latens ſub velamine & carne litteræ, & Redemptorem mundo ſpiritu prædicauit, & nobis Dominum Deum noſtrum de quodam legis vtero proclamauit. ℟. Hic præcurſor directus, & lucerna lucens ante Dominum: ipſe eſt enim Ioannes, qui viam Domino præparauit in eremo: ſed & Agnum Dei demonſtrabat, Et illuminabat mentes hominum. ℣. Erat Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmũ pœnitentiæ. Et illumi. Lectio vj.

ERgo quia Iudæi errauerũt à vẽtre, ideſt à lege, quæ Chriſto grauida erat, errauerunt à ventre, locuti ſunt falſa: ideo hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine. Quòd autem Ioannes in carcere conſtitutus ad Chriſtum diſcipulos ſuos deſtinauit; lex ad Euangeliũ tranſmiſit. Quæ lex iuxta typum Ioãnis, quaſi ignorantiæ clauſa carcere, in obſcuro & in occulto iacebat, & Iudaicæ cæcitatis ſenſus intra litteram tenebatur incluſus. ℟. Innuebat Patri eius quem vellet vocari eum: Et poſtulãs pugillarẽ ſcripſit, dicens: Ioãnes eſt nomẽ eius. ℣. Vicini quoque, & cognati eius venerũt circumcidere puerum,

puerum,& ſciſcitati ſunt eũ,quo nomine vocaretur. Et. Gloria. Ioannes.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Poſuit os meum Dominus quaſi gladium acutũ:ſub vmbra manus ſuæ protexit me. Pſal. In Domino confido. 6. Aña. Formans me ex vtero ſeruum ſibi Dominus in lucem gentium, vt ſim ſalus eius ab extremis terræ. Pſal. Domine, quis habitabit. 7. Aña. Reges videbunt, & conſurgent principes: & adorabunt Dominum Deum tuum,qui elegit te. Pſal. Domine in virtute 13. ℣. Magna eſt &c.

Lectio S. Euangelij ſecũdum Lucam.

Lectio vij. C. 1.

ELiſabeth impletum eſt tempus pariendi,& peperit filium:& audierunt vicini & cognati eius quia magnificauit Dominus miſericordiã ſuam cum illa, & congratulabantur ei. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 2. in Luc. 1.

PEperit filium Eliſabeth,& cõgratulabantur vicini. Habet Sanctorũ editio lætitiam plurimorum,quia commune eſt bonum. Iuſtitia enim cõmunis eſt virtus: & ideo in ortu iuſti futuræ vitæ inſigne præmittitur, & gratia ſecuturæ virtutis exultatione vicinorum præfigurãte,ſignatur. Pulchre autem tempus, quo fuit in vtero Propheta, deſcribitur, ne Mariæ præſentia taceatur: ſed tempus ſiletur infantiæ,eo quod præſentia Domini matris in vtero roboratur, qui infantiæ impedimenta neſcinit. ℟. Præcurſor Dñi venit,de quo ipſe teſtatur: Nullus maior inter natos mulierum Ioãne Baptiſta. ℣. Hic eſt enim propheta, & pluſquam propheta:de quo Dominus ait. Nullus maior.

Lectio viij.

ET ideo in Euangelio nihil ſuper eo legimus, niſi ortum eius, & oraculum, exultationem in vtero, vocem in deſerto. Neque enim vllam infantiæ ſenſit ætatem, qui ſupra naturam, ſupra ætatem, in vtero ſitus matris, à menſura cœpit ætatis plenitudinis Chriſti. Mire ſanctus Euangeliſta præmittendum putauit, quòd plurimi infantem patris nomine Zachariam appellandum putarint: vt aduertas, matri non nomen alicuius diſplicuiſſe degeneris,ſed id ei ſancto infuſum Spiritu, quod ab Angelo ante Zachariæ fuerat prænunciatum. ℟. Gabriel Angelus apparuit Zachariæ, dicẽs:Naſcetur tibi filius, nomen eius Ioannes vocabitur:Et multi in natiuitate eius gaudebunt. ℣. Erit enim magnus coram Domino: vinum & ſicerã non bibet. Et multi.

Lectio ix.

ET quidē ille mutus intimare vocabulum filij nequiuit vxori: ſed per prophetiã didicit Eliſabeth,quod nõ didicerat à marito. Ioãnes,inquit, eſt nomen eius:hoc eſt,non ei nos nomen imponimus, qui iã à Deo nomen accepit:habet vocabulum ſuum,quod agnouimus,nõ quod elegimus. Habẽt hoc merita Sanctorũ,vt à Deo nomen accipiãt. ℟. Inter natos mulierũ non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta: Qui viã Dño præparauit in eremo. ℣. Fuit homo

homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Qui viam. Gloria Patri. Qui viam. ℣. Fuit homo miſſus à Deo. ℞. Cui nomen erat Ioannes.

IN LAVDIBVS, Aña.

E Liſabeth Zachariæ magnum virum genuit Ioannem Baptiſtam præcurſorem Domini. Pſal. Dominus regnauit. cum ceteris. Aña. Innuebãt patri eius, quem vellet vocari eum. Et ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomen eius. Aña. Ioannes eſt nomen eius: vinum & ſiceram non bibet: & multi in natiuitate eius gaudebunt. Aña. Ioannes vocabitur nomen eius: & in natiuitate eius multi gaudebũt. Aña. Iſte puer magnus coram Domino: nam & manus eius cum ipſo eſt. Cap. Priuſquam. Hymnus.

O Nimis felix, meritique celſi,
Neſciens labem niuei pudoris,
Præpotens martyr, eremique cultor,
Maxime vatum.

Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis, duplicata quoſdã:
Trino centeno cumulata fructu,
Te ſacer ornant.

Hinc potens noſtri meritis opimis
Pectoris duros lapides repelle,
Aſperum planans iter, & reflexos
Dirige calles.

Vt pius mundi Sator & Redemptor,
Mentibus pulſa liuione puris,
Rite dignetur veniens ſacratos
Ponere greſſus.

Laudibus ciues celebrant ſuperni
Te, Deus ſimplex, pariterque trine:
Supplices & nos veniam precamur,
Parce redemptis. Amen.

℣. Corona aurea ſuper caput eius. ℞. Expreſſa ſigno ſanctitatis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Apertum eſt os Zachariæ, & prophetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael. Oratio.

D Eus, qui præſentem diem honorabilem nobis in beati Ioannis natiuitate feciſti: da populis tuis ſpiritualium gratiam gaudiorum, & omniũ fidelium mentes dirige in viam ſalutis æternæ. Per Dominum.

Ad Tertiam, Cap. Priuſquam. ℞℞. & ℣℣. vnius Mart. ſimiliter & ad alias Horas.

Ad Sextam, Capit. *Iſa.* 49.

A Vdite inſulæ, & attendite populi de longe: Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei.

Ad Nonam, Capit. *Iſa.* 49.

P Oſuit os meum Dominus quaſi gladium acutũ: in vmbra manus ſuæ protexit me, & poſuit me ſicut ſagittam electam.

Ad Veſperas. Aña. Eliſabeth. Pſalmi vnius Mart. Cap. Hym. ℣. vt in primis Veſperis. Ad Magnificat, Antiphona. Et poſuerunt omnes, qui audierant, in corde ſuo, dicentes: Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius impletus eſt Spiritu ſancto, & prophetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

Per Oct. ad Matutinum Inuitatorium.

Regem

Regem Præcurſoris. Sequentes vero Añæ Ad Benedictus, & ad Magnificat per Oct. quotidie, vel ad Memoriam dicantur, etiam infra Octa. Corporis Chriſti, quando in eis occurrerit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Tu puer propheta Altiſſimi vocaberis: præibis ante Dñm parare vias eius.

Ad Magnificat, Antiphona.

Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.

PRIMA DIE.

Infra Octa. Natiu. S. Ioannis Baptiſtæ.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 21. *de Sanctis.* Lectio iij.

NAtalem ſancti Ioannis, fratres chariſſimi, hodie celebramus: quod nulli vnquam Sanctorum legimus fuiſſe conceſſum. Solius enim Domini, & beati Ioannis dies natiuitatis in vniuerſo mundo celebratur & colitur. Hunc enim ſterilis peperit, illum virgo concepit: in Eliſabeth ſterilitas vincitur, in beata Maria conceptionis conſuetudo mutatur. Eliſabeth virum cognoſcẽdo, filium genuit: Maria Angelo credidit, & concepit. Hominem concepit Eliſabeth, hominem & Maria: ſed Eliſabeth ſolum hominem, Maria Deum & hominem.

Die xxvi. Iunij.

IN FESTO SS. MARTYRVM Ioannis & Pauli. Simplex.

Ad Magnificat, Antiphona.

Aſtiterunt iuſti ante Dominum, & ab inuicem non ſunt ſeparati: calicem Domini biberunt, & amici Dei appellati ſunt.

Oratio.

QVæſumus omnipotens Deus: vt nos geminata lætitia hodiernæ feſtiuitatis excipiat, quæ de beatorum martyrum Ioannis & Pauli glorificatione procedit: quos eadem fides & paſſio vere fecit eſſe germanos. Per Dominum.

℟. iij. Beati Martyres Chriſti Ioannes & Paulus dixerunt Iuliano: Nobis alius non eſt niſi vnus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. ℣. Vna fides, vnum baptiſma, vnus Spiritus erat in eis. Pater. Gloria. Pater.

IN II. NOCTVRNO.

Ex ſincerioribus Actis, & Rom. Breu.

Lectio iv.

SCythæ ſeu Gothi, cum aduerſus Romanum Imperium arma mouiſſent, miſſus eſt cõtra eos à Conſtantino Magno Gallicanus Romani exercitus ductor: qui primum aduerſo prælio repulſus: mox nobili miraculo ingentem victoriam reportauit. Duo enim eunuchi Conſtantiæ filiæ Conſtantini, qui erant in exercitu, Ioannes & Paulus dixerunt Gallicano: Nuncupa votum Deo cæli, & ſiſus in Domino certam obtinebis victoriam.

Lectio v.

SImulatque votum emiſit Gallicanus, affuit iuuenis ſtatura procerus, & valido corporis habitu, ferens in humero crucem, qui dixit ei: Cape gladium, & ſequere me. Cumque ille ſequeretur, ſubito adſtiterunt alij armati hinc inde latera cingentes, qui eum confirmantes ad ipſum vſque

Scy-

Scytharum regem perduxerũt. Iſque terrore conſternatus ad pedes Gallicani prouolutus vitam deprecatus, ac imperata ſe libenter facturum pollicetur. Sicq. feliciter bellum confectum fuit, ac Schythæ ſub tributum redacti.

Lectio vj.

HIc tantus vir Gallicanus, depoſitis mox Conſularibus & Triũphalibus infulis, amore Chriſti ſe hoſpitalitati & infirmorum ſeruitio totũ conſecrauit. Ac ſane mirabile erat, videre virum ex Patricio, Conſule, ac Triumphali lauantem pauperum pedes, apponentem menſam, aquam manibus effundentem, languentibus ſollicite miniſtrantem, & cetera pietatis officia exhibentem. Qui poſtmodum ſub Iuliano Apoſtata exagitatus, demum Alexandriæ etiam nobiliſſimum ſanguinem, abſciſſis ceruicibus pro Chriſto victor effudit. ℟. Hæc eſt vera fraternitas quæ numquã potuit violari certamine: qui effuſo ſanguine ſecuti ſunt Dominum: Contemnentes aulam regiam, Peruenerunt ad regna cæleſtia. ℣. Ecce quàm bonũ & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Contemnentes. Gloria Patri. Peruenerunt ad regna cæleſtia.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

CEterum Ioannes & Paulus fratres Romani, cum facultatibus à Conſtantia Conſtantini filia, cui pie fideliterq. ſeruierãt, ſibi relictis, Chriſti pauperes alerent: à Iuliano Apoſtata in numerum familiarium ſuorũ inuitati, libere negauerunt, ſe apud eum eſſe velle, qui à IeſuChriſto defeciſſet. Quibus ille ad deliberandum decem dies præfinit, vt niſi ad eã diem ei adhærere, & Ioui ſacrificare cõſtituerint, ſibi moriendum eſſe certo ſciant.

Lectio viij.

ILli intra id tempus reliqua ſua bona diſtribuerunt pauperibus, quo expeditiores ad Dominum migrare poſſent, & plures iuuarẽt. Die decima Terentianus Prætoriæ cohortis Præfectus, ad eos miſſus cum allata Iouis effigie, vt eam adorarent, Imperatoris mandatum eis exponit: vt niſi Ioui cultum adhibeant, moriantur. Qui vt erant orantes, reſponderunt, ſe pro Chriſti fide, quem Deum mente & ore venerabantur, intrepide mortẽ ſubituros.

Lectio ix.

AT Terentianus, veritus ne ſi publice interficerentur, populus commoueretur, domi vbi tunc erant, truncatis capitibus, ſexto Kalẽdas Iulij ſecreto eos ſepeliendos curauit: rumoremque ſparſit, Ioannem & Paulũ in exilium eiectos eſſe. Verum eorum mors à ſpiritibus immundis, qui multorum corpora vexabant, peruulgata eſt: in quibus Terentiani filius, & ipſe oppreſſus à dæmone, ad ſepulchrum Martyrũ perductus, liberatus eſt. Quo miraculo & is in Chriſtum credidit, & eius pater Terẽtianus. ℟. Iſti ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum: Habẽt poteſtatem claudere cælum nubibus, & aperire portas eius: Quia linguæ eorum claues cæli

factæ ſunt. ℣. Iſti ſunt duo filij ſplendoris, qui aſſiſtunt dominatori vniuerſæ terræ. Habent. Gloria Patri. Quia.

IN LAVDIBVS Antiphona.

PAulus & Ioannes dixerunt Iuliano: Nos vnum Deũ colimus, qui fecit cælum & terram. Pſal. Dominus regnauit. cum reliquis. Aña. Paulus & Ioannes dixerunt ad Terentianum: Si tuus Dominus eſt Iulianus, habeto pacem cum illo: nobis non eſt alius Dominus, niſi Ieſus Chriſtus. Aña. Ioannes & Paulus cognoſcentes tyrannidẽ Iuliani, facultates ſuas pauperibus erogare cœperunt. Aña. Sancti Spiritus, & animæ iuſtorum hymnũ dicite Deo in æternum. Aña. Ioannes & Paulus dixerunt ad Gallicanũ: Fac votũ Deo cæli, & eris victor melior, quàm fuiſti.

Ad Benedictus, Antiphona.

Beati martyres Chriſti Ioãnes & Paulus dixerunt Iuliano: Nobis alius non eſt, niſi vnus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona. I.

Iſti ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum: habent poteſtatem claudere cælum nubibus, & aperire portas eius, quia linguæ eorum claues cæli factæ ſunt.

SECVNDA DIE.

Infra Octa. Natiuit. S. Ioannis.

Sermo ſancti Baſilij Magni.

Homil. 2. in Pſal. 25. Lectio iij.

VOx Domini ſuper aquas. Qualis vox, ſuper aquas? Velut prophetiam accipiamus quod dictum eſt. Memineris Ioannis, qui interrogatus à Iudæis, Tu quis es? quod reſponſum dabimus ijs qui miſerunt nos? reſpondit: Ego vox clamantis in deſerto. Igitur vox Domini eſt Ioannes, Angelus à Deo miſſus ante faciem Domini, vt pararet Domino plebem perfectã. Hæc igitur vox ſuper aquas erat ſuper Iordanem, in quo baptizabat prædicans pœnitentiæ baptiſmum.

Die xxviij. Iunij.

IN VIGILIA SS. APOST.

Petri & Pauli.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio j. C. 21.

IN illo tempore: Dixit Ieſus Simoni Petro: Simon Ioannis diligis me plus his? Et reliqua.

Homilia ſancti Cyrilli Epiſcopi.

Lib. 12. in Ioann. cap. 64.

MErito Petrũ Chriſtus interrogauit, ſi plus cum ceteris diligeret, & id tertio, Petrus autem amare ſe fatetur, & amoris ſui non alium, ſed Chriſtũ ipſum in teſtem citat. In ſingulis autẽ confeſſionibus, variatis parumper verbis audiuit rationaliũ ouiũ curam ſibi eſſe habendã. Altius quiddam hæc oratio certe parturit. Nam quoniam cum aliis Apoſtolatus nomine, Petrus ab ipſo Chriſto decoratus, ter in tempore paſſionis negauit, iure nunc ab eo terna dilectionis confeſſio petitur, vt terna negatio æquali cõfeſſionis numero compenſetur. Ita quod verbis cõmiſſum fuit, verbis curatur.

Lectio ij.

PEtijt autem ab eo, ſi plus ceteris diligeret. Nam qui maiorem clementiam

mentiam in ſe Domini fuit expertus, maiori amore affici iure debebat: cui enim plus remittitur, plus amare debet, vt ipſe alibi dicit. Doctores Eccleſiæ hinc diſcant, non aliter ſe Chriſto poſſe coniungi, niſi omni cura, & opera ſtudeant, vt rationales oues recte paſcantur, & recte valeant.

Sermo ſancti Maximi Epiſcopi.

Hom. 2. de S. Ioanne Baptiſta.

Lectio iij.

HIc eſt Ioannes, chariſſimi, de quo Prophetica annunciatione prædictum eſt: Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini. Clamaturus erat enim, ſicut & clamauit: vt vociferante ſalutis præcone, obturatas diu aures mortalium prædicatio cæleſtis aperiret. Quid autem de continentiæ eius virtute, quid de amore iuſtitiæ loquar, cui, ſicut legitur, inimitabilis victus, & luce ipſa charior veritas fuit?

Eodem die Memor. in Laudib. S. Leonis Papæ & Confeſſ. Oratio.

DEus, qui beatum Leonem Pontificem tuum ſanctorum tuorum meritis coæquaſti: concede propitius, vt commemorationis eius feſta percolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per Dominum.

Die xxix. Iunij.

IN FESTO SS. APOSTOLORVM Petri & Pauli. Totum Dupl. Ad Veſp. ſuper Pſalm. Antiphona.

Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Reſpōdens Petrus, dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Et ego dico tibi: Quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Pſalm. Laudate pueri. cum ceteris.

Capitulum. *Act. 2.*

PEtrus quidem ſeruabatur in carcere: oratio autē fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.

℞. Cornelius. iij. Hymnus.

AVrea luce, & decore roſeo
Lux lucis omne perfudiſti ſæculum,
Decorans cælos inclyto martyrio,
Hac ſacra die, quæ dat reis veniam.
Ianitor cæli, Doctor orbis pariter,
Iudices ſæcli, vera mundi lumina:
Per crucem alter, alter enſe triumphans,
Vitæ ſenatum laureati poſſident.
O liuæ binæ pietatis vnicæ,
Fide deuotos, ſpe robuſtos maxime,
Fonte repletos charitatis geminæ,
Poſt mortem carnis impetrate viuere.
Sit Trinitati ſempiterna gloria,
Honor, poteſtas, atq. iubilatio,
In vnitate, cui manet imperium,
Ex tūc & modo per æterna ſæcula.
Amen.

℣. Tu es Petrus. ℞. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Ad Magnificat, Antiphona.

Beatus Petrus Apoſtolus vidit ſibi Chriſtum occurrere, & adorans eum, ait: Domine, quò vadis? Venio Romā iterum crucifigi. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotēs Deus: vt nullis nos permittas perturbatio-

bationibus concuti: quos in Apoſtolicæ confeſſionis petra ſolidaſti. Per Dominum noſtrum.

Memoria de ſancto Ioanne.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Chriſtum Regem regum adoremus Dominum, Qui martyrio crucis beatum glorificauit Petrum Apoſtolum.

Hymnus. Aurea luce. Ianitor cæli Sit Trinitati, &c.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Aña. In plateis ponebantur infirmi in lectulis, vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Pſal. Cæli enarrant. 11. Aña. Ait Petrus Principibus Sacerdotum: Ieſum, quem vos interemiſtis ſuſpendentes in ligno, hunc Deus ſuſcitauit: & Principem, & Saluatorem exaltauit ad dandam pœnitentiam in remiſſionem peccatorum. Pſalm. Benedicam. 21. Aña. Petrus Apoſtolus dixit paralytico: Aenea ſanet te Dominus Ieſus Chriſtus, ſurge, & ſterne tibi. Qui continuo ſurrexit: & omnes, qui viderunt, conuerſi ſunt ad Dominum. Pſal. Eructauit. 30. ℣. In omnem terram exiuit ſonus eorum.

℞. Et in fines orbis terræ verba eorũ.

Incipit Epiſtola ſecũda B. Petri Apoſtoli. Lectio j. C. 1.

SImon Petrus, ſeruus, & Apoſtolus Ieſu Chriſti, ijs, qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in iuſtitia Dei noſtri, & Saluatoris Ieſu Chriſti. Gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Ieſu Domini noſtri: quomodo omnia nobis diuinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam, & pietatem donata ſunt, per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria, & virtute, per quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit: vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ: fugientes eius, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem. ℞. Simon Petre antequam de naui vocarem te, noui te: & ſuper plebem meam Principem te conſtitui Et claues Regni cælorum tradidi tibi. ℣. Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Et claues.

Lectio ij.

VOs autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & ſuperent, non vacuos, nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. ℞. Si diligis me Simon Petre, paſce oues meas. Domine, tu noſti, quia amo te, Et animã meam pono pro te. ℣. Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et animam.

Lectio iij.

QVapropter, fratres, magis ſatagite vt per bona opera certam veſtram vocationem, & ele-

Digitized by Google

& electionem faciatis:hæc enim facientes,non peccabitis aliquãdo Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri,& Saluatoris Ieſu Chriſti. Propter quod incipiam vos ſemper commonere de his:& quidem ſcientes & confirmatos vos in præſenti veritate. Iuſtum autem arbitror quamdiu ſum in hoc tabernaculo,ſuſcitare vos in commonitione: certus quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei ſecundum quod & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſignificauit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis. ℟. Cornelius Centurio vir religioſus, ac timens Deum,vidit manifeſte Angelum Dei,dicentem ſibi:Corneli,mitte,& accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus:Hic dicet tibi, quid te oporteat facere. ℣. Cum oraſſet Cornelius nondum in Chriſto renatus: apparuit ei Angelus,dicens.Corneli,mitte.Gloria Patri. Hic dicet.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. Factum eſt autem, vt quædam diſcipula,nomine Tabitha,plena operibus bonis & eleemoſynis, infirmata moreretur: miſerunt autem diſcipuli ad Petrum rogantes:Ne pigriteris venire vſque ad nos. Pſalm. omnes gentes. 31. Aña. Adueniente Petro,circũſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes illi tunicas & veſtes, quas faciebat illis Dorcas. Pſal. Exaudi Deus deprecationem. 39. Aña. Ponens Petrus genua ſua orauit: & conuerſus ad corpus, dixit:Tabitha,ſurge. At illa aperuit oculos, & viſo Petro reſedit: danſque illi manum, erexit eam, & Sanctis, ac viduis aſſignauit viuam. Pſal Exaudi Deus orationem. 40. ℣. Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. ℟. Memores erunt nominis tui Domine.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

Serm. 1. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli. Lectio iv.

OMnium quidem ſanctarum ſolemnitatum, dilectiſſimi, totus mundus eſt particeps, & vnius fidei pietas exigit,vt quidquid pro ſalute vniuerſorum geſtum recolitur, communibus vbique gaudijs celebretur. Verumtamẽ hodierna feſtiuitas, præter illam reuerentiam, quam toto terrarum orbe promeruit,ſpeciali & propria noſtræ Vrbis exultatione venerãda eſt: vt vbi præcipuorum Apoſtolorum glorificatus eſt exitus,ibi in die martyrij eorum ſit lætitiæ principatus. Iſti enim ſunt viri, per quos tibi Euangeliũ Chriſti Roma reſplenduit: & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. ℟. Domine ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. Et extendens manum, apprehendit eum:Et dixit Ieſus:Modicæ fidei quare dubitaſti? ℣. Cumque vidiſſet ventum validum venientem,timuit: & cũ cœpiſſet mergi,clamauit dicens: Domine saluum me fac. Et dixit.

Lectio v.

ISti ſunt Patres tui, verique Paſtores,qui te regnis cæleſtibus inſerendam

dam multo melius multoque felicius condiderunt, quàm illi, quorum ſtudio prima mœniũ tuorum fundamenta locata ſunt: ex quibus is qui tibi nomẽ dedit, fraterna te cæde fœdauit. Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam prouexerunt: vt gens ſancta, populus electus, ciuitas ſace dotalis & regia, per ſacram Beati Petri ſedem caput orbis effecta, latius præſideres religione diuina, quàm dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victorijs, ius Imperij tui terra mariq. protuleris: minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubiecit. ℟. Tu es paſtor ouiũ, Princeps Apoſtolorum: tibi tradidit Deus omnia regna mũdi: Et ideo traditæ ſunt tibi claues Regni cælorum. ℣. Tibi enim à Domino collata eſt poteſtas ligandi, atque ſoluendi. Et ideo traditæ. Lectio vj.

DIſpoſito namque diuinitus operi maxime congruebat vt multa regna vno confœderarentur Imperio, & cito peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis. Hæc autem ciuitas ignorans ſuæ prouectionis auctorem, cum pene omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium ſeruiebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem. Vnde quanto erat per diabolum tenacius illigata, tanto per Chriſtum eſt mirabilius abſoluta. ℟. Surge Petre, & indue veſtimenta tua, accipe fortitudinem ad ſaluandas Gentes: Quia ceciderunt catenæ de manibus tuis. ℣. Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris, percuſſoq. latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Quia. Gloria Patri. Quia.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Cornelius Centurio vir religioſus ac timens Deum, vidit manifeſte Angelum Dei dicentem ſibi: Corneli, mitte, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi, quid te oporteat facere. Pſal. Cõfitebimur 48 Aña. Aperiens Petrus os ſuum dixit: In veritate comperi, quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Pſal. Dominus regnauit, exultet. 63. Aña. Adhuc loquente Petro cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum: & erant loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc Petrus iuſſit eos baptizari in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Pſal. Dominus regnauit, iraſcantur. 64. ℣. Nimis honorati ſunt amici tui, Deus. ℟. Nimis cõfortatus eſt principatus eorũ. Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 16.

IN illo tẽpore: Venit Ieſus in partes Cæſareæ Philippi, & interrogabat diſcipulos ſuos, dicẽs: Quẽ dicũt homines eſſe Filium hominis? Et Reliqua.

Homilia ſancti Hilarij Epiſcopi.

Comment. in Matth. Can. 16.

VNigenitum Dei Filium aſſumpſiſſe corpus, & hominem factũ

eſſe, perfecta confeſſio eſt: quia ſicut æternitas naturæ noſtræ corpus accepit, ita cognoſcendum eſt, naturam corporis noſtri æternitatis aſſumere poſſe virtutem. Igitur quia ſummum in fide iſta bonum eſt, à diſcipulis requirit, quem ſe homines eſſe dicerent: & adiecit Filium hominis. Hæc enim confeſſionis tenenda ratio eſt, vt ſicut Dei Filium, ita & filium hominis meminerimus: quia alterum ſine altero, nihil ſpei tribuit ad ſalutem. ℟. Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Reſpondens Petrus, dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. ℣. Beatus es Simon Bar-iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cælis. Et ego. Lectio viij

Ditis itaque, quæ diuerſæ de eo erant, hominũ opinionibus, quid de ſe ipſi ſentiãt, quærit. Petrus reſpondit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Et dignum plane confeſſio Petri præmiũ conſecuta eſt, quia Dei Filium in homine vidiſſet. Beatus hic eſt, qui vltra humanos oculos intendiſſe & vidiſſe laudatus eſt, non id quod ex carne & ſanguine erat contuens, ſed Dei Filiũ cæleſtis Patris reuelatione conſpiciẽs: dignuſq. iudicatus, qui quod in Chriſto Dei eſſet, primus agnoſceret. ℟. Ego pro te rogaui, Petre, Vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. ℣. Simon, ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te. Vt non. Lectio ix.

O In nuncupatione noui nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret! O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata auctoritas ſit in cælo: vt quæ in terris aut ligata ſint aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineãt & in cælo! ℟. Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcũque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cælis. ℣. Vt ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiã meam. Et quodcumque. Gloria. In cælis. ℣. Tu es Petrus, &c.

IN LAVDIBVS, Aña.

Petrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Pſal. Dominus regnauit. cum reliquis. Aña. Argentum & aurum nõ eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. Aña. Dixit Angelus ad Petrum: Circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. Aña. Petre amas me? paſce oues meas. Tu ſcis Domine, quia amo te. Aña. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Cap. Petrus quidem. Hymn. Oliuæ binæ. Sit Trinitati &c. ℣. Annunciauerunt &c.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque

que ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis, dixit Dominus Simoni Petro. Oratio.

DEus, qui hodiernam diem Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli martyrio conſecraſti: da Eccleſiæ tuæ eorum in omnibus ſequi præceptum, per quos religionis ſumpſit exordium. Per Dominum.

Memoria de S. Ioanne. Ad iij. Capit. Petrus quidem. ℟℟. & ℣℣. Horarum de Communi Apoſtolorum.

Ad Sextam, Capit. *Act.* 12.

ANgelus Domini aſtitit: & lumẽ refulſit in habitaculo carceris: percuſſoque latere Petri, excitauit eũ, dicens: Surge velociter, quia ceciderunt catenæ de manibus tuis.

Ad Nonam, Capit. *Act.* 12.

NVnc ſcio vere quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

Ad Veſp. ſuper Pſalm. Aña. Petrus & Ioannes. Pſal. Dixit Dominus. & ceteri de Apoſtolis. Capitulum. Iam non eſtis. Hymnus, vt in primis Veſp. ℣. In omnem terram &c.

Ad Magnificat, Antiphona.

Glorioſi Principes terræ quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati. Oratio. Deus, qui hodiernam. Memor. de S. Ioanne.

Die xxx. Iunij.

IN COMMEMORATIONE

S. Pauli Apoſtoli. Duplex.

Si contingat hoc Feſtum habere primas Veſperas, ſuper Pſalmos Antiph. B. P.

Ego plantaui. j. Laudum, & ſola dicatur. Cap. Magnificabitur. vt in Laudibus. ℟. Sancte Paule. ix. Hymn. Doctor egregie. ℣. Tu es vas electionis ſancte Paule Apoſtole. ℟. Prædicator veritatis in vniuerſo mundo.

Ad Magnificat, Antiphona.

Sancte Paule. v. Laudum. Oratio. Deus, qui vniuerſum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Laudemus Deum noſtrum, In ſolemnitate Apoſtoli Pauli. Hymnus. Doctor egregie. 610.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Aña. Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatũ, operatus eſt & mihi inter Gentes: & cognouerunt gratiam, quæ data eſt mihi à Chriſto Domino. Pſalm. Cæli enarrant. 11. Aña. Scio cui credidi, & certus ſum: quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem iuſtus Iudex. Pſal. Benedicam Dominum. 21. Aña. Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum: gloriari me oportet in Cruce Domini mei Ieſu Chriſti. Pſal. Eructauit cor. 30. ℣. In omnem terram exiuit ſonus eorum. &c.

De Actibus Apoſtolorum.

Lectio j. C. 20.

A Mileto Paulus mittens Epheſum, vocauit Maiores natu Eccleſiæ. Qui cum veniſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit eis: Vos ſcitis à prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſeruiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidijs

Digitized by Google

Iudæorum: quomodo nihil ſubtraxerim vtilium, quo minus annunciarem vobis, & docerem vos publice & per domos, teſtificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidẽ in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ. Et nunc ecce alligatus ego ſpiritu, vado in Ieruſalem, quæ in ea ventura ſint mihi, ignorans: niſi quòd Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicẽs quoniam vincula & tribulationes Ieroſolymis me manent. ℟. Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum, operatus eſt & mihi inter Gentes, & cognouerunt gratiam Dei, Quæ data eſt mihi. ℣. Gratia Dei in me vacua non fuit: & gratia eius ſemper in me manet. Quæ. Lectio ij.

SEd nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorẽ quàm me: dummodo conſummem curſum meum, & miniſterium verbi quod accepi à Domino Ieſu, teſtificari Euangelium gratiæ Dei. Et nunc ecce ego ſcio, quia amplius non videbitis faciẽ meam vos omnes, per quos tranſiui prædicans regnum Dei. Quapropter conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium. Nõ enim ſubterfugi, quominus annunciarẽ omne conſilium Dei vobis. ℟. Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare In illum diem. ℣. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus. In illum diem. Lectio iij.

ATtendite vobis, & vniuerſo gregi: in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiã Dei, quã acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: & ex vobis ipſis exurgẽt viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniã per triennium nocte & die non ceſſaui cum lacrymis monens vnumquemque veſtrum. Et cum hæc dixiſſet, poſitis genibus ſuis orauit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus eſt omnium: & procumbentes ſuper collum Pauli, oſculabantur eum, dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non eſſent viſuri. ℟. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: Ideoque repoſita eſt mihi Corona iuſtitiæ. ℣. Gratiã Dei ſum id quod ſum: & gratia eius in me vacua non fuit. Ideoque. Gloria Patri. Corona.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. Bonum certamen certaui: curſum conſummaui: fidem ſeruaui. Pſal. Omnes gentes. 31. Aña. Tu es vas electionis ſancte Paule Apoſtole, prædicator veritatis in vniuerſo mũdo. Pſal. Exaudi Deus deprecationem. 39. Aña. Magnus ſanctus Paulus vas electionis, vere digne eſt glorificandus: qui & meruit thronum duodecimum poſſidere. Pſalm. Exaudi Deus orationem. 40. ℣. Conſtitues eos Principes & c

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 8. de Laudib. Pauli.

Lectio

Lectio iv.

SAepe fulgido cæli globo delectatus oculus, ad ſpectaculum oppoſiti è ragione luminis ſeſe violenter intendit: & licet ſentiat aciem ſuam imparem radiorum eſſe certamini, deſiderio tamen illius pulcherrimi luminis intuendi, libenter inacceſſibili radiantis orbis reluctatur coruſco. Tale igitur quippiã ego ipſe perpetior, qui cum videam propriæ mẽtis oculos ex radijs Apoſtolici ſplendoris hebetari, cupio tamen Pauli animam miro fulgore virtutum rutilantẽ velut eminus intueri, & contra importabiles ſolis micatus contentioſa ſubire certamina. Sol enim quidam eſt hominibus Paulus, qui totum prorſus orbem fulgentibus linguæ ſuæ radijs illuminauit: quique vniuerſas circũeundo Gẽtes, curſum omnino ſolis imitatus eſt. ℟. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus In illum diem iuſtus Iudex. ℣. Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare. In illum.

Lectio v.

IVdices in prædicationem Euangelij ſæuientes ſuæ aſtabant catervæ. Reges iugiter idipſum bellum gerebant. Auditam crucem cuncti abominabantur exercitus, quam ſapientes recipere neſciebant, quaſi ſignum vtiq. damnati: ſed Paulo totius hoc mundi bellum omni erat pace iucundius. Delectabat enim quicumque illum propter Euangelium vulnerabat. Hinc eſt, quòd ille Græciam atq. Barbariam cum illatis ſibi vulneribus alacer circuibat, non minus plagis ſuis gaudens, quàm regijs triumphis: haud aliter delectatus naufragiis, quàm ceteri acquiſitis ſolẽt gaudere theſauris. ℟. Gratia Dei ſum id, quod sũ, Et gratia eius in me vacua non fuit, ſed ſemper in me manet. ℣. Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum, operatus eſt & mihi inter Gentes. Et.

Lectio vj.

LIuoribus, quos ei verbera ſæpius inſerebãt, quaſi quibuſdam gloriabatur coronis, tribulationibus, vt delicijs vtebatur. Squalore carceris, vt Paradiſi amœnitate gaudebat. Cui te, ò beate Paule, iuſtorum veteris Teſtamenti, vel noui audeam cõparare? Omnium quippe virtutem, quaſi in arca quadam, ſed cum multo prorſus cumulo condidiſti. Denique etiam ſi totũ contra te aliquis ſigillatim iuſtorum appendat chorum, inueniet trutinam virtutum ponderibus à tua parte depreſſam. ℟. Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum: Gloriari me oportet In Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. ℣. Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Gloriari. Gloria Patri. In.

IN III. NOCTVRNO.

Antiph. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium pertuli pro Chriſto Domino. Pſal. Confitebimur. 48. Aña. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi Dominus in illum diem iuſtus Iudex. Pſal. Dñs regnauit, exultet. 63. Aña. Ne magnitudo

gnitudo reuelationū extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis, angelus ſatanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogaui, vt auferretur à me, & dixit mihi: Sufficit tibi Paule gratia mea. Pſal. Dominus regnauit, iraſc. 64. ℣. Nimis honorati ſunt &c.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 10.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 34. in Matth.

SIc dicere videtur: Nolite turbari, ſi cum vos inter lupos mitto, tamquam oues & columbas eſſe iubeo. Nā etſi poſſum contrarium quoque præſtare, & non permittere vt graue aliquid patiamini, nec lupis tamquam oues ſubiecti ſitis, ſed efficere, vt leonibus terribiliores euadatis: tamen ſic expedit fieri: hoc & vos quoque illuſtriores faciet, & meam declarabit virtutē. Sic enim poſtea dixit Paulo: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus mea in infirmitate perficitur. Ipſe igitur vos vt tales eſſetis, feci. ℟. Damaſci præpoſitus gentis Aretæ regis voluit me comprehendere: à fratribus per murū Submiſſus ſum in ſporta: & ſic euaſi manus eius in nomine Domini. ℣. Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ſcit, quia non mentior. Submiſſus.

Lectio viij.

SEd inſpiciamus quam prudētiam exigit: ſerpentis certe. Nam quemadmodum ſerpens totum ſe ipſum tradit, nec minimum curat, ſi ipſum quoque corpus incidi neceſſe ſit, dummodo caput ſuum integrum ſeruet: eodē tu quoque modo, præter fidem cetera perdere non cures, ſiue pecunias, ſiue corpus, ſiue etiam vitam ipſam profundere neceſſe ſit: fides enim caput eſt & radix, qua ſeruata, etiam ſi omnia perdas, omnia tamen rurſus maiore cum gloria recuperabis. ℟. Tu es vas electionis ſancte Paule Apoſtole, prædicator veritatis in vniuerſo mundo: Per quem omnes gentes cognouerunt gratiam Dei. ℣. Intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit. Per.

Lectio ix.

IDcirco nec ſimplices ſolum iuſſit eſſe, nec prudentes ſolum: ſed ambo hæc in vnum miſcuit, vt ea in virtutem conuertantur. Quòd ſi rebus ipſis id ita fieri videre deſideras, lege Actuum Apoſtolorum librum: perſpicies profecto, cum ſæpe Iudæorum populus in Apoſtolos inſurrexerit, ac dentes exacuerit, illos, columbæ ſimplicitatem imitando, & cum decenti modeſtia reſpondendo, iram ipſorum ſuperaſſe, furorem extinxiſſe, impetum retardaſſe. ℟. Sancte Paule Apoſtole, prædicator veritatis, & Doctor Gentium, Intercede pro nobis ad Deum, Qui te elegit. ℣. Vt digni efficiamur gratia Dei. Intercede. Gloria. Qui te.

IN LAVDIBVS, Ant.

EGo plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit, alleluia. Pſal. Dominus regnauit, cum ceteris.

cæteris. Aña. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Aña. Gratia Dei in me vacua non fuit, ſed gratia eius ſemper in me manet. Aña. Damaſci præpoſitus gentis Aretæ regis voluit me comprehendere: à fratribus per murum ſubmiſſus ſum in ſporta, & ſic euaſi manus eius in nomine Domini. Aña. Sãcte Paule Apoſtole, prædicator veritatis, & Doctor Gentium, intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.

Capitulum. *Phil.* 1.

MAgnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per mortem, ſiue per vitam: mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Hymn. Aeterna Chriſti munera: Apoſtolorum.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ego enim iam delibor, & tempus meæ reſolutionis inſtat: bonum certamen certaui, curſum cõſummaui, fidem ſeruaui: ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Oratio.

DEus, qui vniuerſum mundum beati Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti: da nobis quæſumus, vt cuius natalitia colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus. Per Dominum. Memoria de S. Petro per Añam. Petre amas me? paſce oues meas. Tu ſcis Domine, quia amo te. ℣. Tu es Petrus. &c. Oratio.

DEus, qui beato Petro Apoſtolo tuo, collatis clauibus regni cæleſtis, ligandi atque ſoluendi Pontificiũ tradidiſti: concede, vt interceſſionis eius auxilio, à peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Qui viuis & regn. Deinde Memoria de S. Ioãne. Ad Horas Añæ Laudum. Ad Tertiam, Cap. Magnificabitur.

Ad Sextam, Capit. 2. *Tim.* 1.

SCio cui credidi, & certus ſum quia potens eſt, depoſitum meum ſeruare in illum diem.

Ad Nonam, Capit. 2. *Tim.* 1.

BOnum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.

Ad Veſp. ſuper Pſalm. Aña. Ego plantaui, Apollo. Capit. Iam non eſtis. Hymn. Aurea luce. ℣. In omnem terram &c.

Ad Magnificat, Antiphona.

Iſti ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum: habent poteſtatem claudere cælum nubibus, & aperire portas eius, quia linguæ eorũ claues cæli factæ ſunt, alleluia. Oratio. Deus, qui hodiernam.

Memor. de S. Ioanne. Aña. Pro eo. ℣. Fuit homo miſſus à Deo. Oratio. Deus, qui præſentem diem.

Quod ſi contingat Feſtum Commem. S. Pauli immediate poſt Feſtum Viſit. B. Mariæ celebrari, fiat de eo Memor. per Añam, Verſum, & Orationem vt ſupra in primis Veſperis 717.

FESTA IVLII. *Die* j.

IN OCTAVA S. IOANNIS Baptiſtæ. Simplex.

IN II. NOCTVRNO.

Digitized by Google

Sermo S. Maximi Epiſcopi.
Homil. 2. in Natiu. S. Ioann. Baptiſtæ.
Lectio iv.

FEſtiuitatem præſentis diei, fratres chariſſimi, venerandi Ioannis Baptiſtæ genuina natiuitas conſecrauit. Qui idcirco in hoc ſæculo ſuperna diſpenſatione directus eſt, vt non ſolum ipſe prophetali ſublimaretur gloria, ſed vt omnium etiam per eum Prophetarum præconia firmarentur. Nec immerito illum præcipuo honore nunc veneramur, qui ſpeciali quadam gratia, ob hoc Redemptorem mundi nouiſſimus prophetauit, vt oſtenderet eum primus. Lectio v.

HIc enim ſolus eſt Prophetarum, qui Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem alij in longa tempora futurum præſcierunt, proprijs oculis videre meruit, & annunciare præſentem. Hic eſt ille, quem inſpirante Deo, præſcius annunciat Iſaias, dicẽs: Vox clamãtis in deſerto: Parate viam Domini. Quàm congrue, fratres chariſſimi, beatus Ioannes prædicatus eſt vox, qui cæleſtis Verbi & præco mittebatur, & teſtis. Lectio vj.

HIc eſt ille, cuius per Angelum Gabrielem prænunciatur natiuitas, & nomen, & meritum. Hic eſt qui iudicio cæleſtis ſententiæ cunctis mortalibus antefertur, dicente Domino: Non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta. Quàm pulchre dictum eſt, inter natos mulierum non eſſe maiorem: quia ille omnimodis maior erat Ioanne, qui de Virgine naſcebatur. Quibus proſpectis, aduertite dilectiſſimi, quantam huic reuerentiam, quantum deuotionis debeamus impendere.

IN III. NOCTVRNO.
Hom. in Euang. Eliſabeth impletum, vt in Feſto. 707. In Laudibus poſt primam Orationem, fiat Mem. de Apoſt. etiam ſi infra Oct. Corp. Chriſti occurrant, per Antiph. Petrus Apoſtolus & Paulus Doctor Gentium, ipſi nos docuerunt legem tuam Domine. ℣. Annunciauerunt opera Dei. Oratio. Deus, qui hodiernam diem.

In Veſp. Ad Magnificat, Antiphona. Et factum eſt in die octauo, venerunt pater, & mater, & cognati eius ad circumciſionem pueri, & vocabant eum nomine patris ſui, Zachariam. Et dixit mater eius: Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes.

Poſt Orationem de S. Ioanne, fiat Memoria de Apoſtolis, Aña. Glorioſi. ℣. In omnem.

Die ij. Iulij.

IN FESTO VISITATIONIS
B. Mariæ Virginis. Totum Duplex.

Ad Veſper. ſuper Pſalmos, Antiph. Hæc eſt Regina virginum, quæ genuit Regem velut roſa decora, Virgo Dei Genitrix, per quam reperimus Deum & hominem: alma Virgo intercede pro nobis omnibus. Pſal. Laudate pueri. cum ceteris. Capitulum. *Cant. 2.*

SVrge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Iam enim hiems tranſijt, imber abijt & receſſit. Flores apparuerunt in terra noſtra.

noſtra. ℟. Stirps. ij. Hymn. Aue maris. 620. ℣. Ora pro nobis. &c.

Ad Magnificat, Antiphona.

Beatiſſimæ Virginis Mariæ viſitationem deuotiſſime celebremus, vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum. Oratio.

Omnipotens & miſericors Deus, maieſtatem tuam ſuppliciter exoramus: vt ſicut Vnigenitum tuum per viſitationem & ſalutationem Genitricis eius puero clauſo in vtero reuelaſti: ita meritis eiuſdem Genitricis, & precibus ipſum nos facias reuelata facie perpetuo contemplari. Qui tecum viuit. Ad Completoriũ ſuper Pſalm. Antiph. Virgo Maria &c.

Ad Nunc dimittis, Antiphona. Corde & animo Chriſto canamus gloriã in ac ſacra ſolemnitate præcelſæ Genitricis Dei Mariæ. Prædictæ Antiphonæ dicantur ad Completor. per Octau. quando de ipſis agitur.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Viſitationem Virginis Mariæ celebremus: Chriſtum eius Filium adoremus Dominũ. Hymnus. Quem terra. 621.

IN PRIMO NOCTVRNO

Antiph. Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Pſalm. Domine Dominus. 4. Antiph. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Pſalm. Cæli enarrant. 11. Antiph. Fauus diſtillans labia tua ſponſa: & odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris. Pſalm. Domini eſt terra. 15. ℣. Sancta Dei genitrix virgo ſemper Maria. ℟. Intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum.

De Canticis Canticorum.

Lectio j. C. 2.

Ego flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. ℟. Hodie viſitauit Eliſabeth Beata Virgo Maria ex progenie Dauid: per quam ſalus mundi credentibus apparuit: Cuius vita glorioſa lucem dedit ſæculo. ℣. Beatiſſimæ Virginis Mariæ Viſitationem deuotiſſime celebremus. Cuius vita.

Lectio ij.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas ceruoſq. camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoaduſque ipſa velit. Vox dilecti mei: ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles: ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloq. ceruorum. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. ℟. Glorioſæ Virginis Mariæ Viſitationem digniſſimã recolamus: Cuius Dominus humilitatem reſpexit, quæ Angelo nunciante concepit Redemptorẽ mundi. ℣. Hodie viſitauit Eliſabeth Beata Virgo Maria

Maria ex progenie Dauid. Cuius.

Lectio iij.

EN dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Iam enim hiems tranſijt, imber abijt, & receſſit. Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra: ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. ℟. Stirps Ieſſe virgam produxit, virgaque florem: Et ſuper hunc florem Requieſcit Spiritus almus. ℣. Virgo Dei Genitrix virga eſt, flos Filius eius. Et ſuper. Gloria. Requieſcit Spiritus almus.

IN II. NOCTVRNO

Aña. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Pſalm. Eructauit cor. 30. Aña. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Pſalm. Deus noſter refugium. 30. Aña. Veniat dilectus meus in hortũ ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum. Pſalm. Fundamenta. 57. ℣. Poſt partũ Virgo inuiolata permãſiſti. ℟. Dei genitrix intercede pro nobis.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

Apud Metaph. menſe Iunio. Lect. iv.

CVm ad nos aduenißet Redemptor noſtri generis, venit protinus ad ſuum amicum Ioannem, dum adhuc eſſet in ventre matris: quem cum ex vtero aſpexiſſet Ioannes, terminos naturæ concutiens, exclamat: Video Dominum, qui naturæ impoſuit terminos, & non expecto tempus naſcendi: nouem menſium tempus mihi non eſt hic neceſſarium: in me eſt enim, qui eſt æternus: egrediar ex hoc tenebroſo tabernaculo, rerum admirabilium compendioſam prædicabo cognitionem. ℟. Viſitatio glorioſæ Virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid, Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias. ℣. Regali ex progenie Maria exorta refulget. Cuius.

Lectio v.

SVm ſignum: ſignificabo Chriſti aduentum. Sum tuba: proferam Filij Dei in carne diſpenſationẽ. Tuba canam, eo ipſo paternæ linguæ benedicam, & eam traham vt loquatur. Tuba canam, & vterum maternum viuificabo. Vides ò dilecte, quàm ſit nouũ & admirabile myſterium! Nondum naſcitur, & ſaltibus loquitur: nõdum apparet, & minas intentat: nondum ei permittitur clamare, & per facta auditur: nondum ducit vitam, & Deum prædicat: nondum aſpicit lucem, & ſolem indicat. ℟. Viſitatio tua Dei Genitrix Virgo, gaudium annunciauit vniuerſo mundo: Ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter: qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempi-

ſempiternam. ℣. Felix namque es, quæ ſola genitricis dignitatem obtinuiſti: & virginalem pudicitiam non amiſiſti. Ex te. Lectio vj.

NOndum pariter, & properat præcurrere: non fert enim præſente Domino contineri: non ſuſtinet naturæ expectare terminos, ſed contendit rumpere carcerem ventris, & ſtudet præſignificare venientem Saluatorē. Acceſſit, inquit, qui ſoluit vincula: & quid ego ſedeo vinctus, & retineor vt maneam? Venit Verbum, vt omnia conſtituat: & ego adhuc maneo detentus? Exibo, præcurram, & prædicabo omnibus: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. ℟. Ad nutum Dei, noſtrum ditantis honorem: Sicut ſpina roſam, genuit Iudæa Mariam. ℣. Vt vitium virtus, operiret gratia culpam. Sicut. Gloria. Sicut.

IN III. NOCTVRNO

Aña. Veni in hortū meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Pſal. Cātate. j. 63. Aña. Comedi fauum cum melle meo: bibi vinum meū cum lacte meo. Pſal. Dominus regnauit. 63. Aña. Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem. Pſal. Cantate ij. 64. ℣. Speciosa facta es, & ſuauis. ℟. In delicijs tuis ſancta Dei Genetrix.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 1.

IN illo tempore: Exurgens Maria abijt in montana cū feſtinatione in ciuitatē Iuda: & intrauit in domū Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Et reliq.

Homilia ſancti Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 1. Comment. in Lucæ c. 1.

COntuendum eſt, quia ſuperior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur, Maria ad Eliſabeth, Chriſtus ad Ioannem. Denique etiam poſtea, vt ſanctificaret baptiſmum Ioannis, Dominus venit ad baptiſmum. Cito quoque aduentus Mariæ, & præſentiæ Dominicæ beneficia declarantur. Vide diſtinctionem, ſingulorumque verborum proprietatem. Vocem prior Eliſabeth audiuit, ſed Ioannes prior gratiam ſenſit. Illa naturæ ordine audiuit, iſte exultauit ratione myſterij. Illa Mariæ, iſte Domini ſenſit aduentum. ℟. Regali ex progenie Maria exorta refulget: Cuius precibus nos adiuuari, mente & ſpiritu deuotiſſime poſcimus. ℣. Corde & animo Chriſto canamus gloriam in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ Genitricis Dei Mariæ. Cuius. Lectio viij.

IStæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatiſque myſterium maternis adoriuntur profectibus: duplicique miraculo prophetant matres ſpiritu paruulorum. Exultauit infans, & repleta mater eſt. Non prius mater repleta, quàm filius: ſed cum filius eſſet repletus Spiritu ſancto, repleuit & matrem. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Hoc eſt, quantum bonum mihi accedit, vt mater Domini mei veniat ad me? Miraculum ſentio, cognoſco myſterium: mater Domini verbo fœta, Deo plena eſt. ℟. Corde & animo Chriſto canamus

namus gloriam, In hac ſacra ſolemnitate præcellæ Genitricis Dei Mariæ. ℣. Cum iucunditate Viſitationem ſanctæ Mariæ celebremus. In.

Lectio ix.

Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam. Bene inducitur ſancta Maria & exibuiſſe officium, & myſticum numerum cuſtodiſſe. Non enim ſola familiaritatis eſt cauſa quòd diu manſit, ſed etiam tanti vatis profectus. Nam ſi primo ingreſſu tantus profectus extitit, vt ad ſalutationē Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu ſancto mater infantis: quantum putamus vſu tanti temporis ſanctæ Mariæ addidiſſe præſentiam? Vngebatur itaque, & quaſi bonus athleta exercebatur in vtero matris Propheta. Ampliſſimo enim virtus eius certamini parabatur. ℟. Solem iuſtitiæ Regē paritura ſupremū, Stella Maria maris, Hodie proceſſit ad iter. ℣. Cernere diuinum lumen, gaudete fideles. Stella Maria maris. Gloria Patri. Hodie proceſſit ad iter. ℣. Ora pro nobis &c.

IN LAVDIBVS, Aña. Viſitatio glorioſæ Virginis Mariæ, ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid. Pſalm. Dominus regnauit. cum reliquis. Aña. Viſitatio eſt hodie ſanctæ Mariæ Virginis, cuius vita inclyta cūctas illuſtrat Eccleſias. Aña. Regali ex progenie Maria exorta refulget: cuius precibus nos adiuuari, mente & ſpiritu deuotiſſime poſcimus. Aña. Corde & animo Chriſto canamus gloriam, in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ Genitricis Dei Mariæ. Aña. Cum iucunditate Viſitationem ſanctæ Mariæ celebremus, vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtū. Cap. Surge. Hym. O glorioſa Domina. 625. ℣. Elegit eam Deus &c.

Ad Benedictus, Antiphona. Viſitationem hodiernā perpetuæ Virginis Genitricis Dei Mariæ ſolemniter celebremus: qua celſitudo throni proceſſit, allel. Ad Tertiam, Capit. Surge. ℟℟. Horarum. vt in Purificatione 625. Ad Sextā, Capit. *Cant. 2.*

Ecce dilectus meus venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles: ſimilis capreæ hinnuloque ceruorum.

Ad Nonam, Capitulum. *Cant. 2.*

Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Ad Magnificat, Antiphona. Viſitatio tua Dei Genitrix Virgo. gaudium annunciauit vniuerſo mundo: ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter: qui ſoluens maledictionē dedit benedictionē: & cōfundēs mortē, donauit nobis vitā ſempiternā. In Veſper. & Completor. Sabbati intra Octau. Viſitat. & ad primas Veſperas, & omnes alias Horas Octau. SS. Petri & Pauli, niſi in Dominica, dicitur Officium quotidianum B. Mariæ. Per Octau. & in Octau. die Itē. ſicut in Feſto. Sequentes vero Añæ dicantur quotidie per Octau. ad Benedict.

nedict. & ad Magnif. vel ad Mem.

Ad Benedictus, Antiphona.

Maria virgo ſemper lætare, quæ meruiſti Chriſtum portare, cæli & terræ conditorem: quia de tuo vtero protuliſti mundi Saluatorem.

Ad Magnificat, Antiphona.

Sancta Maria Virginum pijſſima, ſuſcipe vota ſeruulorum aſſidua, lapſos erige, errantes corrige, trementes corrobora, puſillanimes conforta, vt tibi ſemper referamus laudes, quam Dei ſummi colimus Genitricem.

PRIMA DIE.

Infra Octau. Viſitat. B. Mariæ Virg.

Sermo ſancti Petri Chryſologi.

Serm. 91. Lectio iij.

SExto menſe ſuæ matris exultat in vtero Ioannes: & in vterum Virginis veniſſe nunciat Chriſtum. Feruens nuncius, qui ante geſtiuit nunciare quàm viuere. Impatiens dux, qui antequam perueniret ad corpus, peruenit ad regem: ante rapuit arma quàm mēbra: ante aciem petijt quàm lucem: & vt vinceret mundum, vicit ante naturam: & quia tardabat corpus, ſolo ſpiritu implet euangelizantis officium. Quid dicam? Ioannes antequam Chriſtum præcederet, ſe præceſſit. Patris, matris, filij corda vnus atque idem implet Spiritus ſanctus.

Die iij. Iulij.

MEMORIA SS. PROCESSI & Martiniani martyrum. In Laudibus. Oratio.

DEus, qui nos ſanctorum martyrum tuorum Proceſſi & Martiniani confeſſionibus glorioſis circumdas & protegis: da nobis & eorum imitatione proficere, & interceſſione gaudere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum viuit, &c.

SECVNDA DIE.

Infra Octau. Viſitat. B. Mariæ Virginis.

Sermo ſancti Maximi Epiſcopi.

Homil. 1. in Natiu. S. Ioan. Baptiſtæ.

Lectio iij.

ELiſabeth illa vetus mulier, & noua mater, quæ ante partum ſuum de futuri filij lætabatur officio, venienti ad ſe beatæ Mariæ in ipſo ſalutationis occurſu, ait: Ecce, ex quo facta vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Quid eſt hoc miraculi, fratres, quæ tantorum nouitas gaudiorum, vt habere ſe in vtero Eliſabeth teſtaretur infantem, qui necdum ſemetipſum ſentiens, Dominicum iam ſentiret aduentum?

TERTIA DIE.

De Sermone S. Maximi Epiſcopi.

Homil. 1. in Natiu. S. Ioan. Baptiſtæ.

Lectio iij.

VEre Ioannes omnium beatiſſimus paruulorum, qui intra viſcera adhuc materna concluſus, adeſſe Saluatorem mundi, quia necdum ſermone poterat, prophetico gaudio reuelauit. Nullus ignorat, chariſſimi, omnem paruulum materno ab vtero prodeuntem inter ipſa lucis exordia mæſtis concrepare vagitibus: ſolus Bapti-

Digitized by Google

IN III. NOCTVRNO.
Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C.14

IN illo tempore: Iuſſit Ieſus diſcipulos ſuos aſcendere in nauiculã, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.
Ser. 14. de verbis Domini.

CVm ſanctum Euangelium legeretur, audiuimus nauiculam periclitantem, Chriſtum periclitãtibus ſubuenientem, Petrũ venienti Chriſto occurrentem. In quibus omnibus miraculum ſpectauimus: myſterium requiramus. Quando enim poſſumus de diuinis operibus, quæ leguntur, intellectum alicuius myſticæ ſignificationis exculpere, quaſi de abſtruſis fauorum cellis mella producimus: vel Chriſti diſcipulos imitantes, ſpicas manibus confricamus, vt ad latentia grana perueniamus. Lectio viij.

AScendit ergo Dominus noſter Ieſus Chriſtus in montem ſolus orare. Mons altitudo eſt. Quid enim in hoc mundo altius cælo? Quis vero in cælum aſcendit, nouit optime fides veſtra. Cur autem ſolus aſcendit? Quia nemo aſcendit in cælũ, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis qui eſt in cælo. Quamuis & in fine cum venerit, & nos omnes membra ſua collegerit, ac leuauerit in cælum, etiã tunc ſolus aſcẽdet: quia caput cũ corpore ſuo, vnus eſt Chriſtus. Lect. ix.

TVnc ipſe aſcendit ſolus orare: quia aſcẽdit ad Patrem pro nobis interpellare. Verumtamen, chariſſimi, dum ille orat in excelſo, nauicula turbatur fluctibus in profundo. Quia inſurgunt fluctus, poteſt illa nauicula turbari: ſed quia Chriſtus orat, non poteſt mergi. Nauiculam iſtam, fratres, Eccleſiam cogitate: turbulentum mare, hoc ſæculum. Quando aliquis impiæ voluntatis, maximæ poteſtatis, perſecutionem inducit Eccleſiæ, ſuper nauiculam Chriſti grandis vnda conſurgit. Sed in his tentationibus erigitur antenna, vt ſuſpenſa arbori crucem figuret. Hanc Chriſtianus reſpiciat, vt non deficiat.

In Laud. Añæ, Capit. de Com. Apoſtolorum. Hymn. Oliuæ. Sit. ℣. Annunciauerunt. Ad Bened. Aña. Petrus Apoſtolus. Oratio. Deus, cuius dextera. Ad Horas diei de Communi Apoſtolorum. Ad Veſp. ſuper Pſal. Aña. Hoc eſt. Pſalm. de Apoſtolis. Cap. Hymn. vt in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Iſti ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum: habent poteſtatem claudere cælum nubibus, & aperire portas eius, quia linguæ eorũ claues cæli factæ ſunt, allel. Oratio. Deus, cuius dextera.

QVARTA DIE,
Infra Octa. Viſitat. B. Mariæ Virginis.
De Sermone S. Ioannis Chryſoſtomi.
Apud Metaphraſt. menſe Iunio.
Lectio iij.

VIdit ſterilis Virginem, & ſolem animaduertit lucifer, & valde exilijt Ioannes in materno vtero, accuſans

Digitized by Google

cuſans naturæ tarditatem. Domini, inquit, ſum ſeruus, non teneor eiſdem legibus quibus conſerui. Non expecto quoad pariar, vt præcurſor ſim. Agnoui enim qui me præmiſit. Labefacto vincula naturæ: propero enim prædicare. O res admirabiles! Quæ in cælo ignorauerunt Angeli, cognouit Ioannes qui geſtabatur in vtero.

QVINTA DIE.

Sermo S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 1. Comment. in Lucæ cap. 1.

Lectio iij.

NEc otioſum videtur quòd & ante Ioannem Eliſabeth prophetauit: & Maria ante Domini generationem. Serpunt enim iam tentamenta ſalutis humanæ. Nam ſicut à mulieribus peccatum cœpit, ita etiam bonum à mulieribus inchoatur: vt feminæ quoque muliebria opera deponentes, infirmitati renuncient: & anima quæ non habet ſexum vt Maria, quæ neſcit errorem, religioſo imitetur ſtudio caſtitatem.

Die ix. Iulij.

IN OCTAV. VISITATIONIS

B. Mariæ Virginis. Simplex.

IN II. NOCTVRNO

De Sermone S. Ioan. Chryſoſtomi.

Apud Metaphraſt. menſe Iunij.

Lectio iv.

IOannes enim ille magnus Præcurſor Domini, cum adhuc eſſet naturæ faſcijs alligatus, vere nobis oſtendit Salutare, & ſtudens voce prædicare eum, quem ſignificauit pedibus, conatur egredi ipſos naturæ terminos: & quæ tarde pareret, agitabat Eliſabethā. Saliebat ſimul chorum ducens, & ægre ferens, quòd teneretur in vtero, exclamabat aduerſus menſium conuerſionem: tamquam iniuſtam cuſtodiam quatiebat matricem.

Lectio v.

IN clauſtra naturæ inſultabat calcibus: modum naſcendi accuſabat, & clauſis labijs, vociferabatur figuris, talia propemodum motu dicens Eliſabethæ: Inique facis, ò mater, quæ tardas. Prophetam geſtas in vtero: contines gaudium orbis terrarum, portas præcurſorem Chriſti Regis, contines militem regiæ prædicationis, conſtringis martyrem, & maiorem omnibus inter natos mulierum: & impedis velocem curſorem pietatis.

Lectio vj.

INique facis, ò mater, non noſti futura. Lux venit, ſolue matutinum: ſol oritur, prius lucebit lucifer. In foribus lux eſt, & voce eſt opus: prope eſt ſponſus, & iuſtum eſt vt thalamus extendatur in Iordane. Opus eſt ſanguine, qui mundum emat, & oportet me Agnum eminus oſtendere. Propterea enim es liberata à vitio infecunditatis, vt qui naſcetur ex ſterili, eum indicet, qui naſcetur ex Virgine. Propterea ego in matrice exilij in exultatione, vt non amplius ſaltet in mundo diabolus.

IN III. NOCTVRNO

Homilia in Euangelium. Exurgens Maria abijt in montana. *vt in Feſto Viſitationis. 725.*

Die

Die x. Iulij.

IN FESTO SS. MARTYRVM Septem Fratrum. Tres Lectiones.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotẽs Deus: vt qui glorioſos Martyres fortes in ſua confeſſione cognouimus, pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus. Per Dominum.

Ex emendatioribus Actis, & S. Gregorio Homil. 3. in Euang. & Rom. Breu.

Lectio iij.

SEptem fratres, filij ſanctæ Felicitatis, Romæ in perſecutione Marci Aurelij Antonini à Publio Præfecto primum blandicijs, deinde terroribus tentati, vt Chriſto renunciantes, deos venerarentur: & ſua virtute, & matre hortante, in fidei confeſſione perſeuerantes, varie necati ſunt. Ianuarius plumbatis cæſus: Felix & Philippus fuſtibus contuſi: Siluanus ex altiſſimo loco præceps deiectus eſt: Alexander, Vitalis, & Martialis capite plectuntur. Mater eorum eandem quoque martyrij palmã poſtea conſecuta eſt. Quam S. Gregorius mire prædicauit, pluſquam martyrem appellans, quæ toties in filijs, nouiſſime in ſe extincta fuerit.

Die xi. Iulij.

IN FESTO S. PROCOPII Abbatis. Tres Lectiones. Oratio.

INterceſſio nos, quæſumus Domine, beati Procopij Abbatis commẽdet: vt quod noſtris meritis nõ valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per.

Ex Annalibus Bohemorum, & ex Antiquis M. S. Actis. Lectio iij.

PRocopius in Bohemia honeſtis parentibus genitus, ab ineunte ætate miro virtutis ſtudio flagrauit. Factus presbyter, vitæ ſolitariæ amore antrũ quoddam frequẽtibus inſeſſum dæmonijs habitauit, vbi innumeras ab immundis ſpiritibus moleſtias perpeſſus egregie ad omnem ſe patientiã exercebat: orationibus etiam, ac ieiunijs aſſidue vacabat. Ab Vdalrico autem Bohemiæ Duce in eo mõte venante repertus, ſuaſit eidem Principi, vt Eccleſiam ac monaſteriũ in honorem S. Ioannis Baptiſtæ ædificaret: Vbi idẽ vir ſanctus cum alijs ſibi adiunctis ſocijs Angelicam vitam ducens, tandem plenus miraculis ac virtutibus migrauit ad Dominum.

Die xiv. Iulij.

IN FESTO S. BONAVENTVRAE Epiſcopi & Confeſſ. ac Doctoris Eccleſiæ. Totum Duplex. Oratio.

DEus, qui populo tuo æternæ ſalutis beatum Bonauenturam miniſtrum tribuiſti: præſta quæſumus, vt quem doctorem vitæ habuimus in terris, interceſſorem habere mereamur in cælis. Per Dñm. In primo Noctur. Lect. de Eccleſiaſt. Sapientiã omniũ. vt in Feſto S. Thomæ Aquinatis. 640.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Actis eius integre conſcriptis, & Romano Breuiario. Lectio iv.

BOnauentura, Balneoregij in Etruria natus, cum infans incidiſſet in vitæ periculum, mater eius vouit, ſi inde euaſiſſet, ſe eum religioni beati Franciſci dicaturã. Itaque adoleſcens in Ordinẽ Fratrum Minorum adſcribi voluit:

voluit: vbi Alexandro de Ales magiſtro, ad eam doctrinæ perfectionem breui peruenit, vt ſeptimo poſt anno libros Sententiarum Pariſijs publice ſumma cum laude ſit interpretatus: quos etiam præclaris poſtea commentarijs illuſtrauit. Lectio v.

Tantæ vero puritatis & innocentiæ erat, vt præceptor eius Alexander non dubitarit de illo dicere: Vere Iſraelita, in quo Adam non peccaſſe videtur. Poſt ſex annos, ſui Ordinis Generalis Miniſter Romæ factus, ea prudentiæ ac ſanctitatis laude Miniſterium geſſit, vt in omnium ore & admiratione eſſet. Multa ſcripſit: in quibus ſummam eruditionem, cum pari pietatis ardore coniungens, lectorē docendo mouet. Lectio vj.

Ipſum Gregorius Decimus, eius ſanctimoniæ ac ſapientiæ fama commotus, Cardinalem, & Epiſcopū Albanenſem creauit. Eundem adhuc viuentē beatus Thomas Aquinas ſanctum appellauit. Cum enim vitam ſancti Franciſci ſcribentem comperiſſet: Sinamus, inquit, Sanctum pro Sancto laborare. Migrauit è vita pridie Idus Iulij, in Concilio Lugdunenſi, quinquaginta tres annos natus, multis editis miraculis: quem Xyſtus Quartus Pontifex maximus retulit in Sanctorum numerum. In tertio nocturno. Homilia in Euangelium. Vos eſtis ſal terræ. In Communi Confeſſorum.

Die xvij. Iulij.

IN FESTO S. ALEXII

Confeſſoris. Tres Lectiones.

Oratio.

Deus, qui beato Alexio confeſſori tuo tribuiſti, vt & noua mundum arte deluderet, & de hoſte humani generis mirabiliter triumpharet, concede propitius, vt eius ſemper muniamur auxilijs, cuius ſalutiferis erudimur exemplis. Per Dominum.

Ex ſincerioribus Actis, & Rom. Breu.

Lectio iij.

Alexius Romanorum nobiliſſimus, propter eximiū Ieſu Chriſti amorem, prima nocte nuptiarum relinquens intactam ſponſam, illuſtrium orbis terræ Eccleſiarum peregrinationem ſuſcepit. Quibus in itineribus cum ignotus ſeptemdecim annos fuiſſet, aliquando apud Edeſſam Syriæ vrbem, per imaginem ſanctiſſimæ Mariæ virginis eius nomine diuulgato, inde naui diſceſſit. Ad portum Romanum appulſus, à patre ſuo tamquā alienus pauper hoſpitio accipitur: apud quem, omnibus incognitus, cum decem & ſeptem annos vixiſſet, relicto ſcripto ſui nominis, ſanguinis, ac totius vitæ curſus, migrauit in cælum, Innocentio primo ſummo Pontifice.

Die xx. Iulij.

IN FESTO S. MARGARITAE

Virginis & martyris. Simplex.

Oratio.

Indulgentiam nobis, quæſumus Domine, beata Margarita virgo & martyr imploret: quæ tibi grata ſemper extitit & merito caſtitatis, & tuæ profeſſione virtutis. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

IN

IN II. NOCTVRNO

Ex ſincerioribus Actis. Lectio iv.

MArgarita, quæ & Marina Antiochiæ Piſidiæ Aedeſio idolorum ſacerdote nata, à teneris annis Chriſtianæ relgioni addicta, baptizata eſt. Quæ cum eximiæ eſſet pulchritudinis, à Præfecto Olybrio adamatur. Cumque eam ſibi ſiſti iuberet, ita illā alloquitur: Tuum nobis puella & nomen & religionem edicito. Tum illa, Margarita, inquit, vocor, genere ſum nobilis, religione Chriſtiana.

Lectio v.

AT Præſes: Duo prima conuenientia ſunt: tertium vero abſurditas eſt. Nam quid ſtultius quam vt Deū ſibi quis faciat crucifixum? Ad hæc Virgo: Vnde dic, oro, didiciſti Dominum Ieſum fuiſſe crucifixum? Tum Præſes: Ex libris Chriſtianorum. Cui Margarita: Quæ nam verecundia eſt, vt cum in eiſdem libris legatur, & pœna Chriſti, & gloria, alterum credatis, alterum reſpuatis? His vehementer ira accenſus Præfectus, varia tormentorum genera in ſancto illo corpuſculo conſumpſit. Lectio vj.

PRimum enim virgis cæſam, deinde vngulis foſſam in carcerem trudi iubet: vbi & ſpectro dæmonis forma terrifici draconis appetitur, ſed ad ſignum Crucis tota vis diaboli proſternitur. Producitur iterum Virgo, & cum in confeſſione fidei conſtantior perſeueraret, ardentibus facibus latera eius exuruntur. Denique multis ſuperatis tormentis, truncato capite, victorem per tot coronas ſpiritum cælum excepit.

IN III. NOCTVRNO

Tres Lectiones de Communi Virginum. Hodie natalis eſt.

Die xxi. Iulij.

IN FESTO S. PRAXEDIS

Virginis. Tres Lectiones. Oratio.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt ſicut de beatæ Praxedis virginis tuæ feſtiuitate gaudemus, ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Ad Matutinum, Hymnus. Huius obtentu. Tria vltima ℟℟. de Communi vnius Virginis.

Ex fidelioribus Actis, & Rom. Breu.

Lectio iij.

PRaxedes, virgo Romana, Pudentianæ virginis ſoror, Marco Antonino Imperatore Chriſtianos perſequente, eos facultatibus, opera, conſolatione, & omni charitatis officio proſequebatur. Nam alios domi occultabat: alios ad fidei conſtantiam hortabatur: aliorum corpora ſepeliebat: ijs qui in carcere incluſi erant, qui in ergaſtulis exercebantur, nulla re deerat. Quæ cum tantam Chriſtianorum ſtragem iam ferre non poſſet, Deum precata eſt, vt ſi mori expediret, ſe è tantis malis eriperet. Itaque duodecimo Kalendas Auguſti ad pietatis præmia vocatur in cælum. Cuius corpus à Paſtore presbytero in patris & ſororis Pudentianæ ſepulchrum illatum eſt, quod erat in cœmeterio Priſcillæ, via Salaria.

Digitized by Google

Die xxij. Iulij.

IN FESTO S. MARIAE Magdalenæ. Totum Duplex.

Ad Veſp. ſuper Pſalm. Aña. Recumbente Ieſu in domo Phariſæi Simonis leproſi, acceſſit ad eum Maria Magdalena, afferens pretioſi libram vnguenti. Pſal. Laudate pueri. cum ceteris.

Capitulum. *Prou.* 31.

MVlierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius: cōfidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit. ℟. Flauit auſter. ℣. Hymnus.

LAuda mater Eccleſia
Lauda Chriſti clementiam,
Qui ſeptem purgat vitia
Per ſeptiformem gratiam.

Maria ſoror Lazari,
Quæ tot commiſit crimina,
Ab ipſa fauce tartari
Redit ad vitæ limina.

Poſt fluxæ carnis ſcandala
Fit ex lebete phiala,
In vas tranſlata gloriæ,
De vaſe contumeliæ.

Aegra currit ad medicum,
Vas ferens aromaticum:
Et à morbo multiplici,
Verbo curatur medici.

Surgentem cum victoria
Ieſum videt ab inferis:
Prima meretur gaudia,
Quæ plus ardebat ceteris.

Vni Deo ſit gloria
Pro multiformi gratia:
Qui culpas, & ſupplicia
Remittit, & dat præmia. Amen.

℣. Optimam partem elegit ſibi Maria. ℟. Quæ non auferetur ab ea.

Ad Magnificat, Aña. Celſi meriti Maria, quæ ſolem verum reſurgentem videre meruiſti mortalium prima, obtine, vt nos viſu gloriæ ſuæ tecum lætificet in cælis.

Oratio.

LArgire nobis clementiſſime Pater: quòd ſicut beata Maria Magdalena Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum ſuper omnia diligendo, ſuorum obtinuit veniam peccatorum: ita nobis apud miſericordiã tuã ſempiternã impetret beatitudinem. Per eundem.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Aeternum, trinumque Deum laudemus, & vnum: Qui ſibi Mariam tranſuexit in æthera ſanctam. Hymnus. Lauda mater Eccleſia.

IN I. NOCTVRNO.

Aña. Cum diſcubuiſſet in domo Simonis Dominus Ieſus mundi gloria, mulier ſecum, quæ erat in ciuitate peccatrix, nardi odorifera exhibuit vnguenta. Pſal. Domine Dominus noſter. 4. Aña. Secus pedes Domini aſtans, inceſſanter, crine ſoluto, diua veſtigia oſculabatur lacrymis plena. Pſal. Cæli enarrant. 11. Aña. Irrigabat igitur Dominicos Ieſu pedes, fracto quoque alabaſtro, præcipuis odoribus fragrabat domus omnis: atque capillorum officio detergebat. Pſalm. Domini eſt terra. 15. ℣. Diffuſa eſt &c.

De Canticis Canticorum.

Lectio j. C. 3.

IN lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum,

illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea, vidiſtis? Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittã, donec introducam illum in domũ matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. ℟. Lætetur omne ſæculũ in ſolẽnitate S. Mariæ Magdalenæ: Quã Ieſus æternus amor dilexit plurimum. ℣. Hæc Maria fuit illa Domino gratiſſima, quæ vnguẽto pretioſo vnxit pedes Domini. Quam.

Lectio ij. C. 8.

QVis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat? Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculũ ex vino condito, & muſtũ malorum granatorum meorum. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipſa velit. ℟. Hæc eſt illa Maria, quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis: Cuius frater erat Lazarus, quem à mortuis reſuſcitauit Ieſus. ℣. Hæc eſt illa Maria, cui ſe Dominus reſurgens à mortuis primum oſtendit. Cuius. Lectio iij.

QVæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Sub arbore malo ſuſcitaui te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. ℟. Felix Maria vnxit pedes Domini Ieſu, & exterſit capillis ſuis: Et domus impleta eſt Ex odore vnguẽti. ℣. Mixtũ rorẽ balſami, fracto fudit alabaſtro, quæ vnguẽto pretioſo vnxit pedes Domini. Et domus. Gloria. Ex odore.

IN II. NOCTVRNO.

Añã. Simon autẽ intra ſe inquit: Si eſſet propheta, ſciret profecto quæ & qualis eſt, quæ tangit eũ, quia peccatrix eſt. Pſal. Eructauit cor. 30. Añã. Et conuerſus Dominus, dixit: Poſtquã veni in domum tuam, non ceſſat crine fuſo hæc meos oſculari pedes. Pſ. Deus noſter. 30. Añã. Quoniã multũ dilexeras, dimiſſa ſcito tibi peccamina: & fide qua polles ſacra in pace remitto. Pſ. Fũdamenta. 57. ℣. Specie tua &c.

Sermo ſancti Gregorij Papæ, *Homil. 25. in Euang.* Lectio iv.

MAria Magdalene, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, amando veritatem, lauit lacrymis maculas criminis: & vox Veritatis impletur, qua dicitur: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Quæ enim prius frigida peccãdo remanſerat, poſt modũ amãdo fortiter ardebat. Quæ à

monumento Domini, etiam diſcipulis recedentibus, non recedebat: exquirebat, quem non inuenerat: flebat inquirendo, & amoris ſui igne ſuccenſa, eius quem ſublatum credidit, ardebat deſiderio. Vnde contigit, vt eum ſola tunc videret, quæ remanſerat vt quæreret: quia nimirum virtus boni operis, perſeuerantia eſt. ℞. Videns Ieſus flentem Mariam & ſororem eius Maꝛtham, lacrymatus eſt: & accedens ad monumentum, Quatriduanum iam Lazarum reſuſcitauit. ℣. O felicis ſoror vtraque meriti! quarum lacrymis motus fons ipſe pietatis. Quatriduanum.

Lectio v.

QVæſiuit ergo prius, & minime inuenit: perſeuerauit vt quæreret, vnde & contigit vt inueniret: actumque eſt, vt deſideria dilata creſcerent, & creſcentia raperent quod inueniſſent. Hinc eſt enim quòd de eodem ſponſo Eccleſia in Canticis Canticorum dicit: In lectulo meo per noctem quæſiui quem diligit anima mea. Dilectum in lecto quærimus, quando in præſentis vitæ aliquantula requie Redemptoris noſtri deſiderio ſuſpiramus. Per noctem quærimus: quia etſi iam in illo mens vigilat, tamen adhuc oculus caligat. ℞. Laudemus opus Dei in Maria genitrice, ſed virgine: laudemus in Maria peccatrice, ſed pœnitente: Maria hæc eſt data ſpeculum innocentiæ: Maria hæc eſt exemplum pœnitentiæ. ℣. Vt confiteamur nomini ſancto tuo Deus, & gloriemur in laude tua. Maria hæc eſt exemplū.

Lectio vj.

SEd qui dilectum ſuum non inuenit, reſtat vt ſurgat, & ciuitatem circumeat, ideſt, ſanctam electorum Eccleſiam mente & inquiſitione percurrat: per vicos eum & per plateas quærat, ideſt per auguſta & lata gradientes aſpiciat, ſi qua inuenire in eis valeat eius veſtigia exquirat: quia ſunt nonnulli etiam vitæ ſæcularis, qui immitandum aliquid habeant de actione virtutis. Quærentes autem nos vigiles inueniunt, qui cuſtodiunt ciuitatem: quia ſancti Patres, qui Eccleſiæ ſtatum cuſtodiunt, bonis noſtris ſtudijs occurrũt, vt ſuo vel verbo, vel ſcripto nos doceant. ℞. Flauit auſter, & fugauit aquilonem, quando lauit cor Mariæ pœnitentis imber ſancti Spiritus: Liquefecit, & refecit reſolutã in lamẽtis Verbũ miſſum cælitus. ℣. Fluminis impetus ciuitatẽ Dei lætificauit. Liquefecit. Gloria. Verbum.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Satagebat igitur Martha ſoror Mariæ Magdalenæ circa miniſteria: quæ ſedens circa pedes Domini audiebat verbum oris eius. Pſalm. Cantate Domino. j. 63. Aña. Non eſt, Martha inquit, tibi curæ, quòd ſoror mea me reliquit ſolam miniſtrare? iube illi, vt me adiuuet. Pſal. Dñs regnauit, exultet. 63. Aña. Et reſpondens dixit illi Dominus: Vnum eſt neceſſe: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Pſal. Cantate ij. 64. ℣. Adiuuabit eã &c. Tres Lectiones de Homil. in Euang. Rogabat Ieſum, Feria

ſia v. poſt Dominicā Paſſionis. 294.
℟.vij. O certe præcipuus Mariæ Magdalenæ amor! Quæ à monumento Dominico, diſcipulis recedentibus, non receſſit. ℣. Ardore charitatis ſuccenſa, quem ſepultum nouerat, ſublatum credidit de ſepulchro. Quæ. ℟.viij. O felix felicis meriti Maria, quæ reſurgentem à mortuis Dei Filium videre meruiſti mortalium prima: pro cuius amore, ſæculi contempſiſti blandimenta, ſedula nos apud ipſum, quæſumus, prece cōmenda. ℣. Vt tecū mereamur, ò domina, perfrui feliciſſima ipſius præſentia. Sedula. ℟.ix. Glorioſa huius diei ſolemnia deuota celebremus omnes veneratione, quā beata Maria Magdalena Cælos meruit aſcendere. ℣. Conſummato curſu præſentis vitæ, cæleſti euocata pietate. Cælos meruit. ℣. Optimam partem elegit ſibi Maria. ℟. Quæ non auferetur ab ea.

IN LAVDIBVS, Aña.

LAudibus excelſis omnis mūdus exultet in ſolēnitate ſanctæ Mariæ Mágdalenæ. Pſal. Dominus regnauit. cum reliquis. Aña. Hæc corde compuncta venit, ad pedes Ieſu acceſſit: illos lacrymis rigauit, & capillis capitis ſui terſit. Aña. Intercede ſupplicans aſſidue pro nobis Ieſu Domino, Maria Magdalena. Aña. O bone Ieſu laus tibi, remiſiſti peccatrici multa peccamina, quia te dilexit multum. Aña. Maria ergo vnxit pedes Ieſu, & exterſit capillis ſuis: & domus impleta eſt ex odore vnguenti. Capit. Mulierem fortem.

Hymnus.

Æterni Patris Vnice,
Nos pio vultu reſpice,
Qui Magdalenam hodie
Vocas ad thronum gloriæ.
In theſauro repoſita
Regis eſt drachma perdita:
Gemmaque lucet inclyta
De luto luci reddita.
Ieſu dulce refugium,
Spes vna pœnitentium,
Per peccatricis meritum,
Peccati ſolue debitum.
Pia Mater & humilis,
Naturæ memor fragilis,
In huius vitæ fluctibus
Nos rege tuis precibus.
Vni Deo ſit gloria &c.

℣. Dimiſſa ſunt ei peccata multa. ℟. Quoniam dilexit multum.

Ad Benedictus, Antiphona.

O mundi lampas, & margarita præfulgida! quæ reſurrectionem Chriſti nunciando, Apoſtolorum Apoſtola fieri meruiſti, Maria Magdalena, ſemper pia exoratrix pro nobis adſis ad Deū, qui te elegit. Ad Tertiam, Capitul. Mulierem fortem. ℟℟. vt in Commu ni Virgin. præter ℣. Nonæ.

Ad Sextam, Capitulum. *Prou.* 31.

ACcinxit fortitudine lūbos ſuos, & roborauit brachium ſuum. Guſtauit, & vidit quia bona eſt negotiatio eius: nō extinguetur in nocte lucerna eius. Ad Nonā, Capit *Prou.* 31.

MVltæ filiæ congregauerūt diuitias: tu ſupergreſſa es vniuerſas ℣. Dimiſſa ſunt ei peccata multa. ℟.

Quoniam dilexit multum. Ad Veſp. ſuper Pſal. Ana. **Laudibus** Pſal. vnius Virginis. Cap. Hymn. ℣. vt in primis Veſp. Ad Magnificat, Antiphona. In diebus illis mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Simonis leproſi, attulit alabaſtrum vnguenti: & ſtans retro ſecus pedes Domini Ieſu, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

Per Octa. Añæ ad Benedictus, & Magnificat, vt in Die.

PRIMA DIE.

Infra Oct. S. Mariæ Magdalenæ.

Sermo S. Ephræm Syri.

Serm. in mulierem peccatricem, to. 3.

Lectio iij.

MVlier illa peccatrix intrepide ingreſſa eſt in feruore animæ ad medicum iucundum ac bonum, in domum conuiuij: vbi indultor debitorum recumbebat. Conſidero iſta, & magnam alacritatem capio, vt & ego impudentiſſimus in petitione reddar. Cerno enim feruoris animæ illius magnitudinẽ atque exceſſum, & pulchræ illius mulieris honeſtam inuerecundiam. Adeſte igitur auſcultatores, Chriſto dilecti, atque perfecti: & delicias ex hac pulchra narratione magnæ illius atque ſuſpiciendæ mulieris capite.

Die xxiij. Iulij.

AD MEMORIAM S. Apollinaris Epiſcopi & martyris, in Laudibus. Oratio.

DEus, qui nos beati Apollinaris martyris tui atque Põtificis annua ſolẽnitate lætificas: cõcede propitius, vt cuius natalitia colimus, de eiuſdem etiã protectione gaudeamus. Per.

SECVNDA DIE.

De Sermone S. Ephræm Syri.

Serm. in mulierem peccatricem, to. 3.

Lectio iij.

DIuinũ hic dicò ſpectaculũ illud, in quo mulier vnà cũ Angelis & hominibus cõuiuata eſt. Sed quomodo palam ingreſſa eſt, quæ prorſus vocata non erat? Et quo pacto ſic ad diſcumbentẽ acceſſit, cũcta cordis ſui arcana enunciãs, omniaq. ipſi abſque ſono & voce exponẽs? Vides eminentẽ animæ promptitudinem, & deſiderium? Non ianitores, ac famulos domeſticos virilis atque generoſa mulier timuit, neque durã adſtantium increpationem: vnũ hoc ſecũ cogitãs, dicẽſque: Quòd ſi totã meam faciem quaſi ferreã aut æream non reddidero, ſaluari ex turpi inundatione laſciuiæ non potero.

Die xxiv. Iulij. Vigilia S. Iacobi Apoſt.

AD MEMORIAM S. Chriſtinæ Virg. & mart. In Laudibus. Oratio.

INdulgentiã nobis, quæſumus Domine, beata Chriſtina virgo & martyr imploret: quæ tibi grata ſemper extitit & merito caſtitatis, & tuæ profeſſione virtutis. Per Dominum.

Die xxv. Iulij.

IN FESTO S. IACOBI Apoſtoli. Totum Duplex.

Ad Veſp. ſuper Pſal. Aña. O beate Iacobe,

cobe, omnium corde & ore laudande, ô patrone ſingularis, & amabilis intercede pro nobis ad Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

O lux, & decus Hiſpaniæ ſanctiſsime Iacobe, qui inter Apoſtolos primatum tenes primus eorum martyrio laureatus! O ſingulare præſidiū, qui meruiſti videre Redemptorem noſtrum adhuc mortalem in Deitate transformatum! Exaudi preces ſeruorum tuorum, & intercede pro noſtra ſalute, omniumque populorum.

Oratio.

Esto Dñe plebi tuæ ſanctificator & cuſtos: vt Apoſtoli tui Iacobi munita præſidijs, & cōuerſatione tibi placeat, & ſecura mente deſeruiat. Per.

IN PRIMO NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Epheſios.

Lectio j. C.3.

Alijs generationibus nō eſt agnitum filijs hominū, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius, & prophetis in Spiritu. Gentes eſſe coheredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis eius in Chriſto Ieſu per Euangelium. Cuius factus ſum miniſter ſecundum donum gratiæ Dei, quæ data eſt mihi ſecundum operationem virtutis eius.

Lectio ij.

Mihi omniū ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, In Gētibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſcōditi à ſæculis in Deo, qui omnia creauit. Vt innoteſcat Principatibus & Poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiā multiformis ſapientia Dei, ſecundū præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro, In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem eius.

Lectio iij.

Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: quæ eſt gloria veſtra. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrē Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ, virtutem corroborari per Spiritū eius in interiorem hominem, Chriſtū habitare per fidē in cordibus veſtris.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Euangel. Actibus Apoſtolorum, Clemente Alexand. & Rom. Breu.

Lectio iv.

Iacobus, Zebedæi filius, Ioānis Apoſtoli germanus frater, Galilæus, inter primos Apoſtolos vocatus cum fratre, relictis patre ac retibus, ſecutus eſt Dominum, & ambo ab ipſo Ieſu Boanerges, id eſt, tonitrui filij, quaſi duo Euangelij fulmina, ſunt appellati. Is vnus fuit ex tribus Apoſtolis, quos Saluator maxime dilexit, & teſtes eſſe voluit ſuæ transfigurationis: & intereſſe miraculo, cum Archiſynagogi filiam à mortuis excitauit: & adeſſe, cum ſeceſſit in montem Oliueti, Patrem oraturus, antequam à Iudæis comprehenderetur.

Lectio v.

Verum Iacobus poſt Ieſu Chriſti aſcenſum in cælum, in Iudæa & Samaria prædicans eius diuinitatem, plurimos, in quibus Hermogenem magum,

magum ad Chriſtianam fidem perduxit. Mox Hiſpaniam adiiſſe, ibique Euangelium prædicaſſe, omniũ illius Prouinciæ Eccleſiarum conſtans traditio eſt, & vetera monumenta teſtantur. Sed ſub Claudio Imperatore ab Herode Rege Iacobus libere Ieſum Chriſtum Deum confitens capitis cõdemnatur. Quem cum is qui eum duxerat ad tribunal, fortiter martyrium ſubeunte vidiſſet, ſtatim ſe & ipſe Chriſtianum eſſe profeſſus eſt.

Lectio vj.

AD ſupplicium cum raperentur, petijt ille à Iacobo veniam: quem Iacobus oſculatus, Pax, inquit, tibi ſit. Itaque vterque eſt gladio percuſſus, cum paulo ante Iacobus paralyticum ſanaſſet. Corpus eius poſtea Compoſtellam translatũ eſt, vbi ſumma celebritate colitur, conuenientibus eò, religionis & voti cauſa, ex toto terrarum orbe peregrinis. Memoria ipſius natalis hodierno die qui translationis dies eſt, ab Eccleſia celebratur, cũ ipſe Kalendis Aprilis, primus Apoſtolorum Ieroſolymis profuſo ſanguine, victor migrarit in cælum. Quem vitam exercuiſſe monaſticam, ac virginem fuiſſe, S. Epiphanius ſcribit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 20.

IN illo tempore: Acceſſit ad Ieſum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 3. Comm. in Matth. c. 20.

QVia dixerat Dominus: Et tertia die reſurget: putauit eum mulier poſt reſurrectionem illico regnaturum, & hoc quod in ſecundo aduentu promittitur, in primo eſſe complẽdum: & auiditate feminea, præſentia cupit, immemor futurorum. Poſtulat autem mater filiorum Zebedæi errore muliebri, & pietatis affectu, neſciens, quid peteret. Nec mirum, ſi iſta arguatur imperitiæ: cum de Petro dicatur, quando tria vult facere tabernacula, Neſciens quid diceret. Reſpondens autem Ieſus, dixit eis: Neſcitis quid petatis.

Lectio viij.

MAter poſtulat, ſed Dominus diſcipulis loquitur: intelligens, preces eius ex filiorum deſcendere voluntate. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Calicẽ in ſcripturis intelligimus paſſionẽm, iuxta illud: Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Et in Pſalmo: Calicem ſalutaris accipiam. Statimque infert quis ſit iſte calix: Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis.

Lectio ix.

QVæritur, quomodo calicem martyrij Zebedæi filij, Iacob videlicet & Ioannes biberint, cũ Scriptura narret, Iacobum tantũ Apoſtolum ab Herode capite truncatum, Ioannes autem propria morte vitam finierit. Sed ſi legamus Eccleſiaſticas hiſtorias, in quibus fertur, quòd & ipſe

propter

propter martyriũ ſit miſſus in feruentis olei dolium,& inde ad ſuſcipiendã coronam Chriſti athleta proceſſerit, ſtatimque relegatus in Patmos inſulã ſit: videbimus martyrio animum non defuiſſe, & bibiſſe Ioannem calicem confeſſionis.

EODEM DIE IN LAVDIBVS

Memor. SS. Chriſtophori & Cucuphatis mart. Oratio.

PRæſta,quæſumus omnipotẽs Deus:vt qui glorioſos martyres tuos Chriſtophorum & Cucuphatem fortes in ſua cõfeſſione cognouimus,pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus. Per Dominum.

Die xxvi. Iulij.

IN FESTO S. ANNAE

Matris Beatæ Mariæ Virginis.

Totum Duplex. Oratio.

DEus, qui beatam Annam Genitricis tuæ matrem ad cæleſtis vitæ gaudia extuliſti:fac nos,quæſumus, glorioſis eius meritis ad æternam pertingere beatitudinem:ex cuius ſalutari puerperio pro ſalute mundi humanam naturam aſſumere dignatus es. Qui viuis & regnas.

IN I. NOCTVRNO.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. C. 26.

GRatia mulieris ſedulæ delectabit virum ſuum,& oſſa illius impinguabit. Diſciplina illius datũ Dei eſt. Mulier ſenſata & tacita, non eſt immutatio eruditæ animæ. Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata. Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ. Sicut ſol oriens, mundo in altiſſimis Dei,ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus eius.

De Epiſtola prima B. Petri Apoſtoli.

Lectio ij. C. 3.

MVlieres ſubditæ ſint viris ſuis: vt & ſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore caſtam conuerſationem veſtrã. Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri,aut indumenti veſtimentorũ cultus:ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in cõſpectu Dei locuples. Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe, ſubiectæ proprijs viris.Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans.

De Epiſtola j.B.Pauli Apoſtoli ad Timotheum. Lectio iij. C. 2.

VOlo ergo viros orare in omni loco,leuantes puras manus ſine ira,& diſceptatione.Similiter & mulieres in habitu ornato,cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus,aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa:ſed quod decet mulieres,promittentes pietatem per opera bona. Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Docere autem mulieri non permitto,neque dominari in virum: ſed eſſe in ſilentio.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo S.Epiphanij Epiſcopi.

Orat. de Laudibus Mariæ.

Lectio

Lectio iv.

MAriæ parẽtes fuerunt Ioachim & Anna, qui quidem in vita ſua Deo placuerunt, atque etiam fructum huiuſmodi germinarunt ſanctam virginem Mariam, templum ſimul & matrem Dei. Ioachim porro, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam ſacrificium laudis offerebãt. Ioachim enim interpretatur, præparatio Domini, eo quòd ex illo præparatum ſit templum Domino, nempe Virgo. Anna rurſum ſimiliter gratia interpretatur, propterea quòd Ioachim & Anna gratiam acceperunt, vt accedentibus precibus talẽ fructum germinarent, ſanctam Virginem adepti. Ioachim ſiquidem precabatur in mõte: Anna in horto ſuo. Anna vero grauida effecta, cælum & thronum Cherubicum peperit ſanctam puellam Mariã. Illa enim reperitur eſſe cælum, templũ & thronus, quia Mariam interpretari ſolemus dominam.

Sermo S. Ioannis Damaſceni.

Orat. 2. de Natiuit. B. Mariæ, prope fin.

Lectio v.

PRoponitur nobis Annæ thalamus, coniugalis vitæ ſimul & virginitatis formam referens, illam matris, hanc filiæ; quarum altera recens ſterilitate liberata eſt, altera autem aliquãto poſt, Chriſti partum ad noſtræ naturæ conditionẽ diuino opificio formatum, ſupra naturã eſt editura. Merito igitur Anna diuino ſpiritu plena, læto hilariq. animo perſonat: Congaudete mecũ, quæ promiſſionis germen ex ſterili ventre peperi, ac benedictionis fructum vberibus meis, vt optaueram, nutrio. Sterilitatis mæſtitiam exui, ac lætam fecunditatis veſtem indui.

Lectio vj.

COnſonã his nos quoque ipſi quæ vocabatur ſterilis, nunc autem virginei thalami mater extitit, laudẽ offeramus. Dicamus ad eam cum Scriptura: Quàm beata domus Dauid, ex qua prodijſti, & venter, in quo Deus ſanctificationis Arcam, hoc eſt, eam, à qua ipſe ſine ſemine conceptus eſt, fabricauit! Vere beata es, ac ter beata, quæ beatitudine donatam à Deo infantem, hoc eſt Mariam, nomine quoque ipſo magnopere venerandam peperiſti: ex qua Chriſtus vitæ flos extitit, cuius virginis & glorioſus fuit ortus, & partus mundo ſublimior.

In tertio Noctur. Homil. in Euangel. Simile eſt regnum cælorum theſauro. In Communi Virginum. & legantur duæ tantum priores Lectiones Homiliæ in tres partitæ.

Die xxvij. Iulij.

IN FESTO S. MARTHAE Virginis. Duplex.

Ad Veſp. & Matut. Hymn. Huius obtentu, Deus alme.

Oratio.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt ſicut de beatæ Marthæ virginis tuæ feſtiuitate gaudemus: ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per.

℟. j. Hoc modo dicatur. Veni ſponſa Chriſti, & accipe coronam quam tibi Dominus præparauit: Pro cuius amore ſæculum contempſiſti: & cum Angelis in paradiſum introiſti. ℣. Veni electa

electa mea, & ponam in te thronum meum: quia concupiuit Rex ſpeciem tuam. Pro cuius.

IN II. NOCTVRNO.

Ex probatioribus Actis, & ex Romano Breuiario. Lectio iv.

MArtha, Lazari ſoror nobilibus & copioſis parentibus nata, ſed Chriſti hoſpitio clarior, poſt eius aſcẽſum in cælum, cum fratre, ſorore, & Marcella pediſequa, ac Maximino, vno ex Septuaginta duobus diſcipulis Chriſti Domini, qui totam illam domum baptizauerat, multiſq. alijs Chriſtianis, comprehenſa à Iudæis, in nauẽ ſine velo ac remigio imponitur, vaſtiſſimoq. mari ad certum naufragiũ committitur: ſed nauis Deo gubernãte ſaluis omnibus Maſſiliam appulſa eſt.

Lectio v.

EO miraculo, & horum prædicatione, primum Maſſilienſes, mox Aquenſes, ac finitimæ gentes in Chriſtum crediderunt: Lazaruſq. Maſſiliẽſium, & Maximinus Aquenſiũ Epiſcopus creatur. Magdalena vero aſſueta orationi & pedibus Domini, vt optima parte contemplandæ cæleſtis beatitudinis, quam elegerat, frueretur, in vaſtam altiſſimi montis ſpeluncam ſe contulit: vbi triginta annos vixit, ab omni hominũ conſuetudine diſiũcta, quotidieq. per id tempus ad audiẽdas cæleſtium laudes in altum ab Angelis elata.

Lectio vj.

MArtha autẽ mirabili vitæ ſanctitate & charitate, omnium Maſſilienſium animis in ſui amorẽ & admirationem adductis, in locum à viris remotum cum aliquot honeſtiſſimis feminis ſe recepit: vbi ſumma cum laude pietatis & prudentiæ diu vixit, ac demum, morte ſua multo ante prædicta, miraculis clara migrauit ad Dominum quarto Kalendas Auguſti. Cuius corpus apud Taraſcum magnã habet venerationem.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucã.

Lectio vij. C. 10.

IN illo tempore: Intrauit Ieſus in quoddam caſtellũ & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 26. de verbis Domini.

MArtha & Maria duæ ſorores erant, ambæ non ſolum carne, ſed etiam religione germanæ: ambæ Domino cohæſerunt, ambæ Domino in carne præſenti concorditer ſeruierunt. Suſcepit eum Martha, ſicut ſolent ſuſcipi peregrini: ſed tamẽ ſuſcepit famula dominum, ægra ſaluatorẽ, creatura creatorem. Suſcepit autem ſpiritu paſcenda in carne paſcendum. Voluit enim Dominus formam ſerui accipere, & accepta forma ſerui in illa paſci à ſeruis, dignatione, non cõditione. Nam & iſta dignatio fuit, ſe præbere paſcendum.

Lectio viij.

HAbebat carnem, in qua eſuriret quidem & ſitiret: ſed neſcitis, quia in eremo eſurienti Angeli miniſtrabant? Ergo quod paſci voluit, paſcenti præſtitit. Quid autem mirũ, ſi & de ſan-

de ſancto Elia præſtitit viduæ, quem prius coruo miniſtrante paſcebat? Numquid paſcendo defecerat, quando ad viduam mittebat? Nequaquam, ſed religioſam viduam per obſequiū exhibitum ſeruo ſuo benedicere diſponebat. Lectio ix.

SIc ergo ſuſceptus eſt Dominus tāquam hoſpes, qui in ſua propria venit, & ſui eum non receperunt: ſed quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: adoptans ſeruos, & liberos faciens: redimens captiuos, & faciens coheredes. Ne quis tamen veſtrum forſitan dicat: O beati qui Chriſtum ſuſcipere in domum propriam meruerunt. Noli dolere, noli murmurare, quia temporibus natus es, quando iam Dominum non vides in carne. Non tibi abſtulit iſtam dignationem. Cum vni, inquit, ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

TERTIA DIE.

Infra Oct. S. Mariæ Magdalenæ.

De Sermone S. Ephræm Syri.

Ser. in mulierem peccatricem, to. 3.

Lectio iij.

INgreſſa eſt, ſtatimque à tergo ad eum acceſſit, ac ſanctiſſimos pedes ipſius tetigit: & inclinans caput ſimul cum corde, multis ſuſpirijs, lacrymarumque riuis rigabat pedes eius cum gaudio, vehementiſſimoque deſiderio eos deoſculabatur, dicebatque intra ſe: Nō ignara Domine vitiorum meorum, auſa ſum ad te immaculatiſſimum accedere. Suſcipe igitur Domine, lacrymarum mearum riuos, ſuſcipe Domine deſideriū animæ meæ. Flagrat anima mea, magno ſanctitatis tuæ immaculatæ amore vulnerata.

Die xxviij. Iulij.

AD MEMORIAM.

SS. Nazarij, Celſi, & Pantaleonis.

In Laudibus. Oratio.

DEus, qui nos cōcedis ſanctorum martyrum tuorū Nazarij, Celſi, & Pantaleonis natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorū ſocietate gaudere. Per Dominum.

Die xxix. Iulij.

OCTAVA SANCTAE

Mariæ Magdalenæ. Simplex.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

Serm. in Peccatricem, Tom. 3. Oper. S. Ephræm. Lectio iv.

BOna indulgentiæ atque remiſſionis fragrantia ſuper peccatricem ex menſa Chriſti venit. Et quæ aliquādo fuerat laſciua atque impudica, nūc facta eſt modeſta ac caſta: quæ quondam fera, nunc autem ouis: olim peccati ſerua, at nunc per pœnitentiam libera. Et ſane cum auxilium perſenſiſſet, alacri mox animo venit ad Redemptorem: cernenſque in menſa Dominum, non quæſiuit ſicut Chananæa micas: ſed ipſum panem vitæ amplexa eſt. Lectio v.

CEterum vellem, fratres, ſapientis huius feminæ mentem indagare, & qua ratione illam Dominus exceperit, cognoſcere: & quomodo animæ tenebris circumfuſæ Chriſtus illuxerit. Magnum profecto ſtudium, atque

atque diligentia mulieris: magnus ſalutis curſus: magnum animæ voluntatiſque à periculo liberari cupientis propoſitum. Audiuit,& feſtinauit: adiecit ac impulit cogitationem ad pœnitentiam, hæc apud ſe dicens: O anima peccatrix, atque infeliciſſima, quem expectas, & quid attendis? Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nūc dies ſalutis. Lectio vj.

DImitte cuncta vana præterita: & concupiſce, quæ nunc ſe offerūt ſpecioſa: illa enim abominabilia ſunt, hæc vero deſiderabilia & æterna: deteſtare mentem, atque voluntatem antiquam: & iam eum, qui vnguenta creauit, inunge. Inueniſti amatorem, ſuper omnes quos prius amicos habuiſti. Illos quippe amans, multis te ipſam peccatis coinquinaſti: hunc vero ſi amaueris, etiam peccata priora, quæ ex illis acquiſiuiſti, ipſe tibi indulgebit atque remittet.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundū Lucam.

Lectio vij. c. 7.

IN illo tempore: Rogabat Ieſum quidam Phariſæus vt manducaret cum illo. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chriſologi.

Serm. 93.

ECce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix. Exaggerat Euangeliſta mulieris facinus, vt accumulet indulgentiam largitoris. Et vt cognouit quia accumberet Dominus. Non ad ſtantem, non ad ſedentem audet venire peccatrix. Deus cum ſtat, corripit: cum ſedet, iudicat: proſtratis conjacet, cum decumbit. Inclinem ad miſerendum ſupernam didicit maieſtatem: & ideo credidit, quòd eſſet ad veniam ſibi promptus, qui Phariſæis venerat tam promptus ad menſam.

Lectio viij.

ATtulit alabaſtrum vnguenti. Portauit oleum, quia medicinam letali vulneri à ſuperno medico perquirebat. Stans retro ſecus pedes eius. Ad pedes tendit ſēper, citam veniam qui requirit. Et bene ſtans, quia iā cadere nō poteſt, qui ad pedes Chriſti meruit peruenire. Stās retro ſecus pedes eius. Vt Chriſti veſtigijs innixa percurreret per viā vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis. Lectio ix.

LAcrymis rigabat pedes eius. En mutatur ordo rerum: pluuiam terræ cælum dat ſemper, ecce nunc rigat terra cælum: immo ſuper cælos, & vſque ad ipſum Dominum imber humanarum proſilit lacrymarum: vt iuxta Pſalmiſtam & de aquis fletuum cantetur illud: Et aquæ quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini. O quanta vis in lacrymis peccatorum! rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione ſententiam.

EODEM DIE.

In Laudibus Mem. Sanctorum Felicis, Simplicij, Fauſtini, & Beatricis.

Oratio.

PRæſta quæſumus Domine, vt ſicut populus Chriſtianus martyrum

rum tuorum Felicis, Simplicij, Fauſtini, & Beatricis temporali ſolemnitate congaudet, ita perfruatur æterna: & quod votis celebrat, comprehendat affectu. Per Dominum.

Die xxx. Iulij.

IN FESTO SANCTORVM Martyrum Abdon & Sennen. Tres Lectiones.

Oratio.

DEus, qui ſanctis tuis Abdon & Sennen ad hanc gloriam veniēdi copioſum munus gratiæ contuliſti: da famulis tuis ſuorum veniam peccatorum, vt Sanctorum tuorum intercedentibus meritis, ab omnibus mereamur aduerſitatibus liberari. Per Dominum noſtrum.

Fideliora ex actis, & Romano Breuiar. Lectio iij.

ABdon & Sennen Perſæ, Decio Imperatore accuſati, quòd corpora Chriſtianorum; quæ inhumata proijciebantur, in ſuo prædio ſepeliſſent: iuſſu Imperatoris cōprehenduntur, & dijs iubentur ſacrificare. Quod cum facere negligerent, & Ieſum Chriſtum Deum conſtantiſsime prædicarent: traditos in arctā cuſtodiam, Romam poſtea rediens Decius, vinctos duxit in triumpho. Qui cum in Vrbe ad ſimulacra attracti eſſent, ea deteſtati conſpuerunt. Quamobrem vrſis ac leonibus obiecti ſunt: quos feræ non audebant attingere. Quare gladijs trucidati, colligatis pedibus tracti ſunt ante Solis ſimulacrū: quorū corpora clam inde aſportata, Quirinus Diaconus ſepeliuit in ſuis ædibus.

Die xxxi. Iulij.

IN FESTO SANCTI Germani Epiſcopi & Confeſſoris. Tres Lectiones.

Oratio.

EXaudi quæſumus Domine, preces noſtras, quas in beati Germani confeſſoris tui atque Pontificis ſolemnitate deferimus: vt qui tibi digne meruit famulari, eius intercedentibus meritis, ab omnibus nos abſoluas peccatis. Per Dominum.

Ex Conſtantio, alijſq. vita eius probatis Auctoribus. Lectio ij.

GErmanus, parentibus ſplendidiſsimis procreatus, ob egregias virtutes & admirabilem doctrinam, licet inuitus, Eccleſiæ Antiſiodorenſis Epiſcopus conſecratur. In quo munere raram vitæ auſteritatē exercuit. Pane numquam triticeo vſus, hordeaceum non niſi veſpere, interdum tamen hebdomada media, plerumque die tantum ſeptimo ſumebat. Non vinum, non acetum, non oleum, nec legumen, nec ſalem guſtabat. Lectulus illi ex ligneis aſſeribus cilicio & cinere ſtratus ſemper fuit. Continuo ferme gemens, ac orans, & Sanctorū reliquias è collo appenſas ferens, incedebat.

Lectio iij.

HOneſtiſsimis pro Romani Imperij incolumitate functus legationibus, cuncta ex voto confecit. A ſancto Cæleſtino Papa in Britanniam miſſus Legatus aduerſus Pelagianos, eos miraculis, & vi doctrinæ proſtrauit: ac cum rurſus praua hæreſis germina pullularent, iterum reuer-

ſus,totam

Digitized by Google

ſus, totam inſulam à Pelagiano errore penitus liberauit. A Placidia Auguſta matre Valentiniani Tertij ſummo in honore eſt habitus. Tandem virtutibus & miraculis clariſſimus, æterna præmia percepturus, ſolutus carne in cælum migrat. *Die j. Auguſti.*

IN FESTO SANCTI Petri ad Vincula. Simplex.

Ad Veſp. Pſalm. & Antiph. Feriales.

Capitulum. *Act. 12.*

PEtrus quidem ſeruabatur in carcere: oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo. Hymnus. Iam bone paſtor. 634. ℣. Tu es Petrus. ℟. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Ad Magnificat, Antiphona.

Tu es Paſtor ouium, Princeps Apoſtolorum: tibi traditæ ſunt claues Regni cælorum. Oratio.

DEus, qui beatum Petrum Apoſtolum à vinculis abſolutum, illæſum abire feciſti: noſtrorum quæſumus, abſolue vincula peccatorum, & omnia mala à nobis propitiatus exclude. Per Dominum noſtrum Ieſum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Tu es Paſtor ouium, Princeps Apoſtolorum, Tibi tradidit Deus claues Regni cælorũ. Hym. Iam bone. 634. Añæ. Pſal. ℣℣. Noct. de Com. Apoſt.

IN I. NOCTVRNO.

De Epiſtola ſecunda beati Petri Apoſtoli. Lectio j. C. 3.

HAnc ecce vobis, chariſſimi, ſecundum ſcribo epiſtolam, in quibus veſtram excito in commonitione ſinceram mentem: vt memores ſitis eorum quæ prædixi verborum à ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum, præceptorum Domini & Saluatoris. Hoc primum ſcientes, quòd venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores iuxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes: Vbi eſt promiſſio, aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierũt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ. ℟. Simon Petre, antequam de naui vocarem te, noui te: & ſuper plebem meam Principem te conſtitui, Et claues Regni cælorum tradidi tibi. ℣. Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Et claues. Lectio ij.

LAtet enim eos hoc volẽtes, quòd cæli erant prius, & terra, de aqua, & per aquam conſiſtens Dei verbo: per quæ, ille tunc mundus aqua inundatus perijt. Cæli autem, qui nunc ſunt, & terra eodẽ verbo repoſiti ſunt, igni reſeruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum. Vnum vero hoc non lateat vos, chariſſimi, quia vnus dies apud Dominum, ſicut mille anni, & mille anni, ſicut dies vnus. ℟. Si diligis me, Simon Petre, paſce oues meas. Domine tu noſti quia amo te, Et animam meam pono pro te. ℣. Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et animam.

Lectio iij.

NOn tardat Dominus promiſſionem ſuã, ſicut quidã exiſtimant: ſed

ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitẽtiam reuerti. Adueniet autem dies Domini vt fur: in quo cœli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſoluentur, terra autẽ, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur. Cum igitur hæc omnia diſſoluenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentum diei Domini? ℟. Cornelius centurio vir religioſus, ac timens Deum, vidit manifeſte Angelum Dei dicentẽ ſibi: Corneli, mitte, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus: Hic dicet tibi, quid te opoteat facere. ℣. Cum oraſſet Cornelius nondum in Chriſto renatus: apparuit ei Angelus dicens. Corneli. Gloria. Hic dicet.

IN II. NOCTVRNO.

Ex antiquis monumentis, & Rom. Breuiario. Lectio iv.

THeodoſio iuniore imperante, cum Eudocia eius vxor, Ieroſolymam ſoluẽdi voti cauſa veniſſet, ibi multis eſt affecta muneribus: præ ceteris inſigne donum accepit ferreæ catenæ, auro gemmiſque ornatæ: quam illam eſſe affirmabant, qua Petrus Apoſtolus ab Herode vinctus fuerat. Eudocia, catenam pie venerata, eam poſtea Romam ad filiam Eudoxiam miſit, quæ illam Põtifici Maximo detulit: iſq. viciſſim illi monſtrauit alteram catenam, qua Nerone Imperatore idem Apoſtolus conſtrictus fuerat. ℟. Domine ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. Ex extendens manum apprehendit eum, Et dixit Ieſus: Modicæ fidei quare dubitaſti? ℣. Cumque vidiſſet ventum validum venientem, timuit: & cum cœpiſſet mergi, clamauit, dicens: Domine ſaluum me fac. Et dixit. Lectio v.

CVm igitur Pontifex Romanam catenam cum ea quæ Ieroſolymis allata fuerat, contuliſſet: factũ eſt, vt illæ inter ſe ſic connecterentur, vt non duæ, ſed vna catena ab eodem artifice confecta eſſe videretur. Quo miraculo tantus honor ſacris illis vinculis habere cœpit, vt propterea hoc nomine S. Petri ad Vincula Eccleſia, titulo Eudoxiæ dedicata ſit in Exquilijs, eiuſq. memoriæ dies feſtus inſtitutus Kalendis Auguſti. ℟. Tu es paſtor ouium Princeps Apoſtolorum: tibi tradidit Deus omnia regna mundi: Et ideo traditæ ſunt tibi claues Regni cælorũ. ℣. Tibi enim à Domino collata eſt poteſtas ligandi atque ſoluendi. Et ideo. Lectio vj.

QVo ex tempore honos, qui eo die profanis Gentilium celebritatibus tribui ſolitus erat, Petri Vinculis haberi cœpit. Quæ tacta ægros ſanabãt, & dæmones eiiciebant. Quo in genere anno ſalutis humanæ nongenteſimo ſexageſimonono ancidit, vt quidam Comes, Othonis Imperatoris familiaris, occupatus ab immundo ſpiritu ſeipſum dentibus dilaniaret. Quare is iuſſu Imperatoris ad Ioannem Pontificem ducitur: qui, vt ſacra catena Comitis collũ attigit, erum-

erumpens nefarius ſpiritus, hominem liberum reliquit: ac deinceps in Vrbe ſanctorum Vinculorum religio propagata eſt. ℟. Surge Petre, & indue veſtimenta tua: accipe fortitudinem ad ſaluandas Gentes, Quia ceciderunt catenæ de manibus tuis. ℣. Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris, percuſſoque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Quia ceciderunt. Gloria Patri. Quia ceciderunt.

IN III. NOCTVRNO

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 16.

IN illo tempore: Venit Ieſus in partes Cæſareæ Philippi, & interrogabat diſcipulos ſuos, dicens: Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 28. de Sanctis.

SOlus Petrus inter Apoſtolos meruit audire: Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam. Dignus certe, qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum. De hoc ait ſermo diuinus: Et ponebãt infirmos ſuos, vt vmbra ſaltẽ tranſeuntis Petri obumbraret eos. ℟. Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Reſpondens Petrus dixit: Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. ℣. Beatus es Simon Bar-iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi ſed Pater meus qui eſt in cælis. Et ego. Lectio viij.

SI tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? Merito per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit obũbratio viſitãtis, quanto magis catena vincientis? Si inanis quædam ſpecies vacuæ imaginis habere potuit in ſe vim ſalutis, quãto plus de corpore meruerunt attrahere ſalubritatis, ferreo põdere ſacris impreſſa membris vincula paſſionis? ℟. Ego rogaui pro te Petre, Vt nõ deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. ℣. Simon, ecce Satan expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te: Vt non.

Lectio ix.

SI ad præſidia ſupplicantium tam potens fuit ante martyrium, quãto magis efficax poſt triumphum? Felices illi nexus, qui de manicis & cõpedibus in coronam mutãdi, Apoſtolum cõtingentes martyrem reddiderunt. Felicia vincula, quæ reum ſuum vſque ad Chriſti Crucem non tam condemnatura, quàm conſecratura miſerunt. ℟. Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcumque ſolueris ſuper terrã, erit ſolutum & in cælis. ℣. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hãc Petram Edificabo Eccleſiam meam. Et quodcumque. Gloria. In cælis.

℣. Tu es Petrus &c.

IN LAVDIBVS, Aña. Petrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Pſalm. Dominus regnauit. cum ceteris. Aña. Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. Aña. Dixit Angelus ad Petrum: Circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. Aña. Petre amas me? paſce oues meas. Tu ſcis Domine quia amo te. Aña. Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meã. Cap. Petrus quidem. Hymnus. Aeterna Chriſti munera, Apoſtolorum. ℣. Annunciauerunt &c.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcũque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis: dixit Dominus Simoni Petro. Oratio. Deus, qui beatum Petrũ. Eodem die in Laudib. Memo. SS. Machabæorum Martyrum. Oratio.

FRaterna nos Domine Martyrum tuorum corona lætificet: quæ & fidei noſtræ præbeat incrementa virtutum: & multiplici nos ſuffragio conſoletur. Per Dominum.

Ad Horas diei, Añæ Laudum, ℟℟. de Communi Apoſtol. Ad iij. Cap. Petrus quidem.

Ad Sextam, Capit. *Act. 12.*

ANgelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris: percuſſoque latere Petri, excitauit eũ, dicens: Surge velociter, quia ceciderunt catenæ de manibus tuis.

Ad Nonam, Capitulum.

NVnc ſcio vere, quia miſit Dñs Angelũ ſuum: & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

Ad Veſperas ſuper Pſalmos, Antiphã Petrus, & Ioannes. Pſalm. de Apoſto. Capit. Hymn. ℣. vt in primis Veſper.

Ad Magnificat, Antiphona.

Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris, percuſſoque latere Petri, excitauit eum, dicẽs: Surge velociter. Et continuo ceciderunt catenæ de manibus eius.

Die ij. Auguſti.

IN FESTO SANCTI Stephani Papæ & martyris.

Tres Lectiones. Oratio.

DEus, qui nos beati Stephani martyris tui atque Pontificis annua ſolẽnitate lætificas: cõcede propitius, vt cuius natalitia colimus, de eiuſdem etiam protectione gaudeamus. Per.

Ex Actis, & Antiquis Patribus, & Roman. Breu. Lectio ij.

STephanus Romanus, Pontificatũ geſſit Valeriano & Gallieno Imperatoribus. Inſtituit vt Sacerdotes, & Diaconi nuſquam ſacris veſtibus, niſi in Eccleſia vterentur. Baptizatos ab hæreticis, iterum baptizari vetuit, reſcribens S. Cypriano verbis illis: Nihil innouetur, niſi quod traditum eſt. Qua in re incredibilem plane conſtantiam, ac Apoſtolicæ ſedis robur inuictum exhibuit. Multos etiam ad Chriſtũ cõuertit, qui & pro fide clarũ ſubiere martyrium. Perſecutione ingraueſcente, Ste-

Stephanus, conuocato Clerô, ad martyrium ſuos hortabatur, in cryptiſq. Martyrum aſſidue Miſſas & concilia celebrabat. Lectio iij.

TAndem poſt præclaros pro Chriſto exantlatos ſudores, in cœmeterio Lucinæ dum Miſſarũ ſolemnia perficit, aduenientibus Imperatorum ſatelitibus, ei in ſua ſede caput abſcinditur. Corpus cum eadem ſede conſperſa ſanguine, à Clericis ſepultum eſt in cœmeterio Calliſti quarto Nonas Auguſti. Vixit in Pontificatu annos tres, menſes tres, dies viginti duos. Habuit Ordinationes duas menſe Decembri, quibus creauit Presbyteros ſex, Diaconos quinque, Epiſcopos tres.

Die iij. Auguſti.

IN INVENTIONE Corporis S. Stephani Protomartyris. Simplex. Capitula Horarum ſicut in alio Feſto ipſius. 575. Cetera omnia de Communi vnius Martyris. præter hic poſita.

Ad Magnificat, Antiphona.

Oſtendit Sanctus Gamaliel per viſum Luciano Sacerdoti tres calathos aureos, roſis refertos, & quartum argenteum croco plenum, & dixit: Hi ſunt noſtri loculi, & noſtræ reliquiæ: hic autem ſanguineas habens roſas, loculus eſt ſancti Stephani, qui ſolus ex nobis martyrio meruit coronari.

Oratio.

DA nobis, quæſumus Domine, imitari quod colimus: vt diſcamus & inimicos diligere, quia eius corporis inuentionẽ celebramus, qui nouit etiam pro perſecutoribus exorare Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Adoramus Regem magnũ Dominũ: Qui in Sãctis ſuis ſẽper eſt mirabilis.

IN II. NOCTVRNO,

Ex Epiſtola Luciani Presbyteri, & Romano Breuiario. Lectio iv.

SAnctorum corpora Stephani protomartyris, Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis, quæ diu in obſcuro ac ſordido loco iacuerant, Honorio Imperatore, Luciano Presbytero diuinitus admonito, inuenta ſunt prope Ieroſolymã. Cui Gamaliel cum in ſomnis appar uiſſet, graui quadam & præclara ſenis ſpecie, locum iacentiũ corporũ commonſtrauit, imperans, vt Ioãnem Ieroſolymitanũ Antiſtitem adiret, ageretque cum eo, vt honeſtius illa corpora ſepelirentur. Lectio v.

QVibus auditis Ieroſolymorum Antiſtes, finitimarum vrbiũ Epiſcopis presbyteriſq. conuocatis, ad locum pergit, fodi iubet: defoſſos quatuor loculos inuenit, vnde ſuauiſſimus odor efflabatur. Cuius rei fama cõmota magna hominũ multitudo eò conuenit, multiq. ex varijs morbis ægroti ac debiles, ſani, & integri domũ redierunt. Sacra autem corpora ſumma celebritate in ſanctã Eccleſiã Sion illata ſunt. Et ſub Theodoſio iuniore corpus ſãcti Stephani Cõſtãtinopolim, inde Romã, Pelagio Primo ſummo Põtifice tranſlatũ, in agro

Verano in ſepulchro S. Laurentij martyris collocatum eſt.

Ex Libro S. Auguſtini Epiſcopi de Ciuitate Dei. *Lib.* 22. C. 8.

Lectio vj.

AD aquas Tibilitanas, Epiſcopo afferente Proiecto reliquias martyris glorioſiſſimi Stephani, ad eius memoriam veniebat magnæ multitudinis concurſus & occurſus. Ibi cæca mulier, vt ad Epiſcopum portantem pignora ſacra duceretur, orauit: flores quos ferebat, dedit: recepit, oculis admouit, protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat exultans, viam carpens, & viæ ducem vlterius non requirens.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

MEmorati Memoriam Martyris, quæ poſita eſt in caſtello Syniceníi, quod Hipponenſi Coloniæ vicinum eſt, eiuſdem loci Lucillus Epiſcopus, populo præcedente, atque ſequente, portabat: fiſtula, cuius moleſtia iamdiu laborauerat, & familiariſſimi ſui medici, qui eam ſecaret, operiebatur manus, illius piæ ſarcinæ vectatione, vbi ſanctas attigiſſet reliquias, repente ſanata eſt.

Lectio viij.

SAnctimonialis quædam in vicina poſſeſſione, quæ Cappaliana dicitur, cum ægritudine laboraret, ac deſperaretur, ad candem Memoriam tunica eius allata eſt: quæ antequam reuocaretur, illa defuncta eſt. Hac tamen tunica operuerunt cadauer eius parentes: & recepto ſpiritu ſalua facta eſt. Apud Hipponem Baſſus quidam Syrus ad Memoriam eiuſdem Martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, atque ſecum veſtem eius detulerat. Cum ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nunciarent. Sed cum, orante illo, ab amicis eius exciperentur, prohibuerunt eos illi dicere, ne per publicum plangeret: Qui cum domum rediſſet, iam ſuorum eiulatibus perſonantem, & veſtem filiæ, quam ferebat, ſuper eam proieciſſet, reddita eſt vitæ.

Lectio ix.

RVrſus ibidem apud nos Irenæi cuiuſdam Collectarij filius ægritudine extinctus eſt: cumque corpus iaceret exanime, atque à gementibus, & plangentibus exequiæ pararentur: amicorum eius quidam inter aliorum conſolantium verba ſuggeſſit, vt eiuſdem Martyris oleo corpus perungeretur: factum eſt, & reuixit. Itemque apud nos vir Tribunitius Eleuſinus ſuper Memoriã Martyris, quæ in ſuburbano eius eſt, ægritudine exanimatum poſuit infantulum filium ſuum: poſt orationem, quam cum multis lacrymis ibi fudit, viuentem leuauit. ℟. Sancte Dei pretioſe protomartyr Stephane, qui virtute charitatis circumfultus vndique, Dominum pro inimico exoraſti populo, Funde preces Pro deuoto tibi nunc collegio. ℣. Vt tuo propitiatus interuentu Dominus nos purgatos à peccatis iungat cæli ciuibus. Funde. Gloria. Pro deuoto.

Ad

Ad Benedictus, Antiphona.

Ex odoris mira fragrãtia ſanitas ægrotis emanauit maxima: ſeptuaginta namque & tres tunc à varijs languoribus curati ſunt homines in inuentione corporis Stephani dilectiſſimi martyris, Deum benedicentes.

Ad Magnificat, Antiphona.

Hodie Ioannes Pontifex cum maximo cleri plebiſque tripudio pretioſas protomartyris Stephani reliquias in ſanctam tranſtulit Eccleſiam Sion, vbi quondam Archidiaconi functus eſt officio, cuius pia apud Deum ſit pro nobis, quæſumus, interceſſio.

Celebratur Feſtum S. Dominici P. N. Die quarta Auguſti iuxta Conſtitutionem Sanctiſſimi D. Pauli Papæ Quarti, & Rom. Martyrologium, atque Kalendarium.

Digitized by Google



Digitized by Google

Die iiij. Auguſti.

IN FESTO BEATISSIMI DOMINICI PATRIS NOSTRI.

TOTVM DVPLEX.

Ad Veſp. ſuper Pſam. Antiphona. Gaude felix parens Hiſpania, nouæ prolis dans mundo gaudia: ſed tu magis plaude Bononia, tanti Patris dotata gloria: lauda tota mater Eccleſia, nouæ laudis agens ſolemnia. Pſalm. Laudate pueri Dominũ. cum ceteris.

Capitulum. *Eccl.* 50.

QVASI ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſus: & quaſi ſol refulgens, ſic iſte effulſit in templo Dei. ℟. Granum excuſſum. vj. Hymnus.

Gaude mater Eccleſia,
Lætam agens memoriam:
Quæ nouæ prolis gaudia
Mittis ad cæli curiam.
Prædicatorum Ordinis
Dux & Pater Dominicus
Mundi iam fulget terminis,
Ciuis effectus cælicus.
Carnis liber ergaſtulo,
Cæli potitur gloria:
Pro paupertatis cingulo,
Stola dotatur regia.
Fragrans odor de tumulo,
Cum virtutum frequentia
Clamat pro Chriſti famulo
Summi Regis magnalia.
Trino Deo & ſimplici
Laus, honor, virtus, gloria:
Qui nos prece Dominici
Ducat ad cæli gaudia. Amen.

℣. Ora pro nobis beate Pater Dominice. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Ad Magnificat, Aña. Tranſit pauper ad regni ſoliũ, dux ad ſceptrum, victor ad præmium, mors in vitam, labor in otium, præſens cedit luctus in gaudium. Oratio.

DEus, qui Eccleſiam tuam beati Dominici Confeſſoris tui Patris noſtri illuminare dignatus es meritis & doctrinis: concede, vt eius interceſſione temporalibus non deſtituatur auxilijs, & ſpiritualibus ſemper proficiat incrementis. Per Dominum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Adſunt Dominici læta ſolemnia: Laude multiplici plaudat Eccleſia.

Hymnus.

Hymnus.

Nouus athleta Domini
Collaudetur Dominicus:
Qui rem conformat nomini,
Vir factus Euangelicus.
Conſeruans ſine macula,
Virginitatis lilium,
Ardebat quaſi facula,
Pro zelo pereuntium.
Mundum calcans ſub pedibus,
Manum miſit ad fortia:
Nudus occurrens hoſtibus,
Chriſti ſuffultus gratia.
Pugnat verbo, miraculis,
Miſſis per orbem Fratribus:
Crebros adiungens ſedulis
Fletus orationibus.
Trino Deo & ſimplici
Laus, honor, virtus, gloria:
Qui nos prece Dominici
Ducat ad cæli gaudia. Amen.

IN I. NOCTVRNO

Aña. Præco nouus, & cælicus miſſus in fine ſæculi, pauper fulſit Dominicus formã præuiſus catuli. Pſalm. Beatus vir. 1. Aña. Florem pudicitiæ ſeruans illibatum, attigit eximiæ vitæ cælibatum. Pſalm. Quare. 1. Aña. Documentis artium eruditus ſatis, tranſijt ad ſtudium ſummæ veritatis. Pſalm. Domine, quid. 2. ℣. Amauit eum Dominus, & ornauit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

De Epiſtola prima B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios. Lectio j. C. 1.

NOnne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Nam quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiã Deũ: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Quoniam & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam, ipſis autẽ vocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtũ Dei virtutem, & Dei ſapientiam: quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. ℟. Mundum vocans ad Agni nuptias, hora cœnæ paterfamilias ſeruum mittit, Promittens varias vitæ delicias. ℣. Ad hoc conuiuium tam permagnificum, elegit nuncium ſanctum Dominicum. Promittens.

De Epiſtola ſecunda B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios. Lectio ij. C. 4.

HAbentes adminiſtrationem iuxta quod miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus, ſed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum corã Deo. Quòd ſi etiam opertum eſt Euangelium noſtrum: in ijs, qui pereunt, eſt opertum: in quibus Deus huius ſæculi excæcauit mẽtes infidelium, vt nõ fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui es imago Dei. ℟. Datum mundo pro mundi gloria, mira Chriſti præſignat gratia: Cuius ortum præcurrunt nuncia veri præſagia. ℣. Stella micans in fronte paruuli, nouum

iubar

iubar præmonſtrat ſæculi. Cuius ortum. Lectio iij.

NOn enim noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dñm noſtrum: nos autẽ ſeruos veſtros per Ieſum: quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Ieſu. Habemus autẽ theſaurum iſtum in vaſis fictilibus: vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationẽ patimur, ſed nõ anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionẽ patimur, ſed non derelinquimur: deijcimur, ſed non perimus: ſemper mortificationẽ Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. ℞. Verbum vitæ dum palam promittur, ſurgunt hoſtes, liber conſcribitur, fauent omnes: Sic error vincitur, Fides extollitur. ℣. Ter in flammas libellus traditus, ter exiuit illæſus penitus. Sic. Gloria. Fides.

IN II. NOCTVRNO.

Añ. Sub Auguſtini regula mente profecit ſedula, tandem virum Canonicum auget in Apoſtolicũ. Pſal. Cum inuocarem. 2. Aña. Agonizans pro Chriſti nomine mundum replet diuino ſemine, paupertatis degens ſub tegmine. Pſalm. Verba mea. 2. Aña. Pernox cum Chriſto proprium non poſſidebat lectulum: poſt lacrymarum fluuium vix humi dans corpuſculum. Pſalm. Domine Dominus noſter. 4. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas. ℞. Et oſtendit illi regnum Dei.

Ex Theodorico de Appoldia, ſancto Antonino, & alijs omnibus geſtorum eius Auctoribus.

Lectio iv.

SAnctiſſimus Pater Dominicus Prædicatorum Ordinis auctor. Calarogæ in Hiſpania ex nobiliſſima Guſmanorum familia natus eſt. Huius mater grauida ſibi viſa eſt in quiete continere in aluo catulum ore præferentẽ facem, qua editus in lucem, orbem terrarum incenderet. Quo ſomnio ſignificabatur, fore vt ſplendore ſanctitatis ac doctrinæ eius, Gentes ad Chriſtianam pietatem inflammarentur. Poſt liberalium artium ac Theologiæ ſtudia, ex quibus ſingularem ſibi eruditionem comparauit, primum Oxomenſis Eccleſiæ Canonicus regularis fuit: deinde vir Deo plenus ſublimem ac plane diuinam cogitationem animo concepit, quam etiam re ipſa feliciter perfecit: inſtituto clariſſimo Prædicatorum Ordine, vnde tam ingentia & innumera totius ſanctitatis & doctrinæ exempla in Eccleſiam promanarunt. Ab Honorio igitur Tertio ſummo Pontifice, ipſo viro Dei Dominico poſtulante, Ordo Prædicatorum confirmatur anno Salutis milleſimo ducenteſimo decimo ſexto. ℞. Paupertatis aſcendens culmina, clamat mundi deteſtans crimina: frangit hoſtes & fugat agmina: Nulla Sanctum frangunt diſcrimina. ℣. Nocte cæli perluſtrans limina, die terris dat verbi ſemina. Nulla.

Lectio

Lectio v.

VErum tanti viri virtutes propemodum incredibiles nulla humana lingua enumerare ſufficiat. In euertendis hæreticis Albigenſibus ſeptem conſumpſit annos, multis eorum ad catholicam Fidem adductis. Poſt confirmatum Ordinem, noctes in Eccleſia pene ducebat inſomnes: modo in genua procumbens, modo toto corpore proſtratus orabat: & ſi quando grauior ſomnus feſſa membra obrueret, ſtans nixus altari, vel ad durum lapidem inclinatus, paululum quieſcebat. Catena ferrea ſingulis noctibus adeo acriter nudum corpus affligebat, vt ſanguinis riui defluerent, terramque pio cruore rigaret. Oculos quaſi geminos fontes reddiderat, maximam lacrymarum vim aſſidue profundens, atque in primis cum ſacrum Miſſæ ſacrificium peragebat. Nulla re æque lætabatur ac ſui contemptu: puritatem tũm corporis tum animi integerrimam perpetuo coluit, vt qui mundiſſimam virginitatis lauream cælo triumphans inuexerit. ℟. Panis oblatus cælitus Fratrum ſupplet inopiam: Vitæque natus redditus matris pellit triſtitiam. ℣. Signo crucis obedit pluuia: lingua verba transformat varia. Vitæque.

Lectio vj.

PEccatis & ærumnis humanis vehementer diſcruciabatur: itinera nudis pedibus etiam per loca aſpera hymnos concinens conficiebat. Abſtinentia rara, carnes numquam edebat: ieiunia nec æger ſoluebat. Letalis criminis totam vitam expertem omnino duxit. Linguæ obſeruantiſſimus cuſtos: & niſi cum Deo, aut de Deo colloquens, vix de alijs rebus illi ſermo erat. Tanta fuit precum eius apud Deum efficacitas, vt aliquando audita ſit vox eius egregie confidentis in Domino: Nihil vnquam à Deo poſtulaſſe, quod non pro voto impetrarit. Salutis animarum ſitientiſſimus; martyrij quoque cupidiſſimus fuit. Maximis viuens, & poſt mortem miraculis fulſit: & inter alia Romæ tres mortuos ſuſcitauit. Fuit vir plane Apoſtolici pectoris ac ſpiritus, fidei columen, Euangelij tuba, Orbis oculus, Chriſti lucerna, ſecundus Præcurſor, & magnus animarum œconomus: quem multiplices tãtarum virtutum in cælo coronæ decorant. ℟. Granum excuſſum palea, nexu ſoluto luteo, de paupertatis area, cæli locatur horreo, Cũ mercede virginea, Doctorum fulgens cuneo. ℣. Flos in florum virens areola, bina gaudet ſortis aureola. Cum mercede virginea. Gloria. Doctorum.

IN LAVDIBVS, Aña. Sitiebat ſeruus Chriſti martyrium, ſicut ſitit ceruus ad aquæ fluuium. Pſal. Domine, quis. 7. Aña. Migrans Pater, filijs vitæ firmamentum, paupertatis humilis condit teſtamentum. Pſalm. Domine in virtute. 13. Aña. Liber carnis vinculo cælum introiuit: vbi pleno poculo guſtat quod ſitiuit. Pſal. Domini eſt terra, & plenit. 15. ℣. Iuſtus vt palma florebit in domo Domini. ℟. Et ſicut cedrus Libani multiplicabitur.

Lectio

Digitized by Google

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 5.

IN illo tēpore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ: quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Libro 1. *de Serm. Domini in monte. Cap.* 6. *Tom.* 4.

OStendit Dominus, fatuos eſſe iudicandos, qui temporaliū bonorum vel copiam ſectantes, vel inopiam metuentes, amittunt æterna, quæ nec dari poſſunt ab hominibus, nec auferri. Itaque ſi ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? Ideſt, ſi vos, per quos condiendi ſunt quodāmodo populi, metu perſecutionum temporaliū amiſeritis regna cælorum: qui erunt homines, per quos à vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat ceterorum? ℟. Felix vitis, de cuius ſurculo tantum germen redundat ſæculo, Cæli vinum propinans populo, vitali poculo. ℣. Ex vbertate palmitum, mundi iam cinxit ambitum. Cæli.

Lectio viii.

ERgo ad nihilum valet ſal infatuatum, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Non itaque calcatur ab hominibus qui patitur perſecutionem: ſed qui perſecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non poteſt, niſi inferior: ſed inferior non eſt, qui quamuis corpore multa in terra ſuſtineat, corde tamen fixus in cælo eſt. ℟. Aſcendenti de valle lubrici mundi, chori plaudunt Angelici. Ieſu bone prece Dominici, tibi præſta nos gratos effici. ℣. Per quem multos à morte ſuſcitas, pœna nobis relaxa debitas. Ieſu.

Lectio ix.

VOs eſtis lumen mundi. Quomodo ſuperius dixit ſal terræ, ſic nunc dicit lumen mundi. Nam neque ſuperius iſta terra accipienda eſt, quā pedibus corporis calcamus: ſed homines qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condiendis, & extinguendis putoribus Apoſtolicum ſalem Dominus miſit in mundum: & hic mundum non cælum & terram, ſed homines qui ſunt in mundo, vel diligunt mundum, oportet intelligi, quibus illuminandis Apoſtoli miſſi ſunt. ℟. O ſpem miram quam dediſti mortis hora te flentibus, dum poſt mortem promiſiſti, te profuturum Fratribus! Imple Pater quod dixiſti, nos tuis iuuans precibus. ℣. Qui tot ſignis claruiſti, in ægrorum corporibus, nobis opē ferens Chriſti, ægris medere moribus. Imple. Gloria. Imple. ℣. Ora pro nobis beate Pater Dominice. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

IN LAVDIBVS, Aña.

ADeſt dies lætitiæ, quo beatus Dominicus aulam cæleſtis curiæ ciuis intrat magnificus. Pſalm. Dominus regnauit. cum reliquis. Aña. Pauper in peculio, diues vita pura: pauper tatis pretio, cæli tenet iura. Aña. Scala cælo prominens Fratri reuelatur, per quam Pater tranſiens, ſurſum ferebatur. Aña. Linguæ, manus ſtudio

ſcalam

Digitized by Google

ſcalam hanc erexit: quam Virgo cum Filio Mater ſurſum vexit. Aña. Fulget in choro Virginum Doctor veritatis:ſertum honoris geminum gerens cum beatis. Cap. Quaſi ſtella.

Hymnus.

HYmnum nouæ lætitiæ,
Dulci productum cantico,
Noſter depromat hodie
Chorus ſancto Dominico.

Vergente mundi veſpere
Nouum ſidus exoritur:
Et clauſis culpæ carcere
Præco ſalutis mittitur.

Doctrinam Euangelicam
Spargens per orbis cardinem,
Peſtem fugat hæreticam,
Nouum producens Ordinem.

Hinc eſt fons ille modicus,
Creſcens in flumen maximum:
Qui mundo iam mirificus
Potum largitur optimum.

Trino Deo & ſimplici
Laus, honor, virtus, gloria:
Qui nos prece Dominici,
Ducat ad cæli gaudia. Amen.

℣. Iuſtus germinabit ſicut lilium. ℟. Et florebit in æternum ante Dominũ.

Ad Benedictus, Antiphona.

Carnis vigor, mentis martyrium, mundum replens linguæ præconium, pauper Chriſti poſt curſus ſtadium, vitæ tibi mercantur præmium. Ad Tertiam, Capit. Quaſi ſtella. Reliq. Horar. de Commun. Confeſſorum.

Ad Sextam, Capitulum. *Iſa.* 59.

SPiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, amodo & vſque in ſempiternum.

Ad Nonam, Capit. *Malach.* 2.

LEx veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labijs eius: in pace & æquitate ambulauit mecũ, & multos auertit ab iniquitate. Ad Veſp. Capit. Hymn. ℣. vt in primis Veſperis

Ad Magnificat, Antiphona.

O lumen Eccleſiæ, doctor veritatis, roſa patientiæ, ebur caſtitatis, aquam ſapientiæ propinaſti gratis: prædicator gratiæ nos iunge beatis.

Per Oct. quando de ipſis agitur, & in Oct. die, Inuit. ſicut in die. Sequentes vero Añæ dicantur quotidie infra Oct.

Ad Benedictus, Antiphona.

Benedictus Redemptor omnium, qui ſaluti prouidens hominum, mũdo dedit Sanctum Dominicum. ℣. Iuſtus germinabit &c.

Ad Magnificat, Antiphona.

Magne Pater ſancte Dominice, mortis hora nos tecum ſuſcipe: & hic ſemper nos pie reſpice. ℣. Ora pro nobis beate Pater Dominice. &c.

Die v. Auguſti.

IN FESTO S. MARIAE ad Niues. Totum Duplex.

In primis Veſperis Memoria. Cetera omnia fiant vt in Feſto Natiuitatis eiuſdem, mutato nomine Natiuitatis in Solemnitatis; præter hic poſita. In j. Nocturno Lectiones, Oſculetur me oſculo. vt in Natiuitate B. Mariæ.

IN II. NOCTVRNO.

Ex

Ex Romano Breuiario. Lectio iv.

Liberio ſummo Pontifice, Ioannes patricius Romanus, & vxor pari nobilitate, cum liberos non ſuſcepiſſent, quos bonorum hæredes relinquerent, ſuam hæreditatem ſanctiſſimæ Virgini Dei matri vouerunt, ab ea ſummis precibus aſſidue petentes, vt in quod pium opus eam pecuniam potiſſimum erogari vellet, aliquo modo ſignificaret. Quorum preces & vota ex animo facta beata virgo Maria benigne audiens, miraculo comprobauit. Lectio v.

Nonis igitur Auguſti, quo tempore in Vrbe maximi calores eſſe ſolent, noctu nix partem collis Exquilini contexit. Qua nocte Dei Mater ſeparatim Ioannem & coniugem in ſomnis admonuit, vt quem locum niue conſperſum viderent, in eo Eccleſiam ædificarent, quæ Mariæ virginis nomine dedicaretur: ſe enim ita velle ab ipſis hæredem inſtitui. Quod Ioannes ad Liberium Pontificem detulit: qui idem per ſomnium ſibi contigiſſe affirmauit. Lectio vi.

Quare ſolemni Sacerdotum & populi ſupplicatione ad collẽ venit niue coopertum, & in eo locum Eccleſiæ deſignauit, quæ Ioannis & vxoris pecunia extructa eſt, poſtea à Xyſto Tertio reſtituta. Varijs nominibus primum eſt appellata, Baſilica Liberij, ſancta Maria ad Præſepe. Sed cum multæ iam eſſent in Vrbe Eccleſiæ ſub nomine Sanctæ Mariæ virginis: vt quæ Baſilica nouitate miraculi ac dignitate ceteris eiuſdem nominis Baſilicis præſtaret, vocabuli etiã excellẽtia ſignificaretur, Eccleſia Sanctæ Mariæ Maioris dicta eſt. Cuius dedicationis memoria ex niue, quæ hac die mirabiliter cecidit, anniuerſaria celebritate colitur.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 11.

In illo tempore: Loquente Ieſu, ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. cap. 49. in Luc. 11.

Magnæ deuotionis & fidei hæc mulier oſtenditur, quæ Scribis & Phariſæis Dominum tentantibus, ſimul & blaſphemantibus, tanta eius Incarnationem præ omnibus ſinceritate cognoſcit, tanta fiducia confitetur, vt & præſentium procerum calumniam, & futurorum confundat hæreticorum perfidiam. Nam ſicut tunc Iudæi, ſancti Spiritus opera blaſphemãdo, verum conſubſtantialemq; Patri Dei Filium negabant: ſic hæretici poſtea negando Mariam ſemper virginẽ, ſancti Spiritus operante virtute, naſciturо cum humanitatis membris Vnigenito Dei, carnis ſuæ materiam miniſtraſſe, verum, conſubſtantialemq. Matri Filium hominis fateri non debere dixerunt. Lectio viij.

Sed ſi caro Verbi Dei ſecundum carnem naſcentis, à carne Virginis Matris pronuntiatur extranea, ſine

ne cauſa venter qui eum portaſſet, & vbera que lactaſſent, beatificarentur. Dicit enim Apoſtolus: Quia miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege. Neque audiendi ſunt qui legendum putant: Natum ex muliere, factum ſub lege. ſed, Factum ex muliere. quia conceptus ex vtero Virginali, carnem nō de nihilo, non aliunde, ſed materna traxit ex carne: alioquin nec vere Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine.

Lectio ix.

ET nos igitur his contra Eutychē dictis extollamus vocem cum Eccleſia Catholica, cuius hæc mulier typum geſſit, extollamus & mentem de medio turbarum, dicamuſq. Saluatori: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Vere enim beata parens, quæ, ſicut quidam ait, Enixa eſt puerpera Regem, Qui cælum, terramque regit per ſæcula. ℟. Felix namque es ſacra Virgo Maria.

Die vi. Auguſti.

IN TRANSFIGVRATIONE Domini. Totum Duplex.

In p[illegible] Veſperis, Memoria; quod ſi eas [illegible] habere, Super Pſalm. Ant. Aſſumpſit Ieſus. j. Laudum ſola dicatur. Pſalm. Laudate pueri. cum cet[illegible]is.

Capitulum. *Phil. 3.*

SAluatorem expectamus Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. ℟. Dum oraret. ix.

Hymnus.

GAude mater pietatis in valle gementium
Producatu dignitatis Chriſti Regis omnium,
Quo dilecta prædotaris in culmine montium.
Vbi Patres præcellentes in mortali corpore
Admirantur aſſiſtentes de tam grandi munere,
Diuinum lumen cernentes in creato lumine.
Quod vertices Prophetarum præcolunt deuotius,
Moyſes lumen præclarum Legis datæ cælitus,
Et Elias iubar magnum, zelo Dei feruidus.
Præſentia Deitatis declaratur prouide
In audita voce Patris de ſupremo germine,
Et ſpiritu veritatis forma nubis lucidæ.
Genitori, Genitoque laus, & iubilatio:
Salus, honor, virtus quoque ſit & benedictio.
Procedenti ab vtroque compar ſit laudatio. Amen.

℣. Glorioſus apparuiſti in conſpectu Domini. ℟. Propterea decorem induit te Dominus.

Ad Magnificat, Antiphona.

Chriſtus Ieſus ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius, portans omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum

torum faciens, in monte excelſo glo-rioſus apparere hodie dignatus eſt, alleluia. Oratio.

DEus, qui fidei ſacramenta in Vnigeniti tui glorioſa transfiguratione patrum teſtimonio roboraſti: & adoptionem filiorum perfectã, voce delapſa in nube lucida mirabiliter præſignaſti: concede propitius, vt ipſius Regis gloriæ nos coheredes efficias, & eiuſdem gloriæ tribuas eſſe conſortes. Per eundem Dominum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Summum Regem gloriæ Chriſtum adoremus: Et pro dono gratiæ eius iubilemus. Hymnus.

EXultet laudibus ſacrata concio,
Cæli agminibus iũcta tripudio,
Pro Verbi gloria, qua ſplendent omnia,
Terra, pontus, & æthera.

Promiſſum panditur fratrũ de medio
Patris cum labitur vox de faſtigio,
Dicens hunc Filium doctorem cælicum,
Audituque digniſſimum.

Succedit in ſponſa pro fratris ſemine,
A viro repulſa viribus carente,
Mãdante Domino Moyſi in mõte,
Calceamentum ſoluere.

Speciosus forma præ natis alijs,
Veſtitus gloria fit ſpõſus ſanguinis:
O res mirabilis! gubernat omnia
Celſus, pauper, & humilis.

Te trina Deitas, vnaque poſcimus,
Sic nos tu viſita, ſicut te colimus,
Per tuas ſemitas duc nos quò tendimus,

dimus, ... Ad lucem quam inhabitas. Amen.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Antiph. Paulo minus ab Angelis minoratus, gloria & honore coronatus eſt, & conſtitutus ſuper opera manuũ Dei. Pſalm. Domine Dominus. 4. Aña. Reuelauit Dominus condenſa: & in templo eius omnes dicent gloriã. Pſal. Afferte. 18. Aña. Specioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gracia in labijs tuis. Pſal. Eructauit. 30. ℣. Glorioſus apparuiſti in conſpectu Domini. ℟. Propterea decorem induit te Dominus.

Lectiones primi Noctur. de Epiſtola ij. ad Corinth. Incipimus iterum. Feria iv. poſt Dominicam ſecundam poſt Octa. Epiphaniæ 206. j. ℟. Surge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum: Et gloria Domini ſuper te orta eſt. ℣. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. Et gloria. ij. ℟. In ſplendenti nube Spiritus ſanctus viſus eſt, Paterna vox audita eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. ℣. Apparuit nubes obũbrans, & vox Patris intonuit. Hic eſt. iij. ℟. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, Vt filij Dei nominemur & ſimus. ℣. Scimus quoniam, cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videmus eum ſicuti eſt. Vt. Gloria Patri. Vt.

IN II. NOCTVRNO.

Antiph. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati ſunt omnes inſipientes corde. Pſal. Notus in Iu-

dæa. 49. Aña. Melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. Pſal. Quàm dilecta. 55. Aña. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Pſal. Fundamenta. 57. ℣. Gloria & honore coronaſti eū Domine. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

Serm. de Transf. Lectio iv.

APerit Dominus coram electis teſtibus gloriam ſuam, & communem illam cum ceteris corporis formā tanto ſplendore clarificat, vt & facies eius ſolis fulgori ſimilis, & veſtitus cāderi niuium eſſet æqualis. In qua trāſfiguratione illud quidem principaliter agebatur, vt de cordibus diſcipulorum crucis ſcādalum tolleretur: nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas paſſionis, quibus reuelata eſſet abſconditæ excellentia dignitatis. ℟. Inebriati ſunt ab vbertate domus tuæ: Et torrente voluptatis tuæ poteſtati eos. ℣. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Et torrente.

Lectio v.

SEd non minore prouidentia ſpes Eccleſiæ ſanctæ fundabatur, vt totum Chriſti corpus agnoſceret, quali eſſet commutatione donandū: vt eius ſibi honoris conſortium membra promitterent, qui in capite præfulſiſſet. Confirmandis verò Apoſtolis, & ad omnem ſcientiam prouehendis, alia quoque in illo miraculo acceſſit inſtructio. Moyſes enim & Elias, Lex ſcilicet, & Prophetæ, apparuerūt cum Domino loquentes: vt veriſſime in illa quinque virorum præſentia compleretur quod dictum eſt, In duobus, vel tribus teſtibus ſtat omne verbū. ℟. Præceptor, bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic tria tabernacula, Tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum. ℣. Non enim ſciebat, quid diceret. Tibi vnum.

Lectio vj.

QVid hoc ſtabilius, quid firmius verbo, in cuius prædicatione veteris & noui Teſtamenti concinit tuba, & cum Euangelica doctrina, antiquarum proteſtationū inſtrumenta concurrunt? Adſtipulantur enim ſibi inuicem vtriuſque Fœderis paginæ: & quem ſub velamine myſteriorum præcedentia promiſerāt ſigna, manifeſtum atque perſpicuum præſentis gloriæ ſplendor oſtendit. His ergo ſacramētorum reuelationibus Petrus Apoſtolus incitatus mūdana ſpernēs, & terrena faſtidiens, in æternorum deſiderium quodam mentis rapiebatur exceſſu: & gaudio totius viſionis impletus, ibi cum Ieſu optabat habitare, vbi manifeſta eius gloria lætabatur. ℟. Si miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: Multo magis miniſtratio ſpiritus, quæ manet, erit In gloria. ℣. Amplioris enim gloriæ Chriſtus præ Moyſe dignus eſt habitus: quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit eam. Multo magis. Gloria. In gloria.

Digitized by Google

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentia. Pſal. Miſericordias Domini: in æternum cantabo. 58. Aña. Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia. Pſal. Dominus regnauit, exultet. 63. Aña. Confeſſionem & decorẽ induit, amictus lumine ſicut veſtimẽto. Pſal. Benedic anima mea Domino. ij. 67. ℣. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo. ℟. Gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 17.

IN illo tempore: Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius: & duxit eos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 57. in Matth.

QVoniam multa de periculis, multa de paſſione ſua, multa de morte, & de cæde diſcipulorum locutus eſt Dominus: & aſpera complura atque ardua eis iniunxit, & illa quidem in præſenti vita, & iam imminebant: bona vero in ſpe & expectatione erant: vt puta, quia ſeruarent animam ſuam, ſi perderent eam: quia in gloria Patris ſui venturus ſit, & præmia redditurus: vt viſu certiores faceret, & oſtenderet, quidnam ſit illa gloria cũ qua venturus eſt, quantum capere poterant in hac præſenti vita, illis oſtendit, eáque detegit: ne aut ſua, aut Domini morte doleant, & maxime Petrus. ℟. Vocauit nos Deus vocatione ſua ſancta ſecundum gratiam ſuam, quæ manifeſtata eſt nunc, Per illuminationem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. ℣. Qui deſtruxit mortem, illuminauit autem vitam in incorruptionem. Per illuminationem. Lectio viij.

ET vide quid agit, cum de regno & de gehenna diſſeruerit. Nam in eo quod dixit: Qui inuenit animam ſuam, perdet eam: & quicumque perdet eam gratia mei, inueniet ipſam: & in eo quod ait, Reddet vnicuique ſecundum opera ſua: & regnũ & gehennam deſignauit. Cum igitur de vtriuſque diſſeruerit, regnũ quidem vt oculis cernatur, concedit: gehennam autẽ minime, quoniam rudioribus, atque ineptioribus illud neceſſarium fuiſſet: ſed cum illi probi eſſent ac perſpicaces, ſatis fuit eos à melioribus confirmari. ℟. Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris, Ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in faciem Ieſu Chriſti. ℣. Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde: miſericors, & miſerator, & iuſtus. Ad illuminationem.

Lectio ix.

PRimos igitur Apoſtolorum ſeorſum aſſumpſit. Et adduxit in montem, & transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies eius ſicut ſol: veſtimenta vero eius facta ſunt alba ſicut nix. Quamobrem hos accepit? Quia excellentiores ceteris videlicet erant. Et Petrus quidem, quia valde Chriſtũ diligebat, idcirco præſtabat: Ioannes

vero, quia nimium diligebatur, ac Iacobus à reſponſo quod dedit cum fratre interrogatus, dicens: Poſſumus hũc calicem bibere. ℟. Dum oraret Ieſus, facta eſt ſpecies vultus eius altera, & veſtitus eius albus refulgens, & duo viri loquebantur cum illo, Moyſes, & Elias viſi In maieſtate. ℣. Dicebant autem exceſſum eius quem completurus erat in Ieruſalem. Moyſes. Gloria. In maieſtate. ℣. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. ℟. Ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.

IN LAVDIBVS, Aña.

Aſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & adduxit eos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt ante eos. Pſal. Dominus regnauit. cum ceteris. Aña. Reſplenduit facies eius ſicut ſol: veſtiméta autem eius facta ſunt alba, ſicut nix, alleluia. Aña. Et ecce apparuerunt eis Moyſes, & Elias loquẽtes cum Ieſu. Aña. Reſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum: Domine, bonũ eſt nos hic eſſe. Aña. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Capitulum. Saluatorem.

Hymnus.

Nouum ſidus exoritur,
Chriſti pia clementia,
Quo tenebroſa premitur,
Inimici ſæuitia.
Inſurgere cum nititur
Malignitatis ſpiritu:
Ex aduerſo reſiſtitur
Præpotenti exercitu.
Roborantur in acie,
Intuentes ſignaculum:
Deſidentes militiæ
Vt aſſequantur brauium.
Pro quo ſe cunctis obijcit
Beatum in myſterio
Chriſtus, & tandem perficit,
Regnans in cæli ſolio.
Gloria tibi Domine,
Poteſtas, & imperium.
Qui certantibus agmine,
Aperte monſtras præmium. Amen.

℣. Corona aurea ſuper caput eius. ℟. Expreſſa ſigno ſanctitatis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Et ecce vox de nube, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite, alleluia.

Eodem die in Laud. Memo. SS. Xyſti, Feliciſſimi, & Agapiti. Oratio.

Deus, qui nos concedis ſanctorũ martyrum tuorũ Xyſti, Feliciſſimi, & Agapiti natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorum ſocietate gaudere. Per Dominum.

Ad Primam ℟. Ieſu Chriſte. ℣. Qui apparuiſti hodie.

Ad Tertiam, Capitulum. Saluatorem. ℟. Glorioſus apparuiſti in conſpectu Domini, Alleluia, alleluia. Glorioſus. ℣. Propterea decorem induit te Dominus, Alleluia. Gloria. ℣. Gloria & honore coronaſti eum Domine. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Ad Sextam, Capitulum. 2. Cor. 3.

Nos omnes reuelata facie gloriã Domini ſpeculãtes, in eandem imagi-

imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu. ℟. Gloria & honore coronaſti eũ Domine, Alleluia, alleluia. Gloria &. ℣. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Alleluia. Gloria Patri. ℣. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo. ℟. Gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum.

Ad Nonam, Capitulum. *Apo.* 21.

Suſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei: & lucerna eius eſt Agnus. ℟. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo, Alleluia, alleluia. Magna. ℣. Gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum. Alleluia. Gloria Patri. ℣. Corona aurea ſuper caput eius. ℟. Expreſſa ſigno ſanctitatis.

In ſecundis Veſperis Antiphona. Aſſumpſit. Pſalm. Dixit Dominus. 75. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri Dominum. Laudate Dominum. 78. Capitul. Hymn. ℣. vt in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde. Et acceſſit Ieſus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, nolite timere, alleluia, alleluia.

P R I M A D I E.

Infra Octauas Beati Dominici Patris noſtri.

Ex Theodorico, S. Antonino, & alijs.

Lectio iij.

Erant aliquando in Capitulo monaſterij ſancti Xyſti Beatus Dominicus, & tres S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales: cum ſubito vir quidam ingenti eiulatu nunciat, Neapoleonẽ nepotem Stephani Cardinalis qui ibi tunc aderat, ex equo lapſum efflaſſe animam. Cardinalis acerbitate mæroris exanguis in brachia ſancti Patris corruit. Tum quidam Frater ad virum Dei: Vbi nunc, inquit, tua pietas Pater? vbi feruor fidei in Deum? Cur tanto dolori non ſubuenis? Egreſſi, cernũt triſte ſpectaculum, membra adoleſcentis horribilem in modum diſſipata. Iubet Sanctus ſibi parari altare: Miſſam cum ingenti deuotione, & lacrymarũ imbre celebrat: aderant Cardinales, & alij plurimi. Vident ipſum, cum corpus Domini viſendum populo oſtenderet, cubiti altitudine in aera attolli. Sacro peracto progreditur ad corpus iacentis: ſequuntur omnes manibus quaſſata membra componit, mox in nomine Domini iubet adoleſcentem ſurgere. Qui illico viuus, ſanus, & integer reſiliuit.

Die. vij. Auguſti.

A D M E M O R I A M

Sancti Donati Epiſcopi & Martyris.

In Laudibus. Oratio.

Deus tuorum gloria Sacerdotũ: præſta quæſumus, vt ſancti martyris tui & Epiſcopi Donati, cuius feſta gerimus, ſentiamus auxilium. Per Dominum.

S E C V N D A D I E.

Infra Octauas Beati Dominici Patris noſtri.

Ex Theodorico, S. Antonino, & aliјs.

Lectio iij.

BIennio ferme poſt Ordinem confirmatum, Romam venit Reginaldus Decanus Aurelianenſis, vir litteris, & moribus ornatiſſimus: qui affulgente diuinæ gratiæ radio, beati Patris Dominici ſanctitate verbiſque permotus, eiuſdem inſtitutum amplecti decreuit. Sed mox grauiſſima ægritudine, atque à medicis pene deſperata affligari cœpit. Tum Pater filij incommodo vehemẽter ingemuit, & ad ſolita præſidia conuolat: profuſis lacrymis humi ſe deijcit, beatiſſimam Virginem ardentibus precibus implorat, chariſſimi alumni incolumitatem deprecatur. Sed ipſo in oratione perſiſtente, adeſt ſacra Virgo clariſſimo ſplendore circumfuſa, Reginaldum ſua manu inungit, ac veſtem, qua nũc Fratres prædicatores vtuntur, manu tenens cælo delatam eidem oſtendit. En, inquit, habitus Ordinis tui. Surrexit Reginaldus ſanus è lecto, habitumque à Diua Virgine demonſtratum manibus beati Dominici induit.

Die viij. Auguſti.

AD MEMORIAM.

SS. Cyriaci, Largi, & Smaragdi martt.

In Laudibus. Oratio.

DEus, qui nos annua beatorum martyrum tuorum Cyriaci, Largi, & Smaragdi ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt quorum natalitia colimus, virtutem quoque paſſionis imitemur. Per Dominum.

DOMINICA INFRA OCTAV. B. Dominici P.N.

In primo Nocturno Lectiones currentes de Apoſtolo Paulo.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Theodorico, S. Antonino, & aliјs.

Lectio iv.

ERat in beato Dominico orationis feruor immẽſus. Poſt completorium in Eccleſia gemitibus & lacrymis Deum interpellans, nocturnũ tempus ad matutinas vſque Preces implebat. Viſus eſt ſæpius auulſus à terra atque in aera ſublatus, orans. Paupertate mirum in modum delectabatur: viliſſimis vtebatur veſtibus. Numquã domi aut foris etiam ægrotus lecto decubuit: ſed humi, vel tabulis, vel crate viminea, aut ſuper paleas. Conſtrinxerat ſibi lumbos ad nudam carnem ferrea catena, quæ in corpore defuncti reperta eſt: ac tamquam pretioſiſſimum monile ſeruata.

Lectio v.

RAra humilitas in tanto viro eluxit: ipſe oſtiatim pro ſe ac fratribus eleemoſynam emendicabat. Cũ quidam integrũ panem obtuliſſet, nixus genibus, ſingulari animi corporiſque demiſſione, ceu à Deo munus oblatũ excepit. Diſciplinæ monaſticæ exactiſſimus obſeruator: lapſus Fratrũ ea moderatione corrigebat, vt nullus vnquam nimia ſeueritate exaſperaretur. Mira in geſtu, corporiſq. habitu grauitas. Nullus eum vnquam animo cõmotum, iratum, aut perturbatum aſpexit. Fratrum neceſſitatibus ex intimis viſce-

viſceribus indolebat. Lectio vj.

TAnta autem erga proximos charitate diflagrabat, vt vix verbis exprimi poſſit. Adhuc adoleſcentior cum mulier apud ipſum fratris inter Saracenos captiui ærumnas & infortunium defleret, ſe pro fratris redēptione vendendum libentiſſime obtulit: ea in re ſancti Paulini præclarum facinus imitari cupiens. Vultu erat ſemper hilari ac iucundo, niſi cū eum ad commiſerationem proximi inflecteret. Recti tenaciſſimus fuit. Denique omnia dicta factaq. ſua ad omnem Apoſtolicæ perfectionis normam exactiſſime conformabat: vt plane appareat, datum hunc cæleſtē virum mundo ſingulari Dei beneficio, tamquā pulcherrimum cunctis recte viuendi propoſitū exemplar. In tertio Noctur. Homilia Dominicæ. Si Feſtum B. Dominici, S. Mariæ ad Niues, aut Transfigurationis, aut S. Laurentij in Dominica euenerit, pro Lectione quæ deerit infra Octa. B. Dominici, ſumetur vna ex his in Dominica poſitis.

Die x. Auguſti.

IN FESTO S. LAVRENTII

Martyris. Totum Duplex.

Ad Veſp. ſuper Pſalm. Antiphona. Laurentius ingreſſus. Laudum ſola. Pſalm. Laudate pueri. cum ceteris. ℟. Beatus Laurentius exclamauit. iiij.

Ad Magnificat, Antiphona.

Beatus Laurentius, dum in craticula ſuprapoſitus vreretur, ad impijſſimum tyrannum dixit: Aſſatum eſt, iam verſa, & manduca: nam facultates Eccleſiæ, quas requiris, in cæleſtes theſauros manus pauperum deportauerunt.

Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris: & interceſſione beati Laurentij martyris tui perpetuā nobis miſericordiā benignus impende. Per.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Regem ſempiternum venite adoremus, Qui martyrem ſuum digne pro meritis coronauit in cælis.

IN I. NOCTVRNO.

Aña. Quò progrederis ſine filio pater? quo Sacerdos ſancte ſine miniſtro properas? Pſal. Beatus vir. 1. Aña. Noli me derelinquere pater ſancte, quia theſauros tuos iam expendi, quos tradidiſti mihi. Pſal. Quare fremuerūt. 1. Aña. Nō ego te deſero fili, neque derelinquo: ſed maiorā tibi debentur pro fide Chriſti certamina. Pſalm. Domine, quid. 2. ℣. Gloria & honore &c.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. C. 51.

COnfitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum ſaluatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium, & in conſpectu aſtantium factus es mihi adiutor. Et liberaſti me ſecundum multitudinem miſericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad eſcam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum quæ circumdederunt me: à preſſura flam-

mæ quæ circumdedit me, & in medio ignis non ſum æſtuatus: de altitudine ventris inferi, & à lingua coinquinata, & à verbo mendacij, à rege iniquo, & à lingua iniuſta. ℟. Leuita Laurẽtius bonum opus operatus eſt: qui per ſignum Crucis cæcos illuminauit, Et theſauros Eccleſiæ dedit pauperibus. ℣. Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſæculi. Et theſauros. Lectio ij.

Laudabit vſque ad mortem anima mea Dominum, & vita mea appropinquans erat in inferno deorſum. Circumdederunt me vndique, & non erat qui adiuuaret. Reſpiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat. Memoratus ſum miſericordiæ tuæ Domine, & operationis tuæ, quæ à ſæculo ſunt: quoniam eruis ſuſtinentes te Domine, & liberas eos de manibus Gentium. ℟. Quo progrederis ſine filio pater? quo Sacerdos ſancte ſine Diacono properas? Tu numquã ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueueras. ℣. Quid in me ergo diſplicuit paternitati tuæ? numquid degenerem me probaſti? experire certe, vtrum idoneum miniſtrũ elegeris, cui cõmiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem. Tu numquam.

Lectio iij.

Exaltaſti ſuper terram habitationem meam, & pro morte defluẽte deprecatus ſum. Inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ & in tempore ſuperborum ſine adiutorio. Laudabo nomen tuum aſſidue, & collaudabo illud in confeſſione: & exaudita eſt oratio mea. Et liberaſti me de perditione, & eripuiſti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini. ℟. Noli me derelinquere pater ſancte, quia theſauros tuos iam expendi. Non ego te deſero, fili, neque derelinquo: Sed maiora tibi debẽtur pro Chriſti fide certamina. ℣. Nos quaſi ſenes leuioris pugnæ curſum recipimus, te autẽ quaſi iuuenẽ manet glorioſior de tyranno triũphus: poſt triduum me ſequeris Sacerdotem Leuita. Non ego. Gloria Patri. Sed maiora.

IN II. NOCTVRNO.

Antiph. Beatus Laurẽtius orabat, dicens: Domine Ieſu Chriſte, Deus de Deo, miſerere mihi ſeruo tuo. Pſalm. Cum inuocarẽ. 2. Aña. Beatus Laurentius dixit: Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt. Pſal. Verba mea. 2. Aña. Dixit Romanus ad beatum Laurentium: Video ante te iuuenem pulcherrimũ, feſtina me baptizare. Pſalm. Domine Dominus noſter. 4. ℣. Poſuiſti Domine, &c.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 30. de Sanctis. Lectio iv.

Beatiſſimi Laurentij martyris, cuius natalem hodie celebramus, paſſionem noſſe vos credo: & quanta in perſecutione pertulerit, dilectionem veſtram ſcire poſſe non dubito. Tanta enim eius martyrij gloria extitit, vt paſſione ſua mundũ illuminauerit

uerit vniuerſum. Illuminauit mundum plane Laurentius eo lumine quo ipſe accenſus eſt,& flammis, quas ipſe pertulit,omnium Chriſtianorum corda calefecit. Quis nolit ad horam vri Laurentij igne, vt æternum gehennæ non patiatur incendium? ℟. Beatus Laurẽtius exclamauit,& dixit: Deum meum colo, & ipſi ſoli ſeruio, Et ideo non timeo tormenta tua. ℣. Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt. Et ideo. Lectio v.

BEati igitur Laurentij exẽplo prouocamur ad martyrium, & accẽdimur ad fidem, incaleſcimus ad deuotionẽ:& ſi perſecutoris nobis flamma deeſt, fidei tamen flamma non deeſt. Non ardemus quidem corpore pro Chriſto, ſed ardemus affectu. Nõ ſubijcit perſecutor ignem: ſed ſubijcit mihi deſiderium Saluatoris. Quo igne ſuccenſi illi duo diſcipuli dixerunt: Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? ℟. Strinxerunt corporis membra poſita in craticula: ſubijcientibus prunas inſultat Leuita Chriſti. Beate Laurenti martyr Chriſti, intercede pro nobis. ℣. Carnifices vero,vrgentes miniſtrabant carbones ſubter cratem ferream. Beate. Lectio vj.

HOc igitur igne beatus Laurentius accenſus, flammarum non ſentit incendium: & dum Chriſti ardet deſiderio, perſecutoris pœnam non ſentit. In quantum enim in illo fidei ardor fuerit, in tantum ſupplicij flamma frigeſcit. Corporali enim beatus Laurentius laborat incendio, ſed diuinus Saluatoris ardor materialem tyrãni reſtrinxit ardorem. Quamuis enim in fauillam membra ſoluantur, fidei tamẽ fortitudo non ſoluitur. Corporis quidem detrimentum ſuſtinet,ſed lucrũ ſalutis acquirit. ℟. Beatus Laurentius dixit: Ego me obtuli ſacrificiũ Deo, In odorem ſuauitatis. ℣. Gaudeo plane, quia hoſtia Chriſti effici merui. In odorem. Gloria. In odorem.

IN III. NOCTVRNO.

Antiph. Strinxerunt corporis mẽbra poſita in craticula: ſubijcientibus prunas inſultat Leuita Chriſti. Pſal. In Domino confido. 6. Aña. Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Pſal. Exaudi Domine iuſt. 8. Aña. Interrogatus te Dominũ confeſſus ſum, aſſatus gratias ago. Pſal. Domine in virtute. 13. ℣. Magna eſt gloria eius &c. Lectio vij.

NOn enim, fratres, beatus Laurentius breui vel ſimplici paſſione perimitur,ſed longa & multiplici pœna cruciatur, vt mors ei adſit ad ſupplicium, & deſit ad finem. Dicitur enim ab illo ſæuiſſimo perſecutore hæc beato Laurentio cõſtituta pœna, vt ardentium expoſita maſſa carbonum, inſuper eum ferrea crate diſtentum lenta flamma conſumeret, vt non tam inflãmando cito interimeret hominẽ,quàm diu exurẽdo torqueret, ita vt cum vnum latus exuſtum perſecutor cerneret, aliud latus ignibus obijce-

obijceret exurendum. ℟. In craticula te Deum non negaui: & ad ignem applicatus, Te Dominum Ieſum Chriſtum confeſſus ſum. ℣. Accuſatus non negaui nomen ſanctum tuum: & interrogatus. Te Dominum.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

In Natali S. Laurentij.

Lectio viij.

NIhil obtines, nihil proficis ſæua crudelitas. Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cælos abeunte, tu deficis. Flammis tuis ſuperari charitatis Chriſti flamma non potuit: ſegnior fuit ignis qui foris vſſit, quàm qui intus accendit. Sæuiſti perſecutor in Martyrem: ſæuiſti, & auxiſti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem tranſierũt triumphi etiam inſtrumenta ſupplicij? ℟. Gaudeo plane, quia hoſtia Chriſti effici merui: accuſatus nõ negaui nomen ſanctum eius, interrogatus Chriſtũ cõfeſſus ſum, Aſſatus gratias ago. ℣. Ego me obtuli ſacrificium Deo in odorem ſuauitatis. Aſſatus.

Lectio ix.

GAudeamus igitur dilectiſſimi gaudio ſpiritali, & de feliciſſimo inclyti viri fine gloriemur in Domino qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, in quibus nobis & præſidium conſtituit, & exemplum: atque ita per vniuerſum mundum clarificauit gloriam ſuam, vt à ſolis ortu vſque ad occaſum, Leuiticorum luminum coruſcante fulgore, quàm clarificata eſt Ieroſolyma Stephano, tam illuſtris fieret Roma Laurẽtio. ℟. Meruit eſſe hoſtia Chriſti Leuita Laurentius, qui dum aſſaretur, non negauit Dominum: Et ideo inuentus eſt ſacrificium laudis. ℣. In craticula poſitus Deum non negauit: & ad ignem applicatus, Chriſtũ confeſſus eſt. Et. Gloria. Et.

IN LAVDIBVS, Antiphona.

LAurentius ingreſſus eſt martyr, & confeſſus eſt nomen Domini Ieſu Chriſti. Pſal. Dominus regnauit. cum ceteris. Aña. Laurentius bonum opus operatus eſt, qui per ſignũ Crucis cæcos illuminauit. Aña. Adhæſit anima mea poſt te, quia caro mea igne cremata eſt pro te Deus meus. Aña. Miſit Dominus Angelum ſuum, & liberauit me de medio ignis, & non ſum æſtuatus. Aña. Beatus Laurẽtius orabat, dicens: Gratias ago tibi Domine, quia ianuas tuas ingredi merui.

Ad Benedictus, Antiphona.

In craticula te Deum meum non negaui, & ad ignem applicatus te Chriſtum confeſſus ſum: probaſti cor meũ, & viſitaſti nocte: igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.

Oratio.

DA nobis, quæſumus omnipotẽs Deus, vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare. Per Dominum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Leuita Laurentius bonum opus operatus eſt, qui per ſignum Crucis cæcos il-

cos illuminauit, & theſauros Eccleſiæ dedit pauperibus.

Memoria de S. Tiburtio. Antiph. Inclytus martyr Tiburtius, cum nudatis plantis ſuper prunas ardētes incederet, Fabiano Præfecto dixit: Videtur mihi, quòd ſuper roſeos flores incedam in nomine Domini mei Ieſu Chriſti. ℣. Poſuiſti Domine ſuper &c.

Oratio.

BEati Tiburtij nos Domine foueant continuata præſidia: quia non deſinis propitius intueri, quos talibus auxilijs conceſſeris adiuuari. Per Dominum noſtrum.

Per Octau. S. Laurentij, præterquam in Vigilia ad Veſper. & in Feſto Aſſumptionis, quando Officium de eo non agitur, fiat de eo Memoria in Laudib. per Antiphonam. Laurentius ingreſſus. ℣. Corona aurea. In Veſp. per Añam. Laurentius bonum. ℣. Gloria & honore. Quando verò officium de Octaua eius agitur, fiant omnia vt in Octaua Simplici cũ Añã. ad Bendictus de ipſo die. Inuit. Regẽ Martyrum Dominum. & Pſal. de Die.

Die xi. Auguſti.

OCTAVA S. DOMINICI P. N. Solemnis.

IN III. NOCTVRNO.

Ex Theodorico, ſancto Antonino, & alijs. Lectio iv.

VErum cũ ſanctiſſimi Patris Dominici opera vbique terrarum monaſteria iam ædificarentur, innumerabileſque homines religioſam ac piam vitam inſtituerent: Ordoque Prædicatorum mirificè propagaretur: affuit tandem exoptatiſſimum ſibi tempus, quo vir Dei tantorum laborum præmia percepturus migraret in cælum. Imminentem igitur tranſitum diuina reuelatione cognouit. Oranti enim & amore diuinorum ardentius æſtuāti adſtitit pulcherrimus iuuenis humana ſpecie maior, his eũ verbis allocutus: Veni dilecte, & intra gaudia ingredere. Lectio v.

QVo nũcio ſummopere lætatus, certiſſimam concepit de ſua ſalute fiduciam. Sub finem igitur menſis Iulij æſtu & labore itineris confectus Bononiam venit. Et cum vix præ laſſitudine membra ſubſiſterent, incredibili tamen deuotionis ardore ſuccenſus, in Eccleſia totam noctem orans de more conſumpſit: ac matutinis etiam Precibus cum Fratribus interfuit. Quibus finitis, graui capitis dolore affectus in febrem incidit, ex qua proculdubio ſe moriturum intellexit. Rara fuit in extremo morbo patientia, nã febribus exuſtus, ſemper vultu hilari ac iucundo erat.

Lectio vj.

CVm autem videret ſupremum ſibi vitæ diem iam adeſſe, accerſitos ad ſe nouitios, viuis ac feruentiſſimis verbis ad amorem Dei, & vitæ monaſticæ obſeruantiam eſt hortatus. Et quamuis tam afflicta eſſet valetudine, noluit in lectulo, ſed ſuper ſaccũ cubare. Dein accitis duodecim ex ſenioribus, & præſtantioribus Fratribus, Priori Conuentus Bononienſis gene-

Digitized by Google

generaliter omnia peccata confeſſus eſt, exomologeſique ſacro ritu peracta, illis adſtantibus dixit: En, fratres chariſſimi, in hanc vſque horam illibata mihi virginitas ſingulari Dei munere conſtitit. Quam ſi vos etiam perſancte colueritis, & vitæ munditia & odore claræ famæ mirum in modum in populis promouebitis.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

CEterum magnus ille paupertatis amator, ditiſſimum teſtamentum condidit, ampliſſimo filijs & alumnis ſuis patrimonio relicto. Hæc, inquit, fratres chariſſimi, vobis tamquam filijs hereditario iure relinquo. Charitatem, humilitatem, & paupertatem ſpiritus. Hi ſunt veſtri theſauri, hæ veſtræ diuitiæ. Erãt Religioſi omnes ſtrato iacentis circumfuſi, flebãt vbertim, ac ſe tanti Patris ſolatio deſtitui ſummopere dolebant. Quos intuens diuinus vir: Nolite, inquit, filij flere, nec vos turbet meus hinc diſceſſus: nam inde quò proficiſcor vtilior vobis ero: vitaq. perfunctus plura vobis conferã, quàm hic à me expectare poſſetis.

Lectio viij.

ROgante tunc quodam Fratre, vbi ſepeliri ſuũ corpus iuberet: Ad pedes, inquit, fratrum meorum. Ergo Eccleſiaſticis Sacramentis deuotiſſime ſuſceptis: innuit Fratribus, vt Commendationem animæ de more inciperent: illiſque orantibus, ac dicentibus: Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini: placidiſsime extenſis in cælum manibus, felicem tantis virtutibus animã in manus Cõditoris depoſuit, Octauo Idus Auguſti, anno Salutis milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo: quem poſtmodũ Gregorius Nonus ſummus Pontifex in ſanctorum Confeſſorum numerum retulit.

Lectio ix.

SEd diuina gloria viri Dei multis eſt oſtenſa è cælo teſtimonijs: ac inter alia: Qua hora ſanctus deceſſit, Frater quidam in diuina viſione cernebat reſcindi cælum, indeque duas candidiſſimas ac fulgentes ſcalas ſubmitti: vnius cacumen Chriſtus, alterius Virgo mater tenebat: frequentes quoque Angeli per vtramque ſurſum arrepebant: in medio earum ab ima parte ſedes erat pretioſiſſima vtrinque ab ſcalis fulta, in qua beatus Pater Dominicus ſedebat. Scalas cum ſede Chriſtus & Deipara ſenſim attrahebant, donec, lætis vocibus concinentibus Angelis, ſcalæ cum ſancto viro in cælum ſubductæ ſunt. Igitur feliciter cum Chriſto pius Pater in æternũ regnans, filiorum cauſas apud Dominum perpetuus patronus agit.

Fiat Memoria de S. Laurentio, & poſt de S. Tiburtio Martyre.

P R I M A D I E.

Infra Octauas B. Laurentij.

Ex Libro Officiorũ S. Ambroſij Epiſc.

Lib. 1. cap. 41. Lectio iij.

NOn prætereamus ſanctum Laurentium, qui cum videret Xyſtũ Epiſcopum ſuum ad martyrium duci, flere cœpit, non paſsionem illius, ſed ſuam

ſuam remanſionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quò progrederis ſine filio Pater? quo Sacerdos ſancte ſine Diacono properas? Tu numquam ſacrificium ſine miniſtro offerre conſueueras: quid in me ergo diſplicuit pater? Num degenerem probaſti? Experire certe vtrum idoneũ miniſtrum elegeris. Cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem, cui conſummandorum conſortium ſacramentorũ, huic conſortium tui ſanguinis negas?

Die xiij. Auguſti.

IN FESTO SS. MARTYRVM Hippolyti Sociorumq. eius. Duplex.

Oratio.

DA quæſumus omnipotens Deus: vt beati Hippolyti martyris tui, Sociorumq. eius veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

Ex ſincerioribus, & Romano Breuiario.

Lectio iv.

HIppolytus à ſancto Laurentio baptizatus, domi ſuæ, dum Euchariſtiã ſumeret, cõprehenſus, & ad Valerianum Imperatorem adductus, ab eo de ſuæ religionis profeſſione interrogatus, libere ſe Chriſtianum profeſſus eſt. Quamobrem fuſtibus cæditur: quibus in verberibus cum eius fides conſtantior inueniretur, muneribus & honorũ promiſsis tẽtatur. Quæ cũ omnia fruſtra dicerentur, Præfecto occidendus traditur.

Lectio v.

QVi domum Hippolyti veniens, vt eius facultates publicaret, totam familiam Chriſtianã eſſe cognoſcit: atque ijs à Chriſtiana fide fruſtra deterritis, primum plumbatis cæſa Concordia Hippolyti nutrice, quæ ceteros confirmabat, reliquos extra portam Tiburtinam occidi iubet. Hippolytus indomitis equis raptatus per loca tribulis & carduis conſita, lacerato corpore ſpiritũ Deo reddidit, vnàque cum reliquis à Iuſtino Presbytero ad agrum Veranum ſepultus eſt.

Lectio vj.

SEd cũ idem Iuſtinus corpus Concordiæ inuenire non poſſet, miles quidam Porphyrius rogauit Irenæum cloacarium, vt corpus Concordiæ in cloacam proiectum extraheret: ſperabat enim aurum & gemmas ſe in veſtibus eius reperturum. Extracto corpore, cum nihil miles reperiſſet eorum quæ putauerat, aufugit. Irenæus vero vocato ad ſe Abundio Chriſtiano, ambo corpus ſanctæ Concordiæ ad Iuſtinum Presbyterum detulerunt, quod ille iuxta Hippolytum ſocioſque ſepeliuit. In tertio Nocturno. Tres Lectiones. De Sermone S. Cypriani. Quibus ego vos laudibus. De Communi Martyrum.

Die xiv. Auguſti.

IN VIGILIA Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis. Fiant omnia de Octaua S. Laurentij præter ſequentem Homiliam.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 11.

IN illo tempore: Loquente Ieſu ad turbas, extollens vocem quædam mulier

mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Prebyteri. *In Lucæ.* 11.

VNigenitus Dei Filius, fratres chariſſimi, Dominus noſter Ieſus Chriſtus ante aſſumptam de intemerata Virgine noſtræ mortalitatis ſubſtantiam, locutus eſt ad turbas per Prophetas ſuos, locutus eſt per ſemetipſum in aduentu ſuo, & poſt glorioſiſſimam in cælum aſcenſionem locutus eſt per diſcipulos. Factum eſt igitur in aduentu ſuo, cum ad turbas viſibilis inter homines apparens loqueretur, ſicut ſancti Euangelij lectio teſtatur, quædam mulier de turba vocẽ extulit, & voce clara coram omni multitudine ventrem eſſe beatũ, qui eum portauerat;& vbera, quæ ſuxerat, prædicauit. Lectio ij.

ET ille dixit: Quinimmo beati qui audiunt verbũ Dei: & cuſtodiunt illud. Hoc in loco beatæ Dei Genitricis excellentia commendatur: quia in tanta ſpeculationis cuſtodia Domino ſeruiebat, quòd ipſius humilitati, & ſanctitati nullus Sanctorum comparatur. Beatam igitur eſſe Matrem ſuam Saluator noſter prædicauit, quæ verbum Dei audiuit, & ſupra omnes huius vitæ mortales cuſtodiuit:& vniuerſos illius beatitudinis conſortes eſſe, qui verbum Dei audiunt,& cuſtodiũt, oſtendit. Sed tota eorum beatitudo ex glorioſæ Virginis vtero proceſſit.

Sermo ſancti Leonis Papæ.

In Natali S. Laurentij. Lectio iij.

REnunciare Chriſto Laurentium tyrannus iubet: & ſolidiſſimam illam Leuitici animi fortitudinem diris parat vrgere ſupplicijs: quorum vbi prima nil obtinent, vehementiora ſuccedunt. Laceros artus, & multa verborum ſectione conciſos ſubiecto præcipit igne torreri: vt per cratem ferream, quæ iam de feruore continuo vim in ſe haberet vrendi, conuerſorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior: & pœna productior. Eadem die Mem. in Laudib. Sancti Euſebij Presbyteri & Confeſſ.

Oratio.

DEus, qui nos beati Euſebij confeſſoris tui annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius natalitia colimus, per eius ad te exẽpla gradiamur. Per. *Die xv. Auguſti.*

IN ASSVMPTIONE BEATAE Mariæ Virginis. Totum Duplex.

Ad Veſp. ſuper Pſalm. Antiphona.

Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te: fauus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua, odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata: iam enim hiems tranſijt, imber abijt, & receſſit: flores apparuerunt, vineæ florentes odorem ſuum dederunt, & vox turturis audita eſt in terra noſtra. Surge, propera amica mea, & veni de Libano, veni coronaberis. Pſalm. Laudate pueri. cum ceteris.

Capitulum. *Eccl.* 24.

IN omnibus requiem quæſiui, & in hereditate Domini morabor: tunc præce-

præcepit,& dixit mihi creator omniũ: & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. ℟. Beata es. vj. Hymnus. Aue maris. 620. ℣. Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix. ℟. Super choros Angelorum, ad cæleſtia regna.

Ad Magnificat, Antiphona. Aſcendit Chriſtus ſuper cælos,& præparauit ſuæ caſtiſſimæ Matri immortalitatis locum: & hæc eſt illa præclara feſtiuitas omnium Sanctorum feſtiuitatibus incomparabilis, in qua glorioſa, & felix mirantibus cæleſtis curiæ ordinibus, ad æthereum peruenit thalamum: quo pia ſui memorum, immemor nequaquam exiſtat.

Oratio.

DEus,qui virginalem aulam Beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es: da quæſumus,vt ſua nos defenſione munitos, iucundos facias ſuæ intereſſe feſtiuitati. Qui viuis & regnas.

Ad Completorium ſuper Pſalm. Aña. Virgo Maria, non eſt tibi ſimilis nata in mundo inter mulieres: florens vt roſa, fragrans ſicut lilium: ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.

Ad Nunc dimittis, Antiphona. Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei Genitrix: noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus: ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo benedicta.

Prædictæ Añæ dicantur in Complet. per totas Oct. etiã in Feſtis Sanctorũ.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Venite adoremus Regem regum, Cuius hodie ad æthereũ Mater virgo aſſũpta eſt cælũ. Hym. Quẽ terra. 621.

IN I. NOCTVRNO

Aña. Exaltata es ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna. Pſal. Domine Dominus noſter. 4. Aña. Paradiſi portæ per te nobis apertæ ſunt: quas hodie glorioſa cum Angelis triumphas. Pſal. Cæli enarr. 11. Aña. Hortus concluſus es Dei Genitrix,hortus concluſus, fons ſignatus: ſurge, propera amica mea, & veni. *Pſal.* Domini eſt terra. 15. ℣. Sancta Dei Genitrix virgo ſemper Maria. ℟. Intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum.

De Canticis Canticorum.

Lectio j. C. 3.& 4.

QVæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij? Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, abſque eo, quod intrinſecus latet. Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad. Dentes tui ſicut greges tonſarũ, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fetibus, & ſterilis non eſt inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua: & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, abſque eo, quod intrinſecus latet. Sicut turris Dauid collum tuũ, quæ ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. ℟. Vidi ſpecioſam ſicut columbam aſcen-

aſcendentem deſuper riuos aquarum: cuius inæſtimabilis odor erat nimis in veſtimentis eius: Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia conuallium. ℣. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris? Et ſicut. Lectio ij.

DVo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum: de montibus pardorum. Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meũ in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa! pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata. ℟. Sicut cedrus exaltata ſum in Libano, & ſicut cypreſſus in monte Sion: quaſi myrrha electa, Dedi ſuauitatem odoris. ℣. Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans. Dedi ſuauitatem. Lectio iij.

FAuus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua: & odor veſtimentorum tuorũ ſicut odor thuris. Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Emiſsiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani: myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum: puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meũ, & fluant aromata illius. ℟. Quæ eſt iſta, quæ proceſsit ſicut ſol, & formoſa tamquam Ieruſalem? viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, Et reginæ laudauerũt eam. ℣. Et ſicut dies verni circumdabat eam flores roſarũ; & lilia conuallium. Et. Gloria. Et.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Pſalm. Eructauit cor. 30. Aña. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Pſalm. Deus noſter. 30. Aña. Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum. Pſalm. Fundamenta eius in montibus. 57. ℣. Poſt partum Virgo inuiolatã permanſiſti. ℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Sermo S. Ioannis Damaſceni.

Oratione 2. de dormitione B. Mariæ poſt initium. Lectio iv.

HOdie ſacra & animata arca Dei viuentis, quæ ſuum in vtero concepit creatorem, requieſcit in templo Domini, quod nullis eſt extructum manibus: & Dauid exultat eius parẽs, & cum eo choros ducunt Angeli, celebrant Archangeli, & Virtutes glorificãt, Principatus exultãt, Poteſtates collæ-

collætantur, laudent Dominationes, Throni feſtũ diem agunt, laudãt Cherubim, gloriam eius prædicant Seraphim. Hodie Eden, noui Adam paradiſum ſuſcipit animatum, in quo ſoluta eſt condemnatio, in quo plantatũ eſt lignum vitæ, in quo operta fuit noſtra nuditas. ℟. Super ſalutem, & omnem pulchritudinem dilecta es à Domino, & regina cælorum vocari digna es: Gaudent chori Angelorum conſortes, & conciues noſtri. ℣. Exaltata es ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna. Gaudent.

Lectio v.

HOdie Virgo immaculata, quæ nullis terrenis inquinata eſt affectibus, ſed cæleſtibus educata cogitationibus, non in terram reuerſa eſt: ſed cum eſſet animatum cælum, in cæleſtibus tabernaculis collocatur. Ex qua enim omnibus vera vita manauit, quomodo illa mortem guſtaret? Sed cedit legi latæ ab eo quem genuit: & vt filia veteris Adam, veterem ſententiam ſubijt: (nam & eius Filius, qui eſt vita ipſa, eam non recuſauit,) vt autem Dei viuentis mater, ad illum ipſum digne aſſumitur. ℟. Iſta eſt ſpecioſa inter filias Ieruſalem, ſicut vidiſtis eam plenam charitate & dilectione: In cubilibus, & in ortis aromatum. ℣. Iſta eſt quæ aſcendit per deſertum delicijs affluens. In cubilibus, & in ortis aromatum.

Lectio vj.

EVa, quæ ſerpentis ſuggeſtioni aſſenſum præbuit, partus dolore, & mortis ſententia damnatur, & in infernorum collocatur penetralibus. Hanc autem vere beatam, quæ Dei verbo aures præſtitit, & Spiritus ſancti operatione repleta eſt: atque ad Archangeli ſpiritualem ſalutationem, ſine voluptate, & virili conſortio Dei Filium concepit, & ſine dolore aliquo peperit, ac totam ſe Deo conſecrauit, quonam modo mors deuoraret? quomodo inferi ſuſciperent? quomodo corruptio inuaderet corpus illud, in quo vita ſuſcepta eſt? Huic recta, plana, & facilis ad cælum parata eſt via. ℟. Beata es virgo Maria Dei Genitrix, quæ credidiſti Domino: perfecta ſunt in te, quæ dicta ſunt tibi: ecce exaltata es ſuper choros Angelorum, Intercede pro nobis ad Dominum Ieſum Chriſtum. ℣. Benedicta, & venerabilis es Virgo Maria, quæ ſine tactu pudoris inuenta es mater Saluatoris. Intercede. Gloria. Intercede.

IN III. NOCTVRNO.

Antiphona. Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Pſam. Cantate. j. 63. Antiph. Comedi fauum cum melle meo: bibi vinum meum cum lacte meo. Pſalm. Dominus regnauit, exultet. 63. Antiph. Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem. Pſal. Cãtate. ij. 64. ℣. Specioſa facta es & ſuauis. ℟. In delicijs tuis ſancta Dei Genitrix.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 10.

IN illo tēpore: Intrauit Ieſus quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 7. Comment. in Lucam.

MArthæ exemplo & Mariæ, alterius operis actuoſa deuotio, alterius religioſa mentis intentio Dei verbo exprimitur: quæ, ſi cum fide cōgruat, atiam ipſis operibus antefertur, iuxta quod ſcriptum eſt: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur illi. Studeamus igitur & nos habere quod nemo nobis poſſit auferre, non vt perfunctoria, ſed diligens audientia deferatur. Solent enim etiā ipſius ſemina verbi cæleſtis auferri, ſi ſecus viam ſint ſeminata. ℟. Hodie Maria virgo cælos aſcendit: Gaudete, quia cum Chriſto regnat in æternum. ℣. Regina mundi hodie de ſæculo nequam eripitur. Gaudete.

Lectio viij.

AGat te ſicut Mariam deſiderium ſapientiæ. Hoc enim maius, hoc perfectius opus. Nec miniſterij cura à cognitione verbi cæleſtis auertat: nec arguas eos, & otioſos iudices, quos videas ſtudere ſapientiæ. Hanc enim ſibi cohabitantem Salomon ille pacificus aſciuit. Nec Martha tamen in bono miniſterio reprehenditur: ſed Maria, quòd meliorem partē ſibi elegerit, antefertur. Ieſus enim multis abundat, & multa largitur. Et ideo ſapientior, quia, quod principale aduertit, elegit. ℟. Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi Dominus magna: Quia potens eſt, & ſanctum nomen eius. ℣. Magnificat anima mea Dominum: & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia.

Lectio ix.

DEnique Apoſtoli optimum non putauerunt relinquere Dei Verbum, & miniſtrare menſis: ſed vtrumque munus ſapientiæ eſt. Nam & Stephanus plenus ſapientia miniſter electus: & ideo qui miniſtrat, doctori deferat, & miniſtrantem doctor inuitet, & prouocet. Vnum enim corpus Eccleſiæ, etſi diuerſa membra, alterum altero eget. Non poteſt dicere oculus manui, Operam tuam non deſidero: aut iterum caput pedibus, & auricula ſe negare eſſe de corpore. Nam etſi alia principalia, tamen alia neceſſaria. Sapientia in capite, actus in manibus. Oculi enim ſapientis in capite eius: quia ille vere ſapit, cuius animus in Chriſto eſt, & cuius interior oculus erigitur ad ſuperna. Et ideo ſapientis oculi in capite ipſius: ſtulti autem calcaneo. ℟. Felix namq. es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter. ℣. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo ſexu: ſentiāt omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam Aſſumptionem. Quia ex te. Gloria Patri. Chriſtus Deus noſter. ℣. Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix.

℟. Su-

Digitized by Google

℞. Super choros Angelorum ad cæleſtia regna.

IN LAVDIBVS, Aña. Aſſumpta eſt Maria in cælũ, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum. Pſalm. Dominus regnauit. cum reliquis. Aña. Maria virgo aſſumpta eſt ad æthereum thalamum, in quo Rex regum ſtellato ſedet ſolio. Aña. In odorem vnguentorum tuorũ currimus:adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Aña. Benedicta filia tu à Domino:quia per te fructũ vitæ communicauimus. Aña. Pulchra es, & decora filia Ieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Capitul. In omnibus. Hymn. O glorioſa. 625. ℣. Elegit eam &c.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens: pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

Oratio.

Veneranda nobis, Domine, huius diei feſtiuitas opem conferat ſalutarem: in qua ſancta Dei Genitrix mortem ſubijt temporalem, nec tamẽ mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum noſtrum de ſe genuit incarnatum. Qui tecum viuit & regnat.

Quãdo prædicta oratio dicitur ad Memoriam, & ſequitur ſecunda Memoria immediate, terminetur ſic: genuit incarnatum. Qui tecum viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum.

Ad Tertiam, Capitulum. B.P. In omnibus requiem. ℞ ℟. Horarum vt in Feſto Purificationis. 625.

Ad Sextam, Capitulum. *Eccl.* 24.

Et ſic in Sion firmata ſum, & in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui, & in Ieruſalem poteſtas mea.

Ad Nonam, Capitulum. *Eccl.* 24.

Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine ſanctorum detentio mea. Ad Veſp. Cap. Hymn. ℣. vt in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Hodie Maria virgo cælos aſcendit: gaudete, quia cum Chriſto regnat in æternum. Per Octau. quando de ipſis agitur, & in Oct. die, Inuitat. ſicut in die. Sequentes autem Añæ dicantur quotidie per Octau. ad Benedict. & ad Magnificat, vel ad Memoriam.

Ad Benedictus, Antiphona.

Virgo prudentiſſima, quo progrederis quaſi aurora valde rutilans? filia Sion, tota formoſa & ſuauis es, pulchra vt luna, electa vt ſol.

Ad Magnificat, Antiphona.

Specioſa facta es, & ſuauis in delicijs virginitatis ſancta Dei Genitrix, quam videntes filiæ Sion vernantem in floribus roſarum, & lilijs conuallium, beatiſſimam prædicauerunt, & reginæ laudauerunt eam.

FESTVM S. HYACINTHI Confeſſoris Ord. Prædicatorum Totum Duplex.

Celebratur Dominica infra Octau. Aſſumpt. B. Mariæ, etiam ſi ea Dominica in die Octau. venerit.

Oratio.

Deus, qui beatum Hyacinthum confeſſorem tuũ in diuerſis nationum populis operum ſanctitate, & miraculorum gloria feciſti conſpicuũ: da nobis, vt eius in melius reformemur exemplis, & in aduerſis protegamur auxilijs. Per Dominum.

In primo Nocturno. *Lect.* Fratres, ego me. Feria v. poſt v. Dominic. poſt Oct. Epiph. 222.

IN II. NOCTVRNO

Ex Bulla Canonizationis eius à Clemente VIII. data, Anno Salutis 1594. xv. Kalen. Maij. Lectio iv.

Natus eſt beatus Hyacinthus in Polonia in Villa Camienſi Vuratiſlauienſis diœceſis, ex nobilibus, & Chriſtianis parentibus. Litteris ab ineunte ætate informatus, ſtatim ad Theologiæ & iuris Canonici ſtudia animum adiunxit tanto cum fructu, vt non multo poſt Cracouienſis Eccleſiæ Canonicus factus, & eximia eruditione, & inſigni pietate tamquam ardens lucerna ceteros clariſſimo virtutum ſuarum lumine colluſtraret. Ab Iuone deinde Cracouienſi Epiſcopo patruo ſuo Romam perductus, ibidem manibus beati Patris Dominici habitum Prædicatorum Ordinis, mirabili exemplo ſuſcepit, ac religionẽ profeſſus eſt.

Lectio v.

Inde Cracouiam reuerſus, Monaſterio ſui ordinis ibi conſtructo, Dominicanæ Religionis creſcentem paulatim familiam propagauit. Vitæ innocentia, & verbi Dei prædicatione cunctos in ſui admirationem rapiens: viuendi rationem quam à S. Patre Dominico, tamquam è puriſſimo fonte hauſerat, ad extremum vſque diem ſanctiſſime ſeruauit. Nihil eo demiſſius, nihil modeſtius, nihil purius, nihil candidius fuit, vt qui virginitatis pulcherrimũ florem in cælum reportarit. Charitate erga proximos ardenti flagrabat. Seſe ſingulis noctibus vſque ad ſanguinis effuſionem affligebat.

Lectio vj.

Mira in victu continentia omnes ſextas Ferias, Vigilias etiam B. Mariæ, & Apoſtolorum ſolo pane & aqua ieiunabat. Totas noctes in templo fundendis ad Deum precibus inſomnis perſæpe conſumebat: & ſi quãdo inedia, ac ſopore feſſis membris ſomnum capere cogebatur, aut ſtans lapidi tantum altaris innixus, aut humi proſtratus quieſcebat. Quidquid vero temporis vacuum illi ab oratione ſupererat, id omne partim colendis ſacris ſtudijs, partim habendis diuinis concionibus, vel confeſſionibus audiendis, aut alijs pietatis operibus impendebat.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

Prædicandi Euangelij cauſa, cum ad varia paſſim loca ſe conferret, ac propterea ad Vandalum flumen Viſſogradum Maſſouiæ vrbem redundantibus aquis præterfluẽs, aliquando perueniſſet, nullo nauclero, nolloq. nauigio, quo trans amnem veheretur, ad ripas conſpecto, diuina ope implorata & Cru-

& Crucis ſigno ſe muniens, comites ad iter per medios fluctus alacriter agendum hortatus: Eia, inquit, filij, ſequimini veſtigia mea in nomine Chriſti. Quo dicto, ſtatim ſe in flumen ſiccis veſtigijs immiſit. Verũ ſocijs præeuntem illum ſequi metuentibus, expanſo pallio aquam tegens: Agite, inquit, filij chariſſimi, ſit iſte nobis pons Ieſu Chriſti. Sicque flumen illud altiſſimum ac rapidiſſimũ vnà cum ſocijs incolumis traiecit.

Lectio viij.

Eiuſmodi igitur cunctis virtutibus exculto vitæ genere ad quadraginta propemodum annos perducto, cum tandem cuperet diſſolui & eſſe cum Chriſto: die ſacræ Aſſumptionis Deiparæ deuote canonicis Precibus recitatis, & ſacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis ſumma cum veneratione perceptis, cũ Verſum illum extremo iam vitæ ſpiritu protuliſſet: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum: in Domino obdormiuit anno ſalutis milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo.

Lectio ix.

Innumeris viuens, & poſt mortem etiam, miraculis claruit. Nam & mortui ſuſcitati, hydropici curati, varijſque morbis afflicti priſtinæ ſanitati, meritis ſanctiſſimi viri ſunt reſtituti. Relatus eſt in Sanctorum Catalogum publico ac ſolemni Canonizationis ritu à Clemente VIII. anno Domini milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto, quintodecimo Kalẽdas Maij. Inde feſta ipſius per totum ferme Chriſtianum orbem clariſſimis lætitiæ & gaudij ſignificationibus, & omni magnificentiæ apparatu celebrata ſunt.

Cetera omnia de Communi Conf. ſ. C.

Per Octau. fiat Memor. etiam infra Octau. Aſſumptionis.

PRIMA DIE.

Infra Octau. Aſſumptionis Beatæ Mariæ.

De Sermone S. Ioannis Damaſceni.

Orat. 2. de dormitione Deiparæ.

Lectio iij.

Tu verò, ò ſacrorum ſepulchrorũ ſacratiſſimum, poſt Domini quidem ſepulchrum, quod vitæ dedit principium, quod fuit fons reſurrectionis: tecum enim loquar tamquam cum animato: vbinam eſt aurum illud purum, quod manus Apoſtolorum in te condiderunt? Vbi diuitiæ, quæ conſumi nequeunt? Vbi pretioſus ille theſaurus, qui vitam ſuſcepit? Vbi nouum volumen, in quo ineffabiliter Deus Verbum ſine manu inſcriptum fuit? Vbi abyſſus gratiæ, vbi pelagus curationum? Vbi eſt deſiderabile illud Deiparæ Virginis corpus? Quid quæritis in ſepulchro eam, quæ ad cæleſtia tranſlata eſt tabernacula?

Die xvij. Auguſti.

IN OCTAVA S. LAVRENTII.

Simplex. Primæ Veſper à Capit. incipient: dummodo Feſtum S. Hyacinthi non præceſſerit.

IN II. NOCTVRNO

Sermo ſancti Maximi Epiſcopi.

Homil. 2. de S. Laurentio.

Lectio iv.

CVm venerabilis Xyſtus Apoſtolicæ ſedis ſacerdotio fungeretur, & ſanctiſſimo Laurentij Archidiaconi miniſterio Romana floreret Eccleſia, nocendi artifex inimicus peruigilis prius molitur cuſtodiam paſtoris eripere. Et ideo Xyſtum ante omnes ſummum Domini Sacerdotem furor Gentilis aggreditur, vt Eccleſiaſtica membra, tam valido truncata capite, velut munimine præſidij cæleſtis amoto, cruentus perſecutor inuaderet. Sed magnus ille Xyſtus, qui commiſſis à Deo ſibi ouibus affuerat paſtor in terris, aderat patronus è cælo.

Lectio v.

DEnique ſanctum Laurentium, quaſi iam Pontificis ſui ſolatio deſtitutum, ad ſubeunda ſupplicia, manus Pagana perquirit: quem mirabilis Xyſtus aduerſus omnia ſæuientis mundi mala, vaticinio prophetici ſermonis armauit. Nam eum idem Laurentius paſſionem paternam defleret, Xyſtus præſcientia ſancti Spiritus futura dignoſcens, ait illi: Depone omnem fili de mea morte triſtitiam: nec enim diu mea te cõtriſtabit abſentia, poſt triduũ me ſequeris.

Lectio vj.

QVo reſponſo indubitatam ſuſcipiens optimo ab Antiſtite veritatem, præ omnibus curat, vt auaritia perſequentis, quæ de morte Sanctorum contriſtabat Eccleſiam, de præda Eccleſiæ gaudium non haberet. Omnem igitur Eccleſiæ cenſum, cunctaque ſacri vaſa miniſterij, conuocatis inopum turbis, pia erogatione diſtribuit, vt futurus martyr in retributione cæleſti pariter & mercede ſanguinis ſui, tantæ liberalitatis præmio ditaretur: non dubitans & in ſemetipſo ſe fidem Chriſto ſuo, & Eccleſiaſticas opes in pauperibus ſeruaturum.

IN III. NOCTVRNO

Lectio vij.

PRopter quod protinus ad tribunal rapitur impiorum vir ſimplicitate innocens, virtute fortiſſimus, nihil aliud deferens iudicanti, quàm viuæ mentis conſtantiã, & illæſæ conſcientiæ puritatem: deuotam Deo offerens animam, & caſtiſſimum tradens perſequenti corpus ad pœnam. Excogitatur itaque in Laurentium ferale tormentum, vt qui metu mortis non mouebatur, acerbitate ſupplicij frangeretur.

Lectio viij.

PAratur ergo craticula igne ſuccenſa, quæ triumphalis martyris & animum fatigaret, & corpus exureret. Sed ignara veri perſequentium turba, & diabolicis obcæcata tenebris, non videbat quòd aduſtio illa membrorum, fidelis animæ eſſet æterna purgatio: & corpus, quod corrumpentibus flammis præſens vita deſereret, ac incorruptionem viuendi damnata morte tranſiret. Vere incomparabile ſalutaris fidei huius ſacramẽtum, quo per tormenta beatitudo quæritur, & flammis refrigerium præparatur, vt ait Patriarcha Dauid, verbis Martyrum dicens: Tranſiuimus per ignem & aquã, & induxiſti nos in refrigeriũ.

Lectio

Lectio ix.

TRanſibat per ignem, & aquam beatus Laurentius, cum hinc eũ mortifera mundi flamma torreret, hinc cæleſtis irrigui vitalis vnda perfunderet. Tranſibat per ignem & aquam, cum furentis incendij, diuini fontis clementia temperaret. Ardebat ergo Laurentius, ſed vincebat ignis ille, de quo Saluator ait: Ignem veni mittere in terram, & quàm volo vt ardeat. O nouum mirandumque certamen! Vnius eiuſdemque viri, & flammis corpus vrebatur, & ardentis fidei calore mens ignita feruebat: Vbi ergo cor ardet, flammam membra non ſentiunt.

SECVNDA DIE.

Infra Octau. Aſſumpt. B. Mariæ.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Serm. 1. de Aſſumpt. Lectio iij.

VIrgo hodie glorioſa cælos aſcendens, ſupernorum gaudia ciuiũ copioſis ſine dubio cumulauit augmẽtis. Hæc eſt enim cuius ſalutationis vox & ipſos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viſcera claudunt. Quòd ſi paruuli necdum nati anima liquefacta eſt, vt Maria locuta eſt, quid putamus, quænam illa fuerit cæleſtiũ exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præſentia meruerunt? *Die xviij. Auguſti.*

AD MEMORIAM

S. Agapiti martyris, in Laudib.

Oratio.

LAetetur Eccleſia tua, Deus, beati Agapiti martyris tui cõfiſa ſuffragijs: atq. eius precibus glorioſis & deuota permaneat, & ſecura cõſiſtat. Per.

TERTIA DIE.

Infra Octau. Aſſumpt. B. Mariæ.

Ex Sermone ſancti Bernardi Abbatis.

Serm. 4. de Aſſumpt. Lectio iij.

TEmpus loquendi eſt omni carni, cum aſſumitur incarnati Verbi Mater in cælum: nec ceſſare debet à laudibus humana mortalitas, cum hominis ſola natura ſupra immortales ſpiritus exaltatur in Virgine. Sed de eius gloria, nec ſilere deuotio patitur: nec dignum aliquid ſterilis concipere cogitatio, aut inerudita poteſt locutio parturire. Hinc eſt, quòd & ipſi cæleſtis curiæ Principes, in conſideratione tantæ nouitatis clamant, non ſine admiratione: Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens?

Die xx. Auguſti.

IN FESTO S. BERNARDI

Abbatis. Duplex. Oratio.

INterceſſio nos, quæſumus Domine, beati Bernardi Abbatis commẽdet: vt quod noſtris meritis nõ valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per.

IN II. NOCTVRNO.

Ex probatis Auctoribus, & Rom. Breu.

Lectio iv.

BErnardus, Fontanis in Burgũdia honeſto loco natus, adoleſcens propter egregiam formam vehementer ſollicitatus à mulieribus, numquã de ſententia colendæ caſtitatis dimoueri potuit. Quas diaboli tẽtationes vt effugeret, duos & viginti annos natus, monaſteriũ Ciſtercienſe, vnde hic Ordo incepit, & quod tum ſanctitate

florebat, ingredi conſtituit. Quo Bernardi cõſilio cognito, fratres ſummopere conati ſunt eum à propoſito deterrere: in quo ipſe eloquentior ac felicior fuit.

Lectio v.

NAm ſic eos, alioſq. multos in ſuam perduxit ſententiam, vt cum eo triginta iuuenes eandem Religionem ſuſceperint. Monachus ieiunio ita deditus erat, vt quoties ſumẽdus eſſet cibus, toties tormentũ ſubire videretur. In vigilijs etiam & orationibus mirifice ſe exercebat: & Chriſtianam paupertatem colens, quaſi cæleſtem vitã agebat in terris, ab omni caducarum rerum cura & cupiditate alienam.

Lectio vj.

ELucebat in eo humilitas, miſericordia, benignitas: contemplationi autem ſic addictus erat, vt vix ſenſibus, niſi ad officia pietatis vteretur: in quibus tamen prudentiæ laude excellebat. Quo in ſtudio occupatus, Genuenſem ac Mediolanẽſem, alioſq. Epiſcopatus oblatos recuſauit, profeſſus ſe tanti officij munere indignum eſſe. Sacras Scripturas aſſidue lectitabat, nec vllis magis quàm ipſarum verbis eas intelligere ſe dicebat: nihilominus ſanctos Patres earum interpretes plurimum faciebat, eorum veſtigijs fideliter inhærens.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

ABbas factus Clarauallẽſis, multis in locis ædificauit monaſteria, in quibus præclara Bernardi inſtitutio ac diſciplina diu viguit. Romæ, ſanctorũ Vincentij & Anaſtaſij monaſterio ab Innocentio ſecũdo Papa reſtituto præfecit Abbatem illũ, qui poſtea Eugenius tertius ſummus Põtifex fuit, ad quem etiã librum miſit de Cõſideratione. Cõmunis vitæ ac regulæ ardens æmulator illud crebrius vſurpabat: Qui facit quod nemo, mirãtur omnes.

Lectio viij.

GRauiter morbo afflictus, viſus eſt ſibi ante tribunal Domini ſiſti, quẽ Satan multis accuſationibus exagitaret. Sed vir Dei nihil territus: Fateor, inquit, indignus ſum regno cælorũ, ſed duplici iure obtinens illud Dominus meus, hereditate Patris, & merito paſſionis, altero ipſe cõtentus, alterũ mihi donauit, cuius beneficio illud mihi vendicare non erubeſco. Multa ſcripſit, in quibus apparet, eum doctrina potius diuinitus tradita, quàm labore comparata, inſtructum fuiſſe.

Lectio ix.

IN ſumma virtutũ laude, exoratus à maximis Principibus de eorum componendis controuerſijs, & de Eccleſiaſticis rebus conſtituendis, ſæpius in Italiam venit. Innocentiũ item ſecundum Pontificem maximum in cõfutando ſchiſmate Petri Leonis, cum apud Imperatorem, & Henricum Angliæ regẽ, tum in concilio Piſis coacto egregie adiuuit. Deniq. tres, & ſexaginta annos natus obdormiuit in Domino, ac miraculis illuſtris, ab Alexãdro Tertio Papa inter Sanctos relatus eſt.

Si Octaua Dies Aſſumptionis venerit in Dñica, Sabbato præcedenti tertia Lectio

Digitized by Google

Lectio erit prima ſecundi Noct. Octa.

Die xxij. Auguſti.

OCTAVA ASSVMPTIONIS B. Mariæ Virginis. Solemnis.

IN II. NOCTVRNO.

De Sermone S. Ioannis Damaſceni.

Orat. 2. de dormitione Deiparæ.

Lectio iv.

EX antiqua accepimus traditione quòd tẽpore glorioſæ dormitionis beatæ Virginis, vniuerſi quidẽ ſancti Apoſtoli, qui orbem terræ ad ſalutẽ Gentium peragrabant, momẽto temporis in ſublime elati conuenerunt Ieroſolymis: cumque illic eſſent, eis viſio apparuit Angelica, & audita eſt pſalmodia cæleſtiũ poteſtatum: & ſic cum diuina gloria in manus Dei ſanctam tradidit animam. Lectio v.

EIus autẽ corpus, quod Deum ineffabili quadam ratione ſuſcepit cũ Angelica & Apoſtolica hymnodia elatũ, in loculo fuit depoſitũ Gethſemane: quo in loco Angelorum cantus manſit tres dies continuos. Poſt tres autem dies Angelico cantu ceſſante, qui aderãt Apoſtoli, (cum vnus Thomas qui abfuerat, poſt tertiũ diem veniſſet, & quod Deũ ſuſceperat corpus adorare voluiſſet) tumulum aperuerunt: ſed omni ex parte ſacrũ eius corpus nequaquam inuenire potuerunt.

Lectio vj.

CVm ea autẽ tantum inueniſſent, in quibus fuerat compoſitum, & ineffabili, qui ex ijs proficiſcebatur, eſſent odore repleti, loculũ clauſerunt. Eius miſterij obſtupefacti miraculo, hoc ſolũ cogitare potuerunt, quòd cui placuit ex Maria virgine carnẽ ſumere, & hominẽ fieri & naſci, cũ eſſet Deus Verbum, & Dñs gloriæ: quique poſt partum incorruptã ſeruauit eius virginitatẽ, eidem etiam placuit & ipſius, poſtquam migrauit, immaculatũ corpus, incorruptum ſeruatum, translatione honorare ante communem & vniuerſalem reſurrectionem.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

ADerãt tũc cũ Apoſtolis ſanctiſſimus Timotheus, primus Epiſcopus Epheſiorũ, & Dionyſius Areopagita, ſicut ipſe teſtatur in ijs, quæ de beato Hierotheo, qui ipſe quoq. tunc aderat, ſcripſit ad prædictũ Timotheũ, ſic dicens: Nã etiam apud ipſos à Deo afflatos ſacrorum antiſtites, quando nos quoque, vt noſti, & multi ex ſãctis noſtris fratribus, ad cõtuendũ corpus, quod vitæ principium dedit, & Deum ſuſcepit, conueniſſemus: (aderat autẽ & Domini frater Iacobus, & Petrus, ſuprema & antiquiſſima Theologorũ ſummitas) & viſo ſacro corpore, placuit omnibus, prout quiſque poterat, hymnis celebrare infinitam bonitatem diuinæ potentiæ.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ser. 1. de Aſſumpt. B. Mariæ. Lect. viij.

PRetioſum hodie munus terra noſtra direxit in cælum: vt dando & accipiendo felici amicitiarum fœdere copulentur humana diuinis. Illò enim aſcendit fructus terræ ſublimis, vnde data optima, & dona perfecta deſcendunt

dunt. Aſcendens in altum Virgo Maria, dabit ipſa quoque dona hominibus. Quid ni daret? Siquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas. Regina cælorum eſt, miſericors eſt: denique mater eſt vnigeniti Filij Dei.

Lectio ix.

SI eam diligimus, gaudemus vtique, quia vadit ad Filium: plane, inquam, congratulabimur ei, niſi forte (quod abſit) inuentrici gratiæ omnimodis inueniamur ingrati. Quem enim in caſtellum mundi huius intrātē prius ipſa ſuſceperat, ab eo ſuſcipitur hodie ſanctā ingrediēs ciuitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta exultatione, cū quanta gloria?

EODEM DIE.

Memoria Sanctorū Timothei & Symphoriani mart. In Laudibus. Oratio.

AVxilium tuum nobis Domine, quæſumus, placatus impende: & intercedentibus beatis martyribus tuis Timotheo atque Symphoriano, dexterā ſuper nos tuæ propitiationis extende. Per Dominum noſtrum.

Die 23. Vigil. S. Bartholomæi Apoſt.

Die xxiiij. Auguſti.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI Apoſtoli. Totum Duplex.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui huius diei venerandā ſanctamq. lætitiam in beati Apoſtoli tui Bartholomæi feſtiuitate tribuiſti: da Eccleſiæ tuæ, quæſumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit. Per Dominum noſtrum.

IN PRIMO NOCTVRNO.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Epheſios. Lectio j. C. 2.

DEus autem qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, (cuius gratia eſtis ſaluati) & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu: vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.

Lectio ij.

GRatia enim eſtis ſaluati per fidē, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Propter quod memores eſtote, quòd aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circumciſio in carne, manu facta: quia eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo.

Lectio iij.

NVnc autem in Chriſto Ieſu, vos qui aliquando eratis longe, facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua: legem mandatorum decretis euacuās, vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum

Digitized by Google

nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.

IN II. NOCTVRNO.

Ex antiquis Auctoribus, & Rom. Breuiario. Lectio iv.

BArtholomæus Apoſtolus, Galilæus, cum in Idiam citeriorem, quæ ei in orbis terrarum ſortitione ad prædicandum Ieſu Chriſti Euangeliũ obuenerat, progreſſus eſſet: aduentum Domini Ieſu iuxta ſancti Matthæi Euangelium illis Gentibus prædicauit. Sed cum in ea prouincia plurimos ad Ieſum Chriſtum conuertiſſet, multos labores calamitateſq. perpeſſus, venit in maiorem Armeniam.

Lectio v.

IBi Polymium regem, & coniugem eius, ac præterea duodecim ciuitates ad Chriſtianam fidem perduxit. Quæ res in eum magnam inuidiam concitauit illius gentis ſacerdotum. Nam vſque adeo Aſtyagem Polymij regis fratrem in Apoſtolum incenderunt, vt is viuo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi iuſſerit, ac caput abſcindi: quo in martyrio animam Deo reddidit. Lectio vj.

EIus corpus Albani, quæ eſt vrbs maioris Armeniæ, vbi is paſſus fuerat, ſepultum eſt: quod poſtea ad Liparã inſulam delatũ, inde Beneuentum tranſlatum eſt: poſtremo Romam ab Othone tertio Imperatore portatũ, in Tiberis inſula, in Eccleſia eius nomine Deo dicata collocatũ fuit, vbi magna populi frequentia celebratur.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundũ Lucam.

Lectio vij. C. 6.

IN illo tempore: Exijt Ieſus in mõtem orare, & erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos. Et reliqua.

Homilia S. Ambroſij Epiſcopi.

Lib. 5. Comment. in Luc.

OMnes magni, omnes ſublimes montem aſcendunt. Non enim cuicumque Propheta dicit: Aſcende in montem excelſum qui euangelizas Sion: exalta in virtute vocem tuam qui euangelizas Ieruſalem. Non veſtigijs corporalibus, ſed factis ſublimioribus in hunc montem ſi aſcendas ſequeris Chriſtum, vt ipſe eſſe mons poſſis. Montes enim in circuitu eius. Quære in Euangelio: inuenies ſolos cum Domino montem aſcendiſſe diſcipulos. Lectio viij.

ORat ergo Dñs, non vt ſe obſecret, ſed vt pro me impetret. Nã etſi omnia poſuerit in poteſtate Filij: Filius tamen vt formã hominis impleret, obſecrandum Patrẽ putat eſſe pro nobis, quia aduocatus eſt noſter. Et erat, inquit, pernoctans in oratione Dei. Species tibi datur, forma præſcribitur quam debeas æmulari. Quid enim te pro ſalute tua facere oportet, quando pro te Chriſtus in oratione pernoctat? Lectio ix.

QVid te facere conuenit, cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quãdo Chriſtus miſſurus

ſurus Apoſtolos, orauit prius, & ſolus orauit? Nec vſquam alibi, ſi non fallor, oraſſe cũ Apoſtolis reperitur: vbique ſolus obſecrat. Dei enim conſiliũ humana vota non capiunt: nec quiſquam interiorum poteſt eſſe particeps Chriſti. Vocauit, inquit, diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos ad propagandum auxilium ſalutis humanæ per terrarum orbem ſatores fidei deſtinaret.

Die xxv. Auguſti.

IN FESTO S. LVDOVICI Regis & Confeſſoris. Simplex.

Oratio.

DEus, qui beatum Ludouicum cõfeſſorem tuum de terreno regno ad cæleſtis regni gloriam tranſtuliſti: eius quæſumus meritis & interceſſione Regis regum Ieſu Chriſti Filij tui facias nos eſſe conſortes. Per eundem Dominum.

IN I. NOCTVRNO.

De Libro Sapientiæ.

Lectio j. C. 6.

MElior eſt ſapientia quàm vires: & vir prudens quam fortis. Audite ergo reges, & intelligite, diſcite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui cõtinetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniã data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cũ eſſetis miniſtri regni illius, non recte iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis.

Lectio ij.

HOrrende & citò apparebit vobis: quoniam iudicium duriſſimũ his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Nõ enim ſubtrahet perſonam cuiuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Fortioribus autem fortior inſtat cruciatio.

Lectio iij.

AD vos ergo reges ſunt hi ſermones mei: vt diſcatis ſapientiam, & non excidatis. Qui enim cuſtodierint iuſta iuſte, iuſtificabuntur: & qui didicerint iſta, inuenient quid reſpondeant. Concupiſcite ergo ſermones meos, diligite illos, & habebitis diſciplinam. Clara eſt, & quæ numquam marceſcit ſapientia, & facile videtur ab his qui quærunt illam.

IN II. NOCTVRNO.

Ex bonis Auctoribus, & Rom. Breu.

Lectio iv.

LVdouicus nonus Galliæ rex, duodecim annos natus, patre amiſſo, & in Blanchæ matris ſanctiſſima diſciplina, Fratrum Prædicatorum atque Minorum potiſſimum conſilio educatus, cum iam vigeſimum annum in regno ageret, in morbũ incidit: quo tempore cogitauit de recuperãda poſſeſſione Ieroſolymorum. Quamobrem vbi conualuiſſet, vexillum ab Epiſcopo Pariſienſi accepit: deinde mare cũ ingenti exercitu traijciens, primo prælio

lio Saracenos fugauit. Lectio v.

SEd cùm ex peſtilentia magna militum multitudo perijſſet, victus ipſe, captuſque eſt. Rebus poſtea cum Saracenis compoſitis, liber Rex, exercituſque dimittitur. Quinque annis in Oriente commoratus, plurimos Chriſtianos à Barbarorum ſeruitute redemit, multos etiam infideles ad fidem Chriſti conuertit: præterea aliquot Chriſtianorum vrbes refecit. Corpora cæſorum militum iam tabo fluentia ipſe proprijs manibus ſepeliuit: cum alij intolerandum fœtorem vix ferre poſſent. Lectio vj.

INterim mater eius migrat è vita: quare domum redire cogitur, vbi totum ſe dedit pietatis officijs. Nam multa ædificauit & monaſteria, & pauperum hoſpitia: atque cum primis Fratribus Prædicatoribus ac Minoribus plura cœnobia à fundamentis erexit. Beneficentia egentes ſubleuabat: frequens viſebat ægrotos: quibus ipſe nō ſolum ſuis ſumptibus omnia ſuppeditabat, ſed etiam quæ opus erant, manibus miniſtrabat. Nam viſus eſt apud Pariſios pauperibus ægris, nixus genibus fercula miniſtraſſe, quo exemplo adſtantibus lacrymas excuſſit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

CVm ingentes eleemoſynas in Fratres Dominicanos & Franciſcanos, qui Pariſios ſtudiorum cauſa aduentaſſent, contuliſſet, ſolebat dicere: O Deus, quàm bene collocantur hæ eleemoſynæ in Fratres iſtos, cum ea quæ hic ex diuinis Scripturis hauriũt, ad ſalutem animarum, Deique honorem, in totum mundum effundant. Veſte vulgari vtebatur, cilicio ac ieiunio corpus aſſidue affligebat. In precibus & officijs pietatis, lacrymas ſumma cum ſpiritus dulcedine fundebat.

Lectio viij.

SAnctas reliquias, ac potiſſimum Dominicam Crucem ſumma veneratione proſequebatur, quam etiam flexis ac nudis genibus adorabat. In adminiſtrando regno ſumma iuſtitia ac prudentia enituit. Cum quendam blaſphemum labijs cauterio inuſtis punijſſet: Libenter, inquit, hoc oris dedecus ipſe præferrem, dummodo tam immane vitium è meo regno penitus profligaretur. Duella prohibuit, vſurarum voraginem compeſcuit, cauſis pauperum bis in hebdomada vacabat.

Lectio ix.

SEd cùm clades, ac damna Terræ ſanctæ ferre non valens, iterum tranſmiſiſſet, bellum Saracenis illaturis, iamque caſtra in eorum conſpectu poſuiſſet, peſtilentia ictus, diuinis Sacramentis rite perceptis ſanctiſſime deceſſit in illa oratione: Introibo in domum tuam, adorabo ad templũ ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Eius corpus poſtea Lutetiam Pariſiorum translatum eſt. Ipſe clarus miraculis à Bonifacio Papa Octauo in Sanctorum numerum eſt relatus.

Die xxvij. Auguſti.

IN FESTO S. RVFI Epiſc. & Mart. Tres Lectiones.

Oratio.

Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris: vt qui ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus, beati Rufi martyris tui atque Pontificis interceſſione liberemur. Per Dominum.

Ex Actis S. Apollinaris Epiſc. Rauennatis. Lectio ij.

RVfus Patritiæ dignitatis & Exconſul Rauennæ vnicam filiam affecta valetudine habens, cum audiſſet miracula, quæ Sacerdos Domini Apollinaris Petri Apoſtoli diſcipulus edebat, ipſum ad ſe accerſiri iuſſit, ſperans ſe ab illo filiæ ſalutem impetraturum. Quamprimum autem beatus Pōtifex domum Rufi ingreditur, filia eius extinguitur. Tunc Rufus dolore percuſſus, ad S. Apollinarem ait: Vtinam domum meam non veniſſes: ſiquidem dij irati filiam mihi abſtulerunt. Lectio iij.

CVi Apollinaris: Confide Patrici: ſi enim promiſeris mihi, te permiſſurum puellam ſequi Chriſtum Saluatorem ſuum, viuam tibi eam reddā. Quo pollicente, S. Antiſtes cum clericis ſuis fuſis precibus, in nomine Ieſu Chriſti eam vitæ reſtituit. Tanto viſo miraculo, ipſe cum vxore, & filia, & tota familia à S. Apollinari baptizatus eſt: & puella Chriſto conſecratur. Rufus vero poſtmodum factus Epiſcopus Capuæ in Campania, pro Chriſto martyr occubuit.

Die xxviij. Auguſti.

IN FESTO S. AVGVSTINI Epiſcopi & Conf. ac Doctoris Eccleſiæ.

Totum Duplex. Ad Veſp. ſuper Pſalm. Aña. Lætare mater noſtra Ieruſalem, quia Rex tuus diſpenſatorem ſtrenuum, & ciuem fideliſſimum de ſeruitute Babylonis tibi redemit Auguſtinum. Pſal. Laudate pueri. cum ceteris. ℞. Volebat. vj.

Hymnus.

MAgne Pater Auguſtine,
Preces noſtras ſuſcipe:
Et per eas conditori
Nos placare ſatage:
Atque rege gregem tuum,
Summum decus Præſulum.

Amatorem paupertatis
Te collaudant pauperes:
Aſſertorem veritatis
Amant veri iudices:
Frangis nobis fauos mellis,
De Scripturis diſſerens.

Quæ obſcura prius erant,
Nobis plana faciens:
Tu de verbis Saluatoris
Dulcem panem conficis:
Et propinas potum vitæ
De Pſalmorum nectare.

Tu de vita Clericorum
Sanctam ſcribis regulam:
Quam qui amant, & ſequuntur,
Viam tenent regiam:
Atque tuo ſancto ductu
Redeunt ad patriam.

Regi regum ſalus, vita,
Decus, & imperium:
Trinitati laus, & honor
Sit per omne ſæculum:
Qui conciues nos aſcribat
Supernorum ciuium. Amen.

℣. Ora

℣. Ora pro nobis beate Auguſtine &c.

Ad Magnificat, Antiphona.

Adeſt dies celebris, quo ſolutus nexu carnis ſanctus Præſul Auguſtinus, aſſumptus eſt cum Angelis: vbi gaudet cum Prophetis, lætatur cum Apoſtolis, quorum plenus ſpiritu, quæ prædixerunt myſtica fecit nobis peruia: poſt quos ſecunda diſpenſandi verbi Dei primus refulſit gratia.

Oratio.

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus: & quibus fiduciam ſperādæ pietatis indulges: intercedente beato Auguſtino confeſſore tuo atque Pontifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Magnus Dominus & laudabilis valde, Qui de tenebris Gentium lumen Eccleſiæ ſuæ vocauit Auguſtinum. Hymnus. Magne Pater.

IN I. NOCTVRNO.

Aña. Aperuit Auguſtinus codicem Apoſtolicum, & coniectis oculis ad primum capitulum legit, Induimini Dominum Ieſum Chriſtū: & ſtatim quaſi infuſa luce ſecuritatis, ab eo omnes dubietatis tenebræ diffugerunt. Pſalm. Beatus vir. 1. Aña. Inſinuauit ergo per litteras ſancto viro Ambroſio præſens votum ſuum, & vt moneret quid ſibi de libris ſanctis legendum eſſet, quo percipiendæ Chriſtianæ gratiæ aptior fieret, atque paratior. Pſalm. Quare fremuer. 1. Aña. At ille iuſſit Iſaiam Prophetam: quòd præ ceteris Euangelij, vocationiſque Gentium ſit prænunciator apertior. Pſal. Domine, quid. 2.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio j. C. 14.

Beatus vir, qui in ſapientia morabitur: & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei. Qui excogitat vias illius in corde ſuo, & in abſconditis ſuis intelligēs, vadens poſt illam quaſi inueſtigator, & in vijs illius conſiſtēs: qui reſpicit per feneſtras illius, & in ianuis illius audiēs: qui requieſcit iuxta domum illius, & in parietibus illius figens palum ſtatuet caſulam ſuam ad manus illius, & requieſcent in caſula illius bona per æuum. Statuet filios ſub tegmine illius, & ſub ramis eius morabitur. Protegetur ſub tegmine illius à feruore, & in gloria eius requieſcet. ℟. Inuenit ſe Auguſtinns lōge eſſe à Deo, in regione diſſimilitudinis, tamquā audiret vocē Dei de excelſo: Cibus ſum grandium, Creſce, & manducabis me. ℣. Nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me. Creſce.

Lectio ij. *Eccl. 24.*

Qvi implet quaſi Phiſon ſapientiā, & ſicut Tigris in diebus nouorum. Qui adimplet quaſi Euphrates ſenſum: qui multiplicat quaſi Iordanis in tempore meſſis. Qui mittit diſciplinam ſicut lucem, & aſſiſtēs quaſi Geon in die vindemiæ. Qui perficit primus ſcire ipſam, & infirmior non inueſtigabit eam. A mari

enim

enim abundauit cogitatio eius: & conſilium illius in abyſſo magna. Ego ſapientia effudi flumina. Ego quaſi trames acquæ immenſæ de fluuio, ego quaſi fluuij dioryx, & ſicut aquæ ductus exiui de paradiſo. ℞. Sēſit igitur, & expertus eſt, non eſſe mirum, quòd palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt ſuauis: Et oculis ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis. ℣. Propter iniquitatem corripuiſti hominē, & tabeſcere feciſti ſicut araneum animam eius. Et oculis.

Lectio iij.

DIxi, Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructus. Et ecce factus eſt mihi trames abundās, & fluuius meus appropinquauit ad mare. Quoniam doctrinam quaſi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam vſque ad longinquum. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino. Adhuc doctrinam quaſi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus ſapientiam: & non deſinam in progenies illorum vſque in æuum ſanctum. Videte quoniam non ſoli mihi laboraui, ſed omnibus exquirentibus veritatem. ℞. Tum vero inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpexit, ſed aciem figere non valuit, Quia non ſecum ferebat, niſi amantem memoriam, Et quaſi olefacta deſiderantem, quæ comedere nondum poſſet. ℣. Qui autem ſacramenti haberet, Verbum caro factum eſt, nec ſuſpicari poterat. Quia. Gloria. Et quaſi.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. Verumtamen primam huius lectionem non intelligens, totumq. tale arbitrans, diſtulit repetendum exercitatior in Domino eloquio. Pſalm. Cum inuocarem. 2. Aña. Inde vbi tempus aduenit, quo nomen eum dare oporteret, relicto rure, Mediolanum remeans, baptizatus eſt à beato Ambroſio: fugitque ab eo ſollicitudo vitæ præteritæ. Pſalm. Verba mea. 1. Aña. Nec ſatiabatur illis diebus dulcedine mirabili conſiderare altitudinē conſilij diuini, ſuper ſalutē generis humani. Pſal. Dñe Dominus noſter. 4.

Ex ipſius ſcriptis, Poſſidio Epiſcopo Calamenſi, & Rom. Breu. Lectio iv.

AVguſtinus, clariſſimum Eccleſiæ lumen, Tagaſte in Africa honeſtis parentibus natus, ac puer docilitate ingenij æquales longe ſuperans, breui omnibus doctrinis antecelluit. Adoleſcens, dum eſſet Carthagine, in Manichæorum hæreſim incidit. Poſtea Romam profectus, inde Mediolanum miſſus vt Rethoricam doceret, cum ibi frequens Ambroſij Epiſcopi eſſet auditor, eius opera incenſus ſtudio Catholicæ fidei, annos natus triginta tres ab ipſo baptizatur. Sed & ſanctiſſimæ matris Monicæ iuges pro filij conuerſione lacrymas, Auguſtinū Eccleſiæ quodammodo peperiſſe, ipſe etiam ingenue eſt profeſſus, cū refert, matri vbertim pro ſe flēti dixiſſe quendam Epiſcopum: Vade à me, ita viuas:

viuas: fieri enim non poteſt, vt filius iſtarum lacrymarum pereat.] ℟. Itaque auidiſſime legere cœpit præ ceteris Apoſtolum Paulum: Et perierunt illæ quæſtiones, in quibus aliquando viſus eſt ei aduerſari teſtimonijs legis, & Prophetarum, textus ſermonum eius. ℣. Et apparuit ei vna facies eloquiorum caſtorum: & exultare cum tremore didicit. Et perierunt.

Lectio v.

Exaudita quoque vita Antonij Magni, Auguſtinum ad capeſſendam Catholicam fidem vehementer fuiſſe inflammatum conſtat, cum illud gemebundus protulit: Surgunt indocti & cælum rapiunt, & nos in doctrinis noſtris, ſine corde, ecce vbi volutamur in carne & ſanguine.] Reuerſus in Africam, cum religione vitæ ſanctimoniam coniungens, à Valerio notæ ſanctitatis Epiſcopo Hipponenſi presbyter factus eſt. Quo tempore familiam inſtituit Religioſorum, quibuſcum victu communi, eodemque cultu vtẽs, eos ad Apoſtolicæ vitæ doctrinæq. diſciplinam diligentiſſime erudiebat. ℟. Miſit ergo Dominus in mentem eius, viſumque eſt bonum in conſpectu eius pergere ad Simplicianum, qui ei bonus apparebat ſeruus Dei, Et lucebat in eo gratia diuina. ℣. Audierat enim, quòd à iuuentute ſua deuotiſſime Deo viueret: & vere ſic erat. Et lucebat.

Lectio vj.

Sed cum vigeret Manichæorũ hæreſis, vehementius in illam inuehi cœpit: Fortunatumque hæreſiarcham confutauit. Hac Auguſtini pietate commotus Valerius, eum adiutorem adhibuit Epiſcopalis officij: de cuius ordinatione hæc ad ipſum ſcripſit S. Paulinus Nolanus Epiſcopus: Non autem tantum hoc ſcribimus gratulandum, quòd Epiſcopatum Auguſtinus acceperit, ſed quòd hanc Dei curam meruerint Africanæ Eccleſiæ, vt verba cæleſtia Auguſtini ore perciperẽt.] ℟. Volebat enim cõferenti æſtus ſuos, vt proferret, quis eſſet aptus modus viuẽdi ſic affecto, vt ipſe erat ad ambulãdum in via Dei, In qua alius ſic, alius ſic ibat. ℣. Diſplicebat ei quidquid agebat in ſæculo, præ dulcedine Dei, & decore domus eius, quam dilexit. In qua alius ſic. Gloria. In qua.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Flebat autem vberrime in hymnis & canticis, ſuaue ſonantis Eccleſiæ vocibus vehementer affectus. Pſal. Domine, quis. 7. Aña. Voces igitur illæ influebant auribus eius, & eliquabatur veritas in cor eius: & fluebant lacrymæ, & bene illi erat cũ eis. Pſal. Domine in virtute. 13. Aña. Adiunctus inde Nebridio & Euodio, remeabat ad Africam, quærens quis eos ad bene viuendum locus haberet vtilior: ſed cum eſſet apud Oſtia Tiberina, pia mater eius defuncta eſt. Pſal. Domini eſt terra, & plenitudo. 15.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 5.

In illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ: quòd ſi

ſal euanuerit, in quo ſalietur? Et reliq.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 15. in Matth.

DIcendo, Vos eſtis ſal terræ: oſtendit omnium hominum infatuatam eſſe naturam, conculcatamque peccatis, & idcirco illas ab eis maxime virtutes requirit, quæ cunctis neceſſariæ atque vtiles ſunt futuræ. Ne igitur opinemini ad mediocria vos ducendos eſſe certamina, neque pro exiguis rebus vobis hunc inſonare ſermonem. Conſiderare quippe quantis vrbibus, quantiſque populis vos ſim miſſurus magiſtros. Propterea non vos tantummodo volo eſſe ſapientes, ſed vt tales faciatis & ceteros. Vulnerauerat charitas Chriſti cor eius, & geſtabat verba eius in viſceribus, quaſi ſagittas acutas: Et exempla ſeruorum Dei, quos de mortuis viuos fecerat, tamquam carbones vaſtatores. Aſcendenti à conualle plorationis, & cantanti Canticum Graduum, dederat ſagittas acutas. Et exempla.

Lectio viij.

HViuſmodi autem magiſtros, in quibus certe tantorum periclitatur ſalus, maxima decet pollere prudentia: tantaſque illis virtutum adeſſe diuitias, vt alijs quoque vtilitatem ædificationis impertiant. Nolite igitur de difficultate conqueri. Infatuatis enim conculcatiſque populis, per vos ad ſapientiam redire poſſibile eſt. Si vero id etiam patiamini vos ipſi, vobiſcum perderis & reliquos. Itaque, quanto etiam maiorum vobis rerum cura committitur, tanto potiore indigetis & ſtudio. ℟. Accepta baptiſmi gratia, poſitus apud Oſtia Tiberina cum matre ſua, colloquebantur ſoli valde dulciter: & inhiabant ore cordis pariter in ſuperna fluenta fontis vitæ: Vileſcebatque mundus iſte inter verba, cum delectationibus ſuis. ℣. Tunc ait illa filio: Nulla re iam delector in hac vita, cum te, contempta felicitate terrena, videam ſeruum Chriſti. Vileſcebatque.

Lectio ix.

PRopter quod intulit: Si autem ſal euanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras: & conculcetur ab hominibus. Alij enim etiam ſi ſæpe delinquant, poſſunt tamen ad veniam peruenire: ſi vero hoc magiſter ipſe patiatur: omni ſatisfactione priuabitur, & ſupplicia extrema perſoluet. Vos eſtis lux mundi, prius autem ſal poſuit, deinde lumen, vt diſcas quantum ſit verborum vrentium beneficium, quantumque commodum honeſtæ, rectæque doctrinæ. ℟. Verbum Dei vſque ad ipſam ſuam ægritudinem, imprætermiſſe, alacriter, & fortiter, ſana mente, ſanoque conſilio, in ſancta Eccleſia prædicauit: membris omnibus ſui corporis incolumis, integro aſpectu, atque auditu: Coram poſitis fratribus, & orantibus, Dormiuit cum patribus ſuis. ℣. Teſtamentum nullum fecit: quia vnde faceret, pauper Chriſti non habuit. Coram. Gloria Patri. Dormiuit.

IN

IN LAVDIBVS, Aña.

POſt mortem matris, reuerſus eſt Auguſtinus ad agros proprios: vbi cum amicis, ieiunijs & orationibus vacans, ſcribebat libros & docebat indoctos. Pſalm. Dominus regnauit. cum reliquis. Aña. Comperta autem eius fama, beatus Valerius Hipponenſis Epiſcopus eum ad ſe accerſiri fecit, & licet inuitum, presbyterum ordinauit. Aña. Factus ergo presbyter, monaſterium clericorum mox inſtituit: & cœpit viuere ſecundum regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam. Aña. Sanctus autē Valerius ordinator eius, exultabat vberius, hominem ſibi talem datum diuinitus, qui in doctrina ſana ædificare Eccleſiã eſſet idoneus. Aña. Eodem tempore Fortunatus presbyter Manichæorum, verſutia plurimos ſeducebat: quem ſanctus Auguſtinus, in conuentu omnium diſputans, publice ſuperauit.

Hymnus.

CAeli ciues applaudite,
Et vos fratres concinite:
Patris noſtri ſolemnia
Solis reduxit orbita.
Quod lingua foris perſonat,
Intus affectus ſentiat:
Nec imitari pigeat
Quod laudare mens approbat.
Hunc poſt mundi curricula,
Cæli ſuſcepit curia,
Quem cum ſuis fidelibus
Iam coronauit Dominus.
Conemur totis viribus:
Iungamus preces precibus:

B.P.

Vt Auguſtini meritis
Cæli fruamur gaudijs.

Præſta Pater pijſſime &c. ℣. Iuſtus germinabit &c.

Ad Benedictus, Antiphona.

In diebus eius, obſeſſa eſt ciuitas Hipponenſis ab exercitu Barbarorum: inter quæ mala, fuerunt Auguſtino lacrymæ ſuæ panes die ac nocte: atque ſub hoc euentu, ad extremam horam veniens, obdormiuit in pace.

Ad Magnificat, Antiphona.

Hodie glorioſus pater Auguſtinus, diſſoluta huius habitationis domo, domum non manu factam accepit in cælis: quam ſibi cooperante Dei gratia, manu, lingua fabrefecit in terris: vbi iam quod ſitiuit internum, guſtat æternum, decoratus vna ſtola, ſecuruſque de reliqua. Poſt Orationem de S. Auguſtino fiat Memor. de S. Ioanne. Aña. Arguebat Herodē Joannes propter Herodiadem, quam tulerat fratri ſuo Philippo vxorem. ℣. Gloria & honore. Oratio.

SAncti Ioannis Baptiſtæ, præcurſoris & martyris tui, quæſumus Domine, veneranda faſtiuitas, ſalutaris auxilij nobis præſtet effectũ. Qui viuis. Per Octau. S. Auguſtini, quando de Oct. agitur, Inuit. Regem Confeſſorũ. Sequentes vero Añæ dicantur ad Benedictus, & ad Magnif. vel ad Memor.

Ad Benedictus, Antiphona.

Huius mater deuotiſſima, quem carne prius pepererat mundo, charitatis viſceribus poſtmodum multo ſemine lacrymarum genuit Chriſto.

Digitized by Google

Ad Magnificat, Antiphona. Lætare mater. ſupra in primis Veſperis. 792.

Die xxix. Auguſti.

IN DECOLLATIONE S. Ioannis Baptiſtæ. Duplex.

Omnia de Communi vnius Martyris, præter hic poſita. ℟. iij. Miſit Herodes Rex manus, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem, quia metuebat eum, propter Herodiadem, Quam tulerat Fratri ſuo Philippo vxorem. ℣. Arguebat Ioannes Herodē propter Herodiadem. Quam. Gloria. Fratri.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 49. in Matth.

Lectio iv.

BEati Ioannis Baptiſtæ cædem deſcripturus Euangeliſta, hiſtoriam nobis contexit, dicens: Cum autem natalitia Herodis agerentur, ſaltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. O conuiuium diabolicum! O ſatanæ ſpectaculum! O iniquum tripudium: & mercedem tripudij multo iniquiorem! Cædes enim omnium ſceleſtiſſima cædium excogitabatur. Et qui coronari, ac laudibus in cælum efferri merebatur, percuſſus ſecuri iacebat. Qui dæmones deuicit, eius caput, poſt cædem, ad menſam afferebatur.

Lectio v.

SAltauit, inquit, Herodiadis filia in medio, & placuit Herodi. Vnde iureiurando affirmauit: quodcumque petierit, ſe illi daturum. Vides quàm atrox, quàm inſenſatus, quàm vecors eſt, qui iurando, ſe obnoxium facit, & illi petendi poteſtatem concedit? Et poſtea quam vidit, ad quantum mali res prorupit, mærore confectus eſt. Cur igitur mæret? Quia videlicet, talis res virtus eſt, vt nequam etiam homines & admirentur ipſam, & laudent.

Lectio vj.

SEd, ò furioſam mulierem! quæ cum adorare, admirarique deberet Ioannem, quoniam ab iniuria eam vindicabat: cædem conſtruit, laqueum ponit, & gratiam petit diabolicam. Ipſe autem timuit, inquit, propter iuſiurandum, & ſimul recumbentes. Et quamobrem quod grauius erat non timuiſti? Nam ſi teſtes periurij habere formidabas, multo magis te metuere oportuit, tot tantoſque iniquiſſimæ cædis teſtes habere. ℟. In medio carceris ſtabat beatus Ioannes, & voce magna clamauit, & dixit: Domine Deus meus, Tibi commendo ſpiritum meum. ℣. Miſit Rex, & decollari iuſſit Ioannem in carcere orantem, & dicentem. Domine Deus meus. Gloria Patri. Tibi.

IN III. NOCTVRNO

Lectio vij.

TV vero perſpice, quomodo totum illud ſpectaculum ſatanæ erat. Nam primum temulentia & delicijs conſtabat, vnde nihil vmquam probe factum eſt. Deinde, ſpectatores omnes erāt corrupti, & ille qui conuiuio præerat, omnium iniquiſsimus. Tertio, voluptas atque licentia omnia dicen-

dicendi, audiendi, faciendi maxima in ipſis erat. Quarto, puella, propter quam matrimonium fieri non poterat, quæ abdi atque occultari propter contemptum matris debebat, ingreditur, omnia palam faciens, & omnes meretrices virgo impudentia ſuperans. Temporis quoque ipſius inoportunitas ſcelus Herodis mirum in modum amplificat. Nam quando gratias Deo agere oportebat, qui eum illo die in lucem produxit, tunc nefaudiſſimam cædem committit: quando vinctum ex gaudio ſoluere debebat, tunc ad vincula iniquiſſima iuſſu mors ſuo acceſſit.

Lectio viij.

AVdiatis hæc virgines, immo vero etiam nuptæ, quæ in aliorum nuptijs ſaltare, ac tripudiare, & communem feminarum ſexum deturpare non veremini. Audiatis etiam hæc viri, qui magnifica conuiuia ebrietate plena conſectamini: audiatis, inquam, & diaboli barathrum perhorſcite: ſic enim omnino miſerum illum hæc conuiuiorum pompa oppreſsit, vt quemadmodũ Marcus dicit, etiam iurauerit, quiquid puella peteret, & ad dimidium vſque regni ſui ſe libenter daturum. Tanti ſcilicet principatum ſuum faciebat, adeo voluptate captus erat, vt tripudijs regna concederet. Sed quamuis ita iniquus ille fuerit, multo tamen iniquior tyranno & puella, muliercula illa fuit, quæ omnia hæc mala contexuit, & quaſi archi tectus magna verſutia totam rem fabricata eſt.

Lectio ix.

DEus autem ſuſtinuit, nec fulgure à cælo vibrata impudentiſsima facies illa eſt, nec terræ hiatu turpiſsimum illud eſt abſorptum conuiuium: vt & iuſtus ille fulgentiores coronas conſequeretur, & qui poſtea iniuriam paſſuri eſſent, hoc exemplo corroborati, æquiori animo cuncta perferrent. Intelligámus hæc omnes, qui ſtudioſe viuentes, à prauis vexamur hominibus: intelligamus hæc omnes, inquam, Deum tunc ſuſtinuiſſe, illum qui in eremo, qui in zona pellicea, qui in cilicio vixerat, qui propheta fuit, & prophetis omnibus maior, quo nemo maior in natis mulierum ſurrexit, à petulantiſsima puella, & impudentiſsimo ſcorto iugulari, præſertim cum leges diuinas defenderit. Hæc cogitantes, magno feramus animo quæcumque patiamur. ℟. Accedentes diſcipuli ſancti Ioannis Baptiſtæ, Tulerunt corpus eius, Et ſepelierunt illud. ℣. Iuſſu Herodis amputatum eſt caput Ioannis in carcere: quo audito diſcipuli eius. Tulerunt. Gloria. Et ſepel. ℣. Ora pro nobis &c.

IN LAVDIBVS, Aña.

HErodes enim tenuit, & ligauit Ioannem, & poſuit in carcerem, propter Herodiadem. Pſal. Dominus regnauit. cũ reliquis. Aña. Puellæ ſaltãti imperauit mater: Nihil aliud petas, niſi caput Ioannis Baptiſtæ. Aña. Dñe mi Rex, da mihi in diſco caput Ioãnis Baptiſtæ. Aña. Da mihi in diſco capu Ioannis Baptiſtæ: & contriſtatus eſt:

Rex propter iuſiurandum. Aña. Miſit Rex incredulus miniſtrum deteſtabilem, & amputari iuſſit caput Ioannis Baptiſtæ. Ad Benedictus, Antiphona. Miſſo Herodes ſpeculatore, præcepit amputari caput Ioãnis in carcere: quo audito, diſcipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius & poſuerunt illud in monumento. Memor. de ſancta Sabinæ mart. in Laudibus, Aña. Veni electa. Specie tua. Oratio.

D Eus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula, etiam in ſexu fragili victoriam martyrij contuliſti: concede propitius, vt qui beatæ Sabinæ martyris tuæ natalitia colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus. Per.

Ad Horas Capit. ℟℟. ℣℣. ſicut vnius Martyris. Ad Veſp. ſuper Pſal. Aña. Herodes. Pſalm. Cap. Hymn. ℣. vnius Martyris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Perpetuis nos, Domine, S. Ioannis Baptiſtæ tuere præſidijs: & quanto fragiliores ſumus, tanto magis neceſſarijs attolle ſuffragijs.

PRIMA DIE.

Infra Octauas S. Auguſtini.

Ex Poſſidio. Lectio iij.

F Actus Epiſcopus beatus Auguſtinus, nihil illo fuit humilius, nihil continentius. Lectus ac veſtitus moderatus, vulgaris menſa, quam ſemper ſacra lectio vel diſputatio condiebat: ſed & contra peſtem detractionis in ea ſcriptum habebat: Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam, Hanc menſam vetitam nouerit eſſe ſibi. Cõuiuaſque vt à vanis & malignis ſermonibus abſtinerent ante omnia præmonebat: ſed cum aliquando quidam ſibi familiariſſimi Epiſcopi licentius obloquerentur, comminatus eſt, ni tacerent, ſe de menſa receſſurum.

Die xxx. Auguſti.

AD MEMORIAM

De ſanctis Felice & Adaucto mart.

In Laudibus. Oratio.

M Aieſtatem tuam Domine ſuppliciter exoramus: vt ſicut nos iugiter Sanctorum tuorum commemoratione lætificas, ita ſemper ſupplicatione defendas. Per Dominum.

SECVNDA DIE.

Infra Oct. S. Auguſtini.

Ex Poſſidio. Lectio iij.

T Anta benignitate fuit in pauperes beatus Auguſtinus, vt cum non eſſet alia facultas, ſacra vaſa frangeret ad eorum inopiam ſuſtentandã. Feminarum, & in eis ſororis, & fratris filiæ, contubernium familiaritatemq. vitauit: quippe qui diceret, etſi propinquæ mulieres ſuſpectæ non eſſent, tamen quæ ad eas ventitarent, poſſe ſuſpicionem efficere. Cum ipſo ſemper Clerici, vna etiam in domo ac menſa, ſumptibuſq. communibus alebantur. Nullum finem fecit prædicandi Dei verbum, niſi graui morbo oppreſſus.

FESTA SEPTEMBRIS.

TERTIA DIE.

Infra Octauas ſancti Auguſtini.

Ex Poſſidio. Lectio iij.

H Æreticos perpetuo inſectatus eſt Auguſtinus, & coram, & ſcriptis,

ptis, ac nullo loco paſſus conſiſtere.
Aduerſus Pelagianam hæreſim dece
annos infatigabili ſtudio laborauit:
Africam à Manichæorum, Donatiſtarum, Pelagianorum, aliorumque præterea hæreticorum erroribus magna ex parte liberauit: à quibus etiam aliquando appetitus inſidijs, errore viarum diuina ope ſeruatus eſt. Plures abuſus qui in Eccleſiam Africanam irrepſerant, penitus abſterſit, atque potiſſimum aduerſus eos qui breues Miſſas captarent, plurimũ declamauit.

QVARTA DIE.

Ex Poſſidio. Lectio iij.

Celebrabat plurimum Auguſtinus egregium illud S. Ambroſij dictum, qui cum vltima ægritudine ab aſſidentibus lecto rogaretur, vt ſibi longiorem vitam à Domino impetraret, reſpondit: Non ſic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: ſed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Mirabatur quoque cuiuſdam ſibi familiaris Epiſcopi vocem: qui animam agens, cum ei diceret Auguſtinus, ipſum, vtpote Eccleſiæ neceſſarium, viuere adhuc diutius poſſe, reſponderit: Si numquam, bene: ſi aliquando, quare non modo? Illud etiam ex S. Martyris Cypriani libro de Mortalitate proferebat exemplum: Cum quidam Epiſcopus morti proximus commeatum ſibi precaretur, aſtitit iuuenis maieſtate venerabilis, qui cum indignatione infremuit, & dixit: Pati timeris, exire non vultis: quid faciam vobis?

B.P.

Si Dies Oct. S. Auguſtini in Dominicam inciderit, Sabbato præced. pro tertia Lect. dicetur prima ſecund. Noctur. Octauæ.

Die iiij. Septembris.

OCTAVA S. AVGVSTINI.

Simplex.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Poſſidio Epiſcopo, alijſque claris Auctoribus. Lectio iv.

Vandalis Africam bello vaſtantibus, & Hipponem tertium iam menſem obſidentibus, Auguſtinus in febrem incidit. Itaque cum diſceſſum è vita ſibi inſtare intelligeret, Pſalmos Dauid qui ad pœnitentiam pertinẽt, in cõſpectu poſitos profuſis lacrymis legebat. Solebat autem dicere, neminem, etſi nullius ſceleris ſibi conſcius eſſet, committere debere, vt ſine pœnitentia migraret è vita. Et vt imminente iam obitu Deo feruentius vacaret, ante decem ferme dies quàm exiret de corpore, noluit vllum ad ſe inuiſendum intrare, niſi ijs tantum horis quibus medici ingrederentur, aut cibus inferretur.

Lectio v.

Ad eum ex morbo decumbentem venit quidam cum ægroto, rogans vt eidem manum imponeret, vt ſanitatem reciperet. Qui reſpondit: Si quidquam in his potuiſſet, ſibi primum ſalutem allaturum fuiſſe. Adiecit ille ſe diuinitus admonitum, vt ad Auguſtinum Epiſcopum recipiendæ cauſa ſalutis accederet. Tum ſanctus præſul fidem eius miratus ac bene ſre

tus in Domino, admota illi manu, priſtinæ incolumitati reſtituit. Conſtat quoque ipſum alijs claruiſſe miraculis, & ab obſeſſis corporibus dæmones expuliſſe. Ergo ſenſibus integris, in oratione defixus, ſtantibus fratribus, quos ad charitatem, pietatem, virtuteſque omnes erat adhortatus, migrauit in cælum.

Lectio vj.

VIxit annos ſeptuaginta ſex, in Epiſcopatu ad triginta ſex: de cuius obitu beatus Victor Vticenſis Epiſcopus hæc refert: Ea tempeſtate Hippon Regiorum obſeſſa eſt ciuitas, quam omni laude dignus beatus Auguſtinus multorum librorum confector Pontifex gubernabat. Tunc illud eloquentiæ, quod per omnes campos Eccleſiæ vbertim decurrebat, ipſo metu ſiccatum eſt flumen, atque dulcedo ſuauitatis dulcius propinata, in amaritudinem abſynthij verſa eſt.] Et ſanctus Proſper hæc ait: Auguſtinus Epiſcopus per omnia excellẽtiſſimus moritur quinto Kalendas Septembris, libris Iuliani inter impetum obſidentiũ Vuandalorum in ipſo dierum ſuorum fine reſpondens, & glorioſe in defenſione Chriſtianæ gratiæ perſeuerans.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

TAm multa pie, ſubtiliter, & copioſe ſcripſit, vt Chriſtianam doctrinam maxime illuſtrarit. Quem inprimis ſecuti ſunt, qui poſtea Theologicam diſciplinam via & ratione tradiderũt. Præclaræ ſunt laudes quibus eum ſancti Patris extulerunt. S. Hieronymus ad ipſum hæc ſcribit: Mihi autem decretum eſt, te amare, te ſuſcipere, colere, mirari, tuaque dicta quaſi mea defendere.] & alibi de ingenio Auguſtini hæc: Si noua voluerimus dicere, à clariſſimo ingenio occupata ſunt meliora.

Lectio viij.

SAnctus Cæleſtinus Romanus Pontifex his eundem exornat encomijs: Auguſtinum ſanctæ recordationis virum, pro vita ſua atque meritis, in noſtra communione ſemper habuimus: neque vmquam hunc ſalſæ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit: quem tantæ ſciẽtiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter magiſtros optimos etiam ante à meis deceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, vtpote qui vbique cũctis & amori fuit, & honori.] Sed & ſanctam Romanam Eccleſiam doctrinam S. Auguſtini de gratia & prædeſtinatione ac libero arbitrio amplecti ſolitam, beatus Hormiſdas Papa ad Poſſeſſorem Epiſcopum ſcribens, egregie profitetur.

Lectio ix.

SAnctus Proſper his verbis Auguſtini virtutes celebrauit: Beatiſſimus Auguſtinus præcipua hoc tempore portio Domini Sacerdotum, inter multa Dei dona, quibus illũ abundantiſſime Spiritus veritatis impleuit, habens etiam hanc ſcientiæ & ſapientiæ ex Dei charitate virtutem, non ſolum iſtam Pelagianam hæreſim, ſed etiam multas prius hæreſes victoria

verbi debellauit. Qui inter tot certaminum palmas, inter tot triumphorũ coronas ad illuminationem Eccleſiæ Chriſti gloria illuſtratus eſt perfulgenti. Nouerunt Romanam Africanamq; Eccleſiam, & per omnes mundi partes vniuerſos promiſſionis filios cum doctrina huius viri, ſicut in tota fide, ita in gratiæ confeſſione congruere.

Die vi. Septembris.

IN FESTO S. AEGIDII

Abbatis. Tres Lectiones.

Oratio.

INterceſſio nos, quæſumus Domine, beati Aegidij Abbatis commendet: vt quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per Dominum.

Ex fidelioribus Actis, & Auctoribus, at Rom. Breu. Lectio iij.

AEgidius Athenienſis, regiæ ſtirpis, à prima ætate diuinis litteris, & charitatis officijs ita deditus fuit, vt nihil præterea curare videretur. Itaque parentibus mortuis, totum patrimonium in pauperes erogauit: quin etiam tunicam exuit, vt ægrotũ egentem tegeret: qua ille indutus ſtatim conualuit. Sed multis deinceps claruit miraculis, timens ſui nominis celebritatem, Arelatem ad beatum Cæſarium contendit. Lectio iiij.

A Quo poſt biennium diſcedens, ſeceſſit in eremum: vbi diutius herbarum radicibus & ceruæ lacte, quæ ſtatis ad eum horis veniebat, admirabili ſanctitate vixit. Quæ ceruа, inſequẽtibus quodam die canibus regijs, cum in antrum Aegidij refugiſſet, Galliæ Regem impulit, vt ab eo ſummis precibus peteret, vt in loco ſpeluncæ Monaſterium extrui pateretur. Cuius adminiſtrationem flagitante Rege, inuitus ſuſcepit: eoque munere aliquot annis prudenter pieque geſto, migrauit in cælum.

Die vij. Septembris.

IN FESTO S. MARCELLI

Martyris. Tres Lect. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotẽs Deus: vt qui beati Marcelli martyris tui natalitia colimus, interceſſione eius in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

Ex Actis ſinceris. Lectio iij.

MArcellus, Antonino Imperatore, apud Lugdunum pro fide Chriſti in vincula coniectus, nocte patefacto diuinitus carcere, aliò abire iubetur. Qui cũ à Præſide Priſco ad profanum idololatrarũ conuiuium fuiſſet inuitatus, & huiuſmodi epulas execrans, omnes qui aderãt, cur idolis immolarent, libera increpatione obiurgaret, ab eodem præſide, inaudito crudelitatis genere cingulo tenus defoſſus eſt in terra. Sicque triduo in Dei laudibus perſeuerans, martyrium conſummauit, atque prope Cabilonem Galliæ ſepultus eſt.

Die viij. Septembris.

IN NATIVITATE B. MARIAE

Virginis. Totum Duplex.

Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiph. Hæc eſt Regina Virginum, quæ genuit Regem velut roſa decora: Virgo Dei Geni-

Genitrix, per quam reperimus Deum & hominem: alma Virgo intercede pro nobis omnibus. Pſalm. Laudate pueri. cum ceteris.

Capitulum. *Eccl.* 24.

EGo quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honeſtatis. ℟. Stirps iij. Hymn. Aue maris ſtella. 620. ℣. Ora pro nobis ſācta Dei Genitrix.&c.

Ad Magnificat, Antiphona.

Beatiſſimæ Virginis Mariæ Natiuitatem deuotiſſime celebremus: vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum. Oratio.

SVpplicationem ſeruorum tuorum, Deus miſerator exaudi: vt qui in Natiuitate Dei Genitricis & Virginis congregamur, eius interceſſionibus, à te de inſtantibus periculis eruamur. Per eundem Dominū noſtrum Ieſum. Ad Completor. ſuper Pſalm. Aña. Virgo Maria non eſt tibi. 777.

Ad Nunc dimittis, Antiphona.

Corde & animo Chriſto canamus gloriam, in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ Genitricis Dei Mariæ.

Prædictæ Añæ dicantur ad Complet. per Octau. quando de ea agitur.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Natiuitatem Virginis Mariæ celebremus, Chriſtum eius Filium adoremus Dominum. Hym. Quem terra. 621.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Aña. Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra, oculi tui columbarum. Pſalm. Domine Dominus noſter. 4. Antiph. Sicut lilium inter ſpinas: ſic amica mea inter filias. Pſalm. Cæli enarrant. 11. Antiph. Fauus diſtillans labia tua ſponſa, & odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris. Pſalm. Domini eſt terra. 15. ℣. Sancta Dei Genitrix virgo ſemper Maria. ℟. Intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum.

Incipiunt Cantica Canticorum.

Lectio j. C. 1.

OSculetur me oſculo oris ſui: quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguenti optimis. Oleum effuſum nomen tuum: ideo adoleſcentulæ dilexerunt te. Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria ſua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum: recti diligunt te. Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. ℟. Hodie nata eſt beata Virgo Maria ex progenie Dauid, per quam ſalus mundi credentibus apparuit: Cuius vita glorioſa lucem dedit ſæculo. ℣. Beatiſſimæ Virginis Mariæ Natiuitatem deuotiſſime celebremus. Cuius. Lectio ij.

NOlite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol: filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis: vineam meam non cuſtodiui. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam poſt greges ſodaliū tuorum. Si ignoras te, ò pulcherrima

Digitized by Google

ma inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorũ. Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, collum tuum ſicut monilia. ℟. Glorioſæ virginis Mariæ ortũ digniſſimũ recolamus, Cuius Dominus humilitatem reſpexit, quæ Angelo nunciante, concepit Redemptorem mundi. ℣. Hodie nata eſt beata Virgo Maria ex progenie Dauid. Cuius. Lectio iij.

Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus Cypri, dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus. Lectulus noſter floridus: tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina. ℟. Stirps Ieſſe virgam produxit, virgaque florem: Et ſuper hunc florem Requieſcit Spiritus almus. ℣. Virgo Dei Genitrix, virga eſt: flos Filius eius. Et ſuper. Gloria. Requieſcit.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. Emiſsiones tuæ, paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Pſalm. Eructauit. 30 Aña. Fons hortorum, puteus aquarum viuentiũ, quæ fluunt impetu de Libano. Pſalm. Deus noſter. 30 Aña. Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum. Pſalm. Fundamenta. 57. ℣. Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti. ℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. 18. de Sanctis, qui eſt 2. de Annunciat. Dominica. Lectio iv.

Adeſt nobis, dilectiſſimi, optatus dies beatæ ac venerabilis ſemper virginis Mariæ: ideo cum ſumma exultatione gaudeat terra noſtra, tantæ virginis illuſtrata natali. Hæc eſt enim flos campi, de qua ortum eſt pretioſum lilium conuallium, per cuius partum mutatur natura, protoplaſtorũ deletur & culpa. Præciſum eſt in ea illud Euæ infelicis elogium, quo dicitur: In dolore paries filios tuos: quia iſta in lætitia Dominum peperit. ℟. Natiuitas glorioſæ virginis Mariæ, ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid: Cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias. ℣. Regali ex progenie Maria exorta refulget. Cuius. Lectio v.

Eva enim luxit, iſta exultauit: Eua lacrymas, Maria gaudium in ventre portauit: quia illa peccatorem, iſta edidit innocentem. Mater generis noſtri pœnam intulit mundo, Genitrix Domini noſtri ſalutem attulit mundo. Auctrix peccati Eua, auctrix meriti Maria. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percuſſit, iſta ſanauit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur, fides pro perfidia compenſatur. ℟. Natiuitas tua

Dei

Digitized by Google

Dei Genitrix virgo, gaudium annunciauit vniuerſo mundo: Ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter: qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam. ℣. Felix namque es, quæ ſola Genitricis dignitatem obtinuiſti, & virginalem pudicitiam non amiſiſti. Ex te. Lectio vj.

Laudat nunc organis Maria, & inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent. Concinant lætantes chori, & alternantibus modulis dulciſona carmina miſceantur. Audite igitur quemadmodum typaniſtria noſtra cantauerit. Ait enim: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo: quia reſpexit humilitatē ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna qui potens eſt. Cauſam igitur inualeſcentis errati, miraculum noui partus euicit, & Euæ planctum Mariæ cantus excluſit. ℟. Ad nutum Domini noſtrum ditantis honorem, Sicut ſpina roſam genuit Iudæa Mariam. ℣. Vt vitium virtus operiret, gratia culpam. Sicut ſpina. Gloria. Sicut.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Veni in hortum meū ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Pſalm. Cantate. j. 63. Aña. Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meū cum lacte meo. Pſalm. Dominus regnauit, exultet. 63. Aña. Talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem. Pſal. Cantate. ij. 64. ℣. Speecioſa facta es, & ſuauis. ℟. In delicijs tuis ſancta Dei Genitrix.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 1.

Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Abrahā genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

Homilia ſancti Hieronymi Presbyteri. *Lib. 1. in Matth.*

In Iſaia legimus: Generationem eius quis enarrabit? Non putemus Euangeliſtam Prophetæ eſſe contrarium, vt quod ille impoſſibile dixit effatu, hic narrare incipiat: quia ibi de generatione diuinitatis, hic de incarnatione eſt dictum. A carnalibus autem cœpit, vt per hominem, Deum diſcere incipiamus. Filij Dauid, filij Abraham. Ordo præpoſterus, ſed neceſſario commutatus. Si enim primum poſuiſſet Abraham, & poſtea Dauid, ruſſus ei repetendus fuerat Abrahā, vt generationis ſeries texeretur. ℟. Regali ex progenie Maria exorta refulget: Cuius precibus nos adiuuari, mente & ſpiritu deuotiſſime poſcimus. ℣. Corde, & animo Chriſto canamus gloriā, in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ genitricis Dei Mariæ. Cuius. Lect. viij.

Deo autem ceteris prætermiſſis, horum filium nuncupauit, quia ad hos tantum facta eſt de Chriſto repromiſſio. Ad Abraham: In ſemine, inquit, tuo benedicētur omnes Gētes, quod eſt Chriſtus. Ad Dauid: De fru-

ctu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Notandum, in genealogia Saluatoris nullam ſanctarũ aſſumi mulierum, ſed eas quas Scriptura reprehendit: vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus naſcens, omnium peccata deleret. Vnde & in conſequentibus Ruth Moabitis ponitur, & Bethſabee vxor Vriæ. ℞. Corde & animo Chriſto canamus gloriam, In hac ſacra ſolemnitate præcelſæ genitricis Dei Mariæ. ℣. Cum iucũditate Natiuitatem ſanctæ Mariæ celebremus. In hac.

Lectio ix.

IAcob autem genuit Ioſeph virum Mariæ. Hunc locum obijcit nobis Iulianus Auguſtus, diſſonantiæ Euangeliſtarum, cur Euangeliſta Matthæus Ioſeph dixerit filium Iacob, & Lucas eum filium appellarit Heli: non intelligens conſuetudinem Scripturarum, quòd alter ſecundum naturam, alter ſecundum legem ei pater ſit. Scimus enim hoc per Moyſen Deo iubente præceptũ, vt ſi frater, aut propinquus abſq. liberis mortuus fuerit, alius eius accipiat vxorem, ad ſuſcitandum ſemen fratris vel propinqui ſui. ℞. Solẽ iuſtitiæ, Regem paritura ſupremum, Stella Maria maris, Hodie proceſſit ad ortum. ℣. Cernere diuinum lumẽ, gaudete fideles. Stella. Gloria Patri. Hodie. ℣. Ora pro nobis &c.

IN LAVDIBVS. Antiph.

NAtiuitas glorioſæ Virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara exſtirpe Dauid. Pſal. Dominus regnã. cũ reliquis. Aña. Natiuitas eſt hodie ſanctæ Mariæ Virginis, cuius vita inclyta cunctas illuſtrat Eccleſias. Aña. Regali ex progenie Maria exorta refulget: cuius precibus nos adiuuari mẽte & ſpiritu deuotiſſime poſcimus. Aña. Corde & animo Chriſto canamus gloriam, in hac ſacra ſolemnitate præcelſæ Genitricis Dei Mariæ. Aña. Cum iucunditate Natiuitatem ſanctæ Mariæ celebremus, vt ipſa pro nobis intercedat ad Dominum Ieſum Chriſtum. Cap. Ego quaſi. Hymn. O Glorioſa Domina. 625. ℣. Elegit eam Deus & præelegit eam. ℞. Et habitare eam facit in tabernaculo ſuo.

Ad Benedictus Antiphona.

Natiuitatem hodiernã perpetuæ Virginis Genitricis Dei Mariæ ſolemniter celebremus, qua celſitudo throni proceſſit, alleluia.

Ad Tertiam Capitulum.

Ego quaſi. Reſp. Horar. vt in Feſto Purificationis. 625.

Ad Sextam, Capitul. *Eccl.* 24.

TRanſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini: Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hereditas mea ſuper mel, & fauum.

Ad Nonam, Capitul. *Eccl.* 24.

QVi audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Ad Veſp.

Ad Veſp. ſuper Pſalm. Antiphona.
Natiuitas glorioſæ. Pſal. Dixit Dñs. cum ceteris. ſicut in Purificat. 626.
Capit. Hymn. vt in primis Veſperis.
Ad Magnificat, Antiphona.
Natiuitas tua, Dei Genitrix virgo, gaudium annunciauit vniuerſo mundo: ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter: qui ſoluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam ſempiternam.
Sabbato infra Octau. Natiuit. B. Virginis, niſi Feſtum Duplex, vel maius occurrat, in Veſperis & Completorio dicitur Officium quotidianum B. Mariæ Per Oct. quando de ipſis agitur, & in Octaua die inuitat. ſicut in Feſto. Sequẽtes vero Antiph. dicantur quotidie per Octauas ad Benedictus, & ad Magnificat, vel ad Memoriam.
Ad Benedictus Antiphona.
Maria virgo ſemper lætare, quæ meruiſti Chriſtum portare cæli, & terræ conditorem, quia de tuo vtero protuliſti mundi Saluatorem.
Ad Magnificat, Antiphona.
Sancta Maria virginum piiſſima, ſuſcipe vota ſeruulorum aſſidua, lapſos erige, errantes corrige, trementes corrobora, puſillanimes conforta, vt tibi ſemper referamus laudes, quam Dei ſummi colimus Genitricem.

PRIMA DIE.
Infra Octau. Natiuit. B. Mariæ Virginis.
De Sermone S. Auguſtini Epiſcopi.
Serm. 18. de Sanctis, in medio.

Lectio iij.
Exultat Maria, & matrem ſe læta miratur, & de Spiritu ſancto ſe peperiſſe gaudet: nec quia peperit innupta, terretur: ſed quia genuerit, cum exultatione miratur. O femina ſuper feminas benedicta, quæ virum omnino non nouit, & virum ſuo vtero circumdedit! Circumdat virum Maria, Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum, ſerpenti conſentiendo. O felix obedientia, ò inſignis gratia: quæ dum fidem humiliter dedit, cæli in ſe opificem corporauit!

Die ix. Septembris.
AD MEMORIAM.
S. Gorgonij martyr. In Laudibus.
Oratio.
Sanctus martyr tuus Gorgonius ſua nos Domine interceſſione lætificet, & pia faciat ſolemnitate gaudere. Per Dominum.

Die x. Septembris.
IN FESTO S. NICOLAI
De Tolentino Confeſſoris. Duplex.
Oratio.
Concede quæſumus omnipotens Deus: vt Eccleſia tua, quæ beati Nicolai confeſſoris tui virtutum & miraculorum gloria coruſcat, eius interceſſione & meritis, perpetua pace atque vnitate lætetur. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.
Ex probatis Auctoribus, & Romano Breuiario. Lectio iiij.
Nicolaus Tolentinas à diuturno illius ciuitatis domicilio appellatus, in oppido ſancti Angeli in Piceno eſt

no eſt natus pijs parentibus: qui liberorum deſiderio Barium voti cauſa profecti, ibiq. à ſancto Nicolao de futura prole confirmati, quem ſuſceperunt filium, de illius nomine appellarunt. Is ab infantia multarum virtutũ, ſed abſtinentiæ imprimis ſpecimen dedit. Nam anno vix ſeptimo, beatum ipſum Nicolaum imitatus, complures hebdomadæ dies ieiunare cœpit, eáq. poſtea conſuetudinem retinuit, ſolo pane & aqua contentus.

Lectio v.

ADulta ætate iam clericali militiæ adſcriptus, & Canonicus factus, cum quodam die concionatorem Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, de mundi contemptu dicentem audiſſet, eo ſermone inflammatus, ſtatim eundem Ordinem eſt ingreſſus: in quo tam exactam religioſæ vitæ rationem coluit, vt aſpero veſtitu, verberibus, & ferrea catena corpus domãs, atque à carnibus, & omni fere obſonio abſtinens, charitate, humilitate, patientia, ceteriſq. virtutibus, alijs præluceret.

Lectio vj.

ORãdi aſſiduum ſtudium, quamuis ſatanæ inſidijs varie vexatus, & flagellis interdum cæſus, non intermittebat. Cum aliquando grauiter febri affligeretur, Beatiſſima virgo Maria ſe illi conſpicuam oſtendit, ac blandis verbis admonuit, vt ab religioſa femina recentem panem in nomine Filij ſui Ieſu Chriſti poſtularet: quod cum ipſe feciſſet, & panem acceptum intinctum aqua deguſtaſſet, ſtatim febris abſceſſit: quo etiam pane multis alijs ſanitatem obtinuit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

POſt nocturnas Preces, nocte quadam quæ Dominicam præceſſit, parumper in lectulo obdormierat, cũ clamore & eiulatu cuiuſdam excitatur, dicentis: Frater Nicolae, vir Dei, reſpice in me. Tum ille rogat quiſnam ſit. Sum, inquit, anima Peregrini Auximenſis, quem tu viuentem probe nouiſti, & crucior in hac Purgatorij flãma: ſuccurre obſecro, & pro me mane ſtatim offer Miſſæ ſacrificium. Ad hæc ille: Fungor Hebdomadarij vice, & hoc præſertim die Dominico non poſſum pro Defunctis celebrare. Sed ille, O Pater, veni, rogo, mecum, ac inſpice num te deceat afflictæ tantæ multitudinis, à qua miſſus ſum, preces ita inhumaniter repellere.

Lectio viij.

DVctus in planitiem quandam, videt innumeram promiſcui ſexus hominum turbam cum lacrymis deprecantium: Miſerere Pater: ſi enim pro nobis Miſſas obtuleris, maxima pars noſtrum ex diris Purgatorij ſupplicijs liberabitur. Eiulans vir ſanctus magnis precibus à Præfecto Monaſterij impetrauit, vt die illo & tota Hebdomada liceret ei pro Defunctis Sacrum facere: quod cum ſumma pietate præſtitiſſet, aliaſque die noctuq. ardentiores preces adiunxiſſet, tranſacta hebdomada affuit illius Peregrini anima, ac pro ſe alijſq. plurimis à Purgato-

Purgatorio, ſacrificijs ſancti viri ereptis, gratias egit. Lectio ix.

DEinum ſex ante obitum menſibus, ſingulis noctibus Angelicū concentum audiuit: cuius ſuauitate, cum iam Paradiſi gaudia prægustaret, crebro illud Apoſtoli repetebat: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Denique obitus ſui diem Fratribus prædixit, qui fuit quarto Idus Septembris. Miraculis multis etiam poſt mortem claruit, quibus rite & ordine cognitis ab Eugenio Papa Quarto in Sanctorum numerum eſt relatus.

SECVNDA DIE.

Infra Octau. Natiuitatis B. Mariæ Virginis.

Sermo ſancti Bernardi Abbatis.

Serm. in cap. 12. *Apocal.*

Lectio iij.

NOuum fecit Dominus ſuper terram, vt mulier circumdaret virum, nec alium quàm Chriſtum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen eius. Nouum quoque fecit in cælo, vt mulier ſole appareret amicta. Denique & coronauit eum, & viciſſim ab eo meruit coronari. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua. Ingredimini magis, & videte Reginam in diademate, quo coronauit eam Filius ſuus. In capite, inquit, eius corona ſtellarum duodecim.

Die xi. Septembris.

AD MEMORIAM

SS. Martyr. Proti & Hyacinthi.

In Laudibus.

Oratio.

BEatorum martyrum tuorū Proti & Hyacinthi nos Domine foueat pretioſa confeſſio, & pia iugiter interceſſio tueatur. Per Dominum.

TERTIA DIE.

Infra Octau Natiuitatis B. Mariæ Virginis.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

Lectio iij.

MAgnum reuera miraculum, fratres dilectiſſimi, fuit beata ſemper Virgo Maria. Quid namq. illa maius aut illuſtrius vllo vnquam tempore inuentum eſt, ſeu aliquando inueniri poterit? Hæc ſola cælum ac terram amplitudine ſuperauit. Quidnam illa ſanctius? Non Prophetæ, nō Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res viſibiles aut inuiſibiles, maius aut excellētius inueniri poteſt.

QVARTA DIE.

Ex Libro ſancti Epiphanij Epiſcopi aduerſus hæreſes.

Lib. 3. *Hæreſ.* 78. *poſt medium.*

Lectio iij.

EVæ datū eſt operire corpus ſenſibile propter nuditatem ſenſibilem: Mariæ vero datum eſt à Deo, vt pareret nobis Agnum, & ex gloria ipſius Agni fieret nobis velut à vellere ſapientiæ per virtutem ipſius indumētum incorruptibilitatis. Eua etiā mortis cauſa facta eſt hominibus: per ipſam enim mors ingreſſa eſt in mundū:

Maria

Maria verò cauſa vitæ, per quam genita eſt nobis vita, & per hanc Filius Dei aduenit in mundum. Et quoniam illic Eua, cum adhuc eſſet virgo, per inobedientiam transgreſſa eſt: è contrario per Virginem obedientia gratiæ facta eſt, annunciatio aduentu in carne de cælo, & vita æterna.

Die xiv. Septembris.

IN EXALTATIONE Sanctæ Crucis. Totum Duplex.

Super Pſalm. Aña. O Crux admirabilis, euacuatio vulneris, reſtitutio ſanitatis! Pſalm. Laudate. cum ceteris.

Capitulum. *Gal. 6.*

Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. ℟. Per tuam Crucem. ix. Hymn. Salue Crux. *676.*

℣. Hoc ſignum Crucis erit in cælo. ℟. Cum Dominus ad iudicandũ venerit.

Ad Magnificat, Antiphona.

Crux fidelis, inter omnes arbor vna nobilis: nulla ſilua talem profert, fronde, flore, germine: dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus ſuſtinuit.

Oratio.

Deus, qui nos hodierna die Exaltationis ſanctæ Crucis annua ſolemnitate lætificas: præſta quæſumus, vt cuius myſterium in terra cognouimus, eius redemptionis in cælo præmia conſequamur. Per eundem Dñm.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Regem Dominum, qui per Crucis myſterium redemit mundum, Venite adoremus. Hymn. Salue Crux. *676.*

IN I. NOCTVRNO.

Antiph. Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucẽ tuam redemiſti mundum. Pſalm. Domine Dominus. 4. Aña. Hoc ſignum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit. Pſalm. Domine in virtute tua. 13. Aña. Per ſignum Crucis, de inimicis noſtris libera nos Deus noſter. Pſal. Dñi eſt terra. 15.

℣. Hoc ſignũ Crucis erit in cælo &c.

De Libro Numerorum.

Lectio j. C. 21.

Et tædere cœpit populum itineris ac laboris: locutuſque contra Deum & Moyſen, ait: Cur eduxiſti nos de Aegypto, vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes: ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt: Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te: ora vt tollat à nobis ſerpentes. Orauitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum: Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur. ℟. Dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus ſuſtinuit: Quæ ſola digna fuit portare pretium huius ſæculi. ℣. Hoc ſignum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit. Quæ.

De Epiſtola B. Pauli Apoſtoli ad Galatas. Lectio ij. C. 3.

PRouidens autem Scriptura quia ex fide iuſtificat Gentes Deus, prænunciauit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes Gentes. Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham. Quicumque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in Libro legis vt faciat ea. Quoniam autem in lege nemo iuſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt: quia, Iuſtus ex fide viuit. Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, viuet in illis. Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis qui pendet in ligno: vt in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu, vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. ℟. Hoc ſignum Crucis erit in cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit: Tunc manifeſta erunt abſcondita cordis noſtri. ℣. Cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, & cœperit iudicare ſæculum per ignem. Tunc.

De Epiſtola ad Philippenſes.

Lectio iij. C. 2.

HOc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipsũ factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. ℟. O Crux glorioſa, ò Crux adoranda, lignum pretioſum, & admirabile ſignum! Per quod diabolus eſt victus, Et mundus Chriſti ſanguine redemptus. ℣. Adoremus Crucis ſignaculum, per quod ſalutis ſumpſimus ſacramentũ. Per quod. Gloria. Et mundus.

IN II. NOCTVRNO.

Aña Salua nos Chriſte Saluator per virtutem ſanctæ Crucis, qui ſaluaſti Petrum in mari, miſerere nobis. Pſal. Exaltabo. 18. Aña. Saluator mundi ſalua nos, qui per Crucem & ſanguinem redemiſti nos: auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noſter. Pſal. Omnes gentes. 31. Aña. Adoremus Crucis ſignaculum, per quod ſalutis ſumpſimus ſacramentum. Pſal. Iubilate. j. 41. ℣. Per ſignum Crucis de inimicis noſtris. ℟. Libera nos Deus noſter.

Ex B. Theophane Abbate Monaſterij Agri in Hiſtoria Miſcella, & alijs: atq. ex Rom. Breu. Lectio iv.

CHoſroas Perſarum rex, extremis Phocæ Imperij temporibus, Aegypto & Africa occupata, ac Ieroſolyma capta, multiſque ibi cæſis Chriſtianorum millibus, Chriſti Domini Crucem, quam Helena in monte Caluariæ

uariæ

uariæ collocarat, in Perſidem tranſtulit. Itaque Heraclius, qui Phocæ ſucceſſerat, multis belli incommodis & calamitatibus affectus, pacem petebat, quam à Choſroa victorijs inſolente, ne iniquis quidem conditionibus impetrare poterat. Quare in ſummo diſcrimine ſe aſſiduis ieiunijs & orationibus exercens, opem à Deo vehementer implorabat: cuius monitu exercitu comparato, ſigna cum hoſte contulit, ac tres duces Choſroæ cũ tribus exercitibus ſuperauit. ℟. Ecce Crucem Domini, fugite partes aduerſæ: vicit Leo de tribu Iuda, Radix Dauid. ℣. Crux benedicta, in qua triumphauit Rex Angelorum. Radix Dauid.

Lectio v.

QVibus cladibus fractus Choſroas, in fuga, qua traijcere Tigrim parabat, Medarſem filium ſocium regni deſignat. Sed eam contumeliam cũ Sinochius Choſroæ maior natu filius ferret attrociter, patri ſimul ac fratri necem machinatur: quam paulo poſt vtrique ex fuga retracto attulit, regnumque ab Heraclio impetrauit, quibuſdam acceptis conditionibus: quarum ea prima fuit, vt Crucem Chriſti Domini reſtitueret. Ergo Crux, quatuordecim annis poſtquam venerat in poteſtatẽ Perſarum, recepta eſt: quam rediens Ieroſolymã Heraclius, ſolemni celebritate ſuis humeris retulit in eum montem, quo eã Saluator tulerat. ℟. Crux fidelis inter omnes, arbor vna nobilis: nulla ſilua talẽ profert, frõde, flore, germine: Dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus ſuſtinuit. ℣. Super omnia ligna cedrorum tu ſola excelſior. Dulce.

Lectio vj.

QVod factũ illuſtri miraculo cõmendatum eſt. Nam Heraclius vt erat auro & gemmis ornatus, inſiſtere coactus eſt in porta, quæ ad Caluariæ montem ducebat. Quo enim magis progredi conabatur, eo magis retineri videbatur. Cumq. ea re, & ipſe Heraclius, & reliqui omnes obſtupeſcerent: Zacharias Ieroſolymorum Antiſtes, Vide, inquit, Imperator, ne iſto triumphali ornatu, in Cruce ferenda parũ Ieſu Chriſti paupertatem & humilitatem imitere. Tum Heraclius abiecto ampliſſimo veſtitu, detractiſque calceis, ac plebeio amictu indutus, reliquum viæ facile confecit, & in eodem Caluariæ loco Crucẽ ſtatuit, vnde fuerat à Perſis aſportata. Itaque Exaltationis ſanctæ Crucis ſolemnitas, quæ hac die quotannis celebrabatur, illuſtrior haberi cœpit ob eius rei memoriam, quòd ibidem fuerit repoſita ab Heraclio, vbi Saluatori primum fuerat conſtituta. ℟. Tuam Crucem adoramus Domine, tuam glõrioſam recolimus paſſionem: Miſerere noſtri, qui paſſus es pro nobis. ℣. Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum. Miſerere. Gloria. Miſerere.

IN III. NOCTVRNO.

Antiph. Tuam Crucem adoramus Domine, tuam glorioſam recolimus paſſionem: miſerere noſtri, qui paſſus es

pro nobis. Pſalm. Notus in Iudæa.49. Aña. Crucem tuam adoramus Domine, & ſanctam reſurrectionem tuam glorificamus: ecce enim, per Crucem venit gaudium in vniuerſo mundo. Pſal. Cantate.j. 65.Aña. Crux alma fulget,per quam ſalus reddita eſt mũdo: Crux vincit, Crux regnat, Crux reppellit omne crimen, alleluia, Pſal. Dominus regnauit, exul.63.℣. Adoramus te Chriſte,& benedicimus tibi. ℟. Quia per Crucem tuam redemiſti mundum.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio vij. C. 12.

IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis Iudæorum: Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et reliqua.

Homilia S Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 52. in Ioan. circa init.

POſſidebat diabolus genus humanum, & reos ſuppliciorum tenebat chirographo peccatorum: dominabatur in cordibus infidelium, ad creaturam colendam, deſerto creatore, deceptos, captiuoſque pertrahebat: per Chriſti autem fidem, quæ morte eius, & reſurrectione firmata eſt, per eius ſanguinem, qui in remiſſionem fuſus eſt peccatorum, millia credentium à dominatu liberantur diaboli, Chriſti corpori copulantur, ſub tanto capite vno eius ſpiritu fidelia membra vegetantur: hoc vocat iudicium, hanc à ſuis redemptis diaboli expulſionem. ℟. O Crux benedicta! Quæ ſola fuiſti digna portare Regem cælorum ac Dominum. ℣. O Crux admirabilis, euacuatio vulneris, reſtitutio ſanitatis! Quæ ſola.

Lectio viij.

NVnc, inquit, princeps huius mundi eijcietur foras. Præuidebat Dominus poſt paſſionem & glorificationem ſuam per vniuerſum mũdum multos populos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat: cui quando ex fide renunciant, eijcitur foras. Abſit autem vt diabolum mundi principem ita dictum exiſtimemus, vt eum cælo & terræ dominari poſſe credamus: ſed mundus appellatur in malis hominibus, qui toto terrarum orbe diffuſi ſunt. Sic ergo dictum eſt, Princeps huius mundi, ideſt, princeps malorum omnium, qui habitant in mũdo. ℟. Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, Quia per Crucem tuam redemiſti mundum. ℣. Tuã Crucem adoramus Domine: tuam glorioſam recolimus paſſionem. Quia per.

Lectio ix.

ET ego, inquit, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham poſt me. Non autem dixit, omnes, ſed omnia: non enim omnium eſt fides. Non itaq; hoc ad vniuerſitatem hominum retulit, ſed ad creaturæ integritatẽ, ideſt, ſpiritum, animam, & corpus. Aut ſi omnia, ipſi homines intelligendi ſunt, omnia prædeſtinata ad ſalutem poſſumus dicere. Aut certe omnia hominũ genera, ab excelſiſſimis vſq. ad humillimos, à rege vſq. ad mendicũ. Omnia, inquit, trahã poſt me, vt ſim caput eorum,

inquit, trahã poſt me, vt ſim caput eorum, & illi membra mea. ℞. Per tuam Crucẽ ſalua nos Chriſte Redemptor, qui mortem noſtram moriendo deſtruxiſti: Et vitam reſurgendo reparaſti. ℣. Miſerere noſtri Ieſu benigne, qui paſſus es clementer pro nobis. Et vitam. Gloria. Et vitam. ℣. Dicite in nationibus. ℞. Quia Dominus regnauit à ligno.

IN LAVDIBVS, Aña. O Magnũ pietatis opus: mors mortua tunc eſt, In ligno quando mortua vita fuit. Pſalm. Dominus regnauit. cum reliquis. Aña. Ecce Crucem Domini, fugite partes aduerſæ: vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, allel. Aña. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Aña. O Crux admirabilis, euacuatio vulneris, reſtitutio ſanitatis. Aña. Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit: Atque cruore ſuo vulnera noſtra lauit. Cap. Mihi autem. Hym. Originale crimen. 678. ℣. Tuã Crucem adoramus Domine. ℞. Tuã glorioſam recolimus paſſionem.

Ad Benedictus, Antiphona.

Super omnia ligna cedrorum tu ſola excelſior, in qua vita mundi pependit: in qua Chriſtus triumphauit: & mors mortem ſuperauit, alleluia.

Ad Tertiam, Capitulum. Mihi autem abſit. ℞. Hoc ſignum Crucis erit in cælo, Alleluia, alleluia. Hoc ſignum. ℣. Cum Dominus ad iudicandum venerit. Alleluia. Gloria. Hoc. ℣. Per ſignum.

B.P.

Ad Sextam, Capitulum. 1. Cor. 1

VErbum Crucis pereuntibus ſtultitia eſt: his autẽ qui ſalui fiunt, ideſt nobis, virtus Dei eſt. ℞. Per ſignum Crucis de inimicis noſtris, Alleluia, alleluia. Per ſignum. ℣. Libera nos Deus noſter. Alleluia. Gloria. Per. ℣. Adoramus.

Ad Nonam, Capitul. 1. Cor. 1.

NOs autem prædicamus Chriſtũ crucifixum: Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. ℞. Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, Alleluia. Adoramus. ℣. Quia per Crucem tuam redemiſti mundum. Alleluia. Gloria. Adoramus. ℣. Tuam Crucem. Ad Veſp. Aña. O magnum. Pſalm. Dixit Dominus. 75. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri. Laudate Dominum omnes Gentes. 78. Cap. Hymn. vt in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Crux benedicta, quia in te pependit Saluator mundi, & in te triumphauit Rex Angelorum, alleluia.

Die xv. Septembris.

IN OCTAVA B. MARIAE Virginis. Simplex.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Lectio iv.

ALtius intueamini, fratres, quãdo deuotionis affectu à nobis eã voluerit honorari, qui totius boni plenitudinẽ poſuit in Maria, vt proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid

ſalutis, ab ea nouerimus redundare, quæ aſcendit delicijs affluens, hortus plane deliciarũ, quem non modo afflauerit veniens, ſed & perflauerit ſuperueniens Auſter ille diuinus: vt vndiq. fluant, & effluãt aromata eius, chariſmata ſcilicet gratiarum. Tolle corpus hoc ſolare, quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam hanc maris ſtellam, maris vtique magni, & ſpatioſi, quid niſi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac denſiſſimæ tenebræ relinquuntur?

Lectio v.

Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc, inquam, volũtas eius eſt, ſed pro nobis. In omnibus ſiquidẽ, & per omnia prouidens miſeris, trepidationem noſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem roborat, diffidentiam abigit, erigit puſillanimitatem.

Lectio vj.

Ad Patrem verebaris accedere, ſolo auditu territus ad folia fugiebas: Ieſum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur vtique pro reuerentia ſua. Pater enim diligit Filium. An vero trepidas & ad ipſum? Frater tuus eſt, & caro tua tentatus per omnia abſque peccato, vt miſericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forſan & in ipſo maieſtatem vereare diuinam, quòd licet factus ſit homo, manſerit tamen Deus. Aduocatum habere vis & ad ipſum? Ad Mariam recurre.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

Pura ſiquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni cõtaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro reuerentia ſua. Exaudiet vtique Matrẽ Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Quid enim? Poteſtne Filius repellere, aut ſuſtinere repulſam? Non audire, aut non audiri Filius poteſt? Neutrum plane.

Lectio viij.

Inueniſti, ait Angelus, gratiam apud Deum. Feliciter. Semper hæc inueniet gratiã: & ſola eſt gratia qua egemus. Prudens Virgo non ſapientiam, ſicut Salomon, non diuitias, non honores, non potentiam, ſed gratiam requirebat. Mimirum ſola eſt gratia qua ſaluamur. Quid nos alia concupiſcimus fratres? Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus: quia qui quærit inuenit, & fruſtrari non poteſt. Quæramus gratiam, ſed apud Deum: nam apud homines gratia fallax.

Lectio ix.

De reliquo, fratres, curandum nobis ſummopere eſt, ne Verbum quod de ore Patris ad nos egreſſum eſt, Virgine mediante, vacuum reuertatur, ſed per eandem nihilominus Virginem, gratiam pro gratia referamus. Eructemus memoriam, donec præſentiam ſuſpiramus: & ſuæ reddan-

Digitized by Google

reddantur origini fluenta gratiæ, vt iterum fluant. Alioquin niſi ad fontem redeant, exiccantur: & infideles in modico, quod maximum eſt, accipere non meremur.

EODEM DIE S. NICOMEDIS Presbyteri & martyris. Ad Memoriã in Laudibus. Oratio.

ADeſto Domine populo tuo: vt beati Nicomedis martyris tui merita præclara ſuſcipiens, ad impetrandam miſericordiam tuam ſemper eius patrocinijs adiuuetur. Per Dñm.

Die xvi. Septembris.

IN FESTO S. EVPHEMIAE Virg. & martyr. Tres Lectiones. Oratio.

OMnipotẽs ſempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, vt fortia quæq. confundas: concede propitius, vt qui beatæ Euphemiæ virginis & martyris tuæ ſolemnia colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus. Per.

Ex Actis eius ſinceris.

Lectio iij.

EVphemia apud Chalcedonem nobilibus orta parentibus, ſub Diocletiano Imperatore, & Priſco Proconſule grauiſſima tormenta pro Chriſti nominis confeſſione paſſa eſt. Nam poſt carceres, & verbera, equuleo impoſita, inauditis rotarum machinis compreſſa, ignibus tradita, lapidum põderibus appenſa, virgis cæſa: ſerris ferreis ſubiecta, & ſartaginibus ſuccenſis immiſſa, demum feris obiecta, vna ex ijs morſum ſancto corpori infigente, ceteris pedes martyris lambentibus, impollutum Deo ſpiritũ reddidit. Eius ſacras reliquias Deus ſingulari miraculo illuſtrauit: vt quotannis, die paſſionis eius, ex virgineo corpore ſanguis vnguento pretioſiſſimo delibutus manaret.

Die xvij. Septembris.

IN FESTO S. LAMBERTI Epiſcopi & mart. Tres Lect. Oratio.

DA quæſumus omnipotẽs Deus: vt qui beati Lamberti martyris tui, atq. Pontificis ſolennia colimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur. Per Dominum.

Ex ſinceris Actis à multis deſcriptis.

Lectio ij.

LAmbertus nobilis ganere, ſed ſanctitate nobilior, à primæuo ætatis ſuæ tempore litteris eruditus, propter ſanctitatem ab omnibus amabatur. Vnde ad Epiſcopatũ Traiectenſem meruit promoueri: quẽ Rex Childericus ſuper omnes Epiſcopos diligebat, & honorabat. Creſcente autẽ inuidia inimicorum, iniuſte ab Epiſcopatu depoſitus fuit: quod ille patienter ferens, ingreſſus eſt Monaſterium, & ibi aliquot annis eſt optime cõuerſatus.

Lectio iij.

POſt ſeptennium autem, iubente Pipino Principe, in ſua ſede reſtitutus eſt. Quem duo maligni grauiter inſectari cœperunt: hos autem amici Epiſcopi interemerũt. Cum autem Pipinum, quòd Alpaidem pellicem teneret, arguiſſet, Dodo quidam amicus eorum, qui occiſi ſunt, & frater Alpaidis, Pipino charus, & alij

Digitized by Google

ſceleſtiſſimi, quos ſibi aſciuit, in Epiſcopi domum irruerunt, atque ipſum orantem lanceis confodientes crudeliter interemerunt: qui multis in vita & poſt martyrium miraculis claruit.

Die xvij. Septembris.

IN FESTO SANCTORVM Martyrum Cornelij & Cypriani.

Duplex. Oratio.

INfirmitatem noſtram, quæſumus Domine, propitius reſpice: & mala omnia, quæ iuſte meremur, ſanctorum martyrum tuorum atque Pontificum Cornelij & Cypriani interceſſione auerte. Per Dominum.

In primo Nocturno. Lectiones ex Paulo. Fidelis ſermo. vt in Ordinatione S. Ambroſij. 563.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Lib. de Romanis Pontificibus, S. Cypriano, & Rom. Breu. Lect. iv.

COrnelius Romanus, Gallo & Voluſiano Imperatoribus Pontificatum geſſit. De cuius electione hæc ſanctus Cyprianus ad Antonianum ſcribit: Cornelius Epiſcopatum ipſum nec poſtulauit, nec voluit, nec inuaſit: ſed quietus & modeſtus, & quales eſſe conſueuerunt, qui in hunc locum diuinitus eliguntur, pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenitæ ſibi & cuſtoditæ verecundiæ, non vt quidam vim fecit, vt Epiſcopus fieret: ſed ipſe vim paſſus eſt, vt Epiſcopatum coactus exciperet. Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti eius iudicio.] Has, & alias ſanctus Martyr Epiſcopus tanti Pontificis laudes celebrauit.

Lectio v.

SEd cum ad Imperatores delatum eſſet, Cornelio auctore multos fieri Chriſtianos, mittitur is in exilium ad Cētum cellas: vbi eum ſanctus Cyprianus Epiſcopus Carthaginēſis per litteras eſt cōſolatus. Hoc autem Chriſtianæ charitatis officiū cum frequens alter alteri perſolueret, deteriorem in partem id accipiētes Imperatores, accerſitum Romam Cornelium, tamquā de maieſtate reum plumbatis cædi, raptumque ad Martis ſimulacrum, ei ſacrificare iubent. Quam impietatem cū ille deteſtaretur, ei caput abſciſſum eſt decimo octauo Kalendas Octobris: cuius corpus beata Lucina, clericis adiutoribus, humauit in arenaria prædij ſui prope cœmeterium Calliſti. Vixit in Pontificatu annos circiter duos.

Ex Actis Proconſularibus, ex S. Pontio Diacono, S. Gregorio Nazianzeno, & S. Hieronymo. Lectio vj.

CYprianus Afer, genere illuſtris, potentia clarus, ſuæque vrbis Senator Rhetoricis ac Philoſophicis diſciplinis inſigniter excultus, ſuadente Presbytero Cæcilio, à quo & cognomentum ſortitus eſt, Chriſtianus factus, omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus erogauit. Ac poſt non multum temporis electus etiam in Presbyterū, Epiſcopus Carthaginenſis cōſtitutus eſt. Sed ab Aſpaſio Paterno Africæ Proconſule ob confeſſionem nominis Chriſti in exilium iuſſus eſt deportari vbi per annum manſit.

IN

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

INterim Paterno ſuccedit Galerius Maximus Proconſul, qui ſanctum Cyprianum ab exilio Carthaginem reuocatum interrogat: Tu es Thaſcius Cyprianus? Reſpondit: Ego ſum. Tu, inquit, Papam te ſacrilegæ mentis hominibus præbuiſti? Ait: Ego. Addit Proconſul: Iuſſerunt te ſacratiſſimi Imperatores cæremoniari. Cyprianus dixit: Non facio. Tum Galerius: Conſule tibi. Ad hæc Cyprianus: Fac quod tibi præceptum eſt: in re tam iuſta nulla eſt conſultatio.

Lectio viij.

GAlerius Maximus collocutus cū concilio, ſententiam vis ægre dixit verbis huiuſmodi: Diu ſacrilega mente vixiſti, & inimicum te dijs Romanis & ſacris legibus conſtituiſti: nec te pij & ſacratiſſimi Principes Valerianus & Gallienus ad conſenſum cæremoniarum ſuarum reuocare potuerunt. Et ideo cum ſis nequiſſimorū criminum auctor, & ſignifer deprehenſus, eris ipſe documento ijs quos ſcelere tecum aggregaſti: ſanguine tuo ſancietur diſciplina. Et his dictis decretum ex tabella recitauit: Thaſcium Cyprianum gladio animaduerti placet. Cyprianus Epiſcopus dixit: Deo gratias.

Lectio ix.

ET ita Cyprianus in agrum Sexti perductus eſt: & ibi ſe lacerno birro expoliauit, & genua in terram flexit, & in orationem ſe Domino proſtrauit. Et cum ſe dalmatica expoliaſſet, & Diaconibus tradidiſſet, in linea ſtetit, expectans ſpiculatorem; cui & vigintiquinque aureos dari præcepit. Fratres vero flentes, linteamina & oraria ante eum ponebāt, ne ſanctus cruor defluens abſorberetur à terra. Poſtea vero beatus Cyprianus manu ſua oculos ſibi texit: atque ita capite truncatus, diſciplinam Chriſtianam ſuo ſanguine ſanxit. Paſſus eſt eodem die quo Romæ Cornelius, ſed non eodem anno. Reliquit ingenij ſui monumenta, quæ ſole ſunt clariora.

Die xix. Septembris.

IN FESTO SANCTORVM Martyrum Ianuarij ac Sociorum.

Simplex. Oratio.

DEus, qui nos annua ſanctorum martyrum tuorum Ianuarij, & Sociorum eius ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

Ex ſinceris Actis, & Roman. Breu.

Lectio iv.

IAnuarius Beneuenti Epiſcopus, Diocletiano & Maximiano in Chriſtianos ſæuientibus, ad Timotheum Campaniæ Præſidem ob Chriſtianæ fidei profeſſionem Nolam perducitur. Ibi eius conſtantia variè tentata, in ardentem fornacem coniectus ita illæſus euaſit, vt ne veſtimentū, aut capillū quidē flamma violauerit. Hinc Præſes accenſus iracundia, Martyris corpus imperat vſque eo diſtrahi, quo-

ad

ad neruorum compages, artuumque ſoluantur. Lectio v.

FEſtus interea eius Diaconus & Deſiderius Lector, qui ad Epiſcopum ſuum viſendum acceſſerant, comprehenſi & ipſi, vinctique vnà cum Epiſcopo, ante rhedam Præſidis Puteolos pertrahuntur, & in eundem carcerem, in quo Soſius Miſenas, & Proculus Puteolanus Diaconi, Eutyches etiam, & Acutius laici ad beſtias damnati detinebantur, ſimul conijciuntur. Poſtero die omnes in Amphiteatro feris obiecti ſunt: quæ naturalis oblitæ feritatis, ad Ianuarij pedes ſe proſtrauere. Lectio vj.

ID Timotheus magicis cátionibus tribuens, cum ſententiam capitis in Chriſti Martyres pronunciaſſet, oculis repente captus, orante mox beato Ianuario lumen recepit: quo miraculo, hominum millia fere quinque Chriſti fidem ſuſceperunt. Verum ingratus Iudex nihilo placatior factus beneficio, ſed conuerſione tantæ multitudinis actus in rabiem, veritus maxime Principum decreta, ſanctum Epiſcopum cum ſocijs gladio percuti iuſſit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

DVcti itaque ſancti Martyres ad Sulphuratam Puteolanam, flexis in terra genibus, cum ſe prius Deo commendaſſent, vnà ſimul omnes abſciſſis ceruicibus, victores ad palmam in cælum euolarunt. Quorum corpora finitimæ vrbes, pro ſuo quæque ſtudio certum ſibi Patronũ ex eis apud Deũ adoptandi, ſepelienda curarunt. Ianuarij corpus Neapolitani diuino admonitu extulere: quod primo Beneuẽtum, inde ad Monaſterium Mõtis Virginis, poſtremo Neapolim trãſlatum, & in maiori Eccleſia conditum multis miraculis claruit.

Lectio viij.

SEd illud in primis memorandum, quòd erumpentes olim è monte Veſuuio flammarum globos, nec vicinis modo, ſed longinquis etiam regionibus vaſtitatis metum afferentes, extinxit. Præclarum illud quoque, quòd eius ſanguis, qui in ampulla vitrea concretus aſſeruatur, cum in conſpectu capitis eiuſdem Martyris ponitur, admirandum in modũ colliqueſieri & ebullire, perinde atque recens effuſus, ad hæc vſque tẽpora cernitur. Lectio ix. Quibus ego vos. de Communi Martyrum.

Die xx. Septembris.

IN VIGILIA SANCTI Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ, ſi Dominica non fuerit.

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucam. Lectio j. C. 5.

IN illo tempore: Vidit Ieſus publicanum nomine Leui, ſedentem ad telonium, & ait illi: Sequere me. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri. *Comment. in Luc. 5.*

AD telonium, ad curam diſpenſationemq. vectigaliũ dicit. Telos enim Græce, Latine vectigal nominatur. Idem autem Leui, qui & Mat

thæus

thæus eſt. Sed Lucas, Marcuſque propter verecundiam, & honorem Euangeliſtæ, nomen ponere noluerunt vulgatum. Ipſe autem Matthæus iuxta illud quod ſcriptum eſt, Iuſtus accuſator ſui eſt in principio ſermonis, Matthæum ſe publicanũ nominat: vt oſtẽdat legentibus, nullum debere conuerſum de ſalute diffidere: cum ipſe de publicano in Apoſtolum, de teloniario in Euangeliſtam ſit repente mutatus.

Lectio ij.

ET relictis omnibus, ſurgens ſecutus eſt eum. Intelligens ergo Matthæus, quid ſit veraciter Dominum ſequi, relictis omnibus ſequitur. Sequi enim, imitari eſt. Ideoque vt pauperẽ Chriſtum non tam greſſu, quàm affectu conſectari potuiſſet, reliquit propria, qui rapere ſolebat aliena. Perfectamque nobis abrenunciationis formam tribuens, non ſolum lucra reliquit vectigalium: verum etiam rationes imperfectas, atque incompoſitas dereliquit.

Lectio iij.

TAnta enim cupiditate ſequendi Dominum ductus eſt: vt in nullo prorſus huius vitæ reſpectum, vel cogitationem ſibimet reſeruauerit. Siquidem ipſe Dominus, qui hunc exterius humana collocutione vt ſequeretur, vocauit, intus diuina inſpiratione vt mox vocantem ſequeretur, accendit: ipſe inuiſibiliter quomodo ſequendũ eſſet edocuit. Propter quod ille, meritò obedientiæ, dum humana contemnẽs negotia deſerit, Dominicorũ fidelis diſpenſator factus eſt talentorum.

Die xxi. Septembris.

IN FESTO S. MATTHAEI Apoſtoli & Euangeliſtæ. Totum Duplex. Omnia de Communi vnius Euãgeliſtæ. præter hic poſita. In primis Veſperis. Oratio.

DA quæſumus omnipotens Deus: vt beati Matthæi Apoſtoli tui & Euangeliſtæ, quam præuenimus, veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones. Obſecro itaque. *Feria ij. poſt quartam Dominicam poſt Octau. Epiphaniæ.* 215.

IN II. NOCTVRNO.

Ex S. Hieron. de Script. Eccleſ. ex Actis, & Rom. Breu. Lectio iv.

MAtthæus, qui & Leui, Apoſtolus, & Euangeliſta, Capharnai cum ad teloniũ ſederet, à Chriſto vocatus, ſtatim ſecutus eſt ipſum: quem etiam cum reliquis diſcipulis cõuiuio excepit. Poſt Chriſti reſurrectionem, antequam in prouinciam proficiſceretur, quæ ei ad prædicandum obtigerat, primus in Iudæa, propter eos qui ex circumciſione crediderãt, Euangelium Ieſu Chriſti Hebraice ſcripſit: mox in Aethiopiam profectus, Euangelium prædicauit, ac prædicationem multis miraculis confirmauit. Illo igitur inprimis miraculo, quo Regis filiã à mortuis excitauit, regem patrem, & vxorem eius, cum vniuerſa prouincia ad Chriſti fidem conuertit.

Lectio v.

REge mortuo, Hirtacus eius ſucceſſor, cum Iphigeniam, regiam filiam

filiam vellet ſibi dari in matrimonium, Matthæum, cuius opera illa virginitatem Deo vouerat, & in ſancto propoſito perſeuerabat, ad altare myſterium celebrantem iuſſit occidi. Qui vndecimo Kalendas Octobris munus Apoſtolicum martyrij gloria cumulauit, vere factus victima virginitatis. Cuius corpus Salernum translatum, ac poſtmodum in Eccleſia eius nomine dedicata, Gregorio ſeptimo ſummo Pontifice conditum, ibidem magno hominũ concurſu ac pietate colitur. Ipſum ſeminibus, baccis, atque oleribus abſq; carnibus victitare ſolitum refert Clemens Alexandrinus.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 1. *in Matth.* Lectio vj.

MAtthæus repletus Spiritu ſancto Euangelium conſcripſit. Matthæus vtique publicanus: non enim à profeſſione ſua illũ erubuerim nuncupare, nec illum omnino, nec reliquos: hoc eſt enim quod maxime oſtēdit Spiritus ſancti gratiam, eorũq; virtutem. Euangelium vero, non abs re quidem ſcriptionem ſuam vocauit: ſiquidem pœnarum ſublationem, veniam peccatorum, ſanctificationem, atque iuſtitiam, redemptionem, adoptionem etiam filiorum, & cælorum hereditatem, & cum Dei Filio fraternitatem, omnibus inimicis Dei, & in tenebris ſedentibus nunciauit. Numquid ergo poſſit eſſe æquale his tam bonis nuncijs?

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 19.

IN illo tempore: Vidit Ieſus hominem ſedentē in telonio, Matthaũ nomine: & ait illi: Sequere me. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi.

Homil. 31. *in Matth. poſt init.*

NOn eſt abs re grandem Euangeliſtæ philoſophiã admirari, qui anteactam vitam ſuam non celauit, & nomen ſuum adſcripſit: quod alij mutata appellatione occultauerant. Sed cur dixit in telonio ſediſſe? Virtute vocantis voluit oſtendere, qui non impoſito adhuc fine prauæ publicanorũ conuerſationis, è medio malorum pelago ipſum abſtraxit: ſicut beatum Paulum quoque furentem, ac omni rabie ardentem, & ignem Eccleſiæ inferentem reduxit.

Lectio viij.

PVblicanorum autē ſtudia, & exercitatio impudentiæ ac crudelitatis plena ſunt: quæſtus nota illiberalis, turpis quædam mercatura, immo rapina lege ſæculari conceſſa: quæ omnia non erubuit Dominus, ſi ſibi amicum fecit publicanum: nec mirum, quando nec meretricē erubuit, quam non à fornicatione ſolum eripuit, verum etiam pedes oſculari permiſit. Venit enim non vt corpora ſolum curaret, verũ etiam multo magis, vt ægrotis animis incolumitatem præſtaret.

Lectio ix.

QVod planum in paralytico fecit, cuius cum peccata dimiſeſit, tunc ad Matthæũ acceſſit,

Digitized by Google

ne turbarentur; ſi publicanum viderentur in diſcipulorum conſortio collocatum. Nam qui poteſt delictorum diſſoluere vincula, cur mirum eſt ſi peccatorem, Apoſtolum fecit? Vidiſti virtutem vocantis, diſce nunc vocati obedientiam. Non enim repugnauit, nec ambigendo ſecum dixit: Putaſne publicanum peccatoremque me recte abſque fraude vocauerit? Non eſt enim huiuſcemodi humilitas laudabilis: ſed confeſtim ita obtemperauit, vt nec domum quidem ad communicandum rem cum ſuis profectus ſit.

Ad Laudes, & ad alias Horas.

Oratio.

Beati Apoſtoli & Euāgeliſtæ Matthæi, Domine, precibus adiuuemur: vt quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur. Per Dominum.

Die xxij. Septembris.

IN FESTO SANCTORVM Martyrū Mauritij Sociorumque eius.

Oratio.

Annue quæſumus omnipotens Deus: vt ſanctorum martyrum tuorum Mauritij, Exuperij, Candidi, Vitalis, Innocentij ac ſociorum eorumdem nos lætificet feſtiua ſolemnitas: vt quorum ſuffragijs nitimur, eorū natalitijs gloriemur. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Actis nomine S. Eucherij Lugdunenſis Epiſcopi, & ex Rom. Breu.

Lectio iv.

Cum Maximianus Imperator, ducto in Galliam exercitu, in finibus Sedunorum ſacrificij cauſa conſtitiſſet, Thebæorum legio, ne ſe impiorum ſacrorum ſocietate contaminaret, à reliquis copiis diſceſſit. Quare Imperator miſit ad eos milites, qui ſuo nomine nunciarent, vt ſi ſalui eſſe vellent, in caſtra ad ſacrificia redirēt. Qui ſe Chriſtiana religione impediri reſponderunt. Quorum reſponſum ille indigniſſime ferens, maiori iracundia, quàm antea, exarſit. Itaque immiſſa parte exercitus in Thebæos, decimum quemque eorum primū occidi iuſſit: quod martyrium ſua ſponte, maximeq. hortatore Mauritio, ferre maluerunt, quàm imperata facere nefarij Imperatoris: ac deinde reliquos omnes, cōſtantiſſime Chriſtū prædicantes, decimo Kalendas Octob. ab vniuerſo exercitu trucidari imperat.

Ex Epiſt. Decani, & Canonicorum Caſtri noui in Gallijs ad Philippum Colonienſem Archiepiſc. Lectio v.

Claruere ſancti martyres Thebæi maximis miraculis: quorum illud habetur inprimis memorādum, quòd cum B. Martinus Turonenſis Epiſcopus peregrini habitu Agaunū ad ſacra Martyrum pignora viſenda veniſſet, rogaſſetque, vt ſibi de ſanctis reliquijs aliquid donaretur, & ab iis, quibus earū cuſtodia demādata erat, repulſam tuliſſet, ſaltem oſtendi ſibi petiit locum agonis, vbi Martyres pro Chriſto ſanguinem fuderant. Ibi poſt preces exempto vagina cultello, mox vt manu virentis graminis in gyrum cæſpitem inciſum ſuſtulit, denſus ab ipſo

ab ipſo cæſpite copioſi ſanguinis imber diſtillare cœpit.

Lectio vj. Quàm ſpecioſa. In Commune Martyrum. In iij. Nocturno. Homilia. Cum audieritis prælia. In Communi Martyrum.

Die xxvij. Septembris.

IN FESTO SANCTORVM Martyrum Coſmæ & Damiani.

Simplex. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotẽs Deus: vt qui ſanctorum martyrum tuorum Coſmæ & Damiani natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus eorum interceſſionibus liberemur. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

Ex ſincerioribus Actis, & Rom. Breu.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

COſmas & Damianus, fratres Arabes, in Aegea vrbe nati, nobiles medici, Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, nõ magis medicinæ ſcientia, quàm Chriſti virtute, morbis etiã inſanabilibus medebantur. Quorum religionem cum Lyſias Præfectus cognouiſſet, adduci eos ad ſe iubet: ac de viuendi inſtituto, & de fidei profeſſione interrogatos, cum ſe & Chriſtianos eſſe, & Chriſtianam fidem eſſe ad ſalutem neceſſariam, libere prædicarent: deos venerari imperat: & ſi id recuſent, minatur cruciatus, & necem acerbiſſimam.

Lectio v.

VErum vt ſe fruſtra hæc illis proponere intelligit: Colligate, inquit, manus & pedes iſtorum, eoſque exquiſitis torquete ſupplicijs. Quibus iuſſa exequentibus, nihilominus Coſmas & Damianus in ſententia perſiſtebant. Quare, vt erant, vincti in profundum mare iaciuntur: vnde cum ſalui ac ſoluti eſſent egreſſi, magicis artibus Præfectus factum aſſignans, in carcerem tradit, ac poſtridie eductos in ardentem rogum inijci iubet: vbi cum ab ipſis flamma refugeret, varie & crudeliter tortos ac ſecuri percuſſos, cælum triumphali martyrij palma inſignitos excepit.

Ex S. Gregorio Turonenſi Epiſcopo, De gloria Martyrum, cap. 98. & ex Procopio Caſarienſi, lib. 1. de Aedificijs Iuſtiniani.

Lectio vi.

DVo gemini Coſmas & Damianus arte medici, poſtquam Chriſtiani effecti ſunt, ſolo virtutum merito, & orationum interuentu infirmitates languentium depellebant. Multa miracula incolis oſtendunt. Nam ſi quis ad eorum ſepulchrum fide plenus orauerit, ſtatim adipiſcitur medicinam ſanitatis. Referunt etiam plerique, apparere eos per viſum languentibus, & quid faciant indicare: quod cum fecerint, ſani diſcedunt. Iuſtinianum Imperatorem grauiter ægrotantem, & iam à medicis deſperatum, ſancti Martyres Coſmas & Damianus per ſomnũ & viſum apparentes curauerunt.

In tertio Nocturno. Homilia in Euangelium. Deſcendens Ieſus de monte. In Communi Martyrum.

Die

Die xxviij. Septembris.

IN FESTO S. VVENCESLAI Martyris. Tres Lectiones. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotẽs Deus: vt qui beati Vuenceſlai martyris tui natalitia colimus, à cunctis malis imminentibus eius interceſſione liberemur. Per Dominum.

Ex Bohemicis hiſtoricis.

Lectio ij.

VVenceſlaus Dux Bohemorum adeo Deum dilexit, vt ſpretis ſæculi rebus, totum ſe ſpiritalibus manciparet. Pauperes ac ſacerdotes vnice amabat: quibus etiam manibus ipſe ſuis ſæpius miniſtrabat. Noctu Eccleſias & ſacra loca nudis pedibus etiam per niues obibat, in quibus etiam peruigilia celebrabat. Cum aliquando ad Imperatoria Comitia, quòd audienda Miſſa moram traxerat, ſerius adueniſſet, ac ceteri Principes indignati nec illi aſſurgere, nec locum dare decreuiſſent, quamprimum Curiam ingreſſus eſt, vidit Otto Imperator Crucem auream in fronte eius, ac duos Angelos illum comitantes: vnde in ſummo honore ac pretio deinceps eſt habitus.

Lectio iij.

SEd frater eius Boleslaus, quem adhuc ferox Gentilitas detinebat, conſilio impiæ matris, cui filij ſanctitas nimium exoſa erat, ipſum Vuenceſlaum ad conuiuium in dolo inuitat. Quem inde ad ſolitas precationes in Eccleſiam digreſſum, in ipſo templo orantem velut alter Cain crudelis fratricida trucidauit: ſicque ſanctus Vuẽceslaus ad virginitatis palmam martyrij corona adiuncta in cælum euolauit. Eius ſanguis in loco paſſionis effuſus, quaſi clamans contra fratricidam, per multa annorum ſpatia nec abradi potuit, nec abſtergi.

Die xxix. Septembris.

IN FESTO S. MICHAELIS Archangeli. Totum Duplex.

Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona. Dum committeret bellum draco cum Michaele Archangelo, audita eſt vox millia millium dicentium: Salus Deo noſtro. Pſalm. Laudate pueri. cum ceteris. Capitulum. *Apoc. 1.*

SIgnificauit Deus quæ oportet fieri cito, loquens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni: qui teſtimonium perhibuit verbo Dei: & teſtimonium Ieſu Chriſti quæcumque vidit. ℟. Te ſanctum. ix. Hymnus.

TIbi Chriſte ſplendor Patris,
Vita, virtus cordium,
In conſpectu Angelorum
Votis, voce pſallimus,
Alternantes concrepando
Melos damus vocibus.
Collaudamus venerantes
Omnes cæli milites:
Sed præcipue Primatem
Cæleſtis exercitus,
Michaelem in virtute
Conterentem zabulum.
Quo cuſtode procul pelle
Rex Chriſte piiſſime,
Omne nefas inimici,
Mundo corde & corpore:
Paradiſo redde tuo

Nos

Nos ſola clementia.
Gloriam Patris melodis.
Perſonemus vocibus:
Gloriam Chriſto canamus,
Gloriam Paraclito,
Qui trinus & vnus Deus.
Extat ante ſæcula. Amen.

℣. Stetit Angelus iuxta aram templi.
℟. Habens thuribulum aureum in manu ſua. Ad Magnificat, Aña. Dum ſacrum myſterium cerneret Ioãnes, Archangelus Michael tuba cecinit: Dignus es Domine Deus noſter accipere librum, & ſoluere ſignacula eius, alleluia. Oratio.

DEus, qui miro ordine, Angelorum miniſteria, hominumq. diſpenſas: concede propitius: vt à quibus tibi miniſtrantibus in cælo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur. Per Dominum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Regem Angelorum Dominum, Venite adoremus. Hymn. Tibi Chriſte.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Antiph. Stetit Angelus iuxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu ſua. Pſalm. Verba mea. 2.
Aña. Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini de manu Angeli. Pſalm. Domine Dominus noſter. 4.
Aña. Michael Archangele, veni in adiutorium populo Dei. Pſal. In Domino. 6. ℣. Stetit Angelus &c.

Ex Daniele Propheta. Lectio j. c.7.

ASpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit. Veſtimentum eius candidũ quaſi nix, & capilli capitis eius quaſi lana munda. Thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accenſus. Fluuius igneus rapiduſq. egrediebatur à facie eius. Millies millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei: iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. Aſpiciebam propter vocem ſermonum grandium, quos cornu illud loquebatur: & vidi quoniam interfecta eſſet beſtia, & periiſſet corpus eius, & traditum eſſet ad comburendum igni.

℟. Factum eſt ſilentium in cælo, dum committeret bellum draco cum Michaele Archangelo: audita eſt vox millia milliũ dicentium, Salus, & honor, & virtus Omnipotenti Deo.
℣. Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei. Omnipotenti Deo.

De Ezechiele Propheta.
Lectio ij.

HAec dicit Dominus Deus: Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in delicijs paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum: ſardius, topazius, & iaſpis: chryſolithus, & onyx, & berillus, ſapphirus, & carbunculus, & ſmaragdus: aurum opus decoris tui: & foramina tua in die qua conditus es præparata ſunt. Tu Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei. In medio lapidum ignitorum ambulaſti. Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ.

℟. Stetit Angelus iuxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua:

ſua: & data ſunt ei incenſa multa. Et aſcendit fumus aromatum de manu Angeli in conſpectu Domini. ℣. Factum eſt ſilentium in cælo, & accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris. Et aſcendit.

De Libro Apocalypſis beati Ioannis Apoſtoli. Lectio iij. C. 12.

ET factum eſt prælium magnum in cælo: Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo. Et proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanas, qui ſeducit vniuerſum orbem: & proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo miſſi ſunt. Et audiui vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte. ℟. Hic eſt Michael Archangelus, princeps militiæ Angelorum: Cuius honor præſtat beneficia populorum, Et oratio perducit ad regna cælorum. ℣. Archangele Chriſti, per gratiã quam meruiſti te deprecamur, vt eripias nos à laqueo mortis. Cuius honor. Gloria Patri. Et oratio.

IN II. NOCTVRNO.

Antiph. Michael præpoſitus paradiſi, quem honorificant Angelorum ciues. Pſalm. Domine, quis habit. 7. Aña Glorioſus apparuiſti in conſpectu Domini: propterea decorem induit te Dominus. Pſal. Exaltabo te Domine. 18. Aña. Angelus Archangelus Michael, Dei nuncius de animabus iuſtis ſuſcipiendis. Pſalm. Omnes gentes. 31. ℣. Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Sermo ſancti Gregorij Papæ.

Homil. 34. in Euang. ante med.

Lectio iv.

NOuem Angelorum ordines eſſe, teſtante ſacro eloquio ſcimus: Angelos, Archangelos, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. Namq. Angelos & Archangelos pene omnes ſacri eloquij paginæ teſtantur: Cherubim vero atque Seraphim ſæpe, vt notum eſt, libri Prophetarũ loquũtur. Quatuor quoq. ordinũ nomina Paulus Apoſtolus ad Epheſios enumerat, dicens: Supra omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem, & Dominationem. ℟. Venit Michael Archangelus cum multitudine Angelorum, cui tradidit Deus animas Sanctorum, Vt perducat eas in paradiſum exultationis. ℣. Data eſt poteſtas Archangelo Michaeli ſuper animas Sanctorum. Vt. Lectio v.

QVi rurſus ad Coloſſenſes ſcribens, ait: Siue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates. Dũ ergo illis quatuor quæ ad Epheſios dixit, coniunguntur Throni, quinq. ſũt ordines: quibus dũ Angeli, Archãgeli, Cherubim, atq. Seraphim adiuncti ſunt, proculdubio nouẽ eſſe Angelorũ ordines inueniũtur.

Sciendum quoque, quòd Angelorum vocabulum nomen eſt officij, non naturæ. Nam ſancti illi cæleſtis patriæ ſpiritus, ſemper quidem ſunt ſpiritus, ſed ſemper vocari Angeli nequaquã poſſunt: quia tunc ſolum ſunt Angeli, cum per eos aliqua nunciantur.

℟. Archangeli Michaelis interceſſione ſuffulti, te Domine deprecamur: Vt quos honore proſequimur, cõtingamus & mente. ℣. Perpetuũ nobis Domine tuæ miſerationis præſta ſubſidiũ, quibus & Angelica præſtitiſti ſuffragia non deeſſe. Vt quos.

Lectio vj.

SI autem qui minima nunciant, Angeli: qui vero ſumma, Archangeli vocantur. Hinc eſt enim, quòd ad Mariam virginem non quilibet Angelus, ſed Gabriel Archãgelus mittitur. Ad hoc quippe miniſterium, ſummum Angelum venire dignũ fuerat, qui ſummum omnium nunciabat. Qui idcirco etiam priuatis nominibus cenſentur, vt ſignetur per vocabula, etiam in operatione quid valeant. Michael namq. quis vt Deus: Gabriel autem, fortitudo Dei: Raphael vero dicitur medicina Dei. Et quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur. ℟. Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: Michael Archãgelus pugnauit cum diabolo: Gratia Dei ille victor in cælis extitit, Et illi hoſti antiquo patuit ruina magna. ℣. Gaudent Angeli, lætantur Archangeli, & collaudãt in cælis Filium Dei. Gratia Dei ille victor. Gloria Patri. Et illi.

IN III. NOCTVRNO.

Antiph. Concuſſum eſt mare, & contremuit terra, vbi Michael Archãgelus deſcendebat de cælo. Pſal. Dominus regnauit, exultet. 63. Añá. Data ſunt ei incenſa multa, vt adoleret ea ante altare aureũ, quod eſt ante oculos Domini. Pſal. Dominus regnauit, iraſcantur. 64. Añá. Laudemus Dominum, quem laudãt Angeli cui Cherubim & Seraphim Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant. Pſal. Benedic, j. 66. ℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 18.

IN illo tempore: Acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Quis putas maior eſt in regno cælorũ? Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 3. Comment. in Matt.

POſt inuentum ſtaterem, poſt tributa reddita, quid ſibi vult Apoſtolorum repentina interrogatio, Quis putas maior eſt in regno cælorum? Quia viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati ſunt Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: ideo interrogant, quis maior ſit in regno cælorum. ℟. In conſpectu gentium nolite timere, vos enim in cordibus veſtris adorate, & timete Dominum: Angelus enim eius vobiſcum eſt. ℣. Canta-

te ei

te ei canticum nouum, bene pſallite ei in vociferatione. Angelus.

Lectio viij.

NIſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Non præcipitur Apoſtolis vt ætatem habeant paruulorum, ſed vt innocentiam, & quod illi per annos poſſident, hi poſſideant per induſtriam, vt malitia, non ſapientia paruuli ſint. Quicumque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum. Sicut iſte paruulus (cuius vobis exemplum tribuo) non perſeuerat in iracundia, non læſus meminit, non videns pulchram mulierem delectatur non aliud cogitat & aliud loquitur: ſic & vos, niſi talē habueritis innocentiā & animi puritatem, non poteritis regnum cælorum intrare. ℟. In conſpectu Angelorum pſallam tibi, & adorabo ad templum ſanctum tuum, Et cõfitebor nomini tuo Domine. ℣. Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te. Et.

Lectio ix.

VIdete ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei. Magna dignitas animarū, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiā ſui Angelum delegatū. Vnde legimus in Apocalypſi Ioannis: Angelo Epheſi, & reliquarum Eccleſiarum, ſcribe hæc. Apoſtolus quoque præcipit velari capita in Eccleſijs feminarum propter Angelos. ℟. Te ſanctum Dominum in excelſis laudant omnes Angeli, dicētes: Te decet laus, Et honor Domine. ℣. Cherubim quoque, & Seraphim Sanctus proclamant: & omnis cælicus ordo, dicētes. Te decet. Gloria Patri. Et honor. ℣. Glorioſus apparuiſti in conſpectu Domini. ℟. Propterea decorem induit te Dñs.

IN LAVDIBVS, Antiphona.

DVm præliarentur Michael Archangelus cum dracone, audita eſt vox dicentium: Salus Deo noſtro, alleluia. Pſalm. Dominus regnauit. cum ceteris. Añ. Dum committeret bellum draco cum Michaele Archāgelo, audita eſt vox millia milliū dicentium: Salus Deo noſtro. Añ. Archāgele Michael conſtitui te principem ſuper omnes animas ſuſcipiendas. Añ. Angeli Domini, Dominum benedicite in æternum. Añ. Angeli & Archangeli, Throni & Dominationes, Principatus & Poteſtates, Virtutes cælorum laudate Dominum de cælis, alluia. Capitul. Significauit.

Hymnus.

CHriſti ſanctorum decus Angelorum,
Auctor humani generis, & rector,
Nobis æternum tribue benignus
Scandere cælum.
Angelum pacis Michael ad iſtam
Cælitus mitti rogitamus aulam:
Nobis vt crebro veniente, creſcant
Proſpera cuncta.
Angelus fortis Gabriel, vt hoſtem
Pellat antiquum, volitet ab alto,
Sæpius templum veniens ad iſtud
Viſere noſtrum.

Angelum nobis medicum ſalutis
Mitte de cælis Raphael, vt omnes
Sanet ægrotos, pariterque noſtros
Dirigat actus.
Hinc Dei noſtri Genitrix Maria,
Totus & nobis chorus Angelorum
Semper aſſiſtat, ſimul & beata
Concio tota.
Præſtet hoc nobis Deitas beata
Patris ac Nati, pariterque ſancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

℣. Adorate Deum. ℟. Omnes Angeli eius. Ad Benedictus, Antiphona. Factum eſt ſilentium in cælo, dum draco committeret bellum: & Michael pugnauit cum eo, & fecit victoriam, alleluia.

Ad Tertiam, Capitulum. Significauit. ℟. Stetit Angelus iuxta aram templi, Alleluia, alleluia. Stetit. ℣. Habens thuribulum aureum in manu ſua. Alleluia. Gloria Patri. Stetit. ℣. Aſcendit fumus.

Ad Sextam, Capitulum. *Apoc.* 12.

Factum eſt prælium magnum in cælo, Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius: & non præualuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cælo. ℟. Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini, Alleluia, alleluia. Aſcendit. ℣. De manu Angeli. Alleluia. Gloria Patri. Aſcendit. ℣. In conſpectu Angelorum.

Ad Nonam, Capitulum. *Apoc.* 5.

Audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum: & erat numerus eorum millia millium, voce magna dicentium: Salus Deo noſtro. ℟. In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus, Alleluia, alleluia. In conſpectu. ℣. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Alleluia. Gloria. In conſpectu. ℣. Adorate Deũ. ℟. Omnes Angeli eius.

Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona. Dum præliaretur. Pſalm. Dixit Dominus. 75. Confitebor. Beatus vir. Laudate pueri. Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audiſti. 92. Capitulum, Hymnus, vt in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona. Archangeli Michaelis interuentione ſuffulti, te Domine deprecamur: vt quos honore proſequimur, contingamus & mente, alleluia.

Infra Octau. ad Benedictus, & ad Magnif. Antiphonæ vt in Die. Infra Octa. quando dicitur in Matutin. Antiph. Stetit Angelus. & eſt dicendus ſecundum Feriam. ℣. Stetit Angelus. dicatur loco eius. ℣. Aſcendit fumus aromatum. & è conuerſo.

Die xxx. Septembris.

IN FESTO S. HIERONYMI

Presbyteri. Confeſſ. ac Eccleſiæ Doctoris. Totum Duplex.

Oratio.

Deus, qui Eccleſiæ tuæ in exponendis ſacris Scripturis beatum Hieronymum confeſſorem tuum, Doctorem Maximum prouidere dignatus es: præſta quæſumus, vt eius ſuffragan-

Digitized by Google

fragantibus meritis, quod ore ſimul & opere docuit, te adiuuante exercere valeamus. Per Dominum noſtrum.

IN I. NOCTVRNO

De Libro Iob. Lectio j. C. 28.

HAbet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt, in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur: & lapis ſolutus calore, in æs vertitur. Tempus poſuit tenebris, & vniuerſorum finem ipſe conſiderat, lapidem quoque caliginis, & vmbram mortis. Diuidit torrens à populo peregrinante, eos, quos oblitus eſt pes egentis hominis, & inuios. Terra, de qua oriebatur panis in loco ſuo, igni ſubuerſa eſt. Locus ſapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum. Lectio ij.

SEmitam ignorauit auis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis. Non calcauerunt eam filij inſtitorum, nec pertranſiuit per eam leæna. Ad ſilicē extendit manum ſuam, ſubuertit à radicibus montes. In petris riuos excidit, & omne pretioſum vidit oculus eius. Profunda quoque fluuiorū ſcrutatus eſt, & abſcondita in lucem produxit. Lectio iij.

SApientia vero vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligentiæ? Neſcit homo pretium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Abyſſus dicit: Non eſt in me: & mare loquitur: Non eſt mecum. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi ſardonycho pretioſiſſimo, vel ſapphiro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vaſa auri.

IN II. NOCTVRNO.

Partim ex ipſius Scriptis, partim ex grauiſſimis Auctoribus, & ex Romano Breuiario. Lectio iv.

HIronymus, Euſebij filius, Stridone in Dalmatia, Conſtantio Imperatore natus, Romæ adoleſcens eſt baptizatus, & in liberalibus diſciplinis à Donato, & alijs viris doctiſſimis eruditus. Tum diſcendi ſtudio Galliam peragrauit: vbi pios aliquot, & in diuinis litteris eruditos viros coluit, multoſque ſacros libros ſua manu deſcripſit. Mox Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam luſtrans, per Ciliciam in Syriam deſcendit: vbi in ea eremi parte, quæ inter Syros & Saracenos vaſtum limitem ducit, ac Chalcidis Prouinciæ erat, monachi inſtitutum ardenti ſtudio exercuit. Lectio v.

DE cuius tunc vitæ ratione hæc ipſemet refert: O quoties ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe delicijs! Sedebam ſolus, qui amaritudine plenus eram: horrebant ſacco membra deformia, & ſquallidum cutis ſitum Aethiopicæ carnis obduxerat: quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: & ſi quando repugnantē ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebā. De cibis vero

& potu taceo, cum etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit.

Lectio vj.

Ille igitur ego, qui ob gehēnæ metum, tali me carcere ipſe damnaueram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum; ſæpe choris intereram puellarū: pallebant ora ieiunijs, & mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſua iam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio deſtitutus, ad Ieſu iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam. Memini me clamantem diem crebro iunxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas: & vt ipſe teſtis eſt Dominus, poſt multas lacrymas, poſt cælo inhærentes oculos, nonnumquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

Presbyter à Paulino Epiſcopo Antiochiæ factus, Conſtantinopolim profectus: ibi Gregorio Nazianzeno eius vrbis Epiſcopo operā dedit: quo doctore ſe ſacras litteras didiciſſe profitetur. Deinde cum ſanctis Epiſcopis Paulino & Epiphanio Romam venit: vbi Damaſo Pontifici in Eccleſiaſticis Epiſtolis ſcribendis adiutor fuit. Verū cum priſtinæ ſolitudinis deſiderio teneretur, in Orientem reuerſus, Bethlehem ad Chriſti Domini præſepe, in monaſterio, quod à Paula Romana extructum erat, cæleſtem quamdam vitæ rationem inſtituit.

Lectio viij.

Tamquam ad oraculum ex omnibus orbis terræ partibus ad ipſum diuinæ Scripturæ quæſtiones explicandæ referebantur. Illum ſanctus Auguſtinus de locis Scripturæ difficillimis ſæpe conſuluit, propter eius ſingularem doctrinam, & linguæ non ſolum Latinæ & Græcæ, ſed Hebraicæ etiam & Chaldaicæ intelligentiam, & quòd omnes pene Scriptores, eiuſdem Auguſtini teſtimonio, legerat: infatigabili ſtudio in legendo ac ſcribendo perpetuo vſus. Hæreticos acerrimis ſcriptis exagitauit: piorum & Catholicorum patrocinium ſemper ſuſcepit.

Lectio ix.

Vetus Teſtamentum ex Hebræo conuertit: nouum iuſſu Damaſi Græcæ fidei reddidit: magna etiam ex parte explicauit. Multa præterea Latine reddidit ſcripta doctorum virorum: & ipſe alijs proprij ingenij monumentis Chriſtianam diſciplinam plurimum illuſtrauit. Qui fracta laboribus, morbis, ac ſtudijs ſenectute, ſanctitate & doctrina illuſtris, Honorio Imperatore ad æternam felicitatem commigrauit. Cuius egregias laudes cum omnes ſint admirati, ſeorſim ſanctus Auguſtinus haud ſemel mirifice prædicauit: quem Latinæ, Græcæ ac Hebraicæ linguæ peritia clarum ab Oriente vſque ad Occidentem, inſtar lampadis reſplenduiſſe, commendat.

PRI-

P R I M A D I E.

Infra Octa. Angelorum.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

In ſoliloquijs. Lectio iij.

Dilexiſti me vnice amor meus, antequam diligerem te: & ad imaginem tuam creaſti me. Omnibus creaturis præpoſuiſti me. Quam dignitatẽ nunc quidem ſeruo, cum nouerim te: propter quam feciſti me. Inſuper facis Angelos tuos ſpiritus propter me: quibus mandaſti, vt cuſtodiant me in omnibus vijs meis, ne forte offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim ſunt cuſtodes ſuper muros ciuitatis tuæ nouæ Ieruſalem, & montes in circuitu eius, vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem tuum.

S E C V N D A D I E.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

In ſoliloquijs. Lectio iij.

Diligunt nempe Angeli ſancti tui conciues ſuos: per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras inſtaurari expectãt. Ideoque magna cura, & vigilãti ſtudio adſunt nobis omnibus horis, & locis, ſuccurrentes, & prouidentes neceſſitatibus noſtris, & ſolliciti, diſcurrentes inter nos, & te Domine: gemitus noſtros, atque ſuſpiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilẽ tuæ benignitatis propitiationẽ: & referant ad nos deſideratã tuæ gratiæ benedictionem.

T E R T I A D I E.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

In ſoliloquijs. Lectio iij.

Ambulant nobiſcum in omnibus vijs noſtris: intrant, & exeunt nobiſcum, attente conſiderantes quàm pie, quamque honeſte in medio prauæ nationis conuerſemur: quantoque ſtudio, & deſiderio quæramus regnum tuum. Adiuuant laborantes, protegũt quieſcentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes: congaudẽt gaudẽtibus, de te, inquam, gaudẽtibus: compatiuntur patientibus, pro te, inquam, patientibus. Grandis eſt eis cura de nobis, magnus eſt affectus dilectionis eorum erga nos: & hoc totum propter honorem tuæ inæſtimabilis charitatis, qua dilexiſti nos.

FESTA OCTOBRIS.

Dominica prima Octobris, hoc eſt propinquiori Kalendis intra ipſum menſem, ſemper celebrabitur Feſtum Beatiſſimæ Mariæ ſub nomine Sanctiſſimi Roſarij. Et ſi ea die Feſtũ aliquod euenerit, etiam Dedicationis Eccleſiæ, vel Sancti extraordinarij, transferatur. Si vero tale Feſtum erit de Sancto qui ſit Patronus Ciuitatis de præcepto, vel Titulus Eccleſiæ, tũc in ſequenti Dominica fiet de Roſario, & in ipſa prima de illo Sancto.

IN FESTO SANCTISSIMI Roſarij Beatiſſ. Virg. Mariæ. Totum Dupl. Fiant omnia vt in Feſto Natiu. eiuſdem. 803. mutato nominẽ, Natiuitatis in Solemnitatis. præter ea quæ hic ponuntur.

IN PRIMO NOCTVRNO.

De Canticis Canticorum.

Lectio j. C. 2

Ego flos campi, & lilium conuallium. Sicut lilium inter ſpinas, ſic

amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna ſiluarum, ſic dilectus meus inter filios. Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas ceruosq. camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectā, quoaduſque ipſa velit.

De Libro Prouerbiorum.

Lectio ij. C. 8.

Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant ad me, inuenient me. Mecū ſunt diuitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia. Melior eſt enim fructus meus auro, & lapide pretioſo, & genimina mea argento electo. In vijs iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij: vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret.

De Libro Eccleſiaſtici.

Lectio iij. C. 39.

Obaudite me diuini fructus, & quaſi roſa plantata ſuper riuos aquarum fructificate. Quaſi Libanus odorem ſuauitatis habete. Florete flores, quaſi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus ſuis. Date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum veſtrorum, & in canticis labiorum, & citharis, & ſic dicetis in confeſſione: Opera Domini vniuerſa bona valde.

IN II. NOCTVRNO

Ex Hiſtorijs Ordinis Prædicatorum.

Lectio iv.

Cvm Albigenſium nefaria hæreſis, ſacro ſānctæ matris Dei dignitati potiſſimū infeſta in regione Toloſatium impie graſſaretur, beatiſſimus Pater Dominicus qui eo tēpore Prædicatorum Ordinis fundamenta iecit, diuino incenſus ardore, Toloſam ad debellandos hæreticos, & fidem Catholicam propugnandam ſe contulit. Vbi cum omnia hæreſum ac vitiorum incēdio deflagrare vidiſſet, ad ſacram anchoram beatiſſimam Virginem ſe conuertit: precibus eam aſſiduis interpellat, vt tantæ malorum inundationi ſua benignitate ſubueniat. Admonet ipſū diuinitus cælorū Regina, ac iubet vt Roſarium populis omni mentis feruore prædicet. Hoc eſſe vnicum ac ſingulare ad euertendas hæreſes, & vita extinguenda præſidium.

Lectio v.

Eſt autem Roſarium ſiue Pſalterium ſacra quædam formula precandi Deum in honorē Mariæ: qua, centies & quinquagies recitata Angelica ſalutatione inſtar Dauidici Pſalterij, & cuilibet decadi interiecta Oratione Dominica, per quindecim decades, quindecim præcipua humanæ inſtaurationis myſteria pijs meditationibus

nibus percenſentur. Huius autem adeo præclari inuenti, beatiſſima Deipara edocente, auctorem fuiſſe ſanctũ Dominicum certum eſt, quod etiam Romani Pontificis Leo Decimus, Pius Quintus, Gregorius Tertiusdecimus, ac Sixtus Quintus, Apoſtolicis deplomatibus profitentur. Cœpit ergo ſaluberrimum Roſarij inſtitutum per beatum Dominicum eiuſq. Fratres Prædicatores incredibili cum animarum fructu vbique propagari, erectæque ſunt eiuſdẽ complures Societates. Lect. vj.

SEd cum, beato Dominico morte in cælum recepto, celebris conſuetudo vel hominum negligentia, vel dæmonis arte paulatim cœpiſſet excidere, vt pene iam extincta videretur, ſacratiſſima Virgo immenſo circumdata lumine, Fratri Alano Britanno eximio concionatori ſe viſendam exhibuit: atque monuit, vt tum ipſe, tum eius ſocij Prædicatores, collapſam ſacri Roſarij deuotionem totis viribus reſtituere conarentur. Siquidem hoc genus orandi promptum ac facile, eſſe ſibi gratiſſimum, ad impetrandum diuinam miſericordiam accommodatiſſimum: populis ſalutare, & contra quæuis aduerſa præſens auxilium. Sed & Priorem Conuentus Prædicatorum Coloniæ ciuitatis eadem ſanctiſsima Virgo ad eundem inſtaurandum ſacrũ ritum, cum ſe illi feciſſet conſpicuam, vehementer accendit.

IN III. NOCTVR. Lectio vij.

VIx verbis exprimi poteſt, quantum prædicatione & opera Fratrum Prædicatorum diuina iſta deuotio in Chriſtiano populo vbique promouerit: quot quantæq. in honorem Dei Genitricis ſub Roſarij nomine fũdatæ ſint Societates, in quas Reges, Principes, Imperatores, atque Eccleſiæ Præſides pro ſummo ducunt honore cooptari. Romani etiam Pontifices innumeris indulgentijs, priuilegijs, fauoribus atque gratijs ſacrum iſtud Roſarij inſtitutum proſequentes egregie ornarunt. Sed cumprimis ipſa beatiſsima Dei parens Maria, quod ipſa mundo contulit ſalutare Roſarij donum, mirifice fouet & auget, cultores eius ingentibus afficit beneficijs, & clariſsimis miraculis illuſtrat.

Lectio viij.

INter quæ illud merito ſingulariſsimum celebratur, quo Dei Genitricis auxilio ſacri Roſarij precibus implorato, anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, ſeptima Octobris, quæ Dominica fuit, ad Naupactum Achaici ſinus, de Turcarum claſſe viribus & numero longe maiore à Chriſtianis principibus nauali bello maxima poſt hominum memoriam victoria parta eſt. Cum enim ea die per vniuerſum Chriſtianum orbẽ Sodalitates Roſarij pias preces ac proceſsiones ad ſacram Virginem de more haberent, ab omnibus fidelibus pie creditum eſt; eiuſmodi preces ad obtinendam Dei Genitricis opem pro Chriſtiana claſſe plurimum profuiſſe. Quod & Gregorius Tertiusdecimus litteris Apoſtolicis aperte teſtatus eſt.

Lectio

Lectio ix.

QVocirca Sanctiſſimus Pontifex Clemens Octauus Apoſtolica auctoritate confirmans Feſtũ Roſarij Dominica prima Octobris à Gregorio Tertiodecimo inſtitutum: publicis Eccleſiæ Tabulis hæc inſcribenda præcepit: Die ſeptimo Octobris Commemoratio Sanctæ Mariæ de Victoria, quam Pius Quintus Pontifex Maximus, ob inſignem victoriã à Chriſtianis bello nauali eiuſdẽ Dei Genitricis auxilio hac ipſa die de Turcis reportatam, quotannis fieri inſtituit: & Gregorius Tertiusdecimus prima huius menſis Dominica die, annuam Solemnitatem Roſarij eiuſdem beatiſſimæ Virginis celebrandum decreuit.] Feſtiuis igitur hodie ſacratiſſimam Virginem laudibus celebramus, quòd & ſanctum Roſarium, & per illud innumera nobis beneficia contulerit. ℟. Felix namque es ſacra virgo Maria, & omni laude digniſſima, Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter. ℣. Ora pro populo interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam ſolemnitatem. Quia ex te. Gloria Patri. Chriſtus Deus.

Die iiij. Octobris.

IN FESTO S. FRANCISCI Confeſſoris. Totum Duplex.

Oratio.

DEus, qui Eccleſiam tuam beati Franciſci meritis, fetu nouæ prolis amplificas: tribue nobis ex eius imitatione terrena deſpicere, & cæleſtiũ donorum ſemper participatione gaudere. Per Dominum.

IN II. NOCTVRNO.

Ex S. Bonauentura, S. Antonino, & alijs, & ex Romano Breuiario.

Lectio iv.

FRanciſcus, Aſſiſij in Vmbria natus, patris exemplum ſecutus, à prima ætate mercaturam fecit. Qui quodam die pauperem, pro Chriſti amore flagitantem pecuniam, cum præter conſuetudinem repuliſſet: repente eo facto commotus, large ei miſericordiam impertiuit: & ex eo die Deo promiſit, ſe nemini vnquam poſcenti eleemoſynam negaturum. Cum vero poſt in grauem morbum incidiſſet, ex eo aliquando confirmatus, cœpit ardentius colere officia charitatis.

Lectio v.

QVa in exercitatione tantum profecit, vt Euangelicæ perfectionis cupidus, quidquid haberet, pauperibus largiretur. Quod ferens iniquius pater, eum ad Aſſiſinatem Epiſcopum duxit, vt coram illo bonis cederet paternis: qui reiectis etiam veſtibus, patri conceſſit omnia, illud ſubiungens, ſibi in poſterum maiorem facultatem fore dicendi: Pater noſter, qui es in cælis.

Lectio vj.

CVm autem illud ex Euangelio audiſſet: Nolite poſſidere aurũ, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta: ſibi

eam

eam regulam ſeruandam propoſuit. Itaque detractis calceis, & vna contentus tunica, cum duodecim ſocios adhibuiſſet, Ordinem Minorum inſtituit. Quare Romam venit anno Salutis milleſimo ducenteſimo nono, vt ſui Ordinis regula ab Apoſtolica Sede confirmaretur.

IN III. NOCTVRNO

Lectio vij.

Verum cum accedentem ad ſe pro Ordinis confirmatione Franciſcum ſummus Pontifex Innocentius Tertius reieciſſet, quòd in ſomnis poſtea ſibi ille, quem repulerat, collabentem Lateranenſem Baſilicam ſuis humeris ſuſtinere viſus eſſet, conquiſitum accerſiri iuſſit: benigneque accipiens, omnem eius inſtitutorum rationem approbauit, cuius poſtea Ordinem Honorius Tertius Innocentij ſucceſſor confirmauit. Franciſcus igitur, dimiſsis in omnes orbis terræ partes Fratribus ad prædicandum Chriſti Euangelium, ipſe cupiens ſibi aliquã dari martyrij occaſionem, nauigauit in Syriam, vbi à Rege Soldano liberaliſsime tractatus, cum nihil proficeret, redijt in Italiam.

Lectio viij.

Multis igitur extructis ſuæ familiæ domicilijs, ſe in ſolitudinẽ montis Aluerni contulit: vbi quadraginta diebus, propter honorem S. Michaelis Archangeli, in ieiunio & oratione conſumptis, feſto die Exaltationis ſanctæ Crucis ei Seraphim Crucifixi effigiem inter alas continens, apparuit: qui eius manibus & pedibus & lateri veſtigia clauorum impreſsit: quæ ſanctus Bonauentura, cum Alexandri quarti ſummi Pontificis prædicationi intereſſet, narraſſe Pontificem à ſe viſa eſſe, litteris commendauit.

Lectio ix.

His inſignibus ſummi in eũ Chriſti amoris, maximam habebat omnium admirationem. Ac biennio poſt grauiter ægrotans, deferri voluit in Eccleſiam ſanctæ Mariæ Angelorũ: vt vbi gratiæ ſpiritum à Deo acceperat, ibi ſpiritum vitæ redderet. Eo in loco Fratres ad paupertatẽ ac patientiam, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidem ſeruandam cohortatus, Pſalmum illum pronuncians, Voce mea ad Dominum clamaui: in eo verſiculo, Me expectant iuſti donec retribuas mihi: efflauit animam, quarto Nonas Octobris. Quem miraculis clarum Gregorius Nonus Pontifex maximus in Sanctorum numerum ſcripſit.

Die v. Octobris.

IN FESTO SS. PLACIDI ac Sociorum Martyrum. Simplex.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui hodierna die beatum Placidum cum ſocijs ſuis per martyrij palmam ad regna ſiderea ſubleuaſti: concede propitius, vt quod in eorum feſtiuitate depoſcimus, ipſorum interceſſione conſequi mereamur. Per Dominum noſtrum Ieſum.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Leone Oſtiẽſi, & alijs, ac Rom. Breu.

Lectio

Lectio iv.

PLacidus Romæ, Tertullo patre inprimis nobili natus puer Deo oblatus, & ſancto Benedicto traditus, tantum eius diſciplina & monaſticæ vitæ inſtitutis profecit, vt inter præcipuos illius diſcipulos numeretur. Ab eo in Siciliam miſſus, monaſteriū & Eccleſiam in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ prope Meſſanæ portum conſtruxit, vbi cum monachis admirabili ſanctitate vixit. Lectio v.

EIus viſendi cauſa cum eò veniſſent Eutychius & victorinus illius fratres, & Flauia virgo ſoror, eodem tempore illuc appulit immanis quidam pirata, Manucha nomine: qui capto Monaſterio, cum Placidum & ceteros nullo modo adducere potuiſſet vt Chriſtum negarent, ipſum fratreſque illius ac ſororē crudeliter necari iuſſit. Cum quibus etiam Donatus, Firmatus Diaconus, Fauſtus, alijque triginta monachi, martyrij agonem feliciter conſummarūt tertio Nonas Octobris, anno Salutis quingenteſimo trigeſimo anno. Lectio vj. Quàm ſpecioſa. De Communi Martyrum. & Tres aliæ ibidem ſequentes pro Tertio Nocturno.

Die vi. Octobris.

IN OCTAVA

Angelorum. Simplex.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo ſancti Gregorij Papæ.

Homil. 34. in Euang. Lectio iv.

SEd quia Angelorum nomina interpretando perſtrinximus, nunc ſupereſt, vt ipſa officiorum vocabula breuiter exequamur. Virtutes etenim vocantur illi nimirū ſpiritus, per quos ſigna, & miracula frequentius fiunt. Poteſtates vocantur hi, qui hoc potentius ceteris in ſuo ordine perceperunt: vt eorum ditioni virtutes aduerſæ ſubiectæ ſint, quorum poteſtate refrænantur, ne corda hominum tantum tentare præualeant, quantum volunt.

Lectio v.

PRincipatus etiam vocantur, qui ipſis quoque bonis Angelorum ſpiritibus præſunt, qui ſubiectis alijs dum quæque ſunt agenda diſponunt, eis ad explēda diuina miniſteria principantur. Dominationes autem vocantur, qui etiam Poteſtates principatuum diſſimilitudine alta tranſcendunt. Nam principari eſt inter reliquos priorem exiſtere: dominari vero eſt etiam ſubditos quoſque poſſidere.

Lectio vj.

THroni quoque illa agmina ſunt vocata, quibus ad exercenda iudicia ſemper Deus omnipotens præſidet. Quia enim thronos Latino eloquio ſedes dicimus, Throni Dei dicti ſunt, hi qui tanta diuinitati gratia replentur, vt in eis Dominus ſedeat, & per eos ſua iudicia decernat. Vnde & per Pſalmiſtam dicitur: Sedes ſuper Thronum, qui iudicas æquitatem.

IN III. NOCTVRNO

Lectio vij.

CHerubim quoque plenitudo ſciētiæ dicitur. Et ſublimiora illa agmina idcirco Cherubim vocata ſunt,

Digitized by Google

ſunt, quia tantò perfectiori ſcientia plena ſunt, quanto claritatem Dei vicinius contemplantur: vt ſecundum creaturæ modũ, ea plene omnia ſciãt, quo viſioni conditoris ſui per meritũ dignitatis appropinquant. Seraphim etiam vocantur illa ſpirituũ ſanctorũ agmina, quæ ex ſingulari propinquitate conditoris ſui incomparabili ardẽt amore: Seraphim namq; ardentes, vel incendentes vocantur. Lectio viij.

Sed hæc, fratres chariſſimi, me loquente, introrſus vos ad vóſmetipſos reducite, ſecretorum veſtrorum merita cogitationeſq; diſcutite. Videte ſi in numero horũ agminũ, quæ breuiter tangendo perſtrinximus, ſortem veſtræ vocationis inuenitis. Væ autem animæ, quæ in ſe de his bonis quæ enumerauimus, minime aliquid recognoſcit: eique adhuc væ deterius imminet, ſi & priuatam ſe donis intelligit, & nequaquam gemit. Lectio ix.

Quiſquis ergo talis eſt, fratres mei, gemendus eſt valde, quia nõ gemit. Penſemus ergo accepta electorum munera, & virtute qua poſſumus, ad amorem tantæ ſortis anhelemũs. Qui in ſe donorum gratiam minime recognoſcit, gemat. Qui vero in ſe minora cognoſcit, alijs maiora non inuideat: quia & ſupernæ illæ diſtinctiones beatorum ſpirituum ita ſunt conditæ, vt aliæ alijs ſint prælatæ. Suſpiremus ergo ad eos de quibus loquimur. *Die vij. Octobris.*

SANCTI MARCI PAPAE & Confeſſ. Tres Lectiones. Oratio.

Exaudi Domine preces noſtras: & interueniente beato Marco confeſſore tuo atque Pontifice, ſupplicationes noſtras placatus intende. Per.

Ex Lib. de Romanis Pontificibus, & ex Romano Breuiario. Lectio iij.

Marcus Romanus, Conſtantino Magno Imperatore Pontifex, inſtituit, vt Epiſcopus Oſtienſis, à quo Romanus Pontifex conſecratur, pallio vteretur. Duas Romæ Baſilicas ædificauit, alteram in Vrbe, alteram via Ardeatina: quas Conſtãtinus auctas, magnis muneribus exornauit. Vixit in Pontificatu menſes octo, ſepultuſque eſt in cœmeterio Balbinæ.

EODEM DIE.

Memoria in Laudibus Sanctorũ Sergij, Bacchi, Marcelli, & Apuleij Martyrum. Oratio.

Sanctorum martyrum tuorum nos Domine Sergij, Bacchi, Marcelli, & Apuleij beata merita proſequãtur: & tuo ſemper faciant amore feruentes. Per Dominum. *Die viij. Octobris.*

IN FESTO S. REMIGII Epiſc. & Confeſſ. Tres Lect. Oratio.

Deus, qui populo tuo æternæ ſalutis beatũ Remigium miniſtrũ tribuiſti: præſta quæſumus, vt quem doctorẽ vitæ habuimus in terris, interceſſorẽ habere mereamur in cælis. Per.

Ex S. Gregorio Turonẽſi, ex Fortunato, Hincmaro, & alijs, ac Rom. Breuiario. Lectio iij.

Remigius Epiſcopus Rhemenſis, floruit Clodoueo rege Francorum,

rum, quem etiam baptizauit, & primus omnium doctrina & miraculis Francos ad Chriſti fidem perduxit: Francorum ob id Apoſtolus merito appellatus. In quorum conuerſione claruiſſe Remigium plurimis & Apoſtolorum temporibus æquiparandis miraculis, beatus Hormiſdas Papa teſtatus eſt. Ac inter alia illud cum primis celebratur illuſtre: nempe ampullam chriſmatis columbæ ore cælitus deuolantis allatam, qua tum fons ipſe baptiſmatis, tum etiam rex Clodoueus ſacratus & obunctus fuit. Remigius igitur poſt multos diuinæ Scripturæ libros ab ſe interpretatos, poſt plurimos annos, quibus ſumma cum laude Rhemenſem Eccleſiam adminiſtrauit, ſanctitate, doctrina, ac miraculis fulgens in cæleſtem gloriam euolauit.

Die ix. Octobris.

IN FESTO SANCTORVM

Martyrum Dionyſij Sociorumq. eius,

Totum Duplex. Ora. 9.

DEus, qui hodierna die beatum Dionyſium martyrem tuum atque Pontificem virtute conſtantiæ in paſſione roboraſti, quique illi ad prædicandum gentibus gloriam tuam Ruſticum & Eleutherium ſociare dignatus es: tribue nobis quæſumus, ex eorum imitatione, pro amore tuo proſpera mundi deſpicere, & nulla eius aduerſa formidare. Per Dominum.

IN I. NOCTVRNO.

De Actibus Apoſtolorũ. Lect. j. C. 17

STans autẽ Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. Prætereiens enim, & videns ſimulacra veſtra, inueni & aram, in qua ſcriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cum ſit Dominus, non in manu factis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, inſpirationẽ, & omnia.

Lectio ij.

FEcitque ex vno omne genus hominũ inhabitare ſuper vniuerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum ſi forte attrectent eum aut inueniant; quamuis non longe ſit ab vnoquoque noſtrum. In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus: ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus. Genus ergo cũ ſimus Dei, non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogitationis hominis, Diuinum eſſe ſimile.

Lectio iij.

ET tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nũc annunciat hominibus vt omnes vbique pœnitentiam agant, eo quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis. Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant: quidã vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterũ. Sic Paulus

Digitized by Google

exiuit de medio eorum. Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cũ eis.

IN I. NOCTVRNO.

Ex Metaphraſte, & ex vetuſtis tum Græcis, tum Latinis monumentis ab Hilduino Abbate, & Hincmaro Rhemenſi Epiſcopo collectis, & ex Romano Breuiario. Lectio iv.

Dionyſius Athenienſis, vnus ex Areopagitis iudicibus, vir fuit omni doctrinæ genere inſtructus. Qui dum adhuc in Gentilitatis errore verſaretur, eo die quo Chriſtus Dominus cruci affixus eſt, ſolem præter naturam defeciſſe animaduertens, exclamaſſe traditur: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina diſſoluitur. De quo ſolis defectu ipſe Dionyſius ad Appollophanem ſcribens, hæc prodit: Heliopoli tu quidem pene mihi coæuus, & ego quinque & viginti ferè annorum tempus exoluens, vnà morantes conſtiteramus, cum Feria quadam ſexta, & hora etiam pene ſexta, ſol horribilibus ſubito eſt obſitus tenebris, luna ipſum intercurrente: quia non Deus, ſed creatura Dei in ipſius veræ lucis occubitu lucere non potuit.

Lectio v.

Offuſi enim tenebris ipſi eramus, orbem ſolis vndequaque & ex æquo occupante caligine, & poſtquã repurgatio & reſtitutio facta eſt, luna ad ſolis diametrum conuerſa aufugit. Et tunc quoque regulam Philippi Aridæi aſſumpſimus, Cumque reperiſſemus, quod & erat notiſſimum, eo tempore ſolem eclipſis moleſtias laboreſque ſubiiſſe perſpexiſſe, ac nihilominus lunam ab Oriente ſolarem ſplendorem pullis nigrantibuſque velis obduxiſſe, cum ſoleat ex occidua parte ſolem ingredi: tunc autem opifices lucis theſauros caliginibus, quas ipſa genuerat, ad occiduos vſque ſolis fines peruagata (vt ipſi putauimus) occultauit; cum tamen & lunæ id tempus deeſſet, nec coitus vicinum tempus eſſe cognoſceretur.

Lectio vi.

Aio ad te (neque enim adhuc myſterij tantæ rei conſcius eram:) O ingentis prudentiæ promptuarium, quid, inquam, ô doctrinæ ſpeculum Apollophanes, his ſecretis adſcribis? Ad hæc, neſcio quo pacto, diuino quodam afflatu, & non humani ſenſus ſermonem ſubintuliſti: Hæ, o bone Dionyſi, diuinarum viciſſitudines ſunt rerum. Denique vero adnotatum diligenter Feriæ diem, & annum, annunciatione quam facer Paulus noſtris attentis auribus infudit, conſentientibus ſignis conſpirare & concordare expertus, manus veritati ſubmiſi, & ex falſitatis nexibus ſum abſolutus.]

IN II. NOCTVRNO.

Lectio vij.

Igitur cum Paulus Apoſtolus veniens Athenas, & in Areopagum ductus, rationem reddidiſſet eius doctrinæ, quam prædicabat, affirmans Chriſtum Dominum reſurrexiſſe, & mortuos omnes in vitã redituros eſſe;

cum alij multi, tum ipſe Dionyſius in Chriſtum credidit. Itaque & baptizatus eſt ab Apoſtolo, & Athenienſium Eccleſiæ præfectus. Poſt hæc interfuiſſe ſe Ieroſolymæ cum Apoſtolis, exequijs ſacro ſanctæ Deiparæ, ipſe teſtatur.

Lectio viij.

QVi cum poſtea Romam veniſſet, à Clemente Pontifice miſſus eſt in Galliam prædicandi Euangelij cauſa. Quem Lutetiam vſque Pariſiorũ Ruſticus Presbyter, & Eleutherius Diaconus proſecuti ſunt: vbi à Feſcēnio Præfecto, quòd multos ad Chriſtianam religionem conuertiſſet, ipſe cum ſocijs virgis cæſus eſt: cumque in prædicatione Chriſtianæ fidei cõſtantiſſime perſeueraret, in craticulã ſubiecto igne inijcitur, multiſq. preterea ſuplicijs vnà cum ſocijs cruciatur.

Lectio ix.

SEd ea tormentorum genera omnibus forti ac libenti animo perferentibus, Dionyſius annum agens ſupra centeſimũ, cum reliquis ſecuri percutitur ſeptimo Idus Octobris. De quo illud memoriæ proditum eſt; abſciſſum ſuum caput ſuſtuliſſe; & progreſſum ad duo millia paſſuum in manibus geſtaſſe. Libros ſcripſit admirabiles, ac plane cæleſtes, de Diuinis nominibus, de cæleſti & Eccleſiaſtica Hierarchia, de myſtica Theologia, & alios quoſdam. Cuius etiam ſcripta miraculis fuiſſe illuſtrata produntur.

Die xi. Octobris.

IN FESTO SANCTI Leodegarij Epiſcopi & Mart. Tres Lectiones.

Oratio.

LAetetur Eccleſia tua, Deus, beati Leodegarij martyris tui atque Pontificis confiſa ſuffragijs: atque eius precibus glorioſis, & deuota permaneat, & ſecura conſiſtat. Per Dominum.

Ex Vrſino, alijſque. Lectio ij.

BEatus Leodegarius Auguſtodunenſis Epiſcopus, dum ſanctitate, & virtutibus polleret, mortuo Clothario Francorũ Rege de voluntate Dei, & Principum conſilio, Childericum fratrem demortui Regis in Regem præfecit. Sed cum Ebroinus, qui ſub Clothario rege Maiordomus fuerat, Theodoricum fratrẽ Childerici, Regem facere niteretur, conatur fruſtrato, nouum metuens Regem, in monachum ſe tonſurari fecit. Mortuo autem Childerico, & Theodorico in Regem ſublimato: Ebroinus protinus apoſtatauit, & Seneſcalcus Regis effectus eſt. Qui miſſis militibus, beato Leodegario vrbem in Pontificali habitu egredienti, oculos erui fecit.

Lectio iij.

POſt bienium autem fratrem eius Garinum lapidari fecit, & beatum Leodegarium per quandam piſcinã vbi erant petre inſtar clauorum acutæ, tota die nudis pedibus traduci, eiq. linguam ac labia præcidi iuſſit. Sed ille vſum loquendi recepit: & poſtea continue exhortationi fidelium, & Dei laudibus vacabat: ſuper cuius caput aliquando lux in modum coro-

coronæ, à fidelibus viſa eſt. Tandem Ebroinus miſit quatuor milites, qui eum interficerent: cumque tres videntes eius ſanctitatem, compuncti veniam ab eo petijſſent, quartus eum decollauit: & à diabolo arreptus, igne conſumptus eſt. Ipſe autem beatus vir multis miraculis claruit.

Die xiij. Octobris.

IN FESTO SANCTI Eduardi Regis & Confeſſoris Tres Lectiones. Oratio.

Deus, qui nos beati Eduardi confeſſoris tui annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius natalitia colimus, per eius ad te exempla gradiamur. Per Dominum noſtrū Ieſum Chriſtum.

Ex Alredo Monacho, & Anglicis Hiſtoricis. Lectio ij.

Eduardus ex antiquis Anglorum regibus originem traxit. Qui adhuc in materno vtero poſitus, necdum natus, in regem Anglorum communi omnium conſenſu eligitur. In lucem editus ac ſanctiſſime educatus, cum adoleuiſſet, principibus de Regis ſucceſſore ſollicitis, virgo quædam tanto Regi & ſanguinis nobilitate, & morū honeſtate conueniens inuenitur: & regio diademate coronatur. Colloquentes autem ſimul, in hoc optime conuenerunt, vt de virginitate ſeruanda paciſcerentur. Sicque perſeuerauit inter eos, non actus coniugij, ſed affectus: & cum caſtæ dilectionis amplexu manſit flos virginitatis intactus.

Lectio iij.

Tantæ præterea humilitatis, & commiſerationis fuit, vt quemdam miſerabiliter à natiuitate contractum, tergo ſuperiectum, à palatio regali ad beati Petri Eccleſiam, & ante ipſius altare deportaret. Et ſic eidem obediens Apoſtolo, qui hoc ipſi per ipſum pauperē mandauerat, illi quem detulit, meruit incolumitatem. Tandem anno Domini milleſimo ſexageſimo ſexto, Nonis Ianuarij, ſalutaribus ſacramentis humiliter ac deuote ſuſceptis, plenus bonis operibus, & multis clarus miraculis, migrauit ad Chriſtum.

Die xiv. Octobris.

IN FESTO S. CALLISTI Papæ & martyris. Tres Lectiones. Oratio.

Deus, qui nos conſpicis ex noſtra infirmitate deficere, ad amorem tuum nos miſericorditer per Sanctorum tuorum exempla reſtaura. Per.

Ex Libro de Romanis Pontificibus, & ſincerioribus Actis, & Rom. Breuiario. Lectio iij.

Calliſtus Romanus, præfuit Eccleſiæ Antonino Heliogabalo Imperatore. Conſtituit Quatuor anni tempora, quibus ieiunium ex Apoſtolica traditione acceptum, ab omnibus ſeruaretur. Aedificauit Baſilicam S. Mariæ trans Tiberim: & in via Appia vetus cœmeterium ampliauit, in quo multi ſancti Sacerdotes & Martyres ſepulti ſunt: quod ab eo, Calliſti cœmeterium appellatur. Sedit annos quinque, menſem vnū dies duodecim: Ordinationibus quinque menſe Decē-

bri creauit Presbyteros ſexdecim, Diaconos quatuor, Epiſcopos octo. Martyrio coronatus ſub Alexādro Imperatore, illatus eſt in cœmeterium Calepodij via Aurelia, tertio ab Vrbe lapide, pridie Idus Octobris.

Die xviij. Octobris.

IN FESTO S. LVCAE

Euangeliſtæ. Totum Duplex.

Omnia de Communi Euangeliſtarum præter hic poſita. Oratio.

INterueniat pro nobis, quæſumus Domine, ſanctus tuus Lucas Euangeliſta: qui Crucis mortificationem iugiter in ſuo corpore, pro tui nominis amore portauit. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Ezechiele. Et factum eſt. vt in j. Dominica Nouembris. 481.

IN II. NOCTVRNO.

Ex S. Hieronymo de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & ex alijs antiquis Patribus.

Lectio iv.

LVcas medicus Antiochenſis, vt eius ſcripta indicant, Græci ſermonis non ignarus, fuit diſcipulus ac ſectator Apoſtoli Pauli, & peregrinationum eius comes: de quo hæc ait ſanctus Chryſoſtomus: Cuius quidē Lucæ virtutem cum multis alijs ex rebus, tum præcipue ex eo conſpicere valemus, quòd magiſtro ſemper adhæſerit, ſecutuſque ſemper eum fuerit. Nam quando etiam omnes ipſum deſeruerant, alius in Galatiam, alius in Dalmatiam profectus, quid de ipſo dicat Paulus, audi: Lucas eſt, inquit, ſolus mecum.]

Lectio v.

SCripſit Euangelium, de quo idē Paulus: Miſimus, inquit, cum illo fratrem, cuius laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias. Nam de ipſo Paulum intellexiſſe plerique ſanctorū Patrum affirmant. Et ad Coloſſenſes: Salutat vos Lucas, medicus chariſſimus. Vbi ſanctus Chryſoſtomus ait: Et hoc non modicum eſt encomium, ſed admodum magnum, Paulo eſſe dilectum.] In Achaiæ Beotiæque partibus Euangelium conſcripſiſſe, ſanctus Hieronymus refert.

Lectio vj.

POrro quotieſcumque in Epiſtolis ſuis Paulus dicit, Iuxta Euangelium meum, de Lucæ ſignificare volumine, plures antiquorum Patrum exiſtimant. Lucam autem non ſolū ab Apoſtolo Paulo didiciſſe Euangeliū, qui cum Domino in carne non fuerat, ſed à ceteris Apoſtolis, ipſe quoque in principio ſui voluminis declarat, dicens: Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis. Quibus verbis indicaſſe etiam ſe multa quæ de primordijs Saluatoris ſcribit, à beatiſſima Dei Genitrice accepiſſe, plerique ſuſpicantur.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

ALiud quoque edidit volumen egregiū, quod titulo Acta Apoſtolorum, prænotatur: cuius hiſtoria vſque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, ideſt, vſque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelli-

telligimus, in eadem vrbe librum eſſe compoſitum. Vnde ſanctus Chryſoſtomus de Luca inquit: Euangelium ſcripſit, & Apoſtolorum Actus ſummæ vir induſtriæ, diſcendi ſtudioſus, patientiſſimuſq. laboris.] Igitur Euangelium, ſicut audierat, ſcripſit. Acta vero Apoſtolorum, ſicut viderat ipſe, compoſuit.

Lectio viij.

VTriuſque ſane operis præclara à Patribus celebrãtur encomia: ſanctus Irenæus hæc ait: Plurima & magis neceſſaria Euangelij per hunc cognouimus.] Sãctus Ambroſius: Lucas plura nobis geſtorum Domini miracula reuelauit: ita tamen vt omnes ſapientiæ virtutes Euangelij iſtius cõplecteretur hiſtoria.] Sanctus Hieronymus: Euangeliſtam Lucam tradunt veteres Eccleſiæ tractatores, medicinæ artis fuiſſe ſcientiſſimum, & magis Græcas litteras ſciſſe quàm Hebræas: vnde & ſermo eius tam in Euangelio, quàm in Actibus Apoſtolorum, ideſt in vtroque volumine, comptior eſt, & ſæcularem redolet eloquentiam, magiſque teſtimonijs Græcis vtitur quàm Hebræis.]

Lectio ix.

EVangelium prædicaſſe in Dalmatia, Gallia, Italia, ac Macedonia ſanctus Epiphanius prodit. Inſuper arte pingendi præſtantem Chriſti, ac ſacræ Deiparæ, Apoſtolorumque Petri & Pauli effigies manu, penicillo, coloribusque pinxiſſe, permulti tradiderunt. Vixit octoginta & quatuor annos, vxorem non habens: Spiritu ſancto plenus obiit in Bithynia: cuius oſſa Conſtantinopolim vigeſimo Conſtantii anno cum reliquiis tranſlata ſunt de Achaia.

Die xxi. Octobris.

IN FESTO SANCTARVM

Vndecim millium Virginum & martyrum. Totum Duplex. Omnia de Communi plurimorum Martyrum præter hic poſita.

Oratio.

DEus, gloria Virginum, & amator earum, qui beatæ Vrſulæ in palma martyrij contuliſti vndecim millium Virginum comitatum: concede nobis earum multiplici interuentu petitionum efficaciam, fidei conſtantiam, & operis puritatem. Per Dñm.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Gaufrido Epiſcopo Aſaphenſi Comment. de rebus Britannicis, quæ iam ab omnibus ferme probantur.

Lectio iv.

GRatiano Imperatore, Flauius Clemẽs Maximus Romani exercitus in Britannia dux, arrepta tyrannide Imperator à militibus acclamatur. Inde copias in Gallias tranſmittens, ab infenſis Gratiano legionibus exceptus, Imperium ſibi corroborat. Cumque Armoricorum vberem regionem, eiectis antiquis habitatoribus, Britannicis militibus, quos ſecum duxerat, diuiſiſſet: quo nouas colonias propagaret in poſteros, Connani Britannici reguli, quem Britannorum ducem habebat in exercitu, conſilio, miſſa legatione in Britanniã ſingulis militibus nouis colonis, ſingulas virgines coniugio fœderandas poſtulat.

Lectio v.

HAud viſa Britanniæ regulis abſurda petitio: vnde in gratiam noui Imperatoris, & quòd filias ſuas non niſi gentilibus ſuis, iiſque donatis noua prouincia prædiuitibus honeſtiſſime collocandas ſcirent: pro numero militum, totidem delectæ ſunt virgines, omnes numero vndecim millia: quarum princeps erat Vrſula Dionoci Cornubiæ regis filia, deſponſata Connano Duci Britannorum militum in exercitũ Maximi. Cunctæ igitur Londini collectæ, impoſitæ ſunt inuitæ nauigijs. Soluentes nautæ, dum Armoricorum regionem cogitant, à ſæua procella in Germanicũ littus eijciuntur.

Lectio vj.

COntigit adeſſe tunc ibi Hunnorum copias, quas à Gratiano Imperatore aduerſus Maximum euocatas ferunt. Nacti igitur Barbari præclarum illud Virginum agmen, impotenti libidinis oeſtro ferentes, in eas irruũt. Sed cum hortante Vrſula, mortem potius oppetere, quàm virginei pudoris iacturam pati, inuicto animi vigore decreuiſſent: Hunni in rabiem immanitatis conuerſi, ad vnam omnes trucidant. Sicque Vrſula ſuper comitum ſuarum velut cæleſtium margaritarum pretioſum aceruũ, glorioſa victima procumbens, purpura pro Chriſto fuſi ſanguinis decorata, triumphatorem tot Virginum exercitum geminis nempe virginitatis & Martyrij laureis inſignem ducens, cælum victrix intrauit. Quarum corpora Colonienſes ſummo honore condiderũt: earunque illuſtrem agonem Chriſtianus orbis florenti ſemper memoria celebrat. In tertio Nocturno. Homil. in Euangel. Simile eſt regnum cælorum decem virginibus. In Communi plurimorum Martyrum.

Die xxij. Octobris.

IN FESTO S. HILARIONIS Abbatis. Tres Lectiones.

Oratio.

INterceſſio nos, quæſumus Domine, beati Hilarionis Abbatis commendet: vt quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aſſequamur. Per Dominum noſtrum.

Ex S. Hieronymo, aliiſque Eccleſiaſticis Scriptoribus, & Romano Breuiario.

Lectio ij.

HIlarion ortus Tabathæ in Palæſtina ex parentibus infidelibus, Alexandriam miſſus ſtudiorum cauſa, ibi morum & ingenij laude floruit ac Ieſu Chriſti ſuſcepta religione, in fide & charitate mirabiliter profecit. Cum autem Antonij nomẽ in Aegypto celeberrimum eſſet, eius videndi ſtudio in ſolitudinem contendit: apud quem duobus menſibus omnem eius vitæ rationem didicit. Domum reuerſus mortuis parẽtibus, facultates ſuas pauperibus dilargitus eſt: necdum quintumdecimum annum egreſſus, redijt in ſolitudinem: vbi extructa exigua caſa, quæ vix ipſum caperet, humi cubabat.

Lectio iij.

IN ſanctarum litterarum lectione & meditatione multus erat. Paucas

cas ficus, & ſuccum herbarum ad victum adhibebat: nec illis ante ſolis occaſum veſcebatur. Continentia & humilitate fuit incredibili. Inhumerabiles dæmones in multis orbis terræ partibus ex hominum corporibus eiecit. Qui octogeſimum annum agens, multis virtutibus & miraculis clarus, cum extremo ſpiritu conflictaretur, dicebat: Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta prope annis ſeruiſti Chriſto, & mortem times? Quibus in verbis felicem animam reddidit.

Die xxv. Octobris.

IN FESTO SANCTORVM Criſpini & Criſpiniani Mart. Tres Lectiones. Oratio.

Deus, qui nos concedis ſanctorũ martyrum tuorum Criſpini & Criſpiniani natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorum ſocietate gaudere. Per Dominum.

Ex Actis ſinceris. Lectio ij.

Criſpinus & Criſpinianus, nobiles Romani, Diocletiano & Maximiano rerum potiẽtibus, in Galliam Sueſſiones cum veniſſent, ſequentes Doctoris Gentium magiſterium, vt neceſſaria vitæ, labore manuum ſibi pararent, artem ſutoriam didicerunt. Et cum præ omnibus artificibus elegantius operarentur: à nullo tamen mercedem operis exigebant. Illexit ea res nonnullos, vt non tam artificij eorum neceſſitate, quàm amore verbi Dei, ad eos crebro conuenirent, ac relicto errore, Chriſto adiungerentur.

Lectio iij.

Re ad Rictium Varum Præſidem delata cum ipſos inquiri iuſſiſſet, reperti ſunt pauperum calceamenta reficientes. Producti, cum nollent fidem Chriſti abnegare, ad trochleas extenduntur, ac fuſtibus crudeliter cæduntur: inter digitorum vngues, & carnem eis ſudes præacutæ defigũtur, ex dorſi cute ſingulæ corrigiæ exſcinduntur: appenſis ad colla ingentibus molis in flumen ſub gelu demerguntur: deinde in liquefactum ac feruens plumbum immiſſi, cum hæc & alia immaniſſima tormenta diuina ope ſuperaſſent, tandem gladio trucidante victores ad palmas in cælũ conuolarũt.

Die xxvij. Vigilia SS. Apoſtolorum Simonis & Iudæ.

Die xxviij. Octobris.

IN FESTO SANCTORVM Apoſtolorum Simonis & Iudæ. Totum Duplex. Omnia de Communi Apoſtolorum, præter hic poſita.

Oratio.

Concede quæſumus omnipotens Deus: vt ſicut ſanctorum Apoſtolorum tuorum Simonis & Iudæ glorioſa natalitia præuenimus: ſic ad tua beneficia promerenda, maieſtatem tuam pro nobis ipſi præueniant. Per Dominum.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Incipit Epiſtola beati Iudæ Apoſtoli.

Lectio j. C. 1.

Iudas Ieſu Chriſti ſeruus, frater autẽ Iacobi, his qui ſunt in Deo Patre dilectis, & Chriſto Ieſu conſeruatis, & vocatis.

vocatis. Miſericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur. Chariſſimi, omnem ſollicitudinem faciens ſcribẽdi vobis de communi veſtra ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis: deprecãs ſupercertari ſemel traditæ Sanctis fidei. Subintroierunt enim quidam homines, qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium, impij, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum dominatorem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes.

Lectio ij.

COmmonere autem vos volo, ſciẽtes ſemel omnia quoniam Ieſus populum de terra Aegypti ſaluans, ſecundo eos qui non crediderunt, perdidit: angelos vero qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei: vinculis æternis ſub caligine reſeruauit: ſicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplũ, ignis æterni pœnam ſuſtinentes. Similiter & hi carnem quidem maculãt, dominationem autem ſpernunt, maieſtatem autem blaſphemant.

Lectio iij.

CVm Michael Archangelus, cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus. Hi autẽ, quæcumque quidem ignorant, blaſphemant: quæcumque autem naturaliter, tamquã muta animalia, norunt, in his corrumpuntur. Væ illis, quia in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt.

IN II. NOCTVRNO.

Certiora ex antiquis Martyrologijs, & monumẽtis, ac Rom. Breu. Lectio iv.

SImon Chananæus, qui & Zelotes: & Thadæus, qui & Iudas Iacobi appellatur in Euangelio, vnius ex Catholicis Epiſtolis ſcriptor, hic Meſopotamiam, ille Aegyptum Euangelica prædicatione peragrauit. Poſtea in Perſidem conuenientes, cum innumerabiles filios Ieſu Chriſto peperiſſent, fidemque in vaſtiſſimis illis regionibus & efferatis gentibus diſſeminaſſent: doctrina & miraculis, ac deniq. glorioſo martyrio, ſimul ſanctiſſimum Ieſu Chriſti nomen illuſtrarunt.

Lectio v. & vi. de Serm ſancti Gregorij Papæ. Scriptũ eſt: Spiritus Dñi. vt in Feſto S. Thomæ Apoſtoli. 570.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio vij. C. 15.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Epiſcopi.

Lib. 10. in Ioan. cap. 15.

QVis vmquam ambiget, ſupremæ dilectionis eſſe, omni ſtudio, atque opera ad cognitionem veritatis, & obſequium Dei errantes homines conuocare? Si mũdus

vos

vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Mirabili quodam atque diuino in conformandis firmādiſque animis vtitur artificio. Nullam curam ſibi faciundam eſſe monet, ſi ab hominibus voluptati impietatique deditis, odio habeantur. Lectio viij.

SEd ego, inquit, elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Facile, immo vero iucundum eſſe oſtēdit, quod natura ſui moleſtiſſimū eſt. Quid enim acerbius, & plerumque damnoſius, quàm odio haberi? Suaue tamen id efficitur propter Deum. Et quando gratia pietatis accidit, argumento eſt nō inhiare rebus caducis eum, qui odio habetur. Lectio ix.

VT enim corporum, ita morum cognatio quædam eſt: quorum ſimilitudo longe ſanguinis vincit cognationes. Omne namque animal, ſimile ſibi diligit. Sanctus cum ſancto, & peruerſus cum peruerſo iucunde conuerſantur. Quamobrem neceſſe eſt, vt ſtudioſus minime à vitioſis diligatur: vnde non dolendum, ſed gaudendum potius nobis Chriſtus eſſe aſſerit. Nam etſi detrimentum in rebus caducis multorum odium afferat, maximo tamen apud Deum eſt emolumento.

Ad Laudes, & ad alias Horas.

Oratio.

DEus, qui nos per beatos Apoſtolos tuos Simonem & Iudam ad agnitionē tui nominis venire tribuiſti: da nobis eorum gloriam ſempiternam & proficiendo celebrare, & celebrando proficere. Per Dominum.

Die xxxi. Octobris.

Vigilia omnium Sanctorum.

SANCTI QVINTINI MART.

In Laudibus ad Memoriam. Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris: vt qui ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus, beati Quintini martyris tui interceſſione liberemur. Per Dominum.

FESTA NOVEMBRIS. *Die j.*

IN FESTO OMNIVM Sanctorum. Totum Duplex.

Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona.

O quàm glorioſum eſt regnum, in quo cum Chriſto gaudent omnes Sancti amici ſtolis albis, & ſequuntur Agnum quocumque ierit. Pſal. Laudate pueri. cum ceteris.

Capitulum. *Apoc. 7.*

ECce ego Ioannes vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. ℞. Concede nobis. ix.

Hymnus.

IEſu Saluator ſæculi,
Redemptis ope ſubueni:
Et pia Dei Genitrix
Salutem poſce miſeris.
Cœtus omnes Angelici,
Patriarcharum cunei,
Et Prophetarum merita
Nobis precentur veniam.

Baptiſta Chriſti præuius,
Et Clauiger æthereus,
Cum ceteris Apoſtolis,
Nos ſoluant nexu criminis.
Chorus ſacratus Martyrum,
Confeſſio Sacerdotum,
Et Virginalis caſtitas,
Nos à peccatis abluant.
Monachorum ſuffragia,
Omneſq. Ciues cælici
Annuant votis ſupplicum,
Et vitæ poſcant præmium.
Laus, honor, virtus, gloria
Deo Patri, & Filio,
Sancto ſimul Paraclito,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Lætamini in Domino, & exultate iuſti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Ad Magnificat, Antiphona. Beati eſtis Sancti Dei omnes, qui meruiſtis conſortes fieri cæleſtium virtutum,& perfrui claritatis gloria:ideoq. precamur, vt memores noſtri intercedere dignemini pro nobis ad Dominum Deum noſtrum. Oratio.

Domine Deus noſter, multiplica ſuper nos gratiam tuam:& quorum præuenimus glorioſa ſolemnia, tribue ſubſequi in ſancta profeſſione lætitiam. Per Dominum.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Regem regum Dominum,venite adoremus, Quia ipſe eſt corona Sanctorum omniũ. Hymnus. Ieſu Saluator.

IN I. NOCTVRNO.

Añа. Adeſto Deus vnus omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Pſalm. Domine Dominus. 4. Añа. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Pſal Cæli enarrant. 11. Antiph. Laudemus Dominum quem laudant Angeli, cui Cherubim & Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant. Pſalm. Benedic anima. j. 66. ℣. Lætamini in Domino, & exultate iuſti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Ex Sermone Rabbani, vel Maximi Tarentini. Lectio j.

Legimus in Eccleſiaſticis hiſtorijs quòd ſanctus Bonifacius Papa quartus à Phoca Cæſare impetrauerit reſtitui Eccleſiæ templũ Romæ, quod ab antiquis Pantheon vocabatur. In hoc igitur eliminata omni ſpurcitia, fecit Eccleſiã ſanctæ Dei Genitricis, atque omnium Martyrum, vt excluſa multitudine dæmonum,plebs vniuerſa in capite Kalendarum Nouembriũ, ad Eccleſiam in honorem omnium Sanctorum conſecratam conueniret. Creſcẽte igitur religione Chriſtiana, decretum eſt, vt per orbem terrarum, memoria omnium Sanctorum ea die haberetur: vt quidquid humana fragilitas in ſolemnitatibus eorum minus plene peregiſſet, in hac ſancta obſeruatione ſolueretur. Nunc ergo in omnium primordijs Sanctorum, laudare condecet eum, qui cunctos condidit Sanctos. ℟. Summæ Trinitati, ſimplici Deo vna diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas: Patri,prolique, ſanctoque Flamini: Qui totum ſubdit ſuis orbem legibus. ℣. Præſtet nobis gratiam Deitas beata Patris, ac Nati, pari-

patiterque ſpiritus almi. Qui totum.

Lectio ij.

BEata Dei Genitrix, & ſemper virgo Maria, templum Domini, ſacrarium Spiritus ſancti, virgo ante partum, virgo in partu, virgo poſt partũ, præſentis ſolemnitatis diei expers nullo modo credenda eſt. Hæc eſt enim, quæ Dei populum faciendo, monebat ſpernere perituri luxus ſæculi, ac lenocinia mortalis vitæ declinare: carnis quoque pudicitiam cum virginitatis honore intra cordis hoſpitium obſeruare. Decebat eam omnium virtutum Reginam fructũ cunctis eſſe ſalutis perpetuæ: & ſociam Angelorum, omnes ſuis informare exemplis. Vnde & innumerabilis vtriuſque ſexus multitudo, eius ſecuta eſt veſtigia relictis nuptiarum copulis. ℞. Felix namque es ſacra virgo Maria, & omni laude digniſſima, Quia ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ Chriſtus Deus noſter. ℣. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam ſolemnitatem. Quia ex te.

Lectio iij.

PRincipium ac finis omnis creaturæ, ſuperna cælorum regna Spiritibus Angelicis ad laudem & gloriam, atque honorem ſui nominis ac maieſtatis, in perpetuum miro ordine collocauit. Nouem autem eſſe Angelorum Ordines ad Dei iudicia ac miniſteria complenda, teſtante ſacro eloquio, cognouimus: quorum Principatus atque Poteſtates ſubtiliter ac mirabiliter Dei omnipotentis nutu diſtinguntur. Talibuſque à primordio incipientis vitæ beatorum Spirituum diſtinctionibus ſuperna cælorum regna à Deo conditore in perpetuum mirabiliter collocata ſubſiſtunt. His omnibus, fratres chariſſimi, tam decoris, ac Deo dilectis Angelorum agminibus, huius diei ſolemnitatem credimus eſſe conſecratam. ℞. Te ſanctum Dominum in excelſis laudant omnes Angeli, dicentes: Te decet laus, Et honor Domine. ℣. Cherubim quoque, ac Seraphim Sanctus proclamant: & omnis cælicus ordo, dicẽtes. Te decet laus. Gloria. Et honor.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Pſal. Bonum eſt. 61. Aña. Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente: & accipietis regnum æternum, alleluia. Pſalm. Benedicam Dominum. 21. Aña. Iſti ſunt ſancti, qui pro Dei amore minas hominum contempſerunt: ſancti Martyres in regno cælorum exultant cum Angelis. O quàm pretioſa eſt mors Sanctorum, qui aſſidue aſſiſtunt ante Dominum, & ab inuicem non ſunt ſeparati! Pſalm. Deus noſter. 30. ℣. Exultent iuſti in conſpectu Dei. ℞. Et delectentur in lætitia.

Lectio iv.

SOlemnitas hæc non ſolum Angelorum ſpiritibus, verum Sanctis omnibus, qui ab exordio mundi creati ſunt, dedicata conſiſtit: quorum

primi

Digitized by Google

primi fuerunt Patriarchæ patres Prophetarum & Apoſtolorum. Hi Deo digni inuenti ſunt, fide præclari, ſapientes in opere, reparatores orbis, iuſtitia inſignes, longanimes in ſpe, obediẽtes in præceptis, creduli in promiſſionibus, ſuſceptores Angelorum effecti. Hos ſequitur electio Prophetarum quibus locutus eſt Deus, & oſtẽdit illis ſecreta ſua. Quorum alij in vtero, alij in pueritia, alij in iuuentute, alij in ſenectute ſanctificati inuenti ſunt, fide pleni, deuotione ſummi, induſtria ſolertes, excellenti ingenio præditi: in exercitatione diſciplinæ inſtructi, in ſancta meditatione aſſidui, metuq. mortis intrepidi, verberantes tyrannos, peccata populi plangentes, multiſque ſignis effulſere. Hos ſequitur Ioannes Baptiſta, qui eodem Angelo quo Chriſtus, denunciante cõceptus, in exordio baptiſmatis primatum tenuit. ℞. Inter natos mulierum, non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, Qui viam Domino præparauit in eremo. ℣. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Qui.

Lectio v.

SEquitur duodenus Apoſtolorum numerus: quos ad componendum nouæ fidei fundamentum, erigẽdumque teneræ ſtatũ Eccleſiæ, prouidentia diuina ex omnibus quos capiebat mundus elegit, vt in omnem terram exiret ſonus eorum. Hi veræ viti, id eſt Chriſto, tamquam palmites adhæſere: & eorum fructus in ſempiternum permanens nõ marceſcit. Hi ſunt quibus locutus eſt Dominus, dicens: Vos eſtis lux mundi. Et, Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita: neque accendunt lucernam, & ponũt eam ſub modio. Et iterum: Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos: quia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis. ℞. Qui ſunt iſti qui vt nubes volant: Et quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? ℣. Candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo. Et quaſi columbæ.

Lectio vj.

APoſtolis ſubiectum eſt triumphale Martyrum nomen: qui per diuerſa tormentorum genera, Chriſti paſſionem imitabantur. Alij namque ferro perempti, alij flammis exuſti, alij flagris verberati, alij vectibus perforati, alij cruciati patibulo, alij demerſi pelagi periculo, alij viui decoriati, alij vinculis mancipati, alij linguis priuati, alij lapidibus obruti, alij frigore afflicti, alij fame cruciati: alij vero truncatis manibus, ſiue ceteris membris cæſis, ſpectaculum contumeliæ in populis, nudi propter nomen Domini portauerunt. ℞. Lauerunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt. In ſanguine Agni. ℣. Iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione: & lauerunt ſtolas ſuas. In. Gloria Patri. In ſanguine.

IN III. NOCTVRNO.

Aña. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs. Pſalm. Exultate iuſti. in. 20.

Aña.

Digitized by Google

Añ. Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ. Pſalm. Eructauit. 30. Aña. Laudē dicite Deo noſtro omnes Sancti eius, & qui timetis Deum puſilli & magni: quoniam regnauit Dominus Deus noſter omnipotens: gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei. Pſalm. Quàm dilecta tabernacula. 55. ℣. Iuſti autem in perpetuum viuent. ℟. Et apud Dominum eſt merces eorum. Lectio vij.

IPſis quoque Sacerdotibus, atque doctoribus, ſiue Confeſſoribus huius feſtiuitatem diei non ignotam eſſe credimus: qui corda fidelium imbribus irrigarunt cæleſtibus: vt proferre immarceſcibilem bonorum operum fructum poſſent. Hi talenta ſibi credita, cum vſura ſine fraude, amplificare procurauerunt: quia bonum, quod didicere, ſubiectorũ mentibus, arguendo, obſecrando, increpando, inſerere nitebantur. Horum mens lucidiſſima, manus, vere plenæ mũditia ſunt, eo quòd ſacroſancta myſteria celebrantes, hoſtiam viuam Deo ſemetipſos offerre ſine macula praui operis non deſiſtunt: & licet perſecutorum non ſenſiſſent gladium, tamen per vitæ meritum martyrio non priuantur. ℟. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs. ℣. Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora dominus veſter venturus ſit. Et vos. Lectio viij.

VIrgines quoque ſacræ ab huius diei ſolemnitate non ſunt ſeparatæ. Hæ ſunt enim, quæ ſpreta liberorum propagine, Sponſo, qui in cælis eſt, perenni mente, actu, habitu, & geſtu, ſe applicare maluerunt. Hæ ſunt, quæ orationibus inſtantes, ieiunijs adhærentes, vigilias ſacras amantes, eleemoſynas ſectantes, pauperes recreantes, nudos veſtientes, infirmos viſitantes, in tribulatione gaudentes, in verbis calumniæ vel contumeliæ patientes, in augmento ſuæ perfectionis humiles, in damno rerum temporalium Deo gratias agebant. ℟. Audiui vocem de cælo venientem: Venite omnes virgines ſapientiſſimæ: Oleum recondite in vaſis veſtris, dum ſponſus aduenerit. ℣. Media nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit. Oleum recondite. Lectio ix.

NOs ergo fratres, tantorum patrocinia intercesſorum, tota mentis intentione quæramus: vt per temporalia feſta, quæ gerimus, eorum meritis interuenientibus, ad æterna peruenire valeamus. Tranſeunt cuncta, quæ temporaliter feſtiue celebrantur. Curate qui his ſolemnitatibus intereſtis, ne ab æterna ſolemnitate ſeparemini. Quid enim prodeſt intereſſe feſtis hominum, ſi deeſſe contingat feſtis Angelorum? ℟. Concede nobis Domine quæſumus veniam delictorum, & intercedentibus Sanctis, quorum hodie ſolemnia celebramus,

talem

talem nobis tribue deuotionem: Vt ad eorum peruenire mereamur ſocietatem. ℣. Adiuuent nos eorum merita, quos propria impediunt ſcelera: excuſet interceſſio, accuſat quos actio: & qui eis tribuiſti cæleſtis palmam triumphi, nobis veniam non deneges peccati. Vt. Gloria. Vt. ℣. Orate pro nobis omnes Sancti Dei. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

IN LAVDIBVS, Aña.

Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, ſtantes ante thronum. Pſalm. Dominus regnauit. cum ceteris. Aña. Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni: & ceciderunt in conſpectu eius in facies ſuas, & adorauerunt Deum. Aña. Redemiſti nos Domine Deus in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & feciſti nos Deo noſtro regnum. Aña. Benedicite Dominũ omnes electi eius: agite diem lætitiæ, & confitemini ei. Aña. Hymnus omnibus Sanctis eius, filijs Iſrael, populo appropinquanti ſibi: gloria hæc eſt omnibus Sanctis eius. Capitul. Ecce ego Ioannes.

Hymnus.

Chriſte Redemptor omnium,
Conſerua tuos famulos,
Beatæ ſemper Virginis
Placatus ſanctis precibus.

Beata quoque agmina
Cæleſtium ſpirituum,
Præterita, preſentia,
Futura mala pellite.

Vates æterni Iudicis,
Apoſtolique Domini,
Suppliciter expoſcimus
Saluari veſtris precibus.

Martyres Dei inclyti,
Confeſſoreſque lucidi,
Veſtris orationibus
Nos ferte in cæleſtibus.

Chori ſanctarum Virginum,
Monachorumque omnium,
Simul cum ſanctis omnibus
Conſortes Chriſti facite.

Gentem auferte perfidam
Credentium de finibus:
Vt Chriſto laudes debitas
Perſoluamus alacriter.

Laus honor, virtus, gloria
Deo Patri, & Filio,
Sancto ſimul Paraclyto,
In ſempiterna ſæcula, Amen.

℣. Mirabilis Deus. ℟. In ſanctis ſuis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus; te Prophetarum laudabilis numerus, te Martyrum candidatus laudat exercitus, te omnes electi voce confitentur vnanimes, beata Trinitas vnus Deus.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorũ tuorum merita ſub vna tribuiſti celebritate venerari: quæſumus, vt deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiã, multiplicatis interceſſoribus largiaris. Per Dominum noſtrum.

Ad Tertiam, Capitulum. Ecce ego. Reſponſoria, & ℣℣. plurimorum Martyrum dicantur.

Ad

Digitized by Google

Ad Sextam, Capitulum. *Apo.7.*

Audiui numerum ſignatorũ, centum quadraginta quatuor millia ſignati, ex omni tribu filiorũ Iſrael.

Ad Nonam Capitulum. *Apo.7.*

Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus Gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum.

Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona. Vidi turbam. Pſalm. Dixit Dominus. 75. Laudate pueri 76. Credidi 77. In conuertendo. 87. Eripe me. 93. Cap. Hymnus, ℣. vt in primis Veſp.

Ad Magnificat, Antiphona.

Saluator mundi ſalua nos omnes, ſancta Dei Genitrix Virgo ſemper Maria ora pro nobis: precibus quoque Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, & Confeſſorum, atque ſanctarum Virginum ſuppliciter petimus, vt à malis omnibus eruamur, boniſque omnibus nunc & ſemper perfrui mereamur.

In die Omnium Sanctorum finitis Veſperis de omnibus Sanctis, ſtatim incipiantur Veſperæ Defunctorum, niſi in craſtino fuerit Dominica.

Die ij. Nouembris.

IN COMMEMORATIONE omnium Fidelium Defunctorum, ad Veſperas, & ad Matutinum non fiant Proſtrationes, & omnia fiant, vt infra in Officio Mortuorum, præter Lectiones, & alia quæ hic ponuntur. Hæc ſola Oratio ad Veſperas, & Laudes dicatur. Oratio.

Fidelium Deus omnium conditor & Redemptor animabus famulorum, famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorũ: vt indulgentiam, quam ſemper optauerunt, pijs ſupplicationibus conſequantur. Qui viuis & regnas. Non dicatur poſt Orationem. Dominus vobiſcum, nec Benedicamus. Sed tantũ Requieſcant in pace. ℟. Amen.

Si Feſtum omnium Sanctorum Sabbato euenerit, in craſtino totum officiũ, tam diei, quàm noctis de Octa. erit: & tunc in eadem die poſt Veſp. de Octa. Veſper. Defunctorum dicantur, vt ſupra: Ad Matut. non dicatur Domine labia mea, neque Deus in adiutoriũ, neque Venite Sed dicto Pater noſter & Credo poſtquam ſignauerint ſe Fratres ſigno Crucis, verſis vultibus ad altare, quod & ad alias Horas erit obſeruandum, ſtatim incipiatur in primo Noctur. Aña.

IN I. NOCTVRNO.

Nouem Lectiones ſequentes legantur ſine benedictione, & ſine Titulo. Sed dicto Pater noſter. Et ne nos. ℟. Sed libera nos &c. incipiatur.

S. Auguſt. in Enchiridio. Cap. 108.

Lectio j.

Tempus quod inter hominis mortem, & vltimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut vnaquæque digna eſt vel requie, vel ærumna, pro eo quod ſortita eſt in carne, dum viueret. Neque negandũ eſt, defunctorum animas pietate ſuorũ viuentiũ releuari, cum pro illis ſacrificium Mediatori offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt.

ſiunt. Sed eis hæc proſunt, qui cum viuerent, hæc ſibi, vt poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt. Eſt enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt nõ requirat iſta poſt mortem: nec tam malus, vt ei non proſint iſta poſt mortem. Eſt vero talis in bono, vt hæc non requirat, & eſt rurſus talis in malo, vt nec his valeat, cum de hac vita tranſierit, adiuuari. Terminentur Lectiones ſine. Tu autem. & ſine alia concluſione. Lectio ij.

QVo circa hic omne meritũ comparatur, quo poſt hanc vitam, poſſit releuari quiſpiam, vel grauari. Nemo autem ſe ſperet, quod hic neglexit, cum obierit, apud Dominum promereri. Non ergo ea, quæ pro defunctis commendandis frequentat Eccleſia, Apoſtolicæ ſunt aduerſa ſententiæ, qua dictum eſt: Omnes adſtabimus ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque ſecundum ea quæ per corpus geſſit, ſiue bonum, ſiue malum: quia etiam hoc meritum ſibi quiſque cum in corpore viueret, comparauit, vt ei poſſent iſta prodeſſe. Non enim omnibus proſunt. Et quare non omnibus proſunt, niſi propter differentiam vitæ, quam quiſque geſſit in corpore? Lectio iij.

CVm ergo ſacrificia ſiue altaris, ſiue quarumcumque eleemoſynarum pro defunctis baptizatis omnibus offeruntur: pro valde bonis gratiarum actiones ſunt: pro valde malis, etiamſi nulla ſint adiumenta mortuorum, qualeſcumque viuorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt vt ſit plena remiſſio: aut certe, vt tolerabilior fiat ipſa damnatio.

[*Idem in Libro de cura agenda pro mortuis*. Sed vtrum aliquid proſit animæ mortui locus corporis ſui, operoſius inquirendum eſt. Sane non ſunt contemnenda, & abijcienda corpora defunctorum, maximeque iuſtorum, atque fidelium: quibus tamquam organis, & vaſis ad omnia opera bona ſanctus vſus eſt Spiritus.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

SI paterna veſtis, & annulus, ac ſi quid huiuſmodi eſt tanto charius poſteris, quanto erga parentes maior affectus: nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multo familiarius atque coniunctius, quàm quælibet indumenta geſtamus. Hæc enim non ad ornamentum, vel adiutorium quod exhibetur extrinſecus: ſed ad ipſam hominis naturam pertinent. Vnde, & antiquorum iuſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ celebratæ, & ſepultura prouiſa: ipſique dum viuerent, de ſepeliendis, vel etiam transferendis ſuis corporibus, filijs mandauerunt. Et Tobias ſepeliendo mortuos, Deum promeruiſſe, teſte Angelo, commendatur.

Lectio v.

IPſe quoque Dominus, die tertio reſurrecturus, religioſæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quòd vnguentum pretio-

pretioſum ſuper membra eius affuderit: atque hoc ad eum ſepeliendum feceerit. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus eius de Cruce acceptum diligenter atque honorifice tegendum, ſepliendumque curarunt. Verum iſtæ auctoritates non hoc admonent, quòd inſit vllus cadaueribus ſenſus, ſed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere ſignificant, propter fidem reſurrectionis aſtruendam.

Lectio vj.

QVod ſi verum eſt, profectò etiā prouiſus ſepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus, bonæ affectionis humanæ eſt erga funera ſuorum. Quoniam ſi nonnulla religio eſt vt ſepeliantur, non poteſt nulla eſſe, quando vbi ſepeliuntur attenditur. Sed cum talia viuorū ſolatia requiruntur, quibus eorum pius in ſuos animus appareat, non video quæ ſint adiumenta mortuorum, niſi ad hoc, vt dum recolunt, vbi ſunt poſita eorum quos diligunt corpora, eiſdem Sanctis, illos, tamquam patronis apud Dominum adiuuando commendent.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

ET quidem facere poſſent, etiam ſi talibus locis eos humare non poſſent. Sed non ob aliud, vel memoriæ, vel monumenta dicuntur ea quæ inſignite fiunt ſepulchra mortuorum, niſi quia eos qui viuentium oculis morte ſubtracti ſunt, ne obliuione etiam cordibus ſubtrahantur, in memoriam reuocant, & admonendo faciunt cogitare. Nam & memoriæ nomen id apertiſſime oſtendit, & monumentum, eo quòd moneat mentem, ideſt admoneat, nuncupatur.

Lectio viij.

CVm itaque recolit animus vbi ſe pultum ſit chariſſimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis: eidem Martyri animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus. Qui cum defunctis, à fidelibus chariſſimis exhibetur, eum prodeſſe non dubium eſt ijs, qui cum in corpore viuerent, talia ſibi poſt hāc vitam prodeſſe meruerunt. Cum ergo fidelis mater, fidelis filij defuncti corpus deſiderauit in Baſilicam Martyris adiuuari: hoc quod ita credidit, ſupplicatio quædam fuit, & hæc profuit, ſi quid profuit.

Lectio ix.

QVæ cum ita ſint, non exiſtimemus ad mortuos pro quibus curam gerimus peruenire, niſi quod pro eis, ſiue altaris, ſiuè orationum, ſiue eleemoſynarum ſacrificijs ſolemniter ſupplicamus: quamuis non pro quibus fiunt omnibus proſint, ſed illis tantum, quibus, dum viuunt, comparatur vt proſint. Sed quia non diſcernimus, qui ſint, oportet ea pro regeneratis omnibus facere, vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia poſſint, & debeant peruenire. Melius enim ſupererunt iſta eis,

quibus

quibus nec obſunt, nec proſunt, quàm eis deerunt, quibus proſunt. ℟ Libera me Domine de morte æterna, in die illa tremenda: Quando cæli mouendi ſunt, & terra: Dum veneris iudicare ſæculum per ignem. ℣ Dies illa dies iræ, calamitatis & miſeriæ: dies magna & amara valde. Quãdo. vſque Dum. ℣ Tremens factus ſum ego, & timeo, dum diſcuſſio venerit, atque ventura ira. Dum. ℣ Quid ego miſer. rimus, quid dicam, vel quid faciam, dum nil boni perferam ante tantum iudicem? Quando. ℣ Nunc Chriſte te petimus, miſerere quæſumus, qui venisti redimere perditos, noli damnare redemptos. Dum. ℣ Creator omniũ rerum Deus, qui me de limo terræ formaſti, & mirabiliter proprio ſanguine redemiſti, corpuſque meum licet modo putreſcat, de ſepulchro facies in die iudicij reſuſcitari: exaudi me, vt animam meam in ſinu Abrahæ Patriarchæ tui iubeas collocari. Libera. Laudes dicantur vt in Officio Defunctorum. Ad Horas non fiant Proſtrationes. Ad Primam dicto Pater noſter & Credo. incipiatur Aña Requiem. Pſal Deus in nomine. Beati immaculati. Retribue. Poſt ſingulos Pſalmos non dicatur Requiem. ſed in fine dicatur Aña Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Deinde dicatur. Confiteor. Quo dicto ſequitur. ℣ A porta inferi. Dominus vobiſcum. Oremus. Fidelium. Requieſcant in pace. Hic ordo ſeruetur ad alias Horas dicendas.

niſi quod Confiteor. nõ dicatur Precioſa. more ſolito dicatur. Dicta Nona, terminatur Officium mortuorum.

PRIMA DIE.

Infra Octa omnium Sanctorum.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Lib. 1. Medit. c. 24. Lectio iij.

MAter Ieruſalem ciuitas, mater ſancta Dei, chariſſima ſponſa Chriſti, te amat cor meum, pulchritudinem tuam nimium deſiderat mens mea: ò quàm decora, quàm glorioſa, quàm generoſa tu es! Tota pulchra es, & macula non eſt in te. Felix anima mea, ſemperque felix in ſæcula, ſi intueri meruero gloriam tuam, beatitudinem tuam, pulchritudinem tuã, portas & muros tuos, & plateas tuas, & mãſiones tuas multas, nobiliſſimos ciues tuos, & fortiſſimum Regem tuũ Dominum noſtrum in decore ſuo. Muri tui Ieruſalem ciuitas ſancta ex lapidibus precioſis, portæ tuæ ex margaritis optimis, plateæ tuæ ex auro puriſſimo: in quibus iucundum Alleluia ſine intermiſſione concinitur.

SECVNDA DIE.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Lib. 1. Medit. c. 25. Lectio iij.

SPecioſa facta es, & ſuauis in delicijs tuis mater Ieruſalem. Nihil in te tale quale hic patimur, qualia in hac miſera vita cernimus. Non ſunt in te tenebræ, aut nox, aut quælibet diuerſitas temporum. Non lucet in te lux lucernæ, aut ſplendor lunæ, vel iubar ſtellarum: ſed Deus de Deo, lux de luce, Sol iuſtitiæ ſemper illuminat te,

te, Agnus candidus & immaculatus, Lucidum & pulcherrimum eſt lumen tuum. Sol tuus & claritas tua, & omne bonum tuum, huius pulcherrimi Regis indeficiens contemplatio. Ipſe Rex regum in medio tui Ieruſalem, & pueri eius in circuitu eius.

TERTIA DIE.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Lib. 1. *Meditation. cap.* 23.

Lectio iij.

OMnes Sancti Dei intercedite, & orate conſta nter atque indeſinenter pro nobis miſeris, multumq. negligentibus peccatoribus, vt per veſtras orationes veſtro cõſortio coniungamur, quia aliter ſalui eſſe non poſſumus. Sumus namque valde fragiles, & nullius virtutis homunciones, animalia ventris, & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis veſtigium apparet. Et tamen ſub Chriſti confeſſione poſiti, ligno Crucis ferimur, nauigãtes per hoc mare magnum & ſpatioſum, vbi ſunt reptilia quorum non eſt numerus, vbi ſunt animalia puſilla cum magnis, vbi eſt draco ſæuiſſimus ſemper paratus ad deuorandum.

QVARTA DIE.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Lib. 1. *Medit. c.* 23. Lectio iij.

FElices Sancti Dei omnes, qui iam pertrãſiſtis huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruiſtis ad portũ perpetuæ quietis, ſecuritatis, & pacis. Securi & tranquilli, ſemperque feſtiui atque gaudentes eſtis. Obſecro vos per veſtram charitatẽ, qui ſecuri eſtis de vobis, ſolliciti eſtote de nobis. Securi eſtis de veſtra immarceſcibili gloria, ſolliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iam ſatiamini, de cuius immortalitate immortales facti eſtis, de cuius beatiſſima viſione ſemper gaudetis, eſtote iugiter memores noſtri. Subuenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo huius vitæ circumflãtibus agitamur procellis.

DOMINICA INFRA OCTA.

omnium Sanctorum, poſt tres Lectiones ordinarias pro Dominica de Apoſtolo Paulo notatas.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo S. Gregorij Papæ.

Lib. 1. *Moral.* Lectio iv.

ECce quàm fulgentes ſtellas in cælo cernimus, dum Patriarcharum, ac Prophetarum merita recolimus, vt in offenſo pede operis, iter noſtræ noctis ambulemus. Nam cognitionibus hominum diuina diſpenſatio quot iuſtos exhibuit, quaſi tot aſtra ſuper peccantium tenebras in cælum miſit, quouſque verus lucifer ſurgeret, qui æternum nobis mane nuncians, ſtellis ceteris clarius ex diuinitate radiaret: quem electi omnes dum bene viuendo præceſſerũt, & rebus & vocibus prophetando promiſerunt. Nullus etenim iuſtus fuit, qui nõ per figuram eius nuncius extiterit. Dignũ quippe erat, vt in ſemetipſis bonũ omnes oſtẽderent, de quo & omnes boni eſſent, & prodeſſe omnibus ſcirent.] Appropin-

quante igitur veri ſolis exortu velut radioſum ſidus præcurſor Ioannes reſplenduit, vt iuxta Iſaiæ vaticinium, viam Domini præpararet in eremo.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Epiſt. ad Voluſianum. Lectio v.

APoſtoli ſunt, qui impleti Spiritu ſancto, linguis omnium gẽtium loquuntur, errores fidenter arguunt, veritatem ſaluberrimã prædicant, homines ad pœnitentiam hortãtur, præteritæ vitæ culpabilis indulgentiam de diuina gratia pollicentur:& prædicatio.ẽ veritatis miracula conſequũtur. Excitata eſt tandem aduerſus eos infidelitas ſæua: tolerant prædicta, ſperant promiſſa, docent præcepta. Numero exigui per mundum diſcurrunt: populos mirabili facilitate conuertunt. Inter inimicos augentur, perſecutionibus creſcunt: ac per afflictionum anguſtias vſque in extrema terrarum dilatati, alternis aduerſitatibus, & proſperitatibus rerum patientiam, & temperantiam,& vigilantiam exercent.

Sermo S. Cypriani Epiſcopi, & Martyris. *In Epiſtola de Lapſis.*

Lectio vj.

REpugnaſtis ô Martyres ſancti fortiter ſæculo, ſpectaculum glorioſum præbuiſtis Deo, ſecuturis fratribus fuiſtis exemplo. Religioſa vox Chriſtum locuta eſt, illuſtres manus ſacrificijs ſacrilegis reſtiterunt: ora ſanctificata cæleſtibus cibis, poſt corpus Domini idolorũ reliquias reſpuerunt: frons cum ſigno Dei, diaboli coronam ferre non potuit, ſed coronæ ſe Domini reſeruauit. Quàm læto ſinu vos mater Eccleſia de prælio reuertẽtes excepit, quàm beata, quam gaudens portas ſuas aperuit! vt intraretis de hoſte proſtrato trophæa referentes. Multitudo veſtram gloriam ſequitur, & veſtra veſtigia comitatur.

Tres aliæ Lectiones erunt de Homilia Dominicali. *Die viij. Nouembris.*

OCTAVA OMNIVM Sanctorum. Solemnis.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

In Meditationibus. Lectio j.

TV es Deus omnipotens, quem trinum in perſonis, & vnum in ſubſtantia Deitatis colimus, & adoramus: Patrem ingenitum, Filium de Patre vnigenitum, Spiritum ſanctum de vtroque procedentem, & in vtroque permanentem: ſanctam & indiuiduam Trinitatem. Te deprecamur, ſupplicamus, & oramus: auge fidem, auge ſpem, auge charitatem: fac nos per ipſam gratiam tuam ſemper & in fide ſtabiles, & in opere efficaces: vt per fidem rectam, & condigna opera fidei, ad vitam te miſerante perueniamus æternam, vt ibi videntes gloriam tuam ſicuti eſt, adoremus maieſtatem tuam, quos dignos feceris videre immenſam pulchritudinem tuam.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

In oratione ad B. Virginem.

Lectio ij.

SAncta Maria virginum pijſſima, ſuſcipe vota ſeruulorum aſſidua: lapſos

la pſos erige, errantes corrige, trementes corrobora, puſilanimes conforta: vt tibi ſemper referamus laudes, quam Dei ſummi colimus genitricem. Suſcipiat, benigniſſima, Genitus tuus captiuorum gemitus, clamores peregrinorum, ſuſpiria iuuenum, vota virginum, lamenta viduarum, preces omnium tua ſancta ſuffragia depoſcentium: quæ cunctis ſæculis lumen verũ effudiſti Dominum Ieſum Chriſtum. Virgo ſancta, virgo glorioſa, Mater Chriſti ſimul & ſponſa, non dedigneris opem ferre animabus, quas vides amore Dei cæleſtis ſponſi flagrare, atque eius nuptias ſitibundo corde deſiderare.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

In ſoliloquijs, cap. 27. Lectio iij.

DOmine, quoties bene agimus, gaudent Angeli, & dæmones triſtantur: quoties à bono deuiamus, diabolũ lætificamus, & Angelos tuos ſuo deſiderio defraudamus. Gaudium eſt enim eis ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: ſed diabolo ſuper vno iuſto pœnitentiam deſerente. Da igitur, da Pater eis ſemper gaudere de nobis, vt tu ſemper per eos lauderis in nobis: & nos cum eis in vnum ad ouile tuum adducamur, vt confiteamur nomini ſancto tuo creator hominum & Angelorum.

IN II. NOCTVRNO.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

Serm. de Martyribus, quòd aut imitandi, aut non laudandi ſunt. tom. 3.

Lectio iv.

NEque enim difficile nobis eſt, quòd à Sanctis geritur imitari, cũ ſine præcedenti exẽplo ab antiquis talia geſta cõſpicimus, vt nõ ipſa aliorum æmuli redderentur, ſed æmuládæ virtutis ſe ipſos nobis præberent exẽplũ. Vnde ob origine mundi innocens Abel occiditur, Henoch Deo placens trãsfertur, iuſtus Noe inuenitur, Abraham fidelis probatur, Moſes mãſuetus dignoſcitur, Ieſus caſtus, Dauid lenis, Elias acceptus, Daniel ſanctus, tres pueri victores redduntur.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

Lectio v.

PEragrarunt Piſcatores orbem terrarum, & infirmũ eũ inuenientes ad ſanitatẽ reduxerũt: & in ruina poſitum ad ſtabilitatẽ reuocauerunt: non ſcuta mouentes, non arcus tendentes, non ſagittas mittentes, non pecuniam largientes, nõ in eloquentia confidentes. Pecunia indigentes, ſed regnũ cælorũ poſſidentes: non habentes humana ſolatia, habentes autẽ Dominũ ſecum. Ego enim, inquit, vobiſcum ſum vſque ad conſummationẽ ſæculi. Peragrarunt vniuerſum orbẽ oues ſimul cum lupis: & vulneratæ à beſtijs non ſunt oues, ſed magis lupi ad ouium manſuetudinem ſunt conuerſi.

Sermo S. Cypriani Epiſcopi & Mart.

Epiſt. ad Martyr. Lectio vj.

O Quale illud fuit ſpeculum Domino, quàm ſublime, quàm magnum, quàm acceptum! Quàm lætus illic Chriſtus fuit, quàm libens in talibus ſeruis ſuis & pugnauit & vicit!

prælіatores atque aſſertores ſui nominis erexit, corroborauit, animauit. Et qui pro nobis mortem ſemel vicit, ſemper vincit in nobis. Hic eſt agon fidei noſtræ, qua congredimur, qua vincimus, qua coronamur. Quod fuit per Prophetas prædictum, per Dominum commiſſum, per Apoſtolos geſtum, ſancti Martyres exhibuerunt, & palmam acceperunt, in fide ſtabiles, in dolore patiẽtes, in quæſtione victores.

IN III. NOCTVRNO.

Sermo ſancti Gregorij Papæ.

In Ezech. Lectio vij.

QVi ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Recte ſancti Confeſſores, quorum in præſenti memoriam agimus, nubes appellati ſunt: quia & verbis pluunt, & miraculis ac exemplis coruſcant. Qui volare quoque vt nubes dicuntur: quia in terra viuentes, extra terram fuit omne quod egerunt. Vnde & per quandam nubem dicitur: In carne viuentes, non ſecundum carnẽ militamus. Priores etenim Patres coniugijs vtebantur, filios procreabant, ſubſtantias poſſidebant: curis rei familiaris intendebant. Iſtos autem per prophetiæ ſpiritum iam præuidens ſubſtantias deſerere, coniugia non appetere, filios non procreare, nihil in terra quærere, & nihil poſſidere: non eos velut homines per terram ambulãtes, ſed vt nubes volãtes nominat.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

In Homilia. Lectio viij.

APud Deum femineus etiam militat ſexus. Multæ namque feminæ, animo virili ſpiritalem militiam geſſerunt. Quædam enim interioris hominis virtute, viros æquauerunt in agonibus Martyrum: quædam etiam fortiores viris extiterunt. Nam quibuſdam virorum, ex ignauia muliebri degenerantibus, illæ ſexum infirmum virili mente vicerunt: ac ſic in teſtimonio virtutis victrices pœnarum vires labentibus conſtituerunt. Ex ipſis ergo ſunt, qui Angelicum ſacræ virginitatis replent chorũ. Ex ipſis & illæ ſunt, quæ glorioſis prælijs confeſſorũ, & Martyrum triumphis coruſcant.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Lib. 1. Meditation. cap. 25.

Lectio ix.

MAter Ieruſalem ciuitas ſancta, ſol tuus, & claritas tua, & omne bonum tuum, eſt pulcherrimi Regis indeficiens cõtemplatio. Ipſe Rex regum in medio tui: & pueri eius in circuitu eius. Ibi hymnidici Angelorum chori: ibi ſocietas ſupernorum ciuium: ibi dulcis ſolemnitas omnium, ab hac triſti peregrinatione ad tua gaudia redeuntium. Ibi Prophetarum prouidus chorus, ibi iudex Apoſtolorum numerus, ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus, ibi ſanctorum Confeſſorum ſacer conuentus, ibi veri & perfecti Monachi: ibi ſanctæ mulieres, quæ voluptates ſæculi, & ſexum infirmitatis vicerunt. Ibi pueri, & puellæ, qui annos ſuos ſanctis moribus tranſcenderunt. Exultant omnes in proprijs manſionibus.

Die

Die ix. Nouembris.

IN FESTO S. THEODORI Martyris. Tres Lectiones. Oratio.

Deus, qui nos beati Theodori martyris tui confeſſione glorioſa circumdas & protegis: præſta nobis ex eius imitatione proficere, & oratione fulciri. Per Dominum noſtrum.

Ex ſinceris Actis, & Romano Breu.

Lectio iij.

Theodorus, miles Chriſtianus, Maximiano Imperatore, quòd idolorum fanum incendiſſet, comprehenſus, cum à Præfecto legionis pœna ei remitteretur, ſi pœnitens facti Chriſtianam fidem execraretur, conſtanter in fidei confeſſione perſeuerans, miſſus eſt in carcerem: vbi vngulis excarnificatus, dum coſtæ nudarentur, lætus canebat: Benedicam Dominum in omni tempore. Quare in ardentem rogum iniectus, in oratione & diuinis laudibus animam Chriſto reddidit: cuius corpus Euſebia, pia mulier, ſindone inuolutum ſepeliuit in ſuo prædio.

Die x. Nouembris.

IN FESTO SANCTORVM Quatuor Coronatorum. Tres Lectiones. Oratio.

Præſta quæſumus omnipotẽs Deus: vt qui glorioſos Martyres fortes in ſua confeſſione cognouimus: pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus. Per Dominum.

Ex Actis, & ex Romano Breuiario.

Lectio iij.

Seuerus, Seuerianus, Carpophorus, & Victorinus, fratres, in perſecutione Diocletiani deorum cultum libere deteſtantes, plumbatis cæſi, in verberibus vitam pro Chriſti nomine profuderunt. Quorum corpora canibus obiecta, cum ab illis intacta diu fuiſſent, ſublata à Chriſtianis, via Lauicana, tertio ab Vrbe lapide in arenaria ſepeliuntur prope ſepulchrum ſanctorum martyrum Claudij, Nicoſtrati, Symphoriani, Caſtorij, & Simplicij, qui eodẽ Imperatore paſſi erãt: quòd cũ eſſent ſummi ſculptores, nullo modo adduci potuerant, vt idolorũ ſtatuas facerent: & ad ſolis ſimulacrũ ducti vt illud venerarentur, numquã commiſſuros ſe dixerunt, vt adorarent opera manuum hominum. Quamobrẽ in carcerem coniecti, cum ibi multos dies in eodem propoſito perſtitiſſent, primum ſcorpionibus cæſi, deinde viui plumbeis loculis incluſi, in flumen deijciuntur.

Die xi. Nouembris.

IN FESTO S. MARTINI Epiſcopi & Confeſſoris. Totum Dup.

Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona.

O beatum Pontificem, qui totis viſceribus diligebat Chriſtum Regem, & non formidabat imperij principatum! O Martine dulcedo, medicamentum, & medice! ò ſanctiſſima anima, quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, tamen palmam martyrij non amiſit! ℟. Beatus Martinus. iij.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Martine, ò pie, quàm pium eſt gaudere de te! ò Martine Prophetis compar, Apoſtolis conſerte, Præſulum gẽma, fide, & meritis egregie, pietate mirabi-

mirabilis, charitate ineffabilis, ſuccurre nobis nunc, & ante Deum.

Oratio.

DEus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra virtute ſubſiſtimus: cõcede propitius, vt interceſſione beati Martini confeſſoris tui atque Pontificis, contra omnia aduerſa muniamur. Per Dominum noſtrum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Adoremus Chriſtum Regem, Qui æterna ſanctum Martinum coronauit gloria.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Aña. Sanctus Martinus obitum ſuum longe ante præſciuit: qui & diſcipulos in vnum congregauit, atque ſui diſſolutionem imminere prædixit. Pſalm. Beatus vir. 1. Aña. Cum repente viribus corporis cœpit deſtitui: tunc mæror, & luctus omnium, vox plangentium vnàque precantium: Ne paſtor oues deſeras. Pſalm. Quare frem. 1. Aña. Scimus quidem te pater deſiderare Chriſtum, ſed ſalua ſunt tibi præmia tua: noſtri potius miſerere quos deſeris pater. Pſalm. Domine, quid. 2. ℣. Amauit eum.

De Libro Iob. Lectio j. C. 31.

AB infantia mea creuit mecũ miſeratio: & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum. Si deſpexi pereuntem eo quòd non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt. Si leuaui ſuper pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta ſuperiorem. Humerus meus à iunctura ſua cadat, & brachium meum cum ſuis oſſibus confringatur. ℟. Hic eſt Martinus electus Dei Pontifex, cui Dominus poſt Apoſtolos tantam gratiam conferre dignatus eſt, Vt in virtute Trinitatis Deificæ, mereretur fieri trium mortuorum ſuſcitator magnificus. ℣. Sanctæ Trinitatis fidem Martinus confeſſus eſt. Vt in. Lectio ii.

SEmper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deũ, & pondus eius ferre non potui. Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea. Si lætatus ſum ſuper multis diuitijs meis: & quia plurima reperit manus mea. Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clare: & lætatũ eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo. Quæ eſt iniquitas maxima, negatio contra Deum altiſſimum. ℟. Dum ſacramenta offerret beatus Martinus, Globus igneus apparuit ſuper caput eius. ℣. Dum enim ad Deũ preces emitteret, & pro vniuerſo grege ſibi commiſſo deprecaretur. Globus. Lectio iij.

SI gauiſus ſum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui quòd inueniſſet eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius. Si nõ dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius vt ſaturemur? Foris nõ manſit peregrinus: oſtium meũ viatori patuit. ℟. Beatus Martinus obitũ ſuũ longe ante præſciuit, dixitq. fratribus, Diſſolutionem ſui corporis imminere,

Digitized by Google

Quia indicauit ſe iam reſolui. ℣. Viribus corporis cœpit repente deſtitui: conuocatiſque diſcipulis in vnum, dixit. Diſſolutionem. Gloria. Quia.

IN II. NOCTVRNO.

Añ. Domine iam ſatis eſt, quòd huc vſque certaui, ſed quoad ipſe iuſſeris militabo: at ſi parcis ætati, bonum eſt mihi, hos quibus timeo, ipſe cuſtodias. Pſal. Cum inuocarem. 2. Añ. Artus febre fatiſcentes ſpiritui ſeruire cogebat: ſtratoque ſuo illo nobili cilicio recubans, nec terram videre iam dignatus, cælo totus inhiabat. Pſalm. Verba mea. 2. Añ. Sinite me, inquit, cælum videre, vt ſpiritus dirigatur ad Dominum: nihil in me repetiet inimicus, ſed ſinus Abrahæ me ſuſcipiet. Pſal. Domine Dominus noſter. 4. ℣. Iuſtum deduxit Dominus &c.

Ex S. Seuero Sulpitio in eius vita.

Lectio iv.

MArtinus Sabariæ Pannoniorũ oppido oriundus fuit, parentibus non infimis, gentilibus tamen. Ipſe armatam militiam inter ſcholares alas, ſub Rege Conſtantio, deinde ſub Iuliano Cæſare militauit. Cum eſſet annorum decem, inuitis parẽtibus ad Eccleſiam confugit, ſeque catechumenum fieri poſtulauit. In armis poſitus, integer tamen ab ijs vitijs, quibus illud hominum genus implicari ſolet, permanſit. Multa illi circa commilitones benignitas, mira charitas, patientia vero atque humilitas, vltra humanum modum: frugalitas vero tanta, vt iam non miles, ſed monachus putaretur. ℟. Dixerunt diſcipuli ad beatum Martinum: Cur nos pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. ℣. Scimus quidem deſiderare te Chriſtum, ſed ſalua ſunt tibi tua præmia: noſtri potius miſerere, quos deſeris. Inuadent.

Lectio v.

QVodam itaque tempore, cum iam nihil præter arma, & ſimplicem militiæ veſtem haberet, media hieme obuium habuit in porta Ambianenſium ciuitatis, pauperem nudum. Qui cum prætereuntes, vt ſui miſererentur, oraret, omneſque miſerũ præterirent, intellexit vir Deo plenus, ſibi illum, alijs miſericordiam non præſtantibus, reſeruari. Arrepto itaque ferro quo accinctus erat, mediam chlamydem, cum nihil aliud haberet, diuidit: partemque eius pauperi tribuit, reliqua vero rurſus induitur. Nocte igitur inſecuta, vidit Chriſtum chlamydis ſuæ, qua pauperem texerat, parte veſtitum: moxque ipſum ad Angelorum multitudinem audiuit clara voce dicentem: Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit. Quo viſo bonitatem Dei in ſuo opere cognouit. Poſt hæc baptizatus eſt. ℟. Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius: non recuſo ſubire propter eos laborem: Fiat voluntas tua. ℣. Satis eſt Domine, quòd hucuſque certaui: nec deficientem cauſabor ætatem, munia tua deuotus implebo. Fiat.

Lectio vj.

INterea, irruentibus intra Gallias Barbaris, Iulianus Cæſar, coacto in vnum exercitu, donatiuum cœpit erogare militibus. At vbi ad Martinũ ventum eſt, opportunum tempus exiſtimans, quo peteret miſſionem: Hactenus, inquit ad Cæſarem, militaui tibi, nunc patere vt militem Deo: donatiuum tuum pugnaturus accipiat alter: Chriſti ego miles ſum, pugnare mihi non licet. Tum vero Tyrannus infremuit, dicens, eum metu pugnæ, quæ poſtera die erat futura, nõ religionis gratia detrectare militiam. Ad hãc vocem, Martinus intrepidus: Si hoc, inquit, ignauiæ adſcribitur, non fidei, craſtina die, ante aciẽ inermis adſtabo, & in nomine Domini Ieſu, ſigno Crucis, nõ clypeo protectus, aut galea hoſtium cuneos penetrabo ſecurus.

℞. Oculis, ac manibus in cælum ſemper intentus, Inuictum ab oratione ſpiritum non relaxabat. ℣. Nobilis illo ſtrato ſuo in cinere & cilicio recubans. Inuictum. Gloria. Inuictum.

IN III. NOCTVRNO.

Antiph. Media nocte Dominica Sanctus diſceſſit: cui cæli ciues mox obuiant: multi audierunt voces in ſublime: qui & vitro purior, lacte cãdidior, carne quoque monſtratus eſt gemma Sacerdotum. Pſal. Domine, quis habit. 7. Añ. Glorificati hominis viderunt gloriam, quia ſic fuerunt: nam caro, quam cinis ſemper obtexerat, ita reſplenduit, vt quodã reſurrectionis decus & extincta proferret. Pſal. Domine in virtute. 13. Añ. Adeſt multitudo Monachorũ, ac Virginũ: hi ſpeciali gloria præcipue flebant, cum ſentirent magis eſſe gaudendum, ſi rationẽ vis doloris admitteret. Pſal. Domini eſt terra. 15. ℣. Iuſtus vt palma florebit, &c.

Lectio vij.

REtrudi ergo in cuſtodiam iubetur, facturus fidẽ dictis, vt inermis Barbaris obijceretur. Poſtea vero die hoſtes, legatos de pace miſerunt, ſua omnia ſeſeq. dedentes. Vnde quis dubitet, hanc vere beati viri fuiſſe victoriam: cui præſtitum ſit, ne inermis ad prælium mitteretur? Et quamuis pius Dominus ſeruare militem ſuum inter hoſtiũ gladios & tela potuiſſet: tamen ne vel aliorum morte Sancti violarentur obtutus, non aliã Chriſtus pro milite ſuo debuit præſtare victoriam, quàm vt ſubactis ſine ſanguine hoſtibus, nemo moreretur. Exinde relicta militia, S. Hilarium Pictauiæ ciuitatis Epiſcopum adijt: cuius tunc in Dei rebus ſpectata & cognita fides habebatur, & aliquamdiu apud eum cõmoratus eſt. ℞. O beatum virũ, in cuius tranſitu Sãctorum canit numerus, Angelorũ exultant chori, Omniumq. cæleſtium virtutum occurrit pſallentium exercitus! ℣. Eccleſia illius virtute roboratur, Sacerdotes Dei reuelatione glorificantur, quem Michael aſſumpſit cum Angelis. Omniumque.

Lectio viij.

TEntauit autem idem Hilarius, impoſito Diaconij officio, ſibi eũ arctius implicare: ſed cum ſæpiſſimè reſti-

reſtitiſſet, indignum ſe eſſe vociferans: intellexit vir Dei, hoc eum modo poſſe conſtringi: ſi id ei officium imponeret, in quo quidam locus iniuriæ videretur. Itaque Exorciſtam eum eſſe præcepit. Quam ille Ordinationem nō repudiauit. Nec multo poſt admonitus per ſoporem, vt patriam parenteſque, quos adhuc Gentilitas detinebat, religioſa ſollicitudine viſitaret: ex voluntate ſancti Hilarij profectus eſt: multiſq. ab eo obſtrictus precibus & lacrymis, vt rediret, peregrinationem illam aggreſſus eſt, cōteſtatus Fratres multa ſe aduerſa paſſurū: quod poſtea probauit euentus. ℟. O quantus erat luctus omnium, quanta præcipue mærentium lamenta Monachorum! Quia pium eſt gaudere Martino, & pium eſt flere Martinum. ℣. Beati viri corpus vſque ad locum ſepulchri, hymnis canora cæleſtibus turba proſequitur. Quia.

Lectio ix.

INter Alpes igitur deuia ſecutus, incidit in latrones. Cumq. vnus ſecurim eleuatā in caput eius liberaſſet: ictum ferientis ſuſtinuit alter. Vinctis tamen poſt tergum manibus, vni cuſtodiendus traditur. Qui cum eum ad remotiora duxiſſet, percunctari ab eo cœpit, quiſnam eſſet. Reſpondit Chriſtianum ſe eſſe. Quærebat etiam ab eo, an timeret. Tunc vero conſtantiſſime profitebatur, numquam ſe tam fuiſſe ſecurum, quia ſciret miſericordiam Dei maxime in tentationibus affuturam. Vbi ergo ad patriam peruenit, matrem Gentilitatis abſoluit errore, patre in malis perſeuerante: plures tamen ſuo ſaluauit exemplo. Poſtea ad Hilarium reuerſus, & ab eo gratiſſime ſuſceptus, haud longe ſibi ab oppido Monaſterium collocauit. Quo tempore etiam duos mortuos ſuſcitauit, & alia multa mirāda fecit. ℟. Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur: Martinus hic pauper & modicus, Cælum diues ingreditur, Hymnis cæleſtibus honoratur. ℣. Martinus Epiſcopus migrauit à ſæculo, viuit in Chriſto gemma Sacerdotum. Cælum. Gloria Patri. Hymnis.

IN LAVDIBVS, Aña.

DIxerunt diſcipuli ad beatū Martinum: Cur nos pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. Pſal. Dominus regnauit. cum ceteris. Aña. Domine ſi adhuc ſum populo tuo neceſſarius, non recuſo laborem: fiat voluntas tua. Aña. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec viuere recuſauit! Aña. Oculis ac manibus in cælum ſemper intentus, inuictum ab oratione ſpiritum nō relaxabat, alleluia, alleluia. Aña. Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur: Martinus hic pauper & modicus cælū diues ingreditur, hymnis cæleſtibus honoratur. Ad Benedictus Antiphona.

O quantus luctus omniū, quanta præcipue lamenta Monachorum, & Virginum chori! quia pium eſt gaudere Martino, & pium eſt flere Martinum. In Laudib. fiat Mem. de S. Mēna Mart.

Oratio.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotẽs Deus, vt qui beati Mennæ martyris tui natalitia colimus: interceſſione eius, in tui nominis amore roboremur. Per Dominum noſtrum.

Ad Magnificat, Antiphona.

O beatum virum, cuius anima paradiſum poſſidet! vnde exultant Angeli, lætantur Archangeli, chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum inuitat: Mane nobiſcum in æternum.

Per Octaua S. Martini, Inuitat. Regem Confeſſorum.

Ad Benedictus, & Magnificat dicantur Añæ, ſicut in Feſto eiuſdem.

P R I M A   D I E.

Infra Octau. S. Martini.

Ex S. Seuero Sulpitio Dial. 2. cap. 16. & Fortunato lib. 3. vitæ S. Martini.

Lectio iij.

INter initia Epiſcopatus, Martinus ob neceſſaria quædam negotia, Valentinianum Imperatorem adijt. A quo repulſus, & foribus Palatij arceri iuſſus: ſeptimo poſt die monetur ab Angelo, vt in Palatium redeat. Ingreſſus, ad Imperatorem vſque nemine prohibente peruenit. Qui cum eminus venientem vidiſſet, infrendens cur fuiſſet admiſſus, nequaquam aſſurgere adſtanti dignatus eſt: cum ſubito exortus ignis, ſellam in qua Valentinianus ſedebat, valide corripit, excitatumq. diuinitus incendium ſuperbum Principem è ſella excuſſit: qui accurrens ad Martinum, multumque complexus, veniam petijt, & cuncta pro voto viri Dei confecit.

S E C V N D A   D I E.

Ex S. Seuero Sulpitio in vita Sancti Martini, cap. 23. Lectio iij.

EXceptus aliquādo Martinus cõuiuio à Maximo Imperatore, ſella iuxta Regem poſita conſedit. Ad medium ferme conuiuium, vt moris erat, pateram Regi miniſter obtulit: ille Epiſcopo potius dari iubet, Expectans, atque ambiens, vt ab illius dextera poculum ſumeret. Sed Martinus vbi ebibit, pateram presbytero ſuo tradit, nullum ſcilicet exiſtimans digniorem qui poſt ſe biberet: nec integrum ſibi fore, ſi aut regem ipſum, aut eos qui à Rege erant proximi, presbytero prætuliſſet. Quod factum Imperator, omneſq. qui tunc aderant, ita admirati ſunt, vt hoc ipſum eis, in quo contempti fuerant, placeret: celeberrimumq. per omne Palatium fuit, feciſſe Martinum in Regis prādio, quod in infimorum Iudicum conuiuijs Epiſcoporum nemo feciſſet.

Die xiij. Nouembris.

In Laudibus Sancti Britij Epiſcopi, & Confeſſoris. Oratio.

DA quæſumus omnipotẽs Deus: vt beati Britij confeſſoris tui atque Pontificis veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum noſtrum.

T E R T I A   D I E.

Infra Octauas S. Martini.

Ex S. Seuero vitæ c. 10. Lectio iij.

CVm in vico quodā vir Dei Martinus templum antiquiſſimum

diruiſset,

diruiſſet, & arborem pinum, quæ ſano erat proxima, eſſet aggreſſus excidere: antiſtes loci illius, cæteraque Gentilium turba cœpit obſiſtere. Ille quidem eos ſedulo cōmonebat, nihil eſſe religionis inſtipite, & illam ſuccidi oportere, quia eſſet dæmoni dedicata. Tum vnus audacior ceteris: Si habes, inquit, aliquam de Deo tuo fiduciam, noſmetipſi ſuccidimus arborem, tu ruentem excipe. Tum ille intrepide confiſus in Domino, facturum ſe pollicetur. Itaque cum ita pinus illa eſſet acclinis, vt non eſſet dubium, quam in partem ſuccisa corrueret, eo loco vinctus ſtatuitur, pro arbitrio ruſticorum. Succidere igitur ipſi ſuam pinum cum ingenti gaudio cœperunt. At ille confiſus in Domino, iam ſuper ſe ruenti, eleuata obuiam manu, ſignum ſalutis oppoſuit. Tum vero turbinis modo retroacta diuerſam in partem ruit, adeo vt ruſticos, qui tuto in loco ſteterant, pene proſtrauerit. Quo viſo, Gentiles ſtupore miraculi, in Dominum Ieſum crediderunt.

QVARTA DIE.

Ex S. Seuero Sulpitio, Dial. 2. c. 7.

Lectio iij.

ALiquando etiam Auguſta vxor Maximi Imperatoris à Martino ſummis precibus extorſit, vt ad conuiuium veniret, quod ei ipſa paraſſet. Componitur caſtus Reginæ manibus apparatus, ſellulam ipſa conſternit, menſam admouet, aquam manibus ſubminiſtrat: cibum quem ipſa coxerat, apponit. Ipſa, illo ſedente, eminus ſecundum famulantium diſciplinam, ſolo fixa conſiſtit immobilis, per omnia miniſtrantis modeſtiam, & humilitatē exhibens ſeruientis. Miſcuit ipſa bibituro, & ipſa porrexit. Finita cœnula, fragmenta panis aſſumpti, micaſque collegit, ſatis fideliter illas reliquias Imperialibus epulis anteponens.

QVINTA DIE.

Ex S. Seuero in eius vita, c. 24.

Lectio iij.

COnſtat autem, etiam Angelos ab eo plerumque viſos, ita vt conſerto inuicem apud eum ſermone loquerentur. Teſtabantur etiam aliqui ex Fratribus, audiſſe ſe dæmonem, proteruis Martinū vocibus increpantem: cur intra Monaſterium aliquos ex Fratribus, qui olim baptiſmum diuerſis erroribus perdidiſſent, conuerſos poſtea recepiſſet: exponentem crimina ſingulorum Martinum vero diabolo repugnantem, reſpondiſſe conſtanter, antiqua delicta melioris vitæ conuerſione purgari, & per miſericordiam Domini abſoluendos eſſe peccatis, qui peccare deſinerent. Contra dicente diabolo: Nō pertinere ad veniam criminoſos, & ſemel lapſis nullam à Domino præſtari poſſe clementiam, tunc in hanc vocem fertur exclamaſse Martinus: Si tu ipſe ò miſerabilis ab hominum infeſtatione deſiſteres, & te factorum tuorum, vel hoc tempore, cum dies iudicij in proximo eſt, pœniteret: ego tibi vere, cōfiſus in Dño, Chriſti miſericordiā pollicerer.

Die

Die xviij. Nouembris.

IN OCTAVA S. MARTINI

Simplex.

IN II. NOCTVRNO.

Ex S. Seuero Sulpitio Epiſtola ad Baſſulam ſocrum. Lectio iv.

IGitur beatus Martinus, obitũ ſuũ longe ante præſciuit: dixitq. Fratribus diſſolutionem ſui corporis imminere. Interea cauſa extitit, qua Cādacenſem diocæſim viſitaret, vt pacē ſcilicet inter diſcordantes Clericos cō poneret. Qua denique reſtituta, cum iam regredi ad monaſteriũ cogitaret, viribus corporis cœpit repente deſtitui: conuocatiſque diſcipulis, indicat ſe iam reſolui. Tum vero mæror & luctus omnium, vox vna plangentium: Cur nos pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. Scimus quidem deſiderare te Chriſtum: ſed ſalua tibi ſunt tua præmia, nec dilata minuentur, noſtri potius miſerere, quos deſeris. Lectio v.

Tum ille motus his fletibus, vt totus ſemper in Domino miſericordi viſceribus affluebat, lacrymaſſe perhibetur: conuerſuſque ad Dominum, hac tantum flentibus voce reſpondit: Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem: fiat voluntas tua. At ſi iam parcis ætati, bonum eſt mihi. Hos vero, quibus timeo, ipſe cuſtodias. Itaque cum iam per aliquot dies vi febrium teneretur, non tamen à Dei opere ceſſabat, pernox in orationibus, & vigilijs, fatiſcentes artus ſpiritui ſeruire cogebat: nobili illo ſtrato ſuo in cinere, & cilicio recubans. Et cum à diſcipulis rogaretur, vt ſaltem ſibi vilia ſineret ſtramenta ſupponi: Non decet, inquit, filij, Chriſtianum niſi in cinere, & cilicio mori. Ego ſi aliud exemplum vobis relinquo, ipſe peccaui.

Lectio vj.

OCulis ac manibus in cælum ſemper intentus, inuictum ab oratione ſpiritum non relaxabat. Et cum à presbyteris, qui tunc ad eum confluxerant, rogaretur, vt corpuſculũ lateris mutatione releuaret: Sinite, inquit, ſinite me, fratres, cælum potius reſpicere, quàm terram, vt ſuo iam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur. Hæc locutus, diabolum videns prope aſſiſtere: Quid, inquit, hic adſtas cruēta beſtia? Nihil in me funeſte reperies: Abrahæ me ſinus recipiet. Cum hac ergo voce fatigatum diuinis operibus ſpiritum cælo reddidit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio vij.

TEſtati nobis ſunt, qui affuerunt, iam in exanimi corpore, glorificati hominis gloriam ſe vidiſſe. Vultus luce clarior renitebat, cum membra cetera ne tenuis quidem macula fuſcaret. Quis iſtum vnquam cilicio tectũ, quis cineribus crederet inuolutum? Ita vitro purior, lacte candidior, iam in quadam futuræ reſurrectionis gloria, & natura demutatæ carnis oſtēſus eſt. Arcadio igitur & Honorio imperantibus, migrauit ad Chriſtũ media

dia

dia nocte, quæ Dominica fuit. Multi autem in eius tranſitu pſallentium voces audierunt in cælo.

Ex S. Gregorio Turon. Epiſcop. lib. 1. Hiſt. Franc. c. 43. Lectio viij.

Beatus autẽ Seuerinus Colonienſis ciuitatis Epiſcopus, vir per cũcta laudabilis, dum die Dominico loca ſancta, ex conſuetudine poſt Matutinas cum ſuis clericis circuiret, hora illa qua vir beatus obijt, audiuit chorum canentium in ſublimi: vocatoque Archidiacono ſuo, interrogat, ſi aures eius percuterent voces, quas ille attentius audiret. Cui ille: Nequaquã: Tunc proſtrati, pariter deprecabantur Dominum, vt hoc ei diuina pietas audire permitteret. Lectio ix.

Erectis autem rurſum interrogat ſenex: Quid audis? Qui ait: Voces pſallentium tamquam in cælo audio: ſed quid ſit, prorſus ignoro. Cui ille: Dominus meus Martinus Epiſcopus migrauit, & nunc Angeli canendo, eum deferunt in excelſum. Et vt parumper mora eſſet vt hæc audirentur, diabolus eum retinere tentauit: nihilq. in eodem ſuum reperiens, confuſus abſceſſit. Hæc Sacerdote loquẽte, notatur tempus, Archidiaconus Turones miſit velociter, qui hoc diligenter iniquireret. Qui veniens, eo die & hora manifeſtiſſime cognouiſſet trãſiſſe beatum virum, quo S. Seuerinus audiuit pſallentium chorum.

Quando hæc Octa. in Dominica euenerit, in Sabbato præcedenti legatur pro tertia Lectione ſecunda ex ſex ſuprapoſitis, & ceteræ pro illo anno dimittantur. *Die xix. Nouembris.*

IN FESTO S. ELISABETH

Viduæ. Tres Lectiones. Oratio.

Tuorum corda fidelium, Deus miſerator illuſtra: & beatæ Eliſabeth precibus glorioſis, fac nos proſpera mundi deſpicere, & cæleſti ſemper conſolatione gaudere. Per Dñm.

Ex S. Antonino, Iacobo Montano, & alijs. Lectio ij.

Eliſabeth, Andreæ Regis Vngariæ filia, à teneris annis ſancte ac religioſe vixit. Nupta deinde Ludouico Lanthgrauio Turingiæ viro nobiliſſimo, tam caſte & pie Deum colebat, vt ſuo exemplo, maritum ad ſanctitatem, ac vitæ perfectionem induxerit: orationi aſſidue vacans, pauperumq. neceſſitatibus benigne ſubueniens. Mortuo vero marito, Xenodochium maximum conſtruxit ad pauperes ægrotantes alendos, & curãdos: quibus non ſolum neceſſaria ſubminiſtrabat, ſed etiam ipſamet ſanioſis aliquorum vlceribus admouebat medicamenta. Lectio iij.

Patrimonio igitur partim his vſibus conſumpto, partim à conſanguineis demortui mariti ſubtracto, in pauperiem redacta, manibus quod egenis tribueret, quærebat. Atque ita vitam ſanctiſſime tranſegit, & tandem multis clara miraculis, febre aſſumpta, in cælum euolauit. Relata eſt in ſanctorũ numerũ à Gregorio nono. *Cetera de Communi vnius nec Virginis nec Mart. Die xix. Nouemb.*

IN

prǽliatores atque aſsertores ſui nominis erexit, corroborauit, animauit. Et qui pro nobis mortem ſemel vicit, ſemper vincit in nobis. Hic eſt agon fidei noſtræ, qua congredimur, qua vincimus, qua coronamur. Quod fuit per Prophetas prædictum, per Dominum commiſſum, per Apoſtolos geſtum, ſancti Martyres exhibuerunt, & palmam acceperunt, in fide ſtabiles, in dolore patiẽtes, in quæſtione victores.

IN III. NOCTVRNO.

Sermo ſancti Gregorij Papæ.

In Ezech. Lectio vij.

QVi ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? Recte ſancti Confeſſores, quorum in præſenti memoriam agimus, nubes appellati ſunt: quia & verbis pluunt, & miraculis ac exemplis coruſcant. Qui volare quoque vt nubes dicuntur: quia in terra viuentes, extra terram fuit omne quod egerunt. Vnde & per quandam nubem dicitur: In carne viuentes, non ſecundum carnẽ militamus. Priores etenim Patres coniugijs vtebantur, filios procreabant, ſubſtantias poſſidebant: curis rei familiaris intendebant. Iſtos autem per prophetiæ ſpiritum iam præuidens ſubſtantias deſerere, coniugia non appetere, filios non procreare, nihil in terra quærere, & nihil poſſidere: non eos velut homines per terram ambulãtes, ſed vt nubes volãtes nominat.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

In Homilia. Lectio viij.

APud Deum femineus etiam militat ſexus. Multæ namque feminæ, animo virili ſpiritalem militiam geſſerunt. Quædam enim interioris hominis virtute, viros æquauerunt in agonibus Martyrum: quædam etiam fortiores viris extiterunt. Nam quibuſdam virorum, ex ignauia muliebri degenerantibus, illæ ſexum infirmum virili mente vicerunt: ac ſic in teſtimonio virtutis victrices pœnarum vires labentibus conſtituerunt. Ex ipſis ergo ſunt, qui Angelicum ſacræ virginitatis replent chorũ. Ex ipſis & illæ ſunt, quæ glorioſis prælijs confeſſorũ, & Martyrum triumphis coruſcant.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Lib. 1. Meditation. cap. 25.

Lectio ix.

MAter Ieruſalem ciuitas ſancta, ſol tuus, & claritas tua, & omne bonum tuum, eſt pulcherrimi Regis indeficiens cõtemplatio. Ipſe Rex regum in medio tui: & pueri eius in circuitu eius. Ibi hymnidici Angelorum chori: ibi ſocietas ſupernorum ciuium: ibi dulcis ſolemnitas omnium, ab hac triſti peregrinatione ad tua gaudia redeuntium. Ibi Prophetarum prouidus chorus, ibi iudex Apoſtolorum numerus, ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus, ibi ſanctorum Confeſſorum ſacer conuentus, ibi veri & perfecti Monachi: ibi ſanctæ mulieres, quæ voluptates ſæculi, & ſexum infirmitatis vicerunt. Ibi pueri, & puellæ, qui annos ſuos ſanctis moribus tranſcenderunt. Exultant omnes in proprijs manſionibus.

Die

Die ix. Nouembris.

IN FESTO S. THEODORI Martyris. Tres Lectiones. Oratio.

DEus, qui nos beati Theodori martyris tui confeſſione glorioſa circumdas & protegis: præſta nobis ex eius imitatione proficere, & oratione fulciri. Per Dominum noſtrum.

Ex ſinceris Actis, & Romano Breu.

Lectio iij.

THeodorus, miles Chriſtianus, Maximiano Imperatore, quòd idolorum fanum incendiſſet, comprehenſus, cum à Præfecto legionis pœna ei remitteretur, ſi pœnitens facti Chriſtianam fidem execraretur, conſtanter in fidei confeſſione perſeuerans, miſſus eſt in carcerem: vbi vngulis excarnificatus, dum coſtæ nudarentur, lætus canebat: Benedicam Dominum in omni tempore. Quare in ardentem rogum iniectus, in oratione & diuinis laudibus animam Chriſto reddidit: cuius corpus Euſebia, pia mulier, ſindone inuolutum ſepeliuit in ſuo prædio. *Die x. Nouembris.*

IN FESTO SANCTORVM Quatuor Coronatorum. Tres Lectiones. Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotẽs Deus: vt qui glorioſos Martyres fortes in ſua confeſſione cognouimus: pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus. Per Dominum.

Ex Actis, & ex Romano Breuiario.

Lectio iij.

SEuerus, Seuerianus, Carpophorus, & Victorinus, fratres, in perſecutione Diocletiani deorum cultum libere deteſtantes, plumbatis cæſi, in verberibus vitam pro Chriſti nomine profuderunt. Quorum corpora canibus obiecta, cum ab illis intacta diu fuiſſent, ſublata à Chriſtianis, via Lauicana, tertio ab Vrbe lapide in arenaria ſepeliuntur prope ſepulchrum ſanctorum martyrum Claudij, Nicoſtrati, Symphoriani, Caſtorij, & Simplicij, qui eodẽ Imperatore paſſi erãt: quòd cũ eſſent ſummi ſculptores, nullo modo adduci potuerant, vt idolorũ ſtatuas facerent: & ad ſolis ſimulacrũ ducti vt illud venerarentur, numquã commiſſuros ſe dixerint, vt adorarent opera manuum hominum. Quamobrẽ in carcerem coniecti, cum ibi multos dies in eodem propoſito perſtitiſſent, primum ſcorpionibus cæſi, deinde viui plumbeis loculis incluſi, in flumen deijciuntur. *Die xi. Nouembris.*

IN FESTO S. MARTINI Epiſcopi & Confeſſoris. Totum Dup.

Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona.

O beatum Pontificem, qui totis viſceribus diligebat Chriſtum Regem, & non formidabat imperij principatum! O Martine dulcedo, medicamentum, & medice! ò ſanctiſſima anima, quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, tamen palmam martyrij non amiſit! ℟. Beatus Martinus. iij.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Martine, ò pie, quàm pium eſt gaudere de te! ò Martine Prophetis compar, Apoſtolis conſerte, Præſulum gẽma, fide, & meritis egregie, pietate mirabi-

mirabilis, charitate ineffabilis, ſuccurre nobis nunc, & ante Deum.

Oratio.

Deus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra virtute ſubſiſtimus: cócede propitius, vt interceſſione beati Martini confeſſoris tui atque Pontificis, contra omnia aduerſa muniamur. Per Dominum noſtrum.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Adoremus Chriſtum Regem, Qui æterna ſanctum Martinum coronauit gloria.

IN PRIMO NOCTVRNO.

Aña. Sanctus Martinus obitum ſuum longe ante præſciuit: qui & diſcipulos in vnum congregauit, atque ſui diſſolutionem imminere prædixit. Pſalm. Beatus vir. 1. Aña. Cum repente viribus corporis cœpit deſtitui: tunc mæror, & luctus omnium, vox plangentium vnàque precantium: Ne paſtor oues deſeras. Pſalm. Quare frem. 1. Aña. Scimus quidem te pater deſiderare Chriſtum, ſed ſalua ſunt tibi præmia tua: noſtri potius miſerere quos deſeris pater. Pſalm. Domine, quid. 2. ℣. Amauit eum.

De Libro Iob. Lectio j. C. 31.

Ab infantia mea creuit mecũ miſeratio: & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum. Si deſpexi pereuntem eo quòd non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt. Si leuaui ſuper pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta ſuperiorem. Humerus meus à iunctura ſua cadat, & brachium meum cum ſuis oſſibus confringatur. ℟. Hic eſt Martinus electus Dei Pontifex, cui Dominus poſt Apoſtolos tantam gratiam conferre dignatus eſt, Vt in virtute Trinitatis Deificæ, mereretur fieri trium mortuorum ſuſcitator magnificus. ℣. Sanctæ Trinitatis fidem Martinus confeſſus eſt. Vt in. Lectio ii.

Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deũ, & pondus eius ferre non potui. Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea. Si lætatus ſum ſuper multis diuitijs meis: & quia plurima reperit manus mea. Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clare: & lætatũ eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo. Quæ eſt iniquitas maxima, negatio contra Deum altiſſimum. ℟. Dum ſacramenta offerret beatus Martinus, Globus igneus apparuit ſuper caput eius. ℣. Dum enim ad Deũ preces emitteret, & pro vniuerſo grege ſibi commiſſo deprecaretur. Globus. Lectio iij.

Si gauiſus ſum ad ruinam eius, qui me oderat, & exultaui quòd inueniſſet eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animã eius. Si nõ dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius vt ſaturemur? Foris nõ manſit peregrinus: oſtium meũ viatori patuit. ℟. Beatus Martinus obitũ ſuũ longe ante præſciuit, dixitq. fratribus, Diſſolutionem ſui corporis imminere,

Quia

Quia indicauit ſe iam reſolui. ℣. Viribus corporis cœpit repente deſtitui: conuocatiſque diſcipulis in vnum, dixit. Diſſolutionem. Gloria. Quia.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. Domine iam ſatis eſt, quòd huc vſque certaui, ſed quoad ipſe iuſſeris militabo: at ſi parcis ætati, bonum eſt mihi, hos quibus timeo, ipſe cuſtodias. Pſal. Cum inuocarem. 2. Aña. Artus febre fatiſcentes ſpiritui ſeruire cogebat: ſtratoque ſuo illo nobili cilicio recubans, nec terram videre iam dignatus, cælo totus inhiabat. Pſalm. Verba mea. 2. Aña. Sinite me, inquit, cælum videre, vt ſpiritus dirigatur ad Dominum: nihil in me reperiet inimicus, ſed ſinus Abrahæ me ſuſcipiet. Pſal. Domine Dominus noſter. 4. ℣. Iuſtum deduxit Dominus &c.

Ex S. Seuero Sulpitio in eius vita.

Lectio iv.

MArtinus Sabariæ Pannoniorū oppido oriundus fuit, parentibus non infimis, gentilibus tamen. Ipſe armatam militiam inter ſcholares alas, ſub Rege Conſtantio, deinde ſub Iuliano Cæſare militauit. Cum eſſet annorum decem, inuitis parētibus ad Eccleſiam confugit, ſeque catechumenum fieri poſtulauit. In armis poſitus, integer tamen ab ijs vitijs, quibus illud hominum genus implicari ſolet, permanſit. Multa illi circa commilitones benignitas, mira charitas, patientia vero atque humilitas, vltra humanum modum: frugalitas vero tanta, vt iam non miles, ſed monachus putaretur. ℟. Dixerunt diſcipuli ad beatum Martinum: Cur nos pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. ℣. Scimus quidem deſiderare te Chriſtum, ſed ſalua ſunt tibi tua præmia: noſtri potius miſerere, quos deſeris. Inuadent.

Lectio v.

QVodam itaque tempore, cum iam nihil præter arma, & ſimplicem militiæ veſtem haberet, media hieme obuium habuit in porta Ambianenſium ciuitatis, pauperem nudum. Qui cum prætereuntes, vt ſui misererentur, oraret, omneſque miſerū præterirent, intellexit vir Deo plenus, ſibi illum, alijs miſericordiam non præſtantibus, reſeruari. Arrepto itaque ferro quo accinctus erat, mediam chlamydem, cum nihil aliud haberet, diuidit: partemque eius pauperi tribuit, reliqua vero rurſus induitur. Nocte igitur inſecuta, vidit Chriſtum chlamydis ſuæ, qua pauperem texerat, parte veſtitum: moxque ipſum ad Angelorum multitudinem audiuit clara voce dicentem: Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit. Quo viſo bonitatem Dei in ſuo opere cognouit. Poſt hæc baptizatus eſt. ℟. Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius: non recuſo ſubire propter eos laborem: Fiat voluntas tua. ℣. Satis eſt Domine, quòd hucuſque certaui: nec deficientem cauſabor ætatem, munia tua deuotus implebo. Fiat.

Digitized by Google

Lectio vj.

INterea, irruentibus intra Gallias Barbaris, Iulianus Cæſar, coacto in vnum exercitu, donatiuum cœpit erogare militibus. At vbi ad Martinũ ventum eſt, opportunum tempus exiſtimans, quo peteret miſſionem: Hactenus, inquit ad Cæſarem, militaui tibi, nunc patere vt militem Deo: donatiuum tuum pugnaturus accipiat alter: Chriſti ego miles ſum, pugnare mihi non licet. Tum vero Tyrannus infremuit, dicens, eum metu pugnæ, quæ poſtera die erat futura, nõ religionis gratia detrectare militiam. Ad hãc vocem, Martinus intrepidus: Si hoc, inquit, ignauiæ adſcribitur, non fidei, craſtina die, ante aciẽ inermis adſtabo, & in nomine Domini Ieſu, ſigno Crucis, nõ clypeo protectus, aut galea hoſtium cuneos penetrabo ſecurus.

℟. Oculis, ac manibus in cœlum ſemper intentus, Inuictum ab oratione ſpiritum non relaxabat. ℣. Nobili illo ſtrato ſuo in cinere & cilicio recubans. Inuictum. Gloria. Inuictum.

IN III. NOCTVRNO.

Antiph. Media nocte Dominica Sanctus diſceſſit: cui cæli ciues mox obuiant: multi audierunt voces in ſublime: qui & vitro purior, lacte cãdidior, carne quoque monſtratus eſt gemma Sacerdotum. Pſal. Domine, quis habit. 7. Añ. Glorificati hominis viderunt gloriam, qui affuerunt: nam caro, quam cinis ſemper obtexerat, ita reſplenduit, vt quodã reſurrectionis decus & exinducta præferret. Pſal. Domine in virtute. 13. Añ. Adeſt multitudo Monachorũ, ac Virginũ: hi ſpeciali gloria præcipue flebant, cum ſentirent magis eſſe gaudendum, ſi rationẽ vis doloris admitteret. Pſal. Domini eſt terra. 15. ℣. Iuſtus vt palma florebit, &c.

Lectio vij.

REtrudi ergo in cuſtodiam iubetur, facturus fidẽ dictis, vt inermis Barbaris obijceretur. Poſtea verò die hoſtes, legatos de pace miſerunt, ſua omnia ſeſeq. dedentes. Vnde quis dubitet, hanc vere beati viri fuiſſe victoriam: cui præſtitum ſit, ne inermis ad prælium mitteretur? Et quamuis pius Dominus ſeruare militem ſuum inter hoſtiũ gladios & tela potuiſſet: tamen ne vel aliorum morte Sancti violarentur obtutus, non aliã Chriſtus pro milite ſuo debuit præſtare victoriam, quàm vt ſubactis ſine ſanguine hoſtibus, nemo moreretur. Exinde relicta militia, S. Hilarium Pictauiæ ciuitatis Epiſcopum adijt: cuius tunc in Dei rebus ſpectata & cognita fides habebatur, & aliquamdiu apud eum cõmoratus eſt. ℟. O beatum virũ, in cuius tranſitu Sãctorum canit numerus, Angelorũ exultant chori, Omniumq. cæleſtium virtutum occurrit pſallentium exercitus! ℣. Eccleſia illius virtute roboratur, Sacerdotes Dei reuelatione glorificantur, quem Michael aſſumpſit cum Angelis. Omniumque.

Lectio viij.

TEntauit autem idem Hilarius, impoſito Diaconij officio, ſibi eũ arctius implicare: ſed cum ſæpiſſimè

Digitized by Google

reſtitiſſet, indignum ſe eſſe vociferans: intellexit vir Dei, hoc eum modo poſſe conſtringi: ſi id ei officium imponeret, in quo quidam locus iniuriæ videretur. Itaque Exorciſtam eum eſſe præcepit. Quam ille Ordinationem nō repudiauit. Nec multo poſt admonitus per ſoporem, vt patriam parenteſque, quos adhuc Gentilitas detinebat, religioſa ſollicitudine viſitaret: ex voluntate ſancti Hilarij profectus eſt: multiſq. ab eo obſtrictus precibus & lacrymis, vt rediret, peregrinationem illam aggreſſus eſt, cōteſtatus Fratres multa ſe aduerſa paſſurū: quod poſtea probauit euentus. ℟. O quantus erat luctus omnium, quanta præcipue mærentium lamenta Monachorum! Quia pium eſt gaudere Martino, & pium eſt flere Martinum. ℣. Beati viri corpus vſque ad locum ſepulchri, hymnis canora cæleſtibus turba proſequitur. Quia.

Lectio ix.

INter Alpes igitur deuia ſecutus, incidit in latrones. Cumq. vnus ſecurim eleuatā in caput eius liberaſſet: ictum ferientis ſuſtinuit alter. Vinctis tamen poſt tergum manibus, vni cuſtodiendus traditur. Qui cum eum ad remotiora duxiſſet, percunctari ab eo cœpit, quiſnam eſſet. Reſpondit Chriſtianum ſe eſſe. Quærebat etiam ab eo, an timeret. Tunc vero conſtantiſſime profitebatur, numquam ſe tam fuiſſe ſecurum, quia ſciret miſericordiam Dei maxime in tentationibus affuturam. Vbi ergo ad patriam peruenit, matrem Gentilitatis abſoluit errore, patre in malis perſeuerante: plures tamen ſuo ſaluauit exemplo. Poſtea ad Hilarium reuerſus, & ab eo gratiſſime ſuſceptus, haud longe ſibi ab oppido Monaſterium collocauit. Quo tempore etiam duos mortuos ſuſcitauit, & alia multa mirāda fecit. ℟. Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur: Martinus hic pauper & modicus, Cælum diues ingreditur, Hymnis cæleſtibus honoratur. ℣. Martinus Epiſcopus migrauit à ſæculo, viuit in Chriſto gemma Sacerdotum. Cælum. Gloria Patri. Hymnis.

IN LAVDIBVS, Aña.

DIxerunt diſcipuli ad beatū Martinum: Cur nos pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. Pſal. Dominus regnauit. cum ceteris. Aña. Domine ſi adhuc ſum populo tuo neceſſarius, non recuſo laborem: fiat voluntas tua. Aña. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec viuere recuſauit! Aña. Oculis ac manibus in cælum ſemper intentus, inuictum ab oratione ſpiritum nō relaxabat, alleluia, alleluia. Aña. Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur: Martinus hic pauper & modicus cælū diues ingreditur, hymnis cæleſtibus honoratur. Ad Benedictus Antiphona.

O quantus luctus omniū, quanta præcipue lamenta Monachorum, & Virginum chori! quia pium eſt gaudere Martino, & pium eſt flere Martinum. In Laudib. fiat Mem. de S. Mēnæ Mart.

Oratio.

Digitized by Google

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotẽs Deus, vt qui beati Mennæ martyris tui natalitia colimus: interceſſione eius, in tui nominis amore roboremur. Per Dominum noſtrum.

Ad Magnificat, Antiphona.

O beatum virum, cuius anima paradiſum poſſidet! vnde exultant Angeli, lætantur Archangeli, chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum inuitat: Mane nobiſcum in æternum.

Per Octaua S. Martini, Inuitat. Regem Confeſſorum.

Ad Benedictus, & Magnificat dicantur Añæ, ſicut in Feſto eiuſdem.

P R I M A   D I E.

Infra Octau. S. Martini.

Ex S. Seuero Sulpitio Dial. 2. cap. 16. & Fortunato lib. 3. vitæ S. Martini.

Lectio iij.

INter initia Epiſcopatus, Martinus ob neceſſaria quædam negotia, Valentinianum Imperatorem adijt. A quo repulſus, & foribus Palatij arceri iuſſus: ſeptimo poſt die monetur ab Angelo, vt in Palatium redeat. Ingreſſus, ad Imperatorem vſque nemine prohibente peruenit. Qui cum eminus venientem vidiſſet, infrendens cur fuiſſet admiſſus, nequaquam aſſurgere adſtanti dignatus eſt: cum ſubito exortus ignis, ſellam in qua Valentinianus ſedebat, valide corripit, excitatumq. diuinitus incendium ſuperbum Principem è ſella excuſſit: qui accurrens ad Martinum, multumque complexus, veniam petijt, & cuncta pro voto viri Dei confecit.

S E C V N D A   D I E.

Ex S. Seuero Sulpitio in vita Sancti Martini, cap. 23. Lectio iij.

EXceptus aliquãdo Martinus cõuiuio à Maximo Imperatore, ſella iuxta Regem poſita conſedit. Ad medium ferme conuiuium, vt moris erat, pateram Regi miniſter obtulit: ille Epiſcopo potius dari iubet, Expectans, atque ambiens, vt ab illius dextera poculum ſumeret. Sed Martinus vbi ebibit, pateram presbytero ſuo tradit, nullum ſcilicet exiſtimans digniorem qui poſt ſe biberet: nec integrum ſibi fore, ſi aut regem ipſum, aut eos qui à Rege erant proximi, presbytero prætuliſſet. Quod factum Imperator, omneſq. qui tunc aderant, ita admirati ſunt, vt hoc ipſum eis, in quo contempti fuerant, placeret: celeberrimumq. per omne Palatium fuit, feciſſe Martinum in Regis prãdio, quod in infimorum Iudicum conuiuijs Epiſcoporum nemo feciſſet.

Die xiij. Nouembris.

In Laudibus. Sancti Britij Epiſcopi, & Confeſſoris. Oratio.

DA quæſumus omnipotẽs Deus: vt beati Britij confeſſoris tui atque Pontificis veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum noſtrum.

T E R T I A   D I E.

Infra Octauas S. Martini.

Ex S. Seuero vitæ c. 10. Lectio iij.

CVm in vico quodã vir Dei Martinus templum antiquiſſimum diruiſſet,

diruiſſet, & arborem pinum, quæ fano erat proxima, eſſet aggreſſus excidere: antiſtes loci illius, ceteraque Gentilium turba cœpit obſiſtere. Ille quidem eos ſedulo cõmonebat, nihil eſſe religionis inſtipite, & illam ſuccidi oportere, quia eſſet dæmoni dedicata. Tum vnus audacior ceteris: Si habes, inquit, aliquam de Deo tuo fiduciam, noſmetipſi ſuccidimus arborem, tu ruentem excipe. Tum ille intrepide confiſus in Domino, facturum ſe pollicetur. Itaque cum ita pinus illa eſſet acclinis, vt non eſſet dubium, quam in partem ſuccisa corrueret, eo loco vinctus ſtatuitur, pro arbitrio ruſticorum. Succidere igitur ipſi ſuam pinum cum ingenti gaudio cœperunt. At ille confiſus in Domino, iam ſuper ſe ruenti, eleuata obuiam manu, ſignum ſalutis oppoſuit. Tum vero turbinis modo retroacta diuerſam in partem ruit, adeo vt ruſticos, qui tuto in loco ſteterant, pene proſtrauerit. Quo viſo, Gentiles ſtupore miraculi, in Dominum Ieſum crediderunt.

QVARTA DIE.

Ex S. Seuero Sulpitio, Dial. 2. c. 7.

Lectio iij.

ALiquando etiam Auguſta vxor Maximi Imperatoris à Martino ſummis precibus extorſit, vt ad conuiuium veniret, quod ei ipſa paraſſet. Componitur caſtus Reginæ manibus apparatus, ſellulam ipſa conſternit, menſam admouet, aquam manibus ſubminiſtrat: cibum quem ipſa coxerat, apponit. Ipſa, illo ſedente, eminus ſecundum famulantium diſciplinam, ſolo fixa conſiſtit immobilis, per omnia miniſtrantis modeſtiam, & humilitatẽ exhibens ſeruientis. Miſcuit ipſa bibituro, & ipſa porrexit. Finita cœnula, fragmenta panis aſſumpti, micaſque collegit, ſatis fideliter illas reliquias Imperialibus epulis anteponens.

QVINTA DIE.

Ex S. Seuero in eius vita, c. 24.

Lectio iij.

COnſtat autem, etiam Angelos ab eo plerumque viſos, ita vt conſerto inuicem apud eum ſermone loquerentur. Teſtabantur etiam aliqui ex Fratribus, audiſſe ſe dæmonem, proteruis Martinũ vocibus increpantem: cur intra Monaſterium aliquos ex Fratribus, qui olim baptiſmum diuerſis erroribus perdidiſſent, conuerſos poſtea recepiſſet: exponentem crimina ſingulorum Martinum vero diabolo repugnantem, reſpondiſſe conſtanter, antiqua delicta melioris vitæ conuerſione purgari, & per miſericordiam Domini abſoluendos eſſe peccatis, qui peccare deſinerent. Contra dicente diabolo: Nõ pertinere ad veniam crimino ſos, & ſemel lapſis nullam à Domino præſtari poſſe clementiam, tunc in hanc vocem fertur exclamaſse Martinus: Si tu ipſe ò miſerabilis ab hominum infeſtatione deſiſteres, & te factorum tuorum, vel hoc tempore, cum dies iudicij in proximo eſt, pœniteret: ego tibi vere, cõfiſus in Dño, Chriſti miſericordiã pollicerer.

Die

Digitized by Google

dia nocte, quæ Dominica fuit. Multi autem in eius tranſitu pſallentium voces audierunt in cælo.

Ex S. Gregorio Turon. Epiſcop. lib. 1. Hiſt. Franc. c. 43. Lectio viij.

BEatus autē Seuerinus Colonienſis ciuitatis Epiſcopus, vir per cūcta laudabilis, dum die Dominico loca ſancta, ex conſuetudine poſt Matutinas cum ſuis clericis circuiret, hora illa qua vir beatus obijt, audiuit chorum canentium in ſublimi: vocatoque Archidiacono ſuo, interrogat, ſi aures eius percuterent voces, quas ille attentius audiret. Cui ille: Nequaquā: Tunc proſtrati, pariter deprecabantur Dominum, vt hoc ei diuina pietas audire permitteret. Lectio ix.

EREctis autem rurſum interrogat ſenex: Quid audis? Qui ait: Voces pſallentium tamquam in cælo audio: ſed quid ſit, prorſus ignoro. Cui ille: Dominus meus Martinus Epiſcopus migrauit, & nunc Angeli canendo, eum deferunt in excelſum. Et vt parumper mora eſſet vt hæc audirentur, diabolus eum retinere tentauit: nihilq. in eodem ſuum reperiens, confuſus abſceſſit. Hæc Sacerdote loquēte, notatur tempus, Archidiaconus Turones miſit velociter, qui hoc diligenter iniquireret. Qui veniens, eo die & hora manifeſtiſſime cognouiſſet trāſiſſe beatum virum, quo S. Seuerinus audiuit pſallentium chorum.

Quando hæc Octa. in Dominica euenerit, in Sabbato præcedenti legatur pro tertia Lectione ſecunda ex ſex ſuprapoſitis, & ceteræ pro illo anno dimittantur. *Die xix. Nouembris.*

IN FESTO S. ELISABETH Viduæ. Tres Lectiones. Oratio.

TVorum corda fidelium, Deus miſerator illuſtra: & beatæ Eliſabeth precibus glorioſis, fac nos proſpera mundi deſpicere, & cæleſti ſemper conſolatione gaudere. Per Dñm.

Ex S. Antonino, Iacobo Montano, & alijs. Lectio ij.

ELiſabeth, Andreæ Regis Vngariæ filia, à teneris annis ſancte ac religioſe vixit. Nupta deinde Ludouico Lanthgrauio Turingiæ viro nobiliſſimo, tam caſte & pie Deum colebat, vt ſuo exemplo, maritum ad ſanctitatem, ac vitæ perfectionem induxerit: orationi aſſidue vacans, pauperumq. neceſſitatibus benigne ſubueniens. Mortuo vero marito, Xenodochium maximum conſtruxit ad pauperes ægrotantes alendos, & curādos: quibus non ſolum neceſſaria ſubminiſtrabat, ſed etiam ipſamet ſanioſis aliquorum vlceribus admouebat medicamenta. Lectio iij.

PAtrimonio igitur partim his vſibus conſumpto, partim à conſanguineis demortui mariti ſubtracto, in pauperiem redacta, manibus quod egenis tribueret, quærebat. Atque ita vitam ſanctiſſime tranſegit, & tandem multis clara miraculis, febre aſſumpta, in cælum euolauit. Relata eſt in ſanctorū numerū à Gregorio nono. *Cetera de Communi vnius nec Virginis nec Mart.* *Die xix. Nouemb.*

IN

IN PRAESENTATIONE B. Mariæ Virginis. Totum Duplex. Præter hic poſita omnia fiant ſicut in Natiuitate ipſius, mutato nomine Natiuitatis in Præſentationis. 803.

Oratio.

DEus, qui beatam Mariam ſemper Virginem, Spiritus ſancti habitaculum, hodierna die in templo præſentari voluiſti: præſta, quæſumus, vt eius interceſſione in templo gloriæ tuæ præſentari mereamur. Per Dominum. In vnitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus.

IN I. NOCTVRNO.

De Canticis Canticorum.

Lectio j. C.5.

ADiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nũcietis ei, quia amore langueo. Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum? qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos? Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum. Comæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus. Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluẽta pleniſſima. Genæ illius ſicut areolæ aromatum, conſitæ à pigmentarijs. Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.

Lectio ij.

MAnus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Species eius vt Libani, electus vt cedri. Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis: talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem. Quò abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum? Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.

Lectio iij. C.6.

EGo dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia. Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Ieruſalem: terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Auerte oculos tuos à me: quia ipſi me auolare fecerunt. Capilli tui ſicut grex caprarũ, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui ſicut greges ouium, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fetibus, & ſterilis non eſt in eis. Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ abſque occultis tuis.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Libro S. Ioannis Damaſceni de Fide Orthodoxa. *Lib.4.c.15.*

Lectio iv.

IOachim venerandam, & dignam laude Annam in matrimonium duxit. Sed quemadmodum vetus Anna cum ſterilis eſſet, per votum & repromiſſionem genuit Samuelem: ita & hæc per ſupplicationem & repromiſſionem Dei Genitricem diuino munere accepit: vt in hoc nulla illuſtriũ mulierum poſterior eſſet. Itaque gratia

tia (nam hoc ſonat Annæ vocabulū) Dominam parit, id enim Mariæ nomine ſignificatur. Nam reuera Domina facta eſt omnium creaturarum, cum conditoris omnium effecta eſt mater.

Lectio v.

NAſcitur autem in domo ouilis Ioachim, & adducitur in templum. Deinde in domo Domini plantata, & impinguata Spiritu, velut oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta eſt, cum ab omni ſæculari vita, & carnali concupiſcentia procul mentem abduxiſſet: & ſic virgineum animum ſimul & corpus conſeruaſſet, vt decebat eam, quæ in ſinu Deum ſuſceptura erat.

Ex Libro S. Ambroſij Epiſcopi de Virginibus. *Lib.* 2.

Lectio vj.

TAlis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium diſciplina ſit. Si igitur auctor non diſplicet, opus probemus: vt quicumque ſibi eius exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in vna Virgine ſpecies virtutum emicant! Secretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obſequium: virgo intra domum, comes ad miniſterium, mater ad templum. O quantis illa virginibus occurret: quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: Hæc torum Filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato ſeruauit pudore.

Lectio vij.

QVid exequar ciborum parſimoniam, officiorum redundantiā: alterum vltra naturam ſuperfuiſſe, alterum pene ipſi naturæ defuiſſe? Illic nulla intermiſſa tempora, hic congeminatos ieiunio dies. Et ſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret. Dormire non prius cupiditas, quàm neceſſitas fuit: & tamen cum quieſceret corpus, vigilare animus: qui frequenter in ſomnis, aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænunciat.

Lectio viij.

PRodire domo neſcia, niſi cum ad templum conueniret. Domeſtico operoſa ſecreto, forenſi ſtipata comitatu: nullo tamen meliore ſui cuſtode quàm ſeipſa: quæ inceſſu, affatuq. venerabilis, non tam veſtigiū pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret. Sic Maria intendebat omnibus, quaſi à pluribus moneretur. ſic implebat omnia virtutis officia, vt non tam diſceret, quàm doceret.

Lectio ix.

QVid enim in ſingulis morer? vt eam parentes dilexerint, extranei prædicauerint? quæ digna fuit, ex qua Filius Dei naſceretur? Quid quod annis quoque omnibus ibat Ieruſalē ſolemni die Paſchæ, & ibat cum Ioſeph. Vbique in virgine comes ſingularum virtutū eſt pudor. Hic indiuiduus debet eſſe virginitati, ſine quo non poteſt eſſe virginitas. Nec ad templum igitur Maria ſine pudoris ſui cuſtode proceſſit. ℟. Solē iuſtitiæ Regem paritura ſupremum, Stella Maria maris, Hodie proceſſit ad tem-

ad templũm. ℣. Cernere diuinum lumen, gaudete Fideles. Stella. Gloria. Hodie.

Die xxij. Nouembris.

IN FESTO S. CAECILIAE Virg. & mart. Duplex.

Ad Magnificat, Antiphona.

Virgo glorioſa ſemper Euangelium Chriſti gerebat in pectore, & non diebus, neque noctibus, à colloquijs diuinis, & oratione ceſſabat.

Oratio.

DEus, qui nos annua beatæ Cæciliæ virginis & martyris tuæ ſolemnitate lætificas: da, vt quam veneramur officio, etiam piæ cõuerſationis ſequamur exemplo. Per Dominũ.

IN I. NOCTVRNO.

Ant. Cæcilia Virgo Almachiũ exuperabat: Tiburtium, & Valerianum ad coronas vocabat. Pſalm Domine Dominus. 4. Añ. Expanſis manibus orabat ad Dominum, vt eam eriperet de inimicis. Pſalm Cæli enarrant. 11. Añ. Cilicio Cæcilia membra domabat: Deum gemitibus exorabat. Pſal. Domini eſt terra. 15. ℣. Diffuſa.

Tres primæ Lectiones dicantur ſicut in Feſto S. Agnetis. 601.

℟. j Cantantibus organis Cæcilia virgo in corde ſuo ſoli Domino decantabat, dicens: Fiat Domine cor meum, immaculatum, vt non confundar. ℣. Biduanis, ac triduanis ieiunijs orans, ſuam Domino pudicitiam commendabat, dicens. Fiat. ℟. ij. O beata Cæcilia, quæ duos fratres conuertiſti, Almachium iudicem ſuperaſti, Vrbanum Epiſcopum in vultu Angelico demonſtraſti! ℣. Beata es Virgo, & glorioſa, & benedictus ſermo oris tui. Vrbanum. ℟. iij. Virgo glorioſa ſemper Euangelium Chriſti gerebat in pectore: Et non diebus, neque noctibus vacabat A colloquijs diuinis, & oratione. ℣. Cilicio Cæcilia membra domabat: Deum gemitibus exorabat. Et non. Gloria. A colloquijs.

IN II. NOCTVRNO.

Añ. Domine Ieſu Chriſte ſeminator caſti conſilij, ſuſcipe ſeminum fructus, quos in Cæcilia ſeminaſti. Pſal. Eructauit. 30. Añ. Beata Cæcilia dixit ad Tiburtium: Hodie te fateor meum eſſe cognatum, quia amor Dei te fecit eſſe contemptorem idolorum. Pſalm. Deus noſter. 30. Añ. Fiat Domine cor meum, & corpus meum immaculatum, vt non confundar. Pſal. Fundamenta eius in montibus. 57. ℣. Specie tua.

Ex Actis ſinceris. Lectio iv.

CAecilia virgo Romana, nobili genere nata, prima ætate Chriſtianæ fidei præceptis inſtituta, virginitatem ſuam Deo vouit. Sed cum poſtea ſub Alexandro Imperatore inuita Valeriano deſponſata fuiſſet, dũ dies nuptialis inſtaret, biduanis, ac triduanis ieiunijs orans, ſe Sanctis omnibus commendabat, vt ſuam pudicitiam cuſtodirent, atque cilicio ad carnem induta, deſuper auratis veſtibus tegebatur. Parentum enim tanta vis & ſponſi circa illam erat exæſtuans, vt non poſſet ipſa amorẽ cordis, quòd ſolum

ſolum Chriſtum diligeret, indicijs eui dentibus aperire. Quid multa? Venit dies in qua thalamus collocatus eſt; & cantantibus organis, illa in corde ſoli Domino decantabat. Inuitabat autẽ Angelos precibus, lacrymis interpellabat Apoſtolos, & ſanctos omnes Chriſto famulantes exorabat, vt eam adiuuarent, ſuam Domino pudicitiam commendantem. ℟. Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat, Almachium exuperabat, Tiburtium & Valerianum ad coronas vocabat. ℣. Non diebus, neque noctibus vacabat à colloquijs diuinis, & oratione. Almachium. Lectio v.

Cvm hæc agerentur, venit nox, in qua cum ſponſo ſuo ſuſcepit cubiculi ſecreta ſilentia: & ita eum alloquitur: O dulciſſime iuuenis, eſt myſterium, quòd tibi confitear, ſi modo iuratus aſſeras tota te illud obſeruantia cuſtodire. Quo iurante: Angelum, inquit, Dei habeo amatorem, qui nimio zelo cuſtodit corpus meum. Hic, ſi vel leuiter ſenſerit, quòd me polluto amore contingas, ſtatim circa te ſuum furorem exagitabit, & florem tuæ iuuentutis amittes. Si vero virginitatem meam integram illibatamque cuſtodias, ita te quoque diliget, ſicut me, & oſtendet tibi gloriam ſuam. Tunc Valerianus: Si vis, inquit, vt credam ſermonibus tuis, oſtende mihi Angelum. Cui Cæcilia: Si permittas te purificari fonte perenni, poteris ipſum Angelum videre. ℟. Cæcilia me miſit ad vos, vt oſtendatis mihi ſanctũ Vrbanum: Quia ad ipſum habeo ſecreta, quæ perferã. ℣. Cumq. pro ſigno acceperitis benedictionem eius, ducite me ad ſanctum Antiſtitem. Quia.

Lectio vi.

Tvm Valerianus: Et quis eſt, qui me purificet, vt Angelũ videam? Cæcilia ad hæc: Eſt ſenior, qui nouit purificare homines, vt mereatur videre Angelũ. Cui Valerianus: Et vbi eũ requiram? Reſpondit Cæcilia: Vade in tertium milliariũ ab Vrbe, via quæ Appia nuncupatur, illic inuenies pauperes, à tranſeuntibus alimaniæ petẽtes auxiliũ. Hos dum videris, dabis eis benedictionem meã, & dices: Cæcilia me miſit ad vos, vt oſtẽdatis mihi ſanctum ſenem Vrbanum, quoniã ad ipsũ habeo eius ſecreta mandata quæ perferam. Tunc Valerianus perrexit, & ſecundũ ſigna inuenit ſanctum Vrbanum Epiſcopũ, qui iam bis confeſſor factus intra ſepulchra Martyrũ latitabat. Cui cum dixiſſet omnia verba Cæciliæ, gauiſus eſt gaudio magno: & ponens genua in terra, expandit manus ſuas ad cælum, & cũ lacrymis gratias agens, orauit. ℟. Cæciliam intra cubiculum orantem inuenit, & iuxta eam ſtantem Angelũ Domini: Quem vidẽs Valerianus, Nimio terrore correptus eſt. ℣. Angelus Domini deſcẽdit de cælo, & lumen refulſit in habitaculo. Quem. Gloria. Nimio.

IN III. NOCTVRNO.

Aña Credimus Chriſtũ Filium Dei, verum Deũ eſſe, qui ſibi talẽ elegit famulã. Pſal. Cantate. j. 63. Aña Nos

Lectio vj.

INterea, irruentibus intra Gallias Barbaris, Iulianus Cæſar, coacto in vnum exercitu, donatiuum cœpit erogare militibus. At vbi ad Martinũ ventum eſt, opportunum tempus exiſtimans, quo peteret miſſionem: Hactenus, inquit ad Cæſarem, militaui tibi, nunc patere vt militem Deo: donatiuum tuum pugnaturus accipiat alter: Chriſti ego miles ſum, pugnare mihi non licet. Tum vero Tyrannus infremuit, dicens, eum metu pugnæ, quæ poſtera die erat futura, nõ religionis gratia detrectare militiam. Ad hãc vocem, Martinus intrepidus: Si hoc, inquit, ignauiæ adſcribitur, non fidei, craſtina die, ante aciẽ inermis adſtabo, & in nomine Domini Ieſu, ſigno Crucis, nõ clypeo protectus, aut galea hoſtium cuneos penetrabo ſecurus.

℟. Oculis, ac manibus in cælum ſemper intentus, Inuictum ab oratione ſpiritum non relaxabat. ℣. Nobili illo ſtrato ſuo in cinere & cilicio recubans. Inuictum. Gloria. Inuictum.

IN III. NOCTVRNO.

Antiph. Media nocte Dominica Sanctus diſceſſit: cui cæli ciues mox obuiant: multi audierunt voces in ſublime: qui & vitro purior, lacte cãdidior, carne quoque monſtratus eſt gemma Sacerdotum. Pſal. Domine, quis habit. 7. Añ. Glorificati hominis viderunt gloriam, qui affuerunt: nam caro, quam cinis ſemper obtexerat, ita reſplenduit, vt quodã reſurrectionis decus & extincta præferret. Pſal. Domine in virtute. 13. Añ. Adeſt multitudo Monachorũ, ac Virginũ: hi ſpeciali gloria præcipue flebant, cum ſentirent magis eſſe gaudendum, ſi rationẽ vis doloris admitteret. Pſal. Domini eſt terra. 15. ℣. Iuſtus vt palma florebit, &c.

Lectio vij.

REtrudi ergo in cuſtodiam iubetur, facturus fidẽ dictis, vt inermis Barbaris obijceretur. Poſtea vero die hoſtes, legatos de pace miſerunt, ſua omnia ſeſeq. dedentes. Vnde quis dubitet, hanc vere beati viri fuiſſe victoriam: cui præſtitum ſit, ne inermis ad prælium mitteretur? Et quamuis pius Dominus ſeruare militem ſuum inter hoſtiũ gladios & tela potuiſſet: tamen ne vel aliorum morte Sancti violarentur obtutus, non aliã Chriſtus pro milite ſuo debuit præſtare victoriam, quàm vt ſubactis ſine ſanguine hoſtibus, nemo moreretur. Exinde relicta militia, S. Hilarium Pictauiæ ciuitatis Epiſcopum adijt: cuius tunc in Dei rebus ſpectata & cognita fides habebatur, & aliquamdiu apud eum cõmoratus eſt. ℟. O beatum virũ, in cuius tranſitu Sãctorum canit numerus, Angelorũ exultant chori, Omniumq. cæleſtium virtutum occurrit pſallentium exercitus! ℣. Eccleſia illius virtute roboratur, Sacerdotes Dei reuelatione glorificantur, quem Michael aſſumpſit cum Angelis. Omniumque.

Lectio viij.

TEntauit autem idem Hilarius, impoſito Diaconij officio, ſibi eũ arctius implicare: ſed cum ſæpiſſimẽ reſti-

reſtitiſſet, indignum ſe eſſe vociferans: intellexit vir Dei, hoc eum modo poſſe conſtringi: ſi id ei officium imponeret, in quo quidam locus iniuriæ videretur. Itaque Exorciſtam eum eſſe præcepit. Quam ille Ordinationem nõ repudiauit. Nec multo poſt admonitus per ſoporem, vt patriam parenteſque, quos adhuc Gentilitas detinebat, religioſa ſollicitudine viſitaret: ex voluntate ſancti Hilarij profectus eſt: multiſq. ab eo obſtrictus precibus & lacrymis, vt rediret, peregrinationem illam aggreſſus eſt, cõteſtatus Fratres multa ſe aduerſa paſſurũ: quod poſtea probauit euentus. ℟. O quantus erat luctus omnium, quanta præcipue mærentium lamenta Monachorum! Quia pium eſt gaudere Martino, & pium eſt flere Martinum. ℣. Beati viri corpus vſque ad locum ſepulchri, hymnis canora cæleſtibus turba proſequitur. Quia.

Lectio ix.

Inter Alpes igitur deuia ſecutus, incidit in latrones. Cumq. vnus ſecurim eleuatã in caput eius libraſſet: ictum ferientis ſuſtinuit alter. Vinctis tamen poſt tergum manibus, vni cuſtodiendus traditur. Qui cum eum ad remotiora duxiſſet, percunctari ab eo cœpit, quiſnam eſſet. Reſpondit Chriſtianum ſe eſſe. Quærebat etiam ab eo, an timeret. Tunc vero conſtantiſſime profitebatur, numquam ſe tam fuiſſe ſecurum, quia ſciret miſericordiam Dei maxime in tentationibus affuturam. Vbi ergo ad patriam peruenit, matrem Gentilitatis abſoluit errore, patre in malis perſeuerante: plures tamen ſuo ſaluauit exemplo. Poſtea ad Hilarium reuerſus, & ab eo gratiſſime ſuſceptus, haud longe ſibi ab oppido Monaſterium collocauit. Quo tempore etiam duos mortuos ſuſcitauit, & alia multa mirãda fecit. ℟. Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur: Martinus hic pauper & modicus, Cælum diues ingreditur, Hymnis cæleſtibus honoratur. ℣. Martinus Epiſcopus migrauit à ſæculo, viuit in Chriſto gemma Sacerdotum. Cælum. Gloria Patri. Hymnis.

IN LAVDIBVS, Añа.

Dixerunt diſcipuli ad beatũ Martinum: Cur nos pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. Pſal. Dominus regnauit, cum ceteris. Aña. Domine ſi adhuc ſum populo tuo neceſſarius, non recuſo laborem: fiat voluntas tua. Aña. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec viuere recuſauit! Aña. Oculis ac manibus in cælum ſemper intentus, inuictum ab oratione ſpiritum nõ relaxabat, alleluia, alleluia. Aña. Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur: Martinus hic pauper & modicus cælũ diues ingreditur, hymnis cæleſtibus honoratur. Ad Benedictus Antiphona.

O quantus luctus omniũ, quanta præcipue lamenta Monachorum, & Virginum chori! quia pium eſt gaudere Martino, & pium eſt flere Martinum. In Laudib. fiat Mem. de S. Mena Mart.

Oratio.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotẽs Deus, vt qui beati Mennæ martyris tui natalitia colimus: interceſſione eius, in tui nominis amore roboremur. Per Dominum noſtrum.

Ad Magnificat, Antiphona.

O beatum virum, cuius anima paradiſum poſſidet! vnde exultant Angeli, lætantur Archangeli, chorus Sanctorum proclamat, turba Virginum inuitat: Mane nobiſcum in æternum.

Per Octaua S. Martini, Inuitat.

Regem Confeſſorum.

Ad Benedictus, & Magnificat dicantur Añæ, ſicut in Feſto eiuſdem.

P R I M A D I E.

Infra Octau. S. Martini.

Ex S. Seuero Sulpitio Dial. 2. cap. 16. & Fortunato lib. 3. vitæ S. Martini.

Lectio iij.

INter initia Epiſcopatus, Martinus ob neceſſaria quædam negotia, Valentinianum Imperatorem adijt. A quo repulſus, & foribus Palatij arceri iuſſus: ſeptimo poſt die monetur ab Angelo, vt in Palatium redeat. Ingreſſus, ad Imperatorem vſque nemine prohibente peruenit. Qui cum eminus venientem vidiſſet, infrendens cur fuiſſet admiſſus, nequaquam aſſurgere adſtanti dignatus eſt: cum ſubito exortus ignis, ſellam in qua Valentinianus ſedebat, valide corripit, excitatumq. diuinitus incendium ſuperbum Principem è ſella excuſſit: qui accurrens ad Martinum, multumque complexus, veniam petijt, & cuncta pro voto viri Dei confecit.

S E C V N D A D I E.

Ex S. Seuero Sulpitio in vita Sancti Martini, cap. 23. Lectio iij.

EXceptus aliquãdo Martinus cõuiuio à Maximo Imperatore, ſella iuxta Regem poſita conſedit. Ad medium ferme conuiuium, vt moris erat, pateram Regi miniſter obtulit: ille Epiſcopo potius dari iubet, Expectans, atque ambiens, vt ab illius dextera poculum ſumeret. Sed Martinus vbi ebibit, pateram presbytero ſuo tradit, nullum ſcilicet exiſtimans digniorem qui poſt ſe biberet: nec integrum ſibi fore, ſi aut regem ipſum, aut eos qui à Rege erant proximi, presbytero prætuliſſet. Quod factum Imperator, omneſq. qui tunc aderant, ita admirati ſunt, vt hoc ipſum eis, in quo contempti fuerant, placeret: celeberrimumq. per omne Palatium fuit, feciſſe Martinum in Regis prãdio, quod in infimorum Iudicum conuiuijs Epiſcoporum nemo feciſſet.

Die xiij. Nouembris.

In Laudibus. Sancti Britij Epiſcopi, & Confeſſoris. Oratio.

DA quæſumus omnipotẽs Deus: vt beati Britij confeſſoris tui atque Pontificis veneranda ſolemnitas, & deuotionem nobis augeat, & ſalutem. Per Dominum noſtrum.

T E R T I A D I E.

Infra Octauas S. Martini.

Ex S. Seuero vitæ c. 10. Lectio iij.

CVm in vico quodã vir Dei Martinus templum antiquiſſimum diruiſset,

diruiſſet, & arborem pinum, quæ fano erat proxima, eſſet aggreſſus excidere: antiſtes loci illius, ceteraque Gentilium turba cœpit obſiſtere. Ille quidem eos ſedulo cõmonebat, nihil eſſe religionis inſtipite, & illam ſuccidi oportere, quia eſſet dæmoni dedicata. Tum vnus audacior ceteris: Si habes, inquit, aliquam de Deo tuo fiduciam, noſmetipſi ſuccidimus arborem, tu ruentem excipe. Tum ille intrepide confiſus in Domino, facturum ſe pollicetur. Itaque cum ita pinus illa eſſet acclinis, vt non eſſet dubium, quam in partem ſuccila corrueret, eo loco vinctus ſtatuitur, pro arbitrio ruſticorum. Succidere igitur ipſi ſuam pinum cum ingenti gaudio cœperunt. At ille confiſus in Domino, iam ſuper ſe ruenti, eleuata obuiam manu, ſignum ſalutis oppoſuit. Tum vero turbinis modo retroacta diuerſam in partem ruit, adeo vt ruſticos, qui tuto in loco ſteterant, pene proſtrauerit. Quo viſo, Gentiles ſtupore miraculi, in Dominum Ieſum crediderunt.

Q V A R T A D I E.

Ex S. Seuero Sulpitio, Dial. 2. c. 7.

Lectio iij.

ALiquando etiam Auguſta vxor Maximi Imperatoris à Martino ſummis precibus extorſit, vt ad conuiuium veniret, quod ei ipſa paraſſet. Componitur caſtus Reginæ manibus apparatus, ſellulam ipſa conſternit, menſam admouet, aquam manibus ſubminiſtrat: cibum quem ipſa coxerat, apponit. Ipſa, illo ſedente, eminus ſecundum famulantium diſciplinam, ſolo fixa conſiſtit immobilis, per omnia miniſtrantis modeſtiam, & humilitatẽ exhibens ſeruientis. Miſcuit ipſa bibituro, & ipſa porrexit. Finita cœnula, fragmenta panis aſſumpti, micaſque collegit, ſatis fideliter illas reliquias Imperialibus epulis anteponens.

Q V I N T A D I E.

Ex S. Seuero in eius vita, c. 24.

Lectio iij.

COnſtat autem, etiam Angelos ab eo plerumque viſos, ita vt conſerto inuicem apud eum ſermone loquerentur. Teſtabantur etiam aliqui ex Fratribus, audiſſe ſe dæmonem, proteruis Martinũ vocibus increpantem: cur intra Monaſterium aliquos ex Fratribus, qui olim baptiſmum diuerſis erroribus perdidiſſent, conuerſos poſtea recepiſſet: exponentem crimina ſingulorum Martinum vero diabolo repugnantem, reſpondiſſe conſtanter, antiqua delicta melioris vitæ conuerſione purgari, & per miſericordiam Domini abſoluendos eſſe peccatis, qui peccare deſinerent. Contra dicente diabolo: Nõ pertinere ad veniam crimino ſos, & ſemel lapſis nullam à Domino præſtari poſſe clementiam, tunc in hanc vocem fertur exclamaſſe Martinus: Si tu ipſe ò miſerabilis ab hominum infeſtatione deſiſteres, & te factorum tuorum, vel hoc tempore, cum dies iudicij in proximo eſt, pœniteret: ego tibi vere, cõfiſus in Dño, Chriſti miſericordiã pollicerer.

Die

dia nocte, quæ Dominica fuit. Multi autem in eius tranſitu pſallentium voces audierunt in cælo.

Ex S. Gregorio Turon. Epiſcop. lib. 1. Hiſt. Franc. c. 43. Lectio viij.

Beatus autē Seuerinus Colonienſis ciuitatis Epiſcopus, vir per cūcta laudabilis, dum die Dominico loca ſancta, ex conſuetudine poſt Matutinas cum ſuis clericis circuiret, hora illa qua vir beatus obijt, audiuit chorum canentium in ſublimi: vocatoque Archidiacono ſuo, interrogat, ſi aures eius percuterent voces, quas ille attentius audiret. Cui ille: Nequaquā: Tunc proſtrati, pariter deprecabantur Dominum, vt hoc ei diuina pietas audire permitteret. Lectio ix.

Rectis autem rurſum interrogat ſenex: Quid audis? Qui ait: Voces pſallentium tamquam in cælo audio: ſed quid ſit, prorſus ignoro. Cui ille: Dominus meus Martinus Epiſcopus migrauit, & nunc Angeli canendo, eum deferunt in excelſum. Et vt parumper mora eſſet vt hæc audirentur, diabolus eum retinere tentauit: nihilq. in eodem ſuum reperiens, confuſus abſceſſit. Hæc Sacerdote loquēte, notatur tempus, Archidiaconus Turones miſit velociter, qui hoc diligenter iniquireret. Qui veniens, eo die & hora manifeſtiſſime cognouiſſet trāſiſſe beatum virum, quo S. Seuerinus audiuit pſallentium chorum.

Quando hæc Octa. in Dominica euenerit, in Sabbato præcedenti legatur pro tertia Lectione ſecunda ex ſex ſupraſpoſitis, & ceteræ pro illo anno dimittantur. *Die xix. Nouembris.*

IN FESTO S. ELISABETH Viduæ. Tres Lectiones. Oratio.

Tuorum corda fidelium, Deus miſerator illuſtra: & beatæ Eliſabeth precibus glorioſis, fac nos proſpera mundi deſpicere, & cæleſti ſemper conſolatione gaudere. Per Dnm.

Ex S. Antonino, Iacobo Montano, & alijs. Lectio ij.

Eliſabeth, Andreæ Regis Vngariæ filia, à teneris annis ſancte ac religioſe vixit. Nupta deinde Ludouico Lanthgrauio Turingiæ viro nobiliſſimo, tam caſte & pie Deum colebat, vt ſuo exemplo, maritum ad ſanctitatem, ac vitæ perfectionem induxerit: orationi aſſidue vacans, pauperumq. neceſſitatibus benigne ſubueniens. Mortuo vero marito, Xenodochium maximum conſtruxit ad pauperes ægrotantes alendos, & curādos: quibus non ſolum neceſſaria ſubminiſtrabat, ſed etiam ipſamet ſanioſis aliquorum vlceribus admouebat medicamenta. Lectio iij.

Patrimonio igitur partim his vſibus conſumpto, partim à conſanguineis demortui mariti ſubtracto, in pauperiem redacta, manibus quod egenis tribueret, quærebat. Atque ita vitam ſanctiſſime tranſegit, & tandem multis clara miraculis, febre aſſumpta, in cælum euolauit. Relata eſt in ſanctorū numerū à Gregorio nono. *Cetera de Communi vnius nec Virginis nec Mart.* *Die xix. Nouemb.*

IN

Digitized by Google

IN PRAESENTATIONE B. Mariæ Virginis. Totum Duplex. Præter hic poſita omnia fiant ſicut in Natiuitate ipſius, mutato nomine. Natiuitatis in Præſentationis. 803.

Oratio.

DEus, qui beatam Mariam ſemper Virginem, Spiritus ſancti habitaculum, hodierna die in templo præſentari voluiſti: præſta quæſumus, vt eius interceſſione in templo gloriæ tuæ præſentari mereamur. Per Dominum. In vnitate eiuſdem Spiritus ſancti Deus.

IN I. NOCTVRNO.

De Canticis Canticorum.

Lectio j. C. 5.

ADiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nũcietis ei, quia amore langueo. Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum? qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos? Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum. Comæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus. Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima. Genæ illius ſicut areolæ aromatum, conſitæ à pigmentarijs. Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.

Lectio ij.

MAnus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Species eius vt Libani, electus vt cedri. Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis: talis eſt dilectus meus, & ipſe eſt amicus meus, filiæ Ieruſalem. Quò abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum? Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat.

Lectio iij. C. 6.

EGo dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia. Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Ieruſalem: terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Auerte oculos tuos à me: quia ipſi me auolare fecerunt. Capilli tui ſicut grex caprarũ, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui ſicut greges ouium, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fetibus, & ſterilis non eſt in eis. Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ abſque occultis tuis.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Libro S. Ioannis Damaſceni de Fide Orthodoxa. *Lib. 4. c. 15.*

Lectio iv.

IOachim venerandam, & dignam laude Annam in matrimonium duxit. Sed quemadmodum vetus Anna cum ſterilis eſſet, per votum & repromiſſionem genuit Samuelem: ita & hæc per ſupplicationem & repromiſſionem Dei Genitricem diuino munere accepit: vt in hoc nulla illuſtriũ mulierum poſterior eſſet. Itaque gratia

Digitized by Google

tia (nam hoc ſonat Annæ vocabulũ) Dominam parit, id enim Mariæ nomine ſignificatur. Nam reuera Domina facta eſt omnium creaturarum, cum conditoris omnium effecta eſt mater.

Lectio v.

NAſcitur autem in domo ouilis Ioachim, & adducitur in templum. Deinde in domo Domini plantata, & impinguata Spiritu, velut oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta eſt, cum ab omni ſæculari vita, & carnali concupiſcentia procul mentem abduxiſſet: & ſic virgineum animum ſimul & corpus conſeruaſſet, vt decebat eam, quæ in ſinu Deum ſuſceptura erat.

Ex Libro S. Ambroſij Epiſcopi de Virginibus. *Lib.2.*

Lectio vj.

TAlis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium diſciplina ſit. Si igitur auctor non diſplicet, opus probemus: vt quicumque ſibi eius exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in vna Virgine ſpecies virtutum emicant! Secretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obſequium: virgo intra domum, comes ad miniſterium, mater ad templum. O quantis illa virginibus occurret: quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: Hæc torum Filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato ſeruauit pudore.

Lectio vij.

QVid exequar ciborum parſimoniam, officiorum redundantiã: alterum vltra naturam ſuperfuiſſe, alterum pene ipſi naturæ defuiſſe? Illic nulla intermiſſa tempora, hic congeminatos ieiunio dies. Et ſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias miniſtraret. Dormire non prius cupiditas, quàm neceſſitas fuit: & tamen cum quieſceret corpus, vigilare animus: qui frequenter in ſomnis, aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænunciat.

Lectio viij.

PRodire domo neſcia, niſi cum ad templum conueniret. Domeſticó operoſa ſecreto, forenſi ſtipata comitatu: nullo tamen meliore ſui cuſtode quàm ſeipſa: quæ inceſſu, affatuq. venerabilis, non tam veſtigiũ pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret. Sic Maria intendebat omnibus, quaſi à pluribus moneretur: ſic implebat omnia virtutis officia, vt non tam diſceret, quàm doceret.

Lectio ix.

QVid enim in ſingulis morer? vt eam parentes dilexerint, extranei prædicauerint? quæ digna fuit, ex qua Filius Dei naſceretur? Quid quod annis quoque omnibus ibat Ieruſalẽ ſolemni die Paſchæ, & ibat cum Ioſeph. Vbique in virgine comes ſingularum virtutũ eſt pudor. Hic indiuiduus debet eſſe virginitati, ſine quo non poteſt eſſe virginitas. Nec ad templum igitur Maria ſine pudoris ſui cuſtode proceſſit. ℟. Solẽ iuſtitiæ Regem paritura ſupremum, Stella Maria maris, Hodie proceſſit ad tem-

ſolum Chriſtum diligeret, indicijs eui dentibus aperire. Quid multa? Venit dies in qua thalamus collocatus eſt; & cantantibus organis, illa in corde ſoli Domino decantabat. Inuitabat autẽ Angelos precibus, lacrymis interpellabat Apoſtolos, & ſanctos omnes Chriſto famulantes exorabat, vt eam adiuuarent, ſuam Domino pudicitiam commendantem. ℟. Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat, Almachium exuperabat, Tiburtium & Valerianum ad coronas vocabat. ℣. Non diebus, neque noctibus vacabat à colloquijs diuinis, & oratione. Almachium.

Lectio v.

Cvm hæc agerentur, venit nox, in qua cum ſponſo ſuo ſuſcepit cubiculi ſecreta ſilentia: & ita eum alloquitur: O dulciſſime iuuenis, eſt myſterium, quòd tibi confitear, ſi modo iuratus aſſeras tota te illud obſeruantia cuſtodire. Quo iurante: Angelum, inquit, Dei habeo amatorem, qui nimio zelo cuſtodit corpus meum. Hic, ſi vel leuiter ſenſerit, quòd me polluto amore contingas, ſtatim circa te ſuum furorem exagitabit, & florem tuæ iuuentutis amittes. Si vero virginitatem meam integram illibatamque cuſtodias, ita te quoque diliget, ſicut me, & oſtendet tibi gloriam ſuam. Tunc Valerianus: Si vis, inquit, vt credam ſermonibus tuis, oſtende mihi Angelum. Cui Cæcilia: Si permittas te purificari fonte perenni, poteris ipſum Angelum videre. ℟. Cæcilia me miſit ad vos, vt oſtendatis mihi ſanctũ Vrbanum: Quia ad ipſum habeo ſecreta, quæ perferam. ℣. Cumq. pro ſigno acceperitis benedictionem eius, ducite me ad ſanctum Antiſtitem. Quia.

Lectio vi.

TVm Valerianus: Et quis eſt, qui me purificet, vt Angelũ videam? Cæcilia ad hæc: Eſt ſenior, qui nouit purificare homines, vt mereatur videre Angelũ. Cui Valerianus: Et vbi eũ requiram? Reſpondit Cæcilia: Vade in tertium milliariũ ab Vrbe, via quæ Appia nuncupatur, illic inuenies pauperes, à tranſeuntibus alimoniæ petẽtes auxiliũ. Hos dum videris, dabis eis benedictionem meã, & dices: Cæcilia me miſit ad vos, vt oſtẽdatis mihi ſanctum ſenem Vrbanum, quoniã ad ipsũ habeo eius ſecreta mandata quæ perferam. Tunc Valerianus perrexit, & ſecundũ ſigna inuenit ſanctum Vrbanum Epiſcopũ, qui iam bis confeſſor factus intra ſepulchra Martyrũ latitabat. Cui cum dixiſſet omnia verba Cæciliæ, gauiſus eſt gaudio magno: & ponens genua in terra, expandit manus ſuas ad cælum, & cũ lacrymis gratias agens, orauit. ℟. Cæciliam intra cubiculum orantem inuenit, & iuxta eam ſtantem Angelũ Domini: Quem vidẽs Valerianus, Nimio terrore correptus eſt. ℣. Angelus Domini deſcẽdit de cælo, & lumen refulſit in habitaculo. Quem. Gloria. Nimio.

IN III. NOCTVRNO.

Aña Credimus Chriſtũ Filium Dei, verum Deũ eſſe, qui ſibi talẽ elegit famulã. Pſal. Cantate. j. 63. Aña Nos

ſcientes nomen ſanctum eius, omnino negare non poſſumus. Pſal Dominus regnauit, exul. 63. Aña Tunc Valerianus perrexit ad Antiſtitem,& ſigno quod acceperat, inuenit ſanctum Vrbanum. Pſal Cantate. ij. 64. Adiuuabit eam Deus &c. Lectio vij.

ORante autem ſancto Vrbano, ſubito ante facies ipſorũ apparuit ſenior indutus niueis veſtibus, tenens titulum in manibus, aureis litteris ſcriptum,& dixit Valeriano: Lege huius tituli textum. Scriptura autem hæc erat: Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma. Cumq. hæc intra ſe legiſſet, dicit ei ſenior: Credis ita eſſe? Tunc Valerianus voce magna clamauit, dicens: Non eſt aliud, quod verius poſſit credi. Et ſenior ab oculis eorum elapſus eſt. Tunc ſanctus Vrbanus baptizauit eum,& edocens eũ omnem fidei Regulam, remiſit eũ ad Cæciliam diligenter inſtructũ. Veniens igitur Cæciliam intra cubiculũ orantẽ inuenit, & ſtantem iuxta eam Angelum, duas coronas ferentẽ in manibus, coruſcantes roſis, & lilijs albeſcentes. Qui eam dedit Cæciliæ, alterã Valeriano, dicẽs: Iſtas coronas immaculato corde, & corpore cuſtodite, quia de Paradiſo Dei eas ad vos attuli. ℟. Domine Ieſu Chriſte paſtor bone, ſeminator caſti conſilii, ſuſcipe ſeminum fructus, quos in Cæcilia ſeminaſti: Cæcilia famula tua quaſi apis tibi argumentoſa deſeruit. ℣. Nam ſponſum, quẽ quaſi leonem ferocem accepit, ad te quaſi agnum manſuetiſſimũ deſtinauit. Cæcilia. Lectio viij.

POſt hæc autem diſparente Angelo, Tiburtius frater Valeriani ad eos ingreſſus, ſtatim mirari cœpit vnde tantus odor roſarum & liliorũ ſpiraret. Cui Valerianus: Sicut me, inquit, orante, hunc odorẽ ſenſiſti, ita coronas, quas ex lilijs & roſis habemus, ſi mihi credideris, cernes. Tunc Cæciliæ & Valerianus ita Tiburtio prædicauerunt, vt ad fidẽ conuerſus, & à ſancto Vrbano baptizatus ſit. Qui tantã poſtea Dei gratiã habuit, quòd Angelos quotidie videns, quidquid à Deo petebat, accipiebat. Poſt hæc autem cum Tiburtius & Valerianus Martyres ſepelirent, iuſſit Almachius Præfectus, vt aut ſacrificarent, aut decollari perirent. Qui cum in fide Chriſti perſiſterent, decollati ſunt. ℟. Beata Cæcilia dixit Tiburtio: Hodie te fateor meum eſſe cognatum, Quia amor Dei te fecit eſſe contemptorem idolorum. ℣. Sicut enim amor Dei mihi fratrem tuum coniugem fecit, ita te mihi cognatum fecit. Quia. Lectio ix.

TVnc Almachius facultates amborum cœpit inquirere, & Cæciliam tamquam Valeriani coniugem coram ſe fecit adſtare, iuſſitque vt aut idolis immolaret, aut ſententiam mortis incurreret. At illa cum duceretur, vt ſacrificaret, conuertit de concomitantibus pluſquam quadringentos. Tunc Almachius iuſſit eam in bullienti balneo concremari. Cumque ibi die integro cũ nocte, quaſi in frigido loco remanſiſſet, iuſſit eam in ipſo balneo

balneo decollari. Quam ſpiculator tertio ictu percutiens, & caput eius amputare non valens, ſic eam ſemiuiuam reliquit. Quæ triduo ſuperuiuẽs, & fideles confortans, dimiſit Eccleſiæ cuncta, quæ habuit. Beatus autem Vrbanus cum Diaconibus ſuis corpus eius accepit, & illud cum alijs Martyribus ſepeliuit. Domum vero eius, Eccleſiam beatæ Cæciliæ dedicauit. ℟. Dum aurora finem daret, Cæcilia dixit: Eia milites Chriſti, abijcite opera tenebrarum, Et induimini arma lucis. ℣. Cæcilia vale dicens fratribus, & exhortans eos, ait, Eia. Gloria. Et.

IN LAVDIBVS, Antiph.

CAntantibus organis, Cæcilia ſoli Domino decantabat, dicens: Fiat cor meum immaculatum, vt non confundar. Pſ. Dominus regn. cum reliquis. Añ. Eſt ſecretum Valeriane, quod tibi volo dicere: Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo cuſtodit corpus meum. Añ. Valerianus in cubiculo Cæciliam cum Angelo orantem inuenit. Añ. Benedico te Pater Domini mei Ieſu Chriſti, quia per Filium tuum extinctus eſt ignis à latere meo. Añ. Cæcilia famula tua, Domine quaſi apis tibi argumentoſa deſeruit. Ad Benedictus, Antiph. Dum aurora finem daret, Cæcilia exclamauit, dicens: Eia milites Chriſti, abijcite opera tenebrarum, & induimini arma lucis. Ad Magnificat, Añ. Triduanas à Domino popoſci inducias, vt domum meam Domino Eccleſiam conſecrarem.

Die xxiij. Nouemb.

IN FESTO S. CLEMENTIS.

Papæ & Martyris. Duplex. Omnia de Cõmuni vnius Mar. præter hic poſita. Ad Memoriam. Añ. Dediſti Domine habitaculum martyri tuo Clementi in mari in modum templi marmorei, Angelicis manibus præparatum, præbens iter populo terræ, vt enarrent mirabilia tua. Oratio.

DEus, qui nos annua beati Clementis martyris tui atque Pontificis ſolemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius natalitia colimus, virtutem quoque paſſionis imitemur. Per Dominum.

℟. iij. Oremus omnes ad Dominum Ieſum Chriſtum, dixit beatus Clemens, vt Confeſſoribus ſuis fontis venas aperiat, Vt de beneficijs eius gratulemur. ℣. Qui percuſſit in deſerto Sina petram, & fluxerunt aquæ in abundantia, ipſe nobis laticem affluẽtem impertiatur. Vt de. Gloria. Vt de.

IN II. NOCTVRNO.

Ex Actis fideliorib. lib. de Rom. Pontificibus & Ro. Breu. Lectio iv.

CLemens Romanus, Fauſtini filius, de regione Cælij montis, diſcipulus beati Petri, cuius meminit Paulus ſcribens ad Philippenſes. Etiã rogo & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio, cum Clemente, & ceteris adiutoribus meis, quorum nomina ſunt in Libro Vitæ. Hic ſeptem Vrbis regiones diuiſit ſeptem Notarijs, ſingulas ſingulis attribuens, qui paſſio-

nes Martyrum, & res ab eis geſtas diligentiſſime conquiſitas litteris mandarent. Multa ſcripſit & ipſe accurate & ſalutariter, quibus Chriſtianam religionem illuſtrauit. Lectio v.

CVmque Theodoram vxorem Siſinij amici Imperatoris ad fidem conuertiſſet, & in caſtitatis propoſito manere permitteret, Siſinius zelo ductus, Eccleſiam poſt vxorem ſuam occulte intrauit, ſcire volens, propter quod illa ſic eam frequentaret. At vbi à ſancto Clemente oratio fuſa eſt, & à populo reſponſum eſt; Amen: cæcus & ſurdus penitus effectus eſt. Qui ſtatim pueris ſuis dixit: Cito me tollite, & foras educite. Audiens ergo Theodora per puerum, quòd ita cæcus & ſurdus eſſet; poſt Miſſam rogauit ſanctum Clementem pro eo. Tunc ſanctus Clemens profectus cum ipſa ad eum, inuenit eum apertis oculis nihil videntem: & nihil penitus audientem. Cumque pro eo oraſſet, & ille videret: & audiret, putans magice ſe deluſum, iuſſit ſeruis ſuis vt Clementē ligarent, & traherēt.

Lectio vj.

AT illi ligantes, & diſtrahentes columnam, putabant ſicut Siſinio videbatur, quòd ſanctum Clementem vinctum traherent. Tunc ſanctus Clemens abſceſſit, monens Theodoram, vt pro viro ſuo ſemper oraret, donec eum Dominus viſitaret. Flenti itaque Theodoræ, & oranti, ad veſperum apparuit ſanctus Petrus, dicens: Per te ſaluus erit Siſinius. Et hæc dicens, abſceſſit. Siſinius itaque Theodoram vocauit, obſecrans, vt pro ſe oraret, & ſanctum Clementem ad ſe venire rogaret. Tunc illa ſanctum Clementem adduxit. Qui Siſinium de fide inſtruens, ipſum cum alijs multis de domo eius baptizauit. ℟. Orante ſancto Clemente apparuit ei Agnus Dei: De ſub cuius pede, fons viuus emanat: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. ℣. Cumque orationem compleſſet, & hinc inde circumſpiceret, vidit ſupra montem Agnum ſtantem. De ſub. Gloria. Fluminis.

IN III. NOCTVRNO

Lectio vij.

CVm autem Clemens, pietate, religione, doctrina, multos ad fidem Chriſti quotidie cōuerteret, Publius Tarquinius ſacrorum Princeps, cum Mamertino vrbis Præfecto Traianum Imperatorem in Chriſtianos accendit: cuius imperio Clemens trāſ mare Ponticum in ſolitudines vrbis Cherſonæ relegatus eſt. In qua ſanctus Pontifex inuenit duo millia Chriſtianorum, iam dudum ad ſecanda marmora ibi damnatorum. Qui videntes beatum Clementem, ſtatim in fletum, & lachrymas proruperunt. Quos cum ille in Domino confortaſſet, & à ſex milliaribus aquam portabilem ab eis deferri audiſſet, orauit Dominum, vt fontem ſuis Cōfeſſoribus aperiret.

Lectio viij.

POſt orationem vero circumſpiciens, vidit Agnum ſtantem, & erecto pede dextro, quaſi locū oſtendentem

Digitized by Google

dentē. Tum Clemens intelligens Deū eſſe, quem ſolus ipſe videbat: perrexit ad locum cum omnibus, præcipiens vt ibi foderent. Quod cum fieret, ſtatim aquis exeuntibus, fons erupit. Ad hanc famam, & ſancti viri doctrinam, in vna die quingenti & amplius viri baptizati ſunt, & infra annum complures Eccleſiæ erectæ. Quibus concitatus Traianus, quendam Ducem illuc miſit, qui ſolum Clementem ligata ad collum eius anchora, præcepit in mari ſubmergi. Lectio ix.

CVm autem Chriſtiani Deū orarent, vt corpus ſui Martyris demonſtraret; ſtatim mare ad tria milliaria receſſit: & ingreſſi inuenerunt in modum templi marmorei habitaculum, & ibi in arca ſaxea corpus ſancti Clementis, & anchorā iuxta illud. Quod poſtea Romam Nicolao Primo Pontifice tranſlatum, in Eccleſia ſancti Clementis conditum eſt. Eccleſia etiam in eo inſulæ loco, vnde diuinitus fons manarat, Clementis nomine dedicata eſt. Vixit in Pontificatu annos nouem, menſes ſex, dies ſex. Fecit Ordinationes duas menſe Decembri, quibus creauit Epiſcopos per diuerſa loca quindecim, Presbyteros decem, Diaconos duos. ℟. Dediſti Domine habitaculū Martyri tuo Clementi in mari, in modū templi marmorei, Angelicis manibus præparatū: iter præbens populo terræ, Vt enarrent mirabilia tua. ℣. Hoc Domine ad laudem & gloriā nominis tui fieri voluiſti. Vt enarrent. Gloria Patri. Vt enarrent.

B. P.

IN LAVDIBVS, Aña. ORante ſancto Clemēte, apparuit ei Agnus Dei. Pſal. Dñs regnauit, cū ceteris. Aña. Non meis meritis ad vos me miſit Dñs, veſtris coronis participē me fieri. Aña. Vidi ſupra mō tē Agnū ſtantē, de ſub cuius pede fons viuus emanat. Aña. De ſub cuius pede fōs viuus emanat, fluminis impetus lætificat ciuitatē Dei. Aña. Orem' oēs gē tes per gyrū crediderūt Chriſto Dño. Ad Benedictus, Aña. Oremus oēs ad Dñm Ieſū Chriſtū, vt Cōfeſſoribus ſuis fontis venas aperiat. Ad Magnif. Aña. Inuenerunt in modum templi marmorei habitaculum, à Deo paratum.

Die xxiv. Nouembris.

IN FESTO S. CHRYSOGONI martyris. Tres Lectiones. Oratio.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris: vt qui ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus, beati Chryſogoni martyris tui interceſſione liberemur. Per Dominum.

Ex ſinceris Actis, & Rom. Breuiario. Lectio ij.

CHryſogonus, Diocletiano Imperatore Romæ incluſus in carcere, ibi biennium ſanctæ Anaſtaſiæ facultatibus vixit: quam etiam afflictam propter Chriſtum à viro ſuo Publio, propereaque à ſuis orationibus per litteras auxilium poſtulantem, mutuis epiſtolis eſt conſolatus. Sed cum Imperator Romam ſcripſiſſet, vt reliquis Chriſtianis, qui in vinculis eſſent, interfectis, Chryſogonus Aquileiam ad ſe mitteretur, eo perductus eſt.

Lectio iij.

CVi Imperator: Accerſiui, inquit, te, Chryſogone, vt honoribus augeam, ſi modo induxeris animum deos colere. At ille: Ego eum, qui vere eſt Deus, mente & oratione veneror: deos autem, qui nihil ſunt niſi dæmonum ſimulacra, odi & execror. Quo reſponſo excandeſcens Imperator, ad Aquas gradatas eũ ſecuri percuti iubet, octauo Kalendas Decembris: cuius corpus proiectum in mare, paulo poſt in littore inuentum, Zoilus Presbyter in ſuis ædibus ſepeliuit.

Die xxv. Nouembris.

IN FESTO S. CATHARINAE Virginis & Mart Totum Duplex.

Ad Veſper. ſuper Pſalm. Antiphona. Virginis eximiæ Catharinæ martyris almæ Feſta celebrare da nobis Rex pie Chriſte. Pſalm. Laudate pueri. cum ceteris. ℟. Virgo flagellatur. vj.

Hymnus.

CAtharinæ collaudemus virtutum inſignia,
Cordis eius præſentemus, & oris obſequia:
Vt ab ipſa reportemus, æqua laudis præmia.
Fulta fide Catharina, iudicem Maximinum,
Non formidat, lex diuina ſic firmat eloquium,
Quòd confutat ex doctrina errores Gentilium.
Victi Chriſtum confitentur, relictis erroribus:
Iudex iubet, vt crementur: nec pilis, aut veſtibus
Ignis nocet, ſed torrentur, inuſtis corporibus.
Gloria, & honor Deo, vſquequaque altiſſimo.
Vnà Patri, Filioque, inclyto Paraclito:
Cui laus eſt, & poteſtas, per æterna ſæcula. Amen.

℣. Diffuſa eſt, &c. Ad Magnif. Aña. Inclyta ſanctæ virginis Catharinæ ſolemnia, ſuſcipiat alacriter pia mater Eccleſia. Aue virgo Deo digna, aue dulcis, & benigna: obtine nobis gaudia, quæ poſſides cum gloria.

Oratio.

DEus, qui dediſti legem Moyſi in ſummitate montis Sinai, & in eodem loco per ſanctos Angelos tuos corpus beatæ Catharinæ virginis & martyris tuæ mirabiliter collocaſti: præſta quæſumus, vt eius meritis, & interceſſione, ad montẽ, qui Chriſtus eſt, valeamus peruenire. Per eundem.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Adoretur virginum Rex in ſæculorũ ſæcula, Virgini qui Catharinæ contulit cæleſtia.

Hymnus.

PAnge lingua glorioſæ Virginis martyrium.
Gemmæ iubar pretioſæ deſcendat in medium,
Vt illuſtret tenebroſæ mentis domicilium.
Blandimentis Rex molitur, Virginem ſeducere,
Nec promiſſis emollitur, nec terretur verbere,

Com-

Compeditur, cuſtoditur tetro clauſa carcere.
Clauſæ lumen, ne claudatur, illucet Porphyrio,
Qui reginæ fœderatur, fidei collegio,
Quorum fidem imitatur ducentena concio.
Gloria, & honor Deo. vt ſupra.

IN I. NOCTVRNO.

De Libro Sapientiæ.

Lectio j. C. 7. & 8.

OMniũ artifex docuit me ſapientia. Eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis, amans bonum, acutus: quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus: intelligibilis, mundus, ſubtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia: attingit autem vbique propter ſuam munditiam. Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædã eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Lectio ij.

CAndor eſt enim lucis æternæ, & & ſpeculũ ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius. Et cum ſit vna omnia poteſt: & in ſe permanens omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei & prophetas conſtituit. Nemine enim diligit Deus, niſi eum, qui cum ſapiẽtia inhabitat: Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata inuenitur prior. Illi enim ſuccedit nox: ſapientiam autem non vincit malitia.

Lectio iij.

ATtingit ergo à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Generoſitatem illius glorificat, contubernium habens Dei: ſed & omnium Dominus dilexit illam. Doctrix enim eſt diſciplinæ Dei, & electrix operum illius: Et ſi diuitiæ appetũtur in vita, quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia?

IN II. NOCTVRNO.

Certiora ex Actis, & Rom. Breuiario.

Lectio iv.

CAtharina, nobilis virgo Alexandrina, à prima ætate ſtudia liberalium artium cũ fidei ardore coniungens, breui ad eam ſanctitatis & doctrinæ perfectionem peruenit, vt decem & octo annos nata eruditiſſimum quemque ſuperaret. Quæ cum Maximini iuſſu multos propter Chriſtianæ religionis profeſſionem varie tormentis cruciatos, ad ſupplicium rapi videret: non dubitanter ipſum adijt Maximinum, eique nefariam immanitatem obijciens, ſapientiſſimis rationibus Chriſti fidem ad ſalutem neceſſariam eſſe affirmauit. Lectio v.

CVius prudentiã Maximinus admiratus, retineri eam iubet, acceſſitis vndique doctiſſimis hominibus,

bus, maniſque propoſitis præmijs, qui conuictam Catharinam à Chriſti fide ad idolorum cultum perduxiſſent. Quod contra accidit. Nam quinquaginta Philoſophi qui ad eam coarguẽdam conuenerant, vi ac ſubtilitate eius diſputationis tanto Ieſu Chriſti amore ſunt incenſi, vt pro illo mori non dubitauerint. Quamobrem Maximinus blandicijs ac promiſſis Catharinam de ſententia deducere aggreditur: verum id fruſtra fieri intelligens, verberibus affectam, plumbatiſque contuſam, dies vndecim ſine cibo ac potu incluſã tenet in carcere.

Lectio vj.

QVo tempore Maximini vxor & Porphyrius belli dux, viſendæ Virginis cauſa carcerem ingreſſi, & eiuſdem prædicatione in Chriſtum credentes, poſtea martyrio coronati ſunt. Interim Catharina educitur è cuſtodia: & rota expeditur crebris & acutis præfixa gladijs, vt Virginis corpus crudeliſſime dilaceraretur. Quæ machina breui Catharinæ oratione confracta eſt: eoque miraculo multi Chriſti fidẽ ſuſceperũt. Ipſe Maximinus in impietate & crudelitate obſtinatior, Catharinam ſecuri percuti imperat. Quæ fortiter dato capite, ad duplicatum virginitatis & martyrij præmium euolauit, ſeptimo Kalendas Decembris: cuius cordus ab Angelis in Sina Arabiæ monte mirabiliter collocatum eſt. ℞. Virgo flagellatur, crucianda fame relegatur: Carcere clauſa manet, lux cælica fuſa refulget: Fragrat odor, dulces Cantant cæli agmina laudes. ℣. Sponſus amat Sponſam: Saluator viſitat illam. Fragrat. Gloria. Cantant. In iij. Noct. Homil. in Euang. Simile eſt regnum cælorum decem virginibus. In Communi. ix. ℞. Percuſſa gladio, dat lac pro ſanguine collo: Quam manus Angelica Sepeliuit vertice Sina. ℣. Membris virgineis olei fluit vnda ſalubris. Quam. Gloria. Sepeliuit.

IN LAVDIBVS, Aña.

PAſſionem glorioſæ virginis Catharinæ, deuote plebs celebret fidelis, quæ ſui memores Deo commẽdet meritis, & iuuet beneficijs. Pſal. Dominus regnauit. cum ceteris. Aña. Poſt plurima ſupplicia Martyr alma ad decollandum eſt ducta, ad cælum tendens oculos, collum ſubmittit gladio, orans dat gloriam Deo. Aña. Expecto pro te gladium Ieſu Rex bone: tu meũ colloca in Paradiſo ſpiritum, & fac miſericordiam, meam agentibus memoriam. Aña. Vox de cælis inſonuit: Veni electa mea, veni intra thalamum ſponſi tui: quæ poſtulas impetraſti, qui te laudant ſalui fient. Aña. Quia deuotis laudibus tui memoriam virgo recolimus, ò beata Catharina, ora pro nobis quæſumus.

Hymnus.

PRæſens dies expendatur in eius præconium,
Cuius virtus dilatatur in ore laudantium.
Si geſtorum teneatur finis, & initium.

Immi-

I mminente paſſione, virgo hæc interſerit:
Aſſequatur Ieſu bone, quod à te petierit.
Suo quiſquis in agone memor mei fuerit.
I n hoc caput amputatur: fluit lac pro ſanguine.
Angelorum ſubleuatur corpus multitudine,
Et Sinai collocatur in ſupremo culmine.
G loria, & honor Deo. vt ſupra.

Ad Benedictus, Antiphona.

Prudens & vigilans Virgo, qualis es cum Sponſo illo, qui te elegit de mundo: quàm pulchra, quàm mirabilis, quanta luce ſpectabilis, inter Sion iuuenculas, & Ieruſalem filias! thalamo gaudes regio, coniũcta Dei Filio.

Ad Magnificat, Antiphona.

Aue virginum gemma Catharina: aue ſponſa Regis regum glorioſa: aue viua Chriſti hoſtia, tua venerantibus patrocinia, impetrata non deneges ſuffragia. *Die xxvij. Nouembris.*

IN FESTO SANCTORVM Vitalis & Agricolæ martyrum. Tres Lectiones. Oratio.

D A quæſumus omnipotẽs Deus: vt qui beatorum martyrum tuorum Vitalis & Agricolæ ſolemnia coli mus, eorum apud te interceſſionibus adiuuemur. Per Dominum.

Ex adhortatione ſancti Ambroſij Epiſcopi ad Virgines. Lectio ij.

V Italis Agricolæ ſeruus fuit ante, nunc conſors & collega martyrij. Qui cum cogeretur à perſequentibus, vt Chriſtum negaret, & ille amplius profiteretur Dominum Ieſum Chriſtũ, omnia tormentorum genera in eum exercentes, vt non eſſet in corpore eius ſine vulnere locus, orationẽ fudit ad Dominum, dicens: Domine Ieſu Chriſte, Saluator meus & Deus meus, iube ſuſcipi ſpiritum meũ, quia iam deſidero, vt accipiam coronam, quam Angelus tuus ſanctus mihi oſtẽdit. Et cõpleta orationẽ emiſit ſpiritũ

Lectio iij.

S Anctus vero Agricola mitior habebatur moribus, vt ab ipſis etiã inimicis diligeretur. Ideoque differebant eius paſſionem. Denique vbi non acquieuit ſanctus Agricola, crucifixus eſt. Sepulti autem erant in Iudæorum ſolo. Illic igitur Martyris exuuias requirebamus, tamquam inter ſpinas roſam legentes. Nos legimus martyris clauos, & multos quidem, vt plura fuerint vulnera, quàm membra. Collegimus ſanguinem triumphalem, & crucis lignum. Munera itaque ſalutis accipite, quæ nunc ſacris altaribus reconduntur.] Paſſi ſunt autem ſancti Martyres Bononiæ, in perſecutione Diocletiani & Maximiani.

Cum de aliquo Sancto vel Sanctis agitur, qui non ſunt in Kalendario noſtro, omnia fiant iuxta ritum huius noſtri Breuiarij. Idem dicimus cum de alio fieri contingit Officium, quàm in ſerie Kalendarij notatur.

LAVS DEO.

Digitized by Google



Digitized by Google

COMMVNE SANCTORVM SECVNDVM RITVM

Sacri Ordinis Prædicatorum.

IN COMMVNI VNIVS Vel plurimorum Apoſtolorum, extra Tempus Paſchale. Ad Veſper. ſuper Pſalm. Aña. **Eſtote fortes in bello, & pugnate cum antiquo ſerpente: & accipietis regnum æternum, Alleluia.** Intra Septuageſimã. **Dicit Dominus.**

Capitulum. *Eph.* 2.

IAM non eſtis hoſpites & aduenæ: ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu. ℟. Vos eſtis lux. ℣.

Hymnus.

EXultet cælum laudibus,
Reſultet terra gaudijs:
Apoſtolorum gloriam
Sacra canunt ſolemnia.

Vos ſæcli iuſti iudices,
Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium,
Audite preces ſupplicum.

Qui cælum verbo clauditis
Seraſque eius ſoluitis,
Nos à peccatis omnibus
Soluite iuſſu, quæſumus.

Quorum præcepto ſubditur
Salus & languor omnium,
Sanate ægros moribus,
Nos reddentes virtutibus.

Vt cum iudex aduenerit
Chriſtus in fine ſæculi,
Nos ſempiterni gaudij
Faciat eſſe compotes.

Deo Patri ſit gloria,
Eiuſque ſoli Filio,
Cum Spiritu paraclito,
Et nunc & in perpetuum. Amen.

℣. In omnem terrã exiuit ſonus eorũ.
℟. Et in fines orbis terræ verba eorũ.

Ad Magnificat, Antiphona.

Beati eritis cũ vos oderint homines, & cum ſeparauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrũ tamquam malũ propter Filium hominis: gaudete & exultate, ecce enim merces veſtra multa eſt in cælo.

Ad Matutinum, Inuitat. **Gaudete & exultate: Quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.** Hym. **Exultet.** vt ſupra

IN

Digitized by Google

IN I. NOCTVR. Antiphona. IN omnem terram exiuit ſonus eorum,& in fines orbis terræ verba eorum. Pſal. Cæli enarrat. 11. Aña. Clamauerunt iuſti,& Dominus exaudiuit eos. Pſal. Benedicam. 21. Aña. Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram: memores erunt nominis tui Domine. Pſal. Eructauit. 30. ℣. In omnem terram exiuit. ℞. j. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum, dicit Dominus: Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes,& ſimplices ſicut columbæ. ℣. Tradent enim vos in concilijs: & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos. Eſtote ergo prudentes. ℞. ij. Tollite iugum meum ſuper vos, dicit Dominus,& diſcite à me, quia mitis ſum,& humilis corde: Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. ℣. Et inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum. ℞. iij. Dum ſteteritis ante reges & præſides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. ℣. Non enim vos eſtis qui loquimini: ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Dabitur. Gloria. Dabitur.

IN II. NOCTVR. Antiphona. PRincipes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. Pſ. Omnes gentes. 31. Aña. Dediſti hereditatem timentibus nomen tuum, Domine. Pſal. Exaudi Deus deprecationem. 93. Aña. Annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt. Pſal. Exaudi Deus orationem meam cum. 40. ℣. Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. ℞. Memores erunt nominis tui Domine. ℞. iv. Vidi coniunctos viros, habentes ſplendidas veſtes, & angelus Domini locutus eſt ad me, dicens: Iſti ſunt viri ſancti facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volantem per medium cæli, voce magna clamantem, & dicentem. Iſti ſunt. ℞. v. Iſti ſunt triumphatores, & amici Dei, qui contemnentes iuſſa Principum, meruerunt præmia æterna: Modo coronantur,& accipiunt palmam. ℣. Iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Modo. ℞. vj. Vos eſtis lux mundi, dicit Dominus. Qui in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. ℣. Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Qui. Gloria. Poſſidebitis.

IN III. NOCTVR. Antiphona. PEccatorum confringã cornua, & exultabuntur cornua iuſti. Pſal. Cõfitebimur. 48. Aña. Lux orta eſt iuſto,& rectis corde lætitia. Pſal. Dñs regnauit, exult. 63. Aña. Cuſtodiebant teſtimonia eius: & præcepta eius quæ dedit illis. Pſalm. Dominus regnauit, iraſc. 64. ℣. Nimis honorati ſunt amici tui Deus. ℞. Nimis confortatus eſt principatus eorum. ℞. vij. Iſti ſunt viri ſancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, & dedit illis gloriam ſempiternam: Quorum doctrina fulget Eccleſia vt ſole luna. ℣. In omnem

nem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quorum. ℞. viii. Qui ſunt iſti qui vt nubes volant. Et quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? ℣. Candidores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo. Et quaſi. ℞. ix Gregem tuum Paſtor æterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos perpetua defenſione cuſtodias. ℣. Protege Domine populum tuum, & Apoſtolorum tuorum patrocinio confidentem. Perpetua. Gloria. Patri. Perpetua. ℣. Dediſti hereditatem. ℞. Timentibus nomen tuum Domine.

IN LAVDIBVS, Aña.

HOc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Pſalm. Dominus regnauit.. cum reliquis de Laudibus. Aña Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Aña Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis, dicit Dominus. Aña. Beati pacifici, beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Aña. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Cap Iam non eſtis. vt ſupra Hymnus.

AEterna Chriſti munera,
Apoſtolorum gloriam,
Laudes canentes debitas,
Lætis canamus mentibus.
Eccleſiarum Principes,
Belli triumphales duces,
Cæleſtis aulæ milites,
Et vera mundi lumina.
Deuota Sanctorum fides,
Inuicta ſpes credentium,
Perfecta Chriſti charitas,
Mundi triumphat principem.
In paterna gloria,
In his voluntas Spiritus,
Exultat in his Filius,
Cælum repletur gaudiis.
Te nunc Redemtor quæſumus,
Vt ipſorum conſortio
Iungas precantes ſeruulos,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Annunciauerunt opera Dei. ℞. Et facta eius intellexerunt.

Ad Benedictus, Antiphona.

Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael, dicit Dominus. Ad Tertiam, Capit. Iam non eſtis hoſpites. vt ſupra. ℞. In omnem terram exiuit ſonus eorum. In. ℣ Et in fines orbis terræ verba eorum. Exiuit. Gloria Patri. In. ℣ Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. ℞. Memores erunt nominis tui Domine.

Ad Sextam, Capitulum *Act.* 5.

PEr manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna & prodigia multa in plebe. ℞ Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Conſtitues. ℣. Memores erunt nominis tui Domine. Super. Gloria. Conſtitues eos. ℣ Nimis honorati ſunt amici tui Deus. ℞. Nimis confortatus eſt principatus eorum. Ad Nonam, Capitulum. *Act.* 5.

IBant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliā pati. ℞. Nimis honorati ſunt Amici tui

tui Deus. Nimis. ℣. Nimis confortatus eſt principatus eorum. Amici. Gloria. Nimis. ℟. Annunciauerunt opera Dei. ℟. Et facta eius intellexerunt. Ad Veſperas ſuper Pſal. Antiph. Hoc eſt præceptum meum. Pſal. Dixit Dominus. 75. Laudate pueri Dominum. 76. Credidi propter. 77. In conuertendo Dominus. 87. Domine probaſti. 92. Capit. Hymn. ℣. vt in primis Veſp. Ad Magnificat, Aña. In regeneratione, cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Iſrael, dicit Dominus.

IN COMMVNI VNIVS Euangeliſtæ, extra Tempus Paſchale. Ad Veſperas.

Capitulum. *Eccl.* 15.

QVi timet Deum, faciet bona: & qui continens eſt iuſtitiæ, apprehendet illam, & obuiabit illi quaſi mater honorificata.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ecce ego Ioannes vidi oſtium apertum in cælo, & ecce ſedes poſita erat in eo, & in medio ſedis, & in circuitu eius quatuor animalia plena oculis ante & retro, & dabant gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, viuenti in ſæcula ſæculorum. Ad Matut. Inuitat. Regem Euangeliſtarum Dominum, Venite adoremus. Ad Laudes, Capit. Qui timet. vt ſupra.

Ad Benedictus, Antiphona.

In medio, & in circuitu ſedis Dei, quatuor animalia ſenas alas habentia, oculis vndique plena: non ceſſant nocte ac die dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Ad Tertiam, Capitulum. Qui timet. vt ſupra in Veſperis.

Ad Sextam, Capitulum. *Eccl.* 15.

CIbauit illum Dominus pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ potauit illum.

Ad Nonam, Capitulum. *Eccl.* 15.

IN medio Eccleſiæ aperuit os eius, & impleuit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ, & intellectus: ſtolam gloriæ induit eum. Ad Veſp. Cap. Qui timet. vt ſupra. Ad Magnificat, Aña. Tua ſunt hæc Chriſte opera, qui Sanctos tuos ita glorificas, vt etiam, dignitatis gratia in eis futuræ, præire miracula facias: tu inſignes Euangelij prædicatores animalium cæleſtium admirabili figura præſignaſti: his nāque cæleſte munus collatum, glorioſis indicijs es dignatus oſtendere: hinc laus: hinc gloria tibi reſonet in ſæcula. Cetera omnia vt ſupra in communi Apoſtolorum. 885.

IN COMMVNI VNIVS Martyris extra Tempus paſch. Ad Veſper. ſuper Pſal. Antiph.

Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

Capitulum. *Iac.* 1.

BEatus vir, qui ſuffert tentationē: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quā repromiſit Deus diligentibus ſe. ℟. Glorioſus. ix.

Hym-

Hymnus.

Deus tuorum militum
Sors, & corona, præmium,
Laudes canentes Martyris
Abſolue nexu criminis.
Hic nempe mundi gaudia,
Et blandimenta noxia,
Caduca rite deputans
Peruenit ad cæleſtia.
Pœnas cucurrit fortiter,
Et ſuſtulit viriliter,
Pro te effundens ſanguinem,
Aeterna dona poſſidet.
Ob hoc precatu ſupplici
Te poſcimus pijſſime,
In hoc triumpho Martyris,
Dimitte noxam ſeruulis.
Laus & perennis gloria
Deo Patri & Filio,
Sancto ſimul Paraclito
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Gloria & honore coronaſti eum Domine. ℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Ad Magnificat, Aña. Hic eſt vere Martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit: qui minas iudicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæſiuit, ſed ad cæleſtia regna feliciter peruenit. Dicatur etiam hæc Aña. Hic eſt, cum ℣. Gloria, & honore. quando facienda eſt Memor. in Veſper. vnius Marty. Ad Matut. Inuit. Regẽ ſempiternum venite adoremus: Qui Martyrem ſuum digne pro meritis coronauit in cælis. Hymn. Deus tuorũ. vt ſupra in Veſperis.

IN I. NOCTVRNO. Aña. In lege Domini fuit voluntas eius die ac nocte. Pſ. Beatus vir. 1. Aña. Prædicans præcepta Domini, conſtitutus eſt in monte ſancto eius. Pſ. Quare fre. 1. Aña. Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo. Pſal. Domine, quid. 2. ℣. Gloria & honore coron. ℟. j. Iſte Sanctus pro lege Dei ſui certauit vſque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit: Fundatus enim erat ſupra firmam petram. ℣. Munimine regio ſeptus, nullatenus eſt ab aduerſarijs ſuperatus. Fundatus enim. ℟. ij. Poſuiſti Domine ſuper caput eius coronam de lapide pretioſo: vitam petijt à te, & tribuiſti ei, In ſæculum ſæculi. ℣. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo, gloriam & magnum decorem impones ſuper eum. In ſæculum. ℟. iij. Gloria & honore coronaſti eum Domine, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. ℣. Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos, Deus. Omnia. Gloria. Omnia.

IN II. NOCTVRNO. Aña. Filij hominum ſcitote, quia Dominus ſanctum ſuum mirificauit. Pſal. Cum inuocar. 2. Aña. Scuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti eum Domine. Pſal. Verba. 2. Aña. In vniuerſa terra gloria & honore coronaſti eum. Pſal. Domine Dominus noſter. 4. ℣. Poſuiſti Domine ſuper caput eius. ℟. Coronam de lapide pretioſo. ℟. iv. Beatus vir qui ſuffert tentationem:

tionem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Quam repromiſit Deus diligentibus ſe. ℣. Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam. Quam repromi. ℟. v. Domine præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius Coronam de lapide pretioſo. ℣. Vitam petijt à te, & tribuiſti ei Domine. Coronam de. ℟. vj. Hic eſt vere Martyr, qui pro Chriſti nomine ſanguinem ſuum fudit: Qui minas iudicū non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæſiuit, Sed ad cæleſtia regna peruenit. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Qui. Gloria. Sed.

IN III. NOCTVR. Aña. IVſtus Dominus, & iuſtitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius. Pſal. In Domino confido. 6. Aña. Habitabit in tabernaculo tuo: requieſcet in monte ſancto tuo. Pſal. Domine quis. 7. Aña. Poſuiſti Domine ſuper caput eius coronam de lapide pretioſo. Pſal. Domine in virtute. 13. ℣. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo. ℟. Gloriam & magnum decorem impones ſuper eum. ℟. vij. Stolam iucūditatis induit eum Dominus, Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput eius. ℣. Cibauit illum Dominus pane vitæ & intellectus & aqua ſapiētiæ ſalutaris potauit eum. Et coronam. ℟. viij. Corona aurea ſuper caput eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, gloria honoris, Et opus fortitudinis. ℣. Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Et opus fortitudinis. ℟. ix. Glorioſus Dei amicus. N. Ieſu Domini confeſſione fundatus, inter tormentorum ſupplicia ſtetit imperterritus: Ac demum triumphali morte inſignis, Cælos petiuit ſanguine laureatus. ℣. Felici commercio, pro terrenis cæleſtia, pro perituris æterna commutans. Ac demum. Gloria. Cælos petiuit. ℣. Ora pro nobis beate N. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

IN LAVDIBVS, Aña. QVi me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Pſal. Dominus regnauit, cum reliquis. Aña. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, dicit Dominus. Aña. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui eſt in cælis, dicit Dominus. Aña. Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Aña. Volo Pater, vt vbi ego ſum, illic ſit & miniſter meus.

Capitul. Beatus vir. Hymnus.

MArtyr Dei, qui vnicum
Patris ſequendo Filium,
Victis triumphas hoſtibus,
Victor fruens cæleſtibus.

Tui precatus munere
Noſtrum reatum dilue,
Arcens mali contagium,
Vitæ remouens tædium.

Soluta ſunt iam vincula
Tui ſacrati corporis:

Nos

Nos ſolue vinclis ſæculi,
Amore filij Dei.
Deo Patri &c. ℣. Corona aurea ſuper caput eius. ℟. Expreſſa ſigno ſanctitatis.
Ad Benedictus, Antiphona.
Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum: & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Dicatur etiã hæc Aña. Qui vult. cum ℣. Corona aurea. quando facienda eſt Memoria vnius Mart. in Laudibus. Ad iij. Capitul. Beatus vir. ℟. Gloria & honore Coronaſti eum Domine. Gloria. ℣. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Coronaſti. Gloria Patri. Gloria &. ℣. Poſuiſti Domine ſuper caput eius. ℟. Coronam de lapide pretioſo.
Ad Sextam Capitulum. *Sap.* 10.
Cuſtodiuit illum Dominus ab inimicis, & à ſeductoribus tutauit eum, & certamen forte dedit illi, vt vinceret. ℟. Poſuiſti Domine, Super caput eius. Poſuiſti. ℣. Coronam de lapide pretioſo. Super. Gloria Patri. Poſuiſti. ℣. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo. ℟. Gloriam & magnum decorem impones ſuper eum.
Ad Nonam, Capitulum. *Eccl.* 4.
Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia. ℟. Magna eſt gloria eius In ſalutari tuo. Magna. ℣. Gloriam & magnum decorem impones ſuper eum. In. Gloria. Magna. ℣. Corona aurea ſuper caput eius. ℟. Expreſſa ſigno ſanctitatis. Ad Veſp. ſuper Pſal. Aña. Qui me confeſſus. Pſalm. Dixit Dominus 75. Beatus vir. 75. Laudate pueri. 76. Credidi. 77. In conuertendo. 87. Capitulum, Hymnus, vt in primis Veſperis. Ad Magnificat, Antiph. Iſte eſt qui pro lege Dei ſui morti ſe tradidit, non dubitauit mori, ab iniquis interfectus eſt, & in æternum viuit cum Chriſto: Agnum ſecutus eſt, & accepit palmam. In Feſto autem trium Lect. Ad Matut. Inuitat. Regem Martyrum Dominum, Venite adoremus. Super Pſal. Aña. Lætabitur iuſtus in Domino. vt ſupra in i. Veſper.

IN COMMVNI PLVRIMORVM Martyrum extra Tempus Paſchale.

Ad Veſp. ſuper Pſalm. Antiphona.
Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.
Capitulum. *Heb.* 11.
Sancti per fidem vicerunt regna: operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, in Chriſto Ieſu Domino noſtro. ℟. Lauerunt.
Hymnus.
Sanctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus ſocij, geſtaq. fortia:
Nã gliſcit animus promere cãtibus
Victorum genus optimum.
Hi ſunt quos retinens mundus inhorruit:
Ipſum nam ſterili flore peraridum
Spreuere penitus, teque ſecuti ſunt,
Rex Chriſte bone cælitus.
Hi pro te furias atque ferocia
Calcarunt hominũ, ſæuaq. verbera:
Ceſſit his lacerans fortiter vngula,
Nec carpſit penetralia.

Digitized by Google

Cæduntur gladijs more bidentium,
Non murmur reſonat, non querimonia:
Sed corde tacito mens bene conſcia
Conſeruat patientiam.
Quæ vox, quæ poterit lingua retexere,
Quæ tu Martyribus munera præparas?
Rubri nam fluido ſanguine, laureis
Ditantur bene fulgidis.
Te ſumma Deitas, vnaq. poſcimus,
Vt culpas abluas, noxia ſubtrahas:
Des pacem famulis, nos quoque gloriam,
Per cuncta tibi ſæcula. Amen.

℣. Lætamini in Domino, & exultate iuſti. ℟. Et gloriamini omnes recti corde. Ad Magnificat. Antiphona. Gaudent in cælis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti: & quia pro eius amore ſanguinem ſuum fuderunt, ideo cum Chriſto regnabũt in æternum. Dicatur etiam hæc Aña. Gaudent. cum ℣. Lætamini. quando facienda eſt Mem. plurim. Martyr. in Veſp. Ad Matutinum Inuitatorium. Venite adoremus Regem Regũ: Qui beatis Martyribus coronam dedit gloriæ. Hym. Sanctorũ meritis. vt ſupra.

IN I. NOCTVRNO. Aña.

Secus decurſus aquarum plantauit vineam iuſtorum: & in lege Domini fuit voluntas eorum. Pſalm. Beatus vir. 1. Aña. Tamquam aurum in fornace probauit electos Dominus: & quaſi holocauſta accepit eos in æternum. Pſalm. Quare fremuerunt. 1. Antiph. Si curam hominibus tormenta paſſi ſunt: ſpes electorum eſt immortalis in æternum. Pſal. In Domino confido. 5. ℣. Lætamini. ℟. j. Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, & iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, ſed nec vllus dolor: Quoniã priora tranſierunt. ℣. Non eſurient, neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus. Quoniam.

℟. ij. Viri Sancti glorioſum ſanguinem fuderunt pro Domino, amauerunt Chriſtum in vita ſua, imitati ſunt eum in morte ſua: Et ideo coronas triumphales meruerunt. ℣. Vnus ſpiritus, & vna fides erat in eis. Et ideo.

℟. iij. Tradiderunt corpora ſua propter Deum ad ſupplicia: Et meruerũt habere coronas perpetuas. ℣. Iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Et meruerunt. Gloria Patri. Et meruerunt.

IN II. NOCTVRNO. Aña.

Dabo Sanctis meis locum nominatum in regno Patris mei, dicit Dominus. Pſal. Domine, quis habitabit. 6. Antiph. Sanctis qui in terra ſunt eius, mirificauit omnes voluntates meas inter illos. Pſalm. Conſerua. 7. Antiph. Sancti qui ſperant in Domino, habebunt fortitudinem, aſſument pennas, vt aquilæ volabunt, & non deficient. Pſalm. Domini eſt terra. 15. ℣. Exultent iuſti in conſpectu Dei. ℟. Et delectentur in lætitia.

℟. iv. Sancti tui Domine mirabile con-

conſecuti ſunt iter, ſeruientes præceptis tuis, Vt inuenirentur illæſi in aquis validis. Terra apparuit arida, & in mari Rubro via ſine impedimento. ℣. Victricem manum tuam laudauerunt pariter, & decantauerunt, Domine, nomen ſanctum tuum. Vt inuenirentur. ℟. v. Verbera carnificum non timuerunt Sancti Dei, morientes pro Chriſti nomine: Vt heredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora ſua propter Deum ad ſupplicia. Vt heredes fierent in. ℟. vj. O veneranda Martyrum glorioſa certamina! qui in ſuis corporibus pro Chriſto immania pertulerunt tormenta: Et ideo percipere meruerunt immarceſcibilem æternæ gloriæ coronam. ℣. Deſpecta namque præſentis vitæ luce, contemptoque ſuorum corporum cruciatu, ſæuientem mundum Dei pro amore vicerunt. Et ideo percipere. Gloria Patri. Et ideo perſpicere.

IN III. NOCTVRNO. Aña.

IVſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum. Pſalm. Exultate iuſti. 20. Aña. Tradiderunt corpora ſua propter Deũ ad ſupplicia, vt heredes fierent in domo Domini. Pſalm. Benedicam. 21. Aña. Ecce merces Sanctorum copioſa eſt apud Deum: ipſi vero mortui ſunt pro Chriſto, & viuent in æternum. Pſalm. Deus noſter refugium. 30. ℣. Iuſti autem in perpetuum viuent. ℟. Et apud Dominum eſt merces eorum. ℟. vij. In circuitu tuo Domine lumen eſt, quod numquã deficiet, vbi conſtituiſti lucidiſſimas manſiones, Ibi requieſcunt Sanctorum animæ. ℣. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius. Ibi requieſcunt Sanctorum animæ. ℟. viij. Sancti mei qui in iſto ſæculo certamen habuiſtis, Mercedem laborum ego reddam vobis. ℣. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem laborum. ℟. ix. Lauerunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt, In ſanguine Agni. ℣. Iſti ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas. In ſang. Gloria Patri. In ſanguine. ℣. Exultabunt Sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.

IN LAVDIBVS, Aña.

IVſtorum autem animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Pſal. Dominus regnauit. cum reliquis. Antiph. Cum palma ad regna peruenerunt Sancti, coronas decoris meruerunt de manu Domini. Antiph. Corpora Sanctorum in pace ſepulta ſunt: & viuent nomina eorum in æternum. Antiph. Martyres Domini Dominum benedicite in æternum. Antiph. Martyrum chorus laudate Dominum in excelſis. Capitul. Sancti per fidem. vt ſupra.

Hymnus.

AEterna Chriſti munera,
Et Martyrum victorias,
Laudes canentes debitas,
Lætis canamus mentibus.

T errore victo ſæculi,
Pœniſq. ſpretis corporis,
Mortis ſacræ compendio
Vitam beatam poſſident.

T raduntur igni Martyres
Et beſtiarum dentibus:
Armata ſæuit vngulis
Tortoris inſani manus.

N udata pendent viſcera,
Sanguis ſacratus funditur:
Sed permanent immobiles
Vitæ perennis gratia.

T e nunc Redemptor quæſumus,
Vt Martyrum conſortio
Iungas precantes ſeruulos
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Mirabilis Deus. ℟. In Sanctis ſuis.

Ad Benedictus, Antiphona.

Iſti ſunt Sancti, qui pro Dei amore minas hominum contempſerunt: ſancti Martyres in regno cælorum exultant cum Angelis: ò quàm pretioſa eſt mors Sanctorum, qui aſſidue aſſiſtunt ante Dominum, & ab inuicem non ſunt ſeparati! Dicatur etiam hæc Antiph. Iſti ſunt. cum ℣. Mirabilis. quando facienda eſt Memoria plurimorum Martyrum in Laudibus. Ad Tertiam, Capitulum. Sancti per fidem. vt ſupra. ℟. Lætamini in Domino. Et exultate iuſti. Lætamini. ℣. Et gloriamini omnes recti corde. Et exultate. Gloria. Lætamini. ℣. Exultent iuſti in conſpectu Dei. ℟. Et delectentur in lætitia.

Ad Sextam, Capitulum. *Sap.* 10.

R Eddidit Deus mercedem laborum Sanctorum ſuorum, & deduxit illos in via mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce ſtellarum nocte. ℟. Exultent iuſti In conſpectu Dei. Exultent iuſti. ℣. Et delectentur in lætitia. In conſpectu. Gloria Patri. Exultent iuſti. ℣. Iuſti autem in perpetuum viuent. ℟. Et apud Dominum eſt merces eorum.

Ad Nonam, Capitulum. *Sap.* 3.

I Vſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. Viſi ſunt oculis inſipientium mori: illi autem ſunt in pace. ℟. Iuſti autem in perpetuum viuent. Iuſti autem. ℣. Et apud Dominum eſt merces eorum. In perpetuum. Gloria Patri. Iuſti autem. ℣. Mirabilis Deus. ℟. In Sanctis ſuis. Ad Veſperas Antiph. Iuſtorum. Pſalm. Dixit Dominus. 75. Laudate pueri. 76. Credidi. 77. In conuertendo. 87. Eripe me. 97. Capitulum, Hymnus, ℣. vt in primis Veſperis. Ad Magnificat, Antiphona. Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum: & iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, ſed nec vllus dolor: quoniam priora tranſierunt.

In Feſto autem Trium Lectionum. Ad Matutinum, Inuitat. Regem Martyrum Dominum, Venite adoremus. Super Pſalm. Antiphona. Hi ſunt qui. vt ſupra in primis Veſperis. 891.

IN COMMVNI VNIVS

Confeſſoris extra tempus Paſchale.

Ad Veſperas ſuper Pſalmos Antiphona. Iſte Sanctus digne in memoriam vertitur hominum: qui ad gau-

ad gaudium tranſijt Angelorum.

Capitulum. *Eccl.* 45.

Dilectus Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt. Similem illum fecit in gloria ſanctorum. ℟. Sancte. N. vj.

Hymnus.

Iste Confeſſor Domini ſacratus,
Feſta plebs cuius celebrat per orbem,
Hodie lætus meruit ſecreta
Scandere cæli.

Qui prius prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, caſtus fuit, & quietus,
Vita dum præſens vegetauit eius
Corporis artus.

Ad ſacrum cuius tumulum frequẽter
Membra languentum modo ſanitati,
Quolibet morbo fuerint grauata,
Reſtituuntur.

Vnde nunc noſter chorus in honorẽ
Ipſius hymnum canit hunc libenter:
Vt pijs eius meritis iuuemur
Omne per æuum.

Sit ſalus illi, decus, atque virtus,
Qui ſupra cæli reſidens cacumen,
Totius mundi machinam gubernat,
Trinus, & vnus. Amen.

In Ordinatione S. Ambroſij, quòd eo die non celebretur natalis ipſius, præfatus Hymnus ita inchoetur.

Iste Confeſſor Domini ſacratus,
Sobrius, caſtus fuit & quietus,
Vita dum præſens vegetauit eius
Corporis artus.

Ad ſacrum cuius, &c. ℣. Amauit eũ Dominus, & ornauit eum. ℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnificat, Antiphona.

Confeſſor Domini N. aſtantem plebem corrobora ſancta interceſſione: vt qui vitiorum pondere præmimur, beatitudinis tuæ gloria ſubleuemur, & te duce æterna premia conſequamur. Dicatur etiam hæc Aña. Confeſſor, cum ℣. Amauit. quando in Veſper. facienda eſt Memor. vnius Confeſſ. Ad faciendam vero Memor. plurium Confeſſ. in Veſper. Antiph. Fulgebunt iuſti, & tamquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent: iudicabunt nationes, & regnabunt in æternum. ℣. Lætamini in Domino.

Ad Matutinum Inuitatorium.

Confeſſorum Regem adoremus: Qui cæleſtis regni meritum, & gloriam contulit Sancto ſuo N. Hymn. Iſte Confeſſor.

IN I. NOCTVRNO. Aña.

Beatus vir, qui in lege Domini meditatur: voluntas eius permanet die ac nocte, & omnia quæcumque faciet, ſemper proſperabuntur. Pſal. Ipſe 1. Aña. Beatus iſte Sanctus, qui confiſus eſt in Domino: prædicauit præceptum Domini, conſtitutus eſt in monte ſancto eius. Pſal Quare frem. 1. Antiph. Tu es gloria mea, tu es ſuſceptor meus Domine, tu exaltas caput meum, & exaudiſti me de monte ſancto tuo. Pſ. Domine quid multiplic. 2. ℣. Amauit eum. ℟. j. Euge ſerue bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: Intra in gaudium Domini tui. ℣. Domine, quinque talenta tradidiſti

Digitized by Google

ſti mihi,ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Intra. ℟. ij. Iuſtus germinabit ſicut lilium: Et florebit in æternũ ante Dominum. ℣. Plantatus in domo Domini in atrijs domus Dei noſtri. Et. ℟. iij. Iſte Sanctus digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium tranſijt Angelorum: Quoniam in hac peregrinatione,ſolo corpore conſtitutus,cogitatione,& auiditate,In illa æterna patria conuerſatus eſt. ℣. Vinculis carnis abſolutus,talentum ſibi creditum, Domino ſuo duplicatum reportauit. Quoniam. Gloria. In illa.

IN II. NOCTVR. Aña.

INuocantem exaudiuit Dominus Sanctum ſuum,Dominus exaudiuit eum,& conſtituit eum in pace. Pſal. Cum inuoc. 2. Antiph. Lætentur omnes,qui ſperant in te Domine,quoniã tu benedixiſti iuſto,ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti eum. Pſal. Verba mea. 2. Aña. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuũ in vniuerſa terra! quia gloria & honore coronaſti Sanctum tuum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Pſal. *Ipſe*. 4. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et oſtendit illi regnum Dei. ℟. iv Magnificauit eum in conſpectu regum, Et dedit illi coronam gloriæ. ℣. Statuit illi teſtamentum ſempiternum,& beatificauit illum in gloria. Et dedit. ℟. v. Amauit eum Dominus, & ornauit eum,ſtolam gloriæ induit eum: Et ad portas Paradiſi coronauit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornauit eum. Et ad portas. ℟. vj. Sancte N. Chriſti Confeſſor, audi rogantes ſeruulos: Et impetratam cælitus, Tu defer indulgentiam. ℣. O ſancte N. ſidus aureum, Domini gratia, ſeruorum gemitus ſola ſuſcipe clementia. Et. Gloria. Tu defer.

IN III. NOCTVR. Aña.

DOmine, iſte Sanctus habitabit in tabernaculo tuo: operatus eſt iuſtitiam,requieſcet in monte ſancto tuo. Pſalm. Domine, quis hab. 7. Aña. Vitam petijt à te,& tribuiſti ei, Domine: gloriam & magnum decorem impoſuiſti ſuper eum: poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Pſalm. Domine in virtute 13. Antiph. Hic accipiet benedictionem à Domino,& miſericordiam à Deo ſalutari ſuo, quia hæc eſt generatio quærentium Dominum. Pſalm. Domini eſt terra. 15. ℣. Iuſtus vt palma florebit in domo Domini. ℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur. ℟. vij. Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur plantatus in domo Domini, In atrijs domus Dei noſtri florebit. ℣. Gloria & diuitiæ in domo eius: & iuſtitia eius manet in ſæculũ ſæculi. In atrijs domus Dei noſtri. ℟. viij. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei,& dedit illi ſcientiam Sanctorum: Honeſtauit illum in laboribus,& compleuit labores illius. ℣. Immortalis eſt enim memoria illius: quia apud Deũ nota eſt,& apud homines. Honeſtauit il-

uit illum. ℟. ix. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, Quando reuertatur à nuptijs. ℣. Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et. Gloria. Quando. ℣. Ora pro nobis beate N. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

IN LAVDIBVS, Antiph.

DOmine, quinque talenta tradidiſti mihi: ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. ps. Dominus regn. cum reliquis. Añ. Beatus ille ſeruus, quem, cum venerit Dominus & pulſauerit ianuam, inuenerit vigilantem. Añ. Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tẽpore tritici menſuram. Añ. Ecce vere Iſraelita, in quo dolus non eſt. Añ. Serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Capitulũ. Dilectus Deo, vt ſupra.

Hymnus.

IEſu Redemptor omnium,
Corona confitentium,
In hac die clementius
Noſtris faueto precibus.
Tui ſacri qua nominis
Confeſſor almus claruit
Cuius celebrat annua
Deuota plebs ſolemnia.
Qui rite mundi gaudia
Huius caduca reſpuens
Cum Angelis cæleſtibus
Lætus potitur præmijs.
Huius benignus annue
Nobis ſequi veſtigia.
Huius precatu ſeruulis
Dimitte noxam criminis.
Sit Chriſte Rex piiſſime
Tibi, Patrique gloria,
Cum Spiritu paraclito,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Iuſtus germinabit ſicut lilium. ℟. Et florebit in æternum ante Dominum. Ad Benedictus, Añ. Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, dicit Dominus. Dicatur etiam hæc Añ. Euge. cum ℣. Iuſtus germinabit. quãdo in Laudibus facienda eſt Memor. vnius Confeſſoris. Ad faciendam vero Memor. in Laudibus plurimorum Confeſſ. Añ. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs. ℣. Mirabilis Deus &c. Ad Tertiam Capitul. Dilectus. ℟. Amauit eum Dominus, Et ornauit eum. Amauit. ℣. Stolam gloriæ induit eum. Et. Gloria. Amauit. ℣. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et oſtendit illi regnum Dei.

Ad Sextam, Capitulum. *Eccl. 39.*

IVſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Deum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur. ℟. Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas. Iuſtum. ℣. Et oſtendit illi regnum Dei. Per. Gloria. Iuſtum. ℣. Iuſtus vt palma florebit in domo Domini. ℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Nonam, Capitulum. *Sap.* 10.

IVſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum: honeſtauit illum in laboribus: & compleuit labores illius. ℟. Iuſtus vt palma florebit in domo Domini. Iuſtus. ℣. Sicut cedrus Libani multiplicabitur. In. Gloria. Iuſtus. ℣. Iuſtus germinabit ſicut lilium. ℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Ad Veſperas ſuper Pſalm. Antiph. Domine, quinque talenta. Pſal. Dixit Dominus. 75. Beatus vir. 75. Laudate pueri. 76. Credidi. 77. In conuertendo. 87. Cap. Hymn. ℣. vt in primis Veſperis.

Ad Magnificat, Antiphona. Similabo eum viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram.

In Feſto autem trium Lect.

Ad Matutinum, Inuitatorium. Regem Confeſſorum Dominum, Venite adoremus. Super Pſal. Antiph. Iſte Sanctus. vt ſupra in primis Veſperis. 901.

IN COMMVNI VNIVS Virginis & Martyris. Extra temp. Paſchale. Ad Veſp. ſuper Pſal. Antiph. Veniente ſponſo, prudens Virgo præparata introiuit cum eo ad nuptias.

Capitulum. *Eccl.* 51.

COnfitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditione. ℟. Regnum mundi. ℣.

Hymnus.

VIrginis Proles, opifexq. matris,
Virgo quem geſſit, peperitque Virgo,
Virginis feſtum canimus trophæum:
Accipe votum.

Hæc tua Virgo duplici beata
Sorte, dum geſſit fragilem domare
Corporis ſexum domuit cruentum
Corpore ſæclum.

Vnde nec mortem, nec amica mortis
Sæua pœnarum genera paueſcens,
Sanguine fuſo meruit ſacratum
Scandere cælum.

Huius obtentu, Deus alme noſtris
Parce iam culpis, vitia remittens
Quo tibi puri reſonemus almum
Pectoris hymnum.

Gloria Patri, genitæque Proli
Et tibi compar vtriuſque ſemper
Spiritus alme, Deus vnus omni
Tempore ſæcli. Amen.

℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æter.

Ad Magnificat, Antiphona. Iſta eſt virgo ſapiens, quam Dominus vigilantem inuenit, quæ accepta lampade ſumpſit ſecum oleum, & veniente Domino introiuit cũ eo ad nupitas. Dicatur etiam hæc Aña. Iſta eſt. cum ℣. Diffuſa. quando in Veſper. facienda eſt Memor. vnius Virginis. Ad faciendam vero Memor. plurimorum Virginum. in Veſper. Antiph. Prudentes Virgines aptate lampades veſtras, ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. ℣. Adducentur Regi &c.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Agnum

Agnum ſponſum virginum, Venite adoremus Dominum Ieſum Chriſtũ. Hymnus. Virginis.

IN I. NOCTVRNO. Aña. Nte torum huius Virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis. Pſal. Domine Dominus. 4. Aña. Vnguentum effuſum nomen tuum: ideo adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Pſal. Cæli enarrant. 11 Aña. O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Pſal. Domini eſt terra. 15. ℣. Diffuſa. ℟. j. Veni ſponſa Chriſti, & accipe coronam quam tibi Dominus præparauit: Pro cuius amore ſanguinem tuum fudiſti, & cum Angelis in paradiſum introiſti. ℣. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, quia concupiuit Rex ſpeciem tuam. Pro cuius amore. ℟. ij. Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam: Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam. Et deducet. ℟. iij. Specie tua & pulchritudine tua, Intende Proſpere procede, & regna. ℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Intende. Gloria. Proſpere.

IN II. NOCTVRNO. Aña. Specie tua & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Pſalm. Eructauit cor. 30. Aña. Adiuuabit eam Deus vultu ſuo: Deus in medio eius, non commouebitur. Pſalm. Deus noſter. 30. Aña. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Pſalm. Fundamenta. 57. ℣. Specie tua & pulchritudine tua. ℟. Intende, proſpere procede, & regna. ℟. iv. Grata facta eſt à Domino in certamine, quia apud Deum, & apud homines glorificata eſt: in conſpectu principum loquebatur ſapientiam: Et Dominus omnium dilexit eam. ℣. Erecta namque in virtutis culmine, tormenta deriſit, præmia calcauit. Et Dominus omnium dilexit eam. ℟. v. Hæc eſt virgo ſapiens, quam Dominus vigilantem inuenit, quæ acceptis lampadibus ſumpſit ſecum oleum, Et veniente Domino, introiuit cum eo ad nuptias. ℣. Iſta eſt vna de numero prudentum, quæ aptauit lampades ſuas. Et veniente Domino. ℟. vj. Offerentur Regi virgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi, In lætitia & exultatione. ℣. Prudentes virgines aptate lampades veſtras, ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. In. Gloria. In.

IN III. NOCTVRNO. Aña. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis. Pſalm. Cantate. j. 63. Aña. Hæc eſt quæ neſciuit torum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum. Pſalm. Dominus regnauit, exultet. 63. Aña. Hæc eſt virgo ſapiens, atque glorioſa, quia Dominus omnium dilexit eam. Pſal. Cantate. ij. 64. ℣. Adiuuabit eam Deus vultu ſuo. ℟. Deus in medio eius, non commouebitur. ℟. vij. Audiui vocem de cælo venientem: Venite omnes virgines ſapientiſſimæ, Oleum

Oleum recondite in vaſis veſtris, dum ſponſus aduenerit. ℣. Media nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit. Oleum recondite. ℟. viij. Veni electa mea, & ponam in te thronũ meum: Quia concupiuit Rex ſpeciem tuam. ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Quia. ℟. ix. Regnum mundi, & omnẽ ornatum ſæculi contempſi propter amorem Domini mei Ieſu Chriſti, Quẽ vidi, quem amaui, In quem credidi, quem dilexi. ℣. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Quem. Gloria Patri. In quem. ℣. Ora pro nobis beata. N. ℟. Vt digni efficiamur &c.

IN LAVDIBVS, Antiph.

Hæc eſt virgo ſapiens, & vna de numero prudentum. Pſal. Dominus regnauit. cum reliquis. Antiph. Hæc eſt Virgo ſapiens, quam Dominus vigilantẽ inuenit. Aña. Veni ſponſa Chriſti, accipe coronam quam tibi Dominus præparauit in æternum. Aña. Media nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei. Aña Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampadet ſuas. Capitulum. Confitebor. vt ſupra.

Hymnus.

Ieſu corona viginum,
Quem mater illa concipit,
Quæ ſola virgo parturit,
Hæc vota clemens accipe.
Qui paſcis inter lilia,
Septus choreis virginum.
Sponſus decorans gloria,
Sponſiſque reddens præmia.
Quocumque pergis, virgines
Sequuntur, atque laudibus
Poſt te canentes curſitant,
Hymnosq. dulcès perſonant.
Te deprecamur largius,
Noſtris adauge ſenſibus,
Neſcire prorſus omnia
Corruptionis vulnera.
Sit Chriſte Rex piiſſime,
Tibi, Patrique gloria,
Cum Spiritu paraclito,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Adducentur Regi virgines poſt eã. ℟. Proximæ eius afferentur tibi.

Ad Benedictus, Antiphona.

Veni electa mea, & ponam in te thronum meum: quia concupiuit Rex ſpeciem tuam. Dicatur etiam hæc Aña. Veni electa. cum ℣. Adducẽtur Regi. quando in Laudibus facienda eſt Memoria vnius Virginis. Ad faciendam vero Memor. plurimarum Virginum in Laudib. Antiph. Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ. ℣. Media nocte clamor factus eſt. ℟. Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei.

Ad Tertiam, Capitulum. Confitebor. ℟. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, Diffuſa eſt. ℣. Propterea benedixit te Deus in æternum. In. Gloria Patri. Diffuſa. ℣. Specie tua & pulchritudine tua. ℟. Intende, proſpere procede, & regna.

Ad Sextam, Capitulum. 2. *Cor.* 11.

Æmulor enim vos Dei æmulatione: deſpondi enim vos vni viro

Digitized by Google

viro virginem caſtam exhibere Chriſto. ℞. Specie tua Et pulchritudine tua. Specie. ℣. Intende, proſpere procede, & regna. Et pulchritudine. Gloria Patri. Specie. ℣. Adiuuabit eam Deus vultu ſuo. ℞. Deus in medio eius, non commouebitur.

Ad Nonam, Capitulum. *Sap. 4.*

O Quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! immortalis eſt enim memoria illius: quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines. ℞. Adiuuabit eam Deus Vultu ſuo. Adiuuabit. ℣. Deus in medio eius, non commouebitur. Vultu. Gloria. Adiuuabit. ℣. Adducentur Regi virgines poſt eam. ℞. Proximæ eius afferentur tibi. Ad Veſper. Antiph. Hæc eſt. Dixit Dominus. 75. Laudate pueri. 76. Lætatus. 86. Niſi Dominus. 88. Lauda Ieruſalem. 97. Capit. Hymnus, ℣. vt in primis Veſp. ad Magnif. Aña. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum: ideoq́. lucerna eius non extinguetur in ſempiternum. In Feſto autem Triũ Lect. ad Matutinum Inuitat. Regem Virginum Dominum, Venite adoremus, Super Pſ. Aña. Veniente ſponſo. vt ſupra in primis Veſp. Reſpon. ſecundum Feriam & cetera dicũtur, vt ſupr.

IN COMMVNI VNIVS Virg. non Martyris, dicatur in Veſpe. & in Matut. Hymnus. Huius obtentu, Deus alme, noſtris. Gloria Patri. & in j. Reſpon. vbi dicitur, Pro cuius amore, ſanguinem tuum fudiſti, dicatur, Pro cuius amore ſæculũ contempſiſti.

Reliqua omnia vt ſuprà de Virgine, & Martyre. Qñ erit Feſtum iij. Lectio. dicantur ſemper tria vltima Reſponſor.

IN COMMVNI VNIVS nec Virgin. nec Martyris ad Veſper. ſuper Pſam. Antiph. Hæc eſt quæ neſciuit torum in delicto, habebit fructũ in deſpectione animarum ſanctarum.

Capitulum. *Prou. 31.*

MVlierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretiũ eius: confidit in ea cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit. ℞. Fallax. ix. Hymn. Huius obtentu. ℣. Diffuſa eſt &c. Ad Magnificat, Aña. Veni electa mea, & ponam in te thronum meũ: quia concupiuit Rex ſpeciem tuam. Dicatur etiam hæc Aña. Veni electa mea. cum ℣. Diffuſa eſt. quando in Veſp. facienda eſt Memor. vnius nec Virg. nec Martyris. Ad Matutinũ Inuitator. Laudemus Deum noſtrum, In ſolemnitate ſanctæ. N.

IN I. NOCTVRNO. Aña.

O Quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Pſal. Domine Dominus noſter. 4. Antiph. Vnguentum effuſum nomen tuum: ideo adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Pſal. Cæli enarrant. 11. Antiph. Iſta eſt ſpecioſa inter filias Ieruſalem. Pſalm. Domini eſt terra. 15. ℣. Diffuſa eſt gratia. ℞. j. Gaudeamus omnes in Domino, diem feſtum celebrantes ſub honore beatæ N. De cuius ſolemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei. ℣. Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius: ſanctitas & magnifi-

gnifi-

gnificentia in ſanctificatione eius. De cuius ſolemnitate. ℟. ij. Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam: Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam. Et deducet te mirabiliter. ℟. iij. Specie tua & pulchritudine tua, Intende, proſpere procede, & regna. ℣. Diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Intende. Gloria. Proſpere.

IN II. NOCTVRNO. Aña.

SPecie tua & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Pſalm. Eructauit. 30. Aña. Adiuuabit eam Deus vultu ſuo: Deus in medio eius, non commouebitur. Pſal. Deus noſter refugium. 30. Antiph. Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Pſalm. Fundamenta. 57. ℣. Specie tua & pulch. ℟. iv. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum: guſtauit & vidit quia bona eſt negotiatio eius. Non extinguetur in nocte lucerna eius. ℣. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Non. ℟. v. Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem: Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuium. ℣. Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculũ ſæculi. Non timebit. ℟. vj. Veni electa mea, & ponam in te thronum meum, Quia concupiuit Rex ſpeciem tuam. ℣. Specie tua & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Quia concupiuit Rex ſpeciem tuam. Gloria Patri. Quia concupiuit Rex ſpeciem tuam.

IN III. NOCTVRNO. Aña.

DVm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis. Pſalm. Cantate. j. 63. Aña. Exultauerunt filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine. Pſalm. Dominus regnauit, exultet. 63. Antiph. Hæc eſt quæ neſciuit torum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum. Pſalm. Cantate. ij. 63. ℣. Adiuuabit eam. ℟. vij. Hanc amaui, & exquiſiui ſponſam mihi aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. ℣. Fortitudo, & decor indumentum eius, & ridebit die nouiſſimo. Et amator factus ſum formæ illius.

℟. viij. Datæ ei de fructu manuum ſuarum, Et laudent eam in portis opera eius. ℣. Labores manuum tuarum quia manducabis, beata es, & bene tibi erit. Et laudent eam. ℟. ix. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: Mulier timens Deum, ipſa laudabitur. ℣. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius. Mulier timens Deum, ipſa laudabitur. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Mulier timens Deum, ipſa laudabitur.

IN LAVDIBVS, Aña.

GRatia ſuper gratiam, mulier ſancta, & pudorata, omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ. Pſalm. Dominus regn. cum reliquis. Aña. Sicut ſol oriẽs mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieri

bonæ

Digitized by Google

bonæ ſpecies in ornatum domus ſuæ. Aña. Fundamenta æterna ſupra petram ſolidam, ſic mandata Dei in corde mulieris ſanctæ. Aña. Columnæ aureæ ſuper baſes argenteas: & pedes firmi ſuper plantas ſtabilis mulieris Aña. Aedificatio ciuitatis confirmabit nomen, & ſuper hanc mulier immaculatà computabitur. Capitul. Mulierem fortem. Hymnus.

Pia Mater, & humilis,
Naturæ memor fragilis,
In huius vitæ fluctibus,
Nos rege tuis precibus.
Te deprecamur largius
Noſtris adauge ſenſibus,
Neſcire prorſus omnia
Corruptionis vulnera.
Sit tibi Rex piiſſime,
Tibi, Patrique gloria,
Cum Spiritu paraclito,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. Et habitare eam facit in tabernaculo ſuo.

Ad Benedictus, Antiphona. Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem: fortitudo, & decor indumentum eius, & ridebit in die nouiſſimo. Dicatur etiam hæc Aña. Manum ſuam. cum ℣. Elegit. quandò in Laudibus facienda eſt Memor. vnius nec Virginis nec Martyris. Ad Tertiam, Capitulum. Mulierem fortem quis inueniet?

Ad Sextam, Capitul. *Pro.* 31.

Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem: non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis.

Ad Nonam, Capitulum. *Pro.* 31.

Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas: fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: mulier timens Deum ipſa laudabitur.

Ad Magnificat, Antiphona. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum: guſtauit & vidit quia bona eſt negotiatio eius: nō extinguetur in nocte lucerna eius. In Feſto autem Trium Lection. Ad Matutinum, Inuitat. Laudemus Deū. vt ſupra. Super Pſalm. Antiph. Hæc eſt quæ neſciuit. vt ſupra in primis Veſp. Cetera omnia, ſicut in Commune Virginum niſi quod Verſiculus poſt ℟. Nonæ erit. Elegit eam &c.

IN FESTIS SANCTORVM non habentium Lectiones proprias in Breuiario poſt Lectiones ordinarias de ſacra Scriptura, legi poterunt infraſcriptæ de Sermonibus, vel etiam de Homilijs. In Feſto vnius Martyris.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. de S. Cypriano. Lectio iv.

Hodie, natalem Martyris Eccleſia celebrat. Quid eſt hoc fratres? Quando Sanctus iſte natus eſt, ignoramus, & quia hodie paſſus eſt, natalem huius celebramus: ſed quando natus eſt etiam ſi ſciremus: nequaquā diem illum celebraremus. Illo namque die peccatum originale contraxit, iſto die peccatum omne finiuit. Illo die, ex faſtidioſo matris vtero in hanc

hanc lucem proceſſit, quæ oculos carnis illecebrat: iſto autem die ex profundiſſimo carcere, in illam lucem diſceſſit, quæ viſum mentis illuſtrat.

Sermo. 44. de Sanctis. Lectio v.

TRiumphalis beati martyris N. dies hodie nobis anniuerſaria celebritate recurrit: cuius glorificationi ſicut congaudet Eccleſia, ſic eius proponit ſequenda veſtigia. Si enim compatimur, & conglorificabimur. In cuius glorioſo agone duo nobis præcipue conſideranda ſunt: indurata videlicet ſæuitia tortoris, & Martyris inuicta patientia: ſæuitia tortoris, vt eam deteſtemur: patientia Martyris, vt eam imitemur.

Lectio vj.

GLorioſus Chriſti athleta non exhorruit carcerem: ad imitationem capitis ſui tolerauit probra, ſuſtinuit irriſiones, flagella non timuit: & quot ante mortem pro Chriſto pertulit ſupplicia, tot ei de ſe obtulit ſacrificia. Quod enim propinante Apoſtolo biberat, alte retinebat: Quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam: quæ reuelabitur in nobis: & quia momentaneum hoc & leue noſtræ tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur in cælis.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm. alio de S. Cypriano. Lectio vij.

DVplex in Sancto iſto gemma præfulſit, dum vita clara, & mors extitit precioſa. Qui ante alia offerebat, modo ſe ipſum offert. Aſſolens Angelus venire, de thuribulo precum eius ante ſedentem in throno offerebat incenſum, modo autem leuauit in aula cælorum. O dedicata paſſio, & glorioſa confeſſio! Abſoluitur per martyrium anima à vinculo carnis, & in cælo cum triumpho leuatur ab Angelis.

Sermo S. Cipriani Epiſcopi.

Epiſt. 34. Lectio viij.

BEatus hic Martyr, dum inexpugnabili firmitate certaminis ſui aduerſarium vicit, vincendi ceteris viam fecit, non breui compendio vulnerum victor, ſed adhærentibus diu & permanentibus pœnis longæ colluctationis miraculo triumphator. Cuſtodia carceris ſeptus in neruo ac ferro fuit, ſed poſito in vinculis corpore, ſolutus ac liber ſpirtus manſit. Caro, famis, ac ſitis diuturnitate contabuit: ſed animam fide, & virtute viuentem, nutrimentis ſpiritalibus Deus pauit.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

De S. Cypriano. Lectio ix.

IN Domino laudabitur anima huius Martyris, qui alijs fuit odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem. Alij ſiquidem illum imitando vixerunt, alij vero eidem inuidendo perierunt. Ipſe vero moriendo vixit, iudicatus iudicem ſuperauit. Aduerſarium percuſſus vicit, & mortem occiſus occidit. Illi ergo laus, illi gloria qui dignatus eſt hunc virum inter Sanctos ſuos prædeſtinare ante tempora, inter homines creare opportuno tempore.

Lectio

Digitized by Google

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 15.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Et reliqua.

Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi. *Hom. 56. in Matth.*

QVemadmodum, qui ludricum inſtituit agonem, ſi cuius athlетharum amicitiæ vinculo iungitur, numquã eum niſi deſcenderit in certamine coronabit: qui proprium illis videlicet laborem deſiderat, & quo magis eum diligit, eo magis victorem videre cupit: ſic etiam Chriſtus, quos maxime diligit, eos non ſolum auxilio ſuo dumtaxat, verum etiam & à ſeipſis vult comprobari. Minime autem onerosam orationem reddit, quia non ſibi ſolis hæc imminere, ſed communiter vniuerſe terrarum orbi proponit, dicens: Si quis vult, ſiue vir, ſiue mulier, ſiue princeps ſiue ſubditus, hanc viam ingrediatur.

Lectio viij.

ET ſermo quidem vnum quid ſignificare videtur, tria vero continet, abnegationem tui ipſius, & vt crucem accipias, & tertio vt Chriſtum ſequaris: quorum duo coniuncta ſunt, vnum per ſeipſum ſeparatim ponitur. Conſideremus igitur prius, quidnam ſit alium abnegare, tũc recte percipies quid ſit abnegare teipſum. Lectio ix.

QVid igitur abnegare te ipſum? Quid igitur abnegare alium? Qui alium iam abnegãuit, fratrem puta, aut ſeruum, aut quemuis alium, ſi cædi eum virgis videat, ſi arceri vinculis, quidquid aliud mali pati eũ cõſpexerit: non occurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorſus vllo modo mouetur, ceu ille, qui penitus ab illo alienatus eſt. Sic igitur nullo nos pacto corpori noſtro parcere vult, vt neque ſi cæditur, neque ſi pellitur, neque ſi vritur, nec ſi quid aliud huiuſmodi patitur ei parcamus.

Lectio S. Euangelij ſecundum Ioannem. Lectio vij. C. 12.

IN illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Amen amen dico vobis: niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Et reliqua.

Homilia S. Auguſtini Epiſcopi. *Tract. 51. in Ioann. ſub medium.*

IPſe Dominus Ieſus erat granum mortificandum, & multiplicandum: mortificandum in infidelitate Iudæorum, multiplicandum in fide populorum. Iam vero exhortans nos ad paſſionis ſuæ ſectanda veſtigia, Qui amat, inquit, animam ſuam, perdet eam. Quod duobus modis poteſt intelligi. Qui amat, perdet, ideſt ſi amas perdes, ſi cupis vitam tenere cum Chriſto noli mortem timere pro Chriſto. Item alio modo: Qui amat animam ſuam, perdet eam: noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Lectio viij.

HOc autem quod poſterius dixi, magis videtur habere Euangelicus

licus ſenſus. Sequitur enim: Et qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Ergo quod ſupradictum eſt, qui amat, (ſubintelligitur, in hoc mundo) ipſe vtique perdet: qui autem odit (vtique in hoc mundo) in vitam æternam ipſe cuſtodit eam. Magna & mira ſententia, quemadmodum ſit hominis in animã ſuam, amor vt pereat, odium ne pareat! Si male amaueris, tunc odiſti: ſi bene oderis, tunc amaſti.

Lectio ix.

CVm ergo cauſæ articulus venerit, vt hæc conditio proponatur, aut faciendum eſſe contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum homo ſi cogatur alterum eligere, comminante mortem perſecutore, ibi eligat Deo dilecto emori, quàm offenſo viuere. Ibi oderit in hoc mundo animam ſuam, vt in vitam æternam cuſtodiat eam.

IN FESTO PLVRIMORVM Martyrum.

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi *Hom. de Math. Tom.* 1. Lectio iv.

QVam ſpecioſa feſtiuitas hodie nobis enituit, & ſplendida dies hodierna præfulſit, non den ſatis ſolis radijs illuminata, ſed de lumine Martyrum illuſtrata, Hi nempe de ſuperno ſolis circulo in terram radij Chriſto emittente iaciuntur, & ſicut ſpeciem eccleſiæ gaudentis illuſtrant, ita diaboli faciem inuidentis obſcurant.

Ex Epiſtola ſancti Cipriani Epiſcopi & Martyris ad Martyres, & Confeſſores.

Libr. 2. *Epiſt.* 6. Lectio v.

QVibus ego vos laudibus prædicem, fortiſſimi Martyres? robur pectoris veſtri, & perſeuerãtiam fidei, quo præconio vocis exornem? Toleraſtis vſque ád conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem: nec ceſſiſtis ſupplicijs, ſed vobis potius ſupplicia ceſſerunt. Finem doloribus, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. Lanienã grauior ad hoc diu perſeuerauit, non vt ſtantem fidem deijcerent, ſed vt homines Dei ad Deum velocius mitteret.

Lectio vi.

VIdit admirans præſentium multitudo cæleſte certamen Dei, certamen ſpiritale, prælium Chriſti: ſtetiſſe ſeruos eius voce libera, mentẽ incorrupta, virtute diuina, telis quidẽ ſæcularibus nudos, ſed armis fidei ardentis armatos. Steterunt torti torquẽtibus fortiores, & pulſantes ac laniantes vngulas, pulſata, ac laniata membra vicerunt.

Lectio vij.

INexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæuiens diu plaga repetita: quamuis rupta compage viſcerum, torquerentur in ſeruis Dei iam non membra, ſed vulnera. Fluebat ſanguis, qui incendium perſecutionis extingueretur, qui flammas & ignes gehennæ glorioſo cruore ſopiret. O quale fuit illud ſpectaculum Domino, quàm ſublime, quam magnum, quam Dei oculis ſacramento ac deuotione mili-

militis eius acceptum! Quam lætus illic Chriſtus fuit, quàm libens in talibus ſeruis ſuis & pugnauit & vicit!

Sermo S. Ioannis Chryſoſtomi.

Serm. de Martyribus, quòd aut imitandi, aut non laudandi ſunt. tom. 2.

Lectio viij.

QVi Sanctorum merita religioſa charitate miratur, quique iuſtorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores ſanctos atque iuſtitiam imitetur: quoniam quem delectat ſancti alicuius meritum, delectare debet par circa cultum Dei obſequium. Quare aut imitari debet, ſi laudat: aut laudare non debet, ſi imitari detrectat. Nam ſi propterea iuſtos fideleſque diligimus, quòd in ipſis iuſtitiam fidemq. ſuſpicimus, poſſumus nos quoq. eſſe quod ſunt, ſi faciamus ipſi quod faciunt.

Lectio ix.

IN iſtis ſemper pares virtutes, diſſimiles pugnæ, glorioſæ victoriæ. Vnde tu Chriſtiane delicatus es miles, ſi putas te poſſe ſine pugna vincere, ſine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio iſto concerta. Conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce: pactum quod ſpopondiſti, conditionem qua acceſſiſti, militiam cui nomen dediſti. Hoc enim pacto quos miraris, cuncti pugnarunt, hac condiditione vniuerſi vicerunt, hac militia omnes triumpharunt.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 5.

IN illo tempore: Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem: & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius: & aperiens os ſuum docebat eos, dicens: Beati pauperes ſpiritu. Et reliqua.

Homilia ſancti Hilarij Epiſcopi.

Comment. in Matth. cap. 5.

COngregatis igitur pluribus turbis, montem conſcendit, & docet: in paternæ, ſcilicet, maieſtatis poſitus celſitudine, cæleſtis vitæ præcepta conſtituit. Non enim æternitatis inſtituta, niſi in æternitate poſitus tradidiſſet. Denique ita ſcriptum eſt: Aperuit os ſuum, & docebat eos. Locutum eum fuiſſe promptius erat dicere, ſed quia in gloria paternæ maieſtatis inſtiterat, & æternitatem docebat, idcirco ad motum ſpiritus eloquentis, obediſſe oſtenditur humani oris officium.

Lectio viij.

BEati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Exemplo Dominus docuerat humanæ ambitionis gloriam relinquẽdam, dicens, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Et cum ſe per Prophetas populum humilem, & ad verba ſua trementem, præmonuit eſſe lecturum, in ſpiritus humilitate perfectæ beatitudinis poſuit exordium.

Lectio ix.

NVlla nos nec ſæcularis faſtus inſolentia, nec opum cupiditas nec inanis gloriæ ambitio corrumpat, ſed ſubiecti Deo ſimus, & de communione viuendi omnes communis vitæ

tæ charitate teneamur. Magnum etiam in eo quòd nati ſumus, diuitiæ bonitatis futurum profectum exiſtimemus: cuius præmium, atque honos præſentis vitæ operibus ſit merendus: atque ita per hanc ſpiritus humilitatem, qua à Deo nobis meminerimus, & indulta omnia, & deinceps potiora ſperanda, cælorum regnum erit noſtrum.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 21.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Cum audieritis prælia & ſeditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambroſij Epiſcopi. *Lib. 9. in Luc. 21.*

VErborum cæleſtium nulli magis quàm nos teſtes ſumus, quos mundi finis inuenit. Quanta enim prælia, & quas opiniones accipimus præliorum? Hunni in Alanos, Alani in Gothos, Gothi in Taifalos & Sarmatas inſurrexerunt. Hos quoque in Illyrico exules patria Gothorum exilia fecerunt, & nondum eſt finis. Quæ omnium fames, lues pariter boum atque hominum, ceterique pecoris? vt etiam nos, qui bellum non pertulimus, debilitatis tamen pares fecerit peſtilentia. Lectio viij.

ERgo quia in occaſu ſæculi ſumus, præcedunt quædam ægritudines mundi. Aegritudo mundi eſt fames, ægritudo mundi eſt peſtilentia, ægritudo mundi eſt perſecutio. Sunt autem & alia bella, quæ vir ſuſtinet Chriſtianus: diuerſarum quoque prælia cupiditatum, ſtudiorumq. conflictus: multoque grauiores domeſtici hoſtes, quam extranei.

Lectio ix.

NVnc auaritia ſtimulat, nunc accendit libido, nunc metus terret, nunc iracundia exagitat, nunc ambitio mouet, nunc terrere tentant ſpiritalia nequitiæ, quæ ſunt in cæleſtibus. Itaq. quaſi quibuſdã terræmotibus quatitur mobilis animi nutantis affectus. Sed fortior dicit: Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat in me prælium, in hoc ego ſperabo.

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 6.

IN illo tempore: Deſcendens Ieſus de monte, ſtetit in loco campeſtri: & turba diſcipulorum eius, & multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa & Ieruſalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis. Et reliqua.

Homilia ſancti Ambroſij Epiſcopi. *Lib. 5. in Lucæ cap. 6.*

ADuerte omnia diligenter, quomodo & cum Apoſtolis aſcendat, & deſcendat ad turbas. Quomodo enim turba niſi in humili Chriſtum videret? Non ſequitur ad excelſa, non aſcendit ad ſublimia. Denique vbi deſcendit, inuenit infirmos: in excelſis enim infirmi eſſe non poſſunt. Sic enim Matthæus docet in inferioribus debiles eſſe ſanatos. Prius enim vnuſquiſque ſanandus eſt, vt pau-

paulatim virtutibus procedentibus aſcendere poſſit ad montem. Et ideo vnumquemque in inferioribus ſanat, hoc eſt, à libidine reuocat, iniuriam cæcitatis auertit, ad vulnera noſtra deſcendit: vt vſu quodam & copia ſuæ naturæ, comparticipes nos faciat eſſe regni cæleſtis.

Paulo poſt. Lectio viij.

BEati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei. Quatuor tantum beatitudines ſanctus Lucas Dominicas poſuit, octo vero ſanctus Matthæus: ſed in iſtis octo, ille quatuor ſunt, & in quatuor iſtis illæ octo. Hic enim quatuor velut virtutes amplexus eſt cardinales: ille in illis octo myſticum numerum reſerauit. Pro octaua enim multi ſcribuntur Pſalmi: & mandatum accipis octo illis partem dare, fortaſſe benedictionibus. Sicut enim ſpei noſtræ octaua perfectio eſt, ita octaua ſumma virtutũ eſt.

Lectio ix.

SEd prius quæ ſunt ampliora videamus. Beati, inquit, pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Primam benedictionem hanc vterque Euangeliſta poſuit. Ordine enim prima eſt, & parens quædam generatioque virtutum: quia qui contempſerit ſæcularia, ipſe merebitur ſempiterna: nec poteſt quiſquam meritum regni cæleſtis adipiſci, qui mundi cupiditate poſſeſſus, emergendi non habet facultatem.

IN FESTO VNIVS Confeſſoris Pontificis.

B.P.

Sermo ſancti Maximi Epiſcopi. *Homilia 59. quæ eſt 2. de ſancto Euſebio Vercellenſi.*

Lectio iv.

AD ſancti ac beatiſſimi Patris noſtri N. cuius hodie feſta celebramus, laudes addidiſſe aliquid, decerpſiſſe eſt: ſiquidem virtutum eius gratia non ſermonibus exponenda eſt, ſed operibus comprobanda. Cum enim dicat Scriptura diuina: Gloria patris eſt filius ſapiens quantæ huius ſunt gloriæ, qui tantorum filiorum ſapientia & deuotione lætatur? In Chriſto enim Ieſu per Euangelium ipſe nos genuit.

Lectio v.

QVidquid igitur in hac ſancta plebe poteſt eſſe virtutis & gratiæ, de hoc quaſi lucidiſſimo fonte, omnium riuulorum hæc puritas emanauit. Etenim quia caſtitatis pollebat vigore, quia abſtinentiæ gloriabatur anguſtijs, quia blandimenta erat præditus lenitatis, omnium ciuium in Deum prouocauit affectum: quia Pontificis adminiſtratione fulgebat, plures è diſcipulis reliquit ſui ſacerdotij ſucceſſores.

Lectio vj.

BEne & congrue in hac die, quam nobis beati Patris noſtri N. huius ad Paradiſum tranſitus exultabilem reddidit, præſentis Pſalmi verſiculum decantauimus: In memoria æterna erit iuſtus. Digne enim in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium tranſijt Angelorum.

Qui iam gratiam Chriſti clarificatus inuenit, quia mundi gloriam non quæſiuit.

Sermo ſancti Maximi Epiſcopi.

Lectio vij. *Ibidem.*

BEati Patris N. merita iam in tuto poſita ſecuri magnificemus: qui gubernaculum fidei viriliter tenens, anchoram ſpei tranquilla iam in ſtatione compoſuit, & plenam cæleſtibus diuitijs & æternis mercibus nauem optato in littore collocauit: qui contra omnes aduerſarios ſcutum timoris Dei tamdiu infatigabiliter tenuit, donec ad victoriam perueniret. Quid enim fuit totus vitæ illius curſus, niſi vnius cum vigili hoſte conflictus?

Lectio viij.

QVantis hic cæcis à via veritatis errantibus, & de ſumma iam in profundum rupe pendentibus, amiſſum reddidit viſum, & illum, quo Chriſtus videtur, reparauit intuitum? Quantorum auribus ſurdis, & infidelitatis obturatione damnatis, ad percipiendam vocem cæleſtium mandatorum, pretioſum infudit auditum, vt vocanti Deo ad miſericordiam, reſponderent per obedientiam?

Lectio ix.

QVantos intrinſecus vulneratos, Angelici oris arte & orationum ab infirmitate curauit? Quantos per longam incuriam peccati labe reſolutos, & quadam lepræ contagione perfuſos, caſtigationibus, exhortationibus expiando, Deo in ſe operante mundauit? Quantorum animas viuenti in corpore iã defunctas, & delictorum mole obrutas ac ſepultas, ad emendationem tamquam ad lucem reuocãdo, Deo reſuſcitauit?

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C.25.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Homo quidam peregre proficiſcens, vocauit ſeruos ſuos: & tradidit illis bona ſua. Et reliqua.

Homilia ſancti Hilarij Epiſcopi.

Comment. in Matth. 25.

DIuiſio quidem pecuniæ inæqualis eſt, ſed non ad diuidentem referenda diuerſitas eſt. Ait enim vnumquemque ſecundum ſuam virtutem accepiſſe. Patremfamilias ſeipſum eſſe ſignificat. Peregrinationis tempus, pœnitentiæ ſpatium eſt, quo in cælis à dextris Dei aſſidens, poteſtatem vniuerſo generi humano fidei, atque operationis Euangelicæ permiſit.

Lectio viij.

IGitur vnuſquiſque ſecundum fidei ſuæ menſuram, talentum, id eſt Euangelij prædicationem à prædicante ſuſcepit. Hæc enim incorrupta ſubſtantia eſt: hoc Chriſti patrimonium æternis heredibus reſeruatum. Seruus ille qui quinque talenta accepit, populus ex lege credentium eſt, ex qua profectus, meritum ipſius recte probeq. perfunctus, Euãgelicæ fidei prædicatione duplicauit.

Lectio ix.

IN ratione autem ponenda, iudicij examen eſt: quo cæleſtis verbi vſus, & redditus diſpenſati talenti

poſtulatur. Igitur cui erant quinque commiſſa, domino reuerſo, de quinque decem obtulit: talis ſcilicet in fide repertus, qualis in lege: qui decem verborum quinque libris Moyſi præceptorum obedientiam per gratiā Euangelicæ prædicationis expleuerit. Igitur iubetur in gaudium Domini introire, ideſt, in honorem gloriæ Chriſti recipitur.

IN FESTO VNIVS Simplicis Confeſſoris.

Sermo ſancti Ioannis Chryſoſtomi. *Oratione de ſancto Philogonio. tom. 3.*

Lectio iv.

BEati N. dies, cuius feſtiuitatem celebramus, ad ipſius recte factorum enarrationem linguam noſtrā euocauit: ſiquidem hodie beatus iſte ad tranquillam, omniſque perturbationis expertem vitam tranſijt, eòque nauigium appulit, vbi deinceps non poterit metuere naufragium, nec vllā animi perturbationem, aut dolorem.

Lectio v.

QVamobrem maximopere gratulor huius Sancti felicitati, quòd quamquam translatus eſt, atque hanc, quæ apud nos eſt, ciuitatem reliquit, tamen in alteram adſcriptus eſt ciuitatem, nempe Dei: & digreſſus ab hac Eccleſia, ad illam peruenit, quæ eſt primogenitorum deſcriptorum in cælis: ac relictis hiſce feſtis, tranſijt ad celebritatem Angelorum.

Sermo Sancti Ephræm Syri. *Encomio in ſanctum Baſilium tom. 3.* B.P.

Lectio vi.

SApiens hic & fidelis N. vere greſſus eſt virtutum, liber laudum, vita miraculorum, qui in carne gradiens, ſpiritu incedebat: communemque cum alijs in terra vitam degens, ſuperna contemplabatur: beryllium plectrum myſticæ citharæ regionem ſanctorum Angelorum oblectans, certus agnus matricis, vitæ, Spiritus ſancti agrum ac hortum illuſtrans: deſiderio atque amore exultans, ac florem ex ima radice pretioſiſſimæ Crucis decerpens. Membrana pulchra diuinæ ſapientiæ, quæ de cælo diuinas elementorum impreſſiones accepit.

Lectio vij.

O Fidelis N. velut Abel acceptus es, & ſicut Noe ſaluatus, tamquam Abraham amicus Dei vocatus, vt Iſaac pro victima Deo oblatus: inſtar Iacob, tentationes fortiter pertuliſti, & ſicut Ioſeph magnifice glorificatus es: vt Moyſes, Pharaonē poſteriorem virga Crucis demerſiſti, mare paſſionum ſecans: vt Ieſus filius Naue, inimicos in fugam vertiſti: vt Phinees æmulator, gratia dignus habitus: vt Eſaias, ſpiritali igne mundatus.

Ex Libro Moralium S. Gregorij Papæ. *Lib. 10. c. 16. in c. 12. Iob.* Lect. viij.

DEridetur iuſti ſimplicitas! Sapientia iuſtorum eſt nil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera vt ſunt diligere, falſa deuitare: bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quàm facere: nullam iniuriæ vltionem quærere, pro verita-

te contumeliam lucrum putare. Sed hæc iuſtorum ſimplicitas deridetur: quia ab huius mundi ſapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim quod innocenter agitur, ab eis proculdubio ſtatutum putatur.

Idem lib. 10. cap. 17. poſt initium. in cap. 12. Iob. Lectio ix.

ELectus quiſque ante occulti iudicis oculos virtutibus emicat, vitæ meritis coruſcat: honorari metuit, deſpici non refugit, corpus continentia afficit, ſola in animo dilectione pingueſcit, mentem ſemper ad patientiam præparat, & erectus pro iuſtitia de perceptis contumelijs exultat: afflictis ex corde compatitur, de bonorũ proſperitatibus quaſi de proprijs lætatur: ſacri verbi pabula in mẽte ſollicitus ruminat: & inquiſitus, quodlibet eloqui dupliciter ignorat.

Lectio S. Euangelij ſecundum Lucam. Lectio vij. C. 12.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris; & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando reuertatur à nuptijs. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

Homil. 13. in Euang.

SAncti Euangelij, fratres chariſſimi, aperta vobis eſt lectio recitata: ſed ne aliquibus ipſa eius planities alta fortaſſe videatur eam ſub breuitate tranſcurrimus: quatenus eius expoſitio ita neſcientibus fiat cognita, vt tamen ſcientibus non ſit oneroſa. Lumborum nomine luxuria deſignatur, cum Dominus dicit: Sint lumbi veſtri præcincti. Lumbos enim præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus.

Lectio viij.

SEd quia minus eſt mala non agere, niſi etiam quiſque ſtudeat & bonis operibus inſudare, protinus additur: Et lucernæ ardentes in manibus veſtris. Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis noſtris lucis exempla demonſtramus. De quibus profecto operibus Dominus dicit: Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.

Lectio ix.

DVo autem ſunt quæ iubentur, & lumbos reſtringere, & lucernas tenere: vt & munditia ſit caſtitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione. Redemptori etenim noſtro vnum ſine altero placere nequaquam poteſt: ſi aut is qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deſerit, aut is qui caſtitate præeminet, necdum ſe per bona opera exercet. Nec caſtitas ergo magna eſt ſine bono opere, nec opus bonum eſt aliquid ſine caſtitate.

Lectio S. Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 5.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Vos eſtis ſal terræ; quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur. Et reliqua.

Ho-

Digitized by Google

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.
Lib. 1. de Serm. Domini in monte. cap. 6. Tom. 4.

OStendit Dominus fatuos eſſe, iudicandos, qui temporalium bonorum vel copiam ſectantes, vel inopiam metuentes, amittunt æterna, quæ nec dari poſſunt ab hominibus, nec auferri. Itaque ſi ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? Id eſt, ſi vos, per quos condiendi ſunt quodammodo populi, metu perſecutionum temporalium amiſeritis regna cælorum: qui erunt homines, per quos à vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat ceterorum?

Lectio viij.

ERgo ad nihilum valet ſal in fatuatum, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Non itaque calcatur ab hominibus qui patitur perſecutionem: ſed qui perſecutionem timendo infatuatur. Calcari enim nõ poteſt, niſi inferior: ſed inferior non eſt, qui quãuis corpore multa in terra ſuſtineat, corde tamẽ fixus in cælo eſt.

Lectio ix.

VOs eſtis lumen mundi. Quomodo ſuperius dixit ſal terræ, ſic nunc dicit lumen mundi. Nam neque ſuperius iſta terra accipienda eſt, quã pedibus corporeis calcamus: ſed homines qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condiendis & extinguendis putoribus Apoſtolicum ſalem Dominus miſit in mundum: & hic mundum, non cælum & terram, ſed homines, qui ſunt in mundo, vel diligũt mundũ, oportet intelligi, quibus illuminandis Apoſtoli miſſi ſunt.

IN FESTO VNIVS Virginis, & Martyris legantur ſequentes Lectiones.

Ex Libro S. Ambroſij Epiſcopi de Virginibus. Lectio iv. *Lib. 1.*

HOdie natalis eſt virginis: integritatem ſequamur: natalis eſt martyris, hoſtias immolemus. Mirentur viri, non deſperent paruuli: ſtupeant nuptæ, imitentur innuptæ. Sed quid dignũm ea loqui poſſumus, cuius ne nomen quidem eſt vacuum laudis? Fuit virtus ſupra naturam. Nomẽ virginis, titulus eſt pudoris. Appellabo martyrem: prædicaui ſatis.

Lectio v.

HAec inter cruentas carnificum impauida manus, hæc ſtridentium grauibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori parata, vel ſi ad aras inuita raperetur, tendere Chriſto inter ignes manus, atque in ipſis ſacrilegis focis trophæũ Domini ſignare victoris, nunc ferratis colla manuſque ambas inſerere nexibus.

Lectio vj.

NOn ſic ad thalamum nupta properaret, vt ad ſupplicij locum, læta ſucceſſu, gradu feſtina virgo proceſſit. Flere omnes, ipſa ſine fletu. Mirati plerique, quod tam facile vitæ ſuæ prodiga. Quanto terrore egit carnifex vt timeretur, quantis blandicijs vt ſuaderet! At illa: Qui me ſibi, inquit, prior elegit, accipiet. Ha-

betis igitur in vna hoſtia duplex martyrium, pudoris & religionis. Et virgo permanſit, & martyrium obtinuit.

Sermo ſancti Maximi Epiſcopi.

Homilia de S. Agnete.

Lectio vij.

CVm in toto mundo virgineus flos Mariæ immarceſcibiles coronas innectat, & ſeptrigeram pudoris aulam immaculato conſeruet affectu, eo vſque integritas perſeuerauit ad palmam, vt in virginibus trophæum ſanctitatis arriperet, & per veſtigia matris Virginis ad cæleſtem thalamum perueniret. O quàm imitabile virginibus, Virgo, tui amoris tradidiſti exemplum, contemnendo mundi diuitias, execrando carnis concupiſcẽtias, & ſolum Chriſti pulchritudinem adamando?

Lectio viij.

BEatiſſima hæc Virgo magnum de ſe pudicitiæ excitauit exemplum, cum virginitatem prætulit vitæ: trophæum Crucis Chriſti arripuit, & tam contra libidines, quàm etiam contra ſupplicia vniuerſa, fide potius armata quàm ferro, fortiter dimicauit & vicit. Neſcit amare aliquid quod tranſit: & dum nimis virginitatem diligit, nec ludibria, nec flammas, nec ſupplicia, nec carnifices metuit: poſtremo nec gladium furentis perſecutoris expauit.

Lectio ix.

VEni iam Virgo ad thalamum, quem quæſiſti, vt ſponſam te virginitas immaculata comprobet Chriſti, & martyrem confeſſio probata conſignet. Felix caterua virginum, quibus ſtudium eſt tuæ ſequi confeſſionis veſtigia. Itaque o ſplendida Chriſto, pulchra Dei Filio, & omnibus Angelis & Archangelis grata, vt noſtri meminiſſe digneris, quibus poſſumus precibus exoramus, vt nobis ille tribuat peccatorum indulgentiam, qui tibi tuorum omnium laborum tradidit palmam.

IN FESTO VNIVS Virginis non Martyris legantur Lectiones infraſcriptæ.

Sermo ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Libro de Virginitate.

Lectio iv.

IN feſto Virginis prædicanda eſt virginitas. Hoc in iſto ſermone ſuſcepimus. Adiuuet ad hoc Chriſtus Virginis Filius, & virginum Sponſus: virginali vtero corporaliter natus, virginali connubio ſpiritualiter coniugatus. Cum igitur vniuerſa Eccleſia virgo ſit, ſicut dicit Apoſtolus, quanto digna ſunt honore membra quæ hæc cuſtodiunt in carne, quæ ipſa tota cuſtodit in fide? Nulla ergo fecunditas carnis ſanctæ virginitati etiam carnis comparari poteſt.

Lectio v.

ILla autem Virgo, coniugatæ merito præponitur, quæ nec multitudini ſe amandam proponit, ſed Speciosum forma præ filijs hominum ſic amauit: vt quia eum ſicut Maria concipere carne non poſſet, ei corde concepto carnem etiam integrã cuſtodiret. Cedat virginitati omnis fecunditas carnis: omnis pudicitia coniugalis.

Illa

Illa non eſt in poteſtate: illa non eſt in æternitate. Fecunditatem carnalem non habet liberum arbitrium: pudicitiam coniugalem non habet cælum.

Lectio vj.

PRofectò habet virginitas magnũ aliquid præter ceteros in illa cõmuni immortalitate, quæ habet aliquid iam non carnis in carne. Cum enim dixiſſet Dominus de ſpadonibus: Dabo eis in domo mea locũ nominatum multo meliorem, quàm filiorum, atque filiarũ, continuo ſubiecit: Nomen æternum dabo eis: quod vtique gloriam quandam propriã excellentemq. ſignificat.

Lectio vij.

PErgite ergo ſancti pueri Dei ac puellæ, mares ac feminæ, cælibes & innuptæ, pergite perſeuerantes in finem. Laudate dulcius, quem cogitatis vberius: ſperate felicius, cui ſeruitis inſtantius: amate ardentius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis, & lucernis accenſis expectate Dominum Virgines quando veniat: afferatis ad nuptias Agni canticum nouum, quale nemo potuit dicere, niſi duodena millia ſanctorum citharœdorum illibatæ virginitatis.

Lectio viij.

ET quia ſequi Agnum quocumque ierit, ſcripſit de vobis Ioannes, quò ire putamus hunc Agnum? Quò nemo eum ſequi debeat vel audeat niſi vos, niſi de Chriſto, in Chriſtum, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtũ. Sequimini Virgines Agnũ quocumque ierit: ſed ad humilẽ humiliter venite, ne cadatis. Qui enim timet cadere, rogat & dicit: Non veniat mihi pes ſuperbiæ. Pergite ergo viam ſublimitatis pede humilitatis.

Sermo S. Cypriani Epiſcopi.

Lib. de diſciplina & habitu Virginum.

Lectio ix.

VIrginitas flos eſt Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamẽtum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum, atq. incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Eccleſiæ matris glorioſa fecunditas: quantoq. plus copioſa virginitas numero ſuo addit, tanto gaudium matris augeſcit. Denique quod futuri ſumus, vos Virgines iam eſſe cœpiſtis: gloriam reſurrectionis in hoc ſæculo iam tenetis, dum per ſæculum ſine ſæculi contagione tranſitis.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C. 13.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro: quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregorij Papæ.

Homil. 12. in Euang.

CAelorum regnum, fratres chariſſimi, idcirco terrenis rebus ſimile dicitur, vt ex his quæ animus nouit, ſurgat ad incognita quæ non nouit:

uit: quatenus exemplo viſibilium ſe ad inuiſibilia rapiat, & per ea quæ vſu didicit, quaſi confricatus incaleſcat, vt per hoc quod ſcit notum diligere, diſcat & incognita amare. Ecce enim regnum cælorum theſauro abſcondito in agro comparatur. Qua in re notandum eſt, quòd inuentus theſaurus abſconditur, vt ſeruetur: quia ſtudium cæleſtis deſiderij à malignis ſpiritibus cuſtodire non ſufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abſcondit. In præſenti etenim vita quaſi in via ſumus, qua ad patriam pergimus: maligni autem ſpiritus iter noſtrum quaſi quidam latrunculi obſident.

Lectio viij.

DEprædati ergo deſiderat, qui theſaurum publice portat in via. Hoc autem dico, non vt proximi opera noſtra bona non videant: ſed vt ſic ſit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto. Rurſum cæleſte regnum negotiatori homini ſimile dicitur, qui bonas margaritas quærit, ſed vnam pretioſam inuenit, quam videlicet inuentam, omnia vendens emit: quia qui cæleſtis vitæ dulcedinem, in quantum poſſibilitas admittit, perfecte cognouerit, ea quæ in terrenis amauerat, libenter cuncta derelinquit.

Lectio ix.

REcte per Salomonem dicitur: Fortis eſt vt mors dilectio: quia ſicut mors corpus interimit, ſic ab amore rerum corporalium æternæ vitæ charitas occidit. Nam quem perfecte abſorbuerit, ad terrena foris deſideria velut inſenſibilem reddit. Nec enim Sancta hæc cuius hodie natalitia celebramus, mori pro Domino potuiſſet in corpore, ſi prius à terrenis deſiderijs mortua non fuiſſet in mente. Erectus namque in virtutis culmine animus tormenta deſpexit, præmia calcauit. Quid inter hæc nos barbari, & debiles dicimus, qui ire ad regna cæleſtia puellas per ferrum videmus? Quos ira ſuperat, ſuperbia inflat, ambitio perturbat, luxuria inquinat. Qui ſi adipiſci regna cælorum per bella perſecutionũ non poſſumus, hoc ipſum nobis turpe ſit, quòd Deum nolumus ſaltem per pacem ſequi.

Lectio ſancti Euangelij ſecundum Matthæum. Lectio vij. C.25.

IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ. Et reliqua.

Homilia S. Gregorij Papæ.

Homil. 12. in Euang.

SAepe vos, fratres chariſſimi, admoneo praua opera fugere mundi huius inquinamenta deuitare: ſed hodierna ſancti Euangelij lectione compellor dicere, vt & bona quæ agitis, cum magna cautela teneatis, ne per hoc quod à vobis recte geritur, fauor aut gratia humana requiratur, ne appetitus laudis ſubrepat, & quod foris oſtenditur, intus à mercede vacuetur.

Lectio viij.

ECce enim Redemptoris voce, decem virgines, & omnes dicuntur virgines, & tamen intra beatitudinis ianuam nō omnes receptæ ſunt: quia earum quædam dum de virginitate ſua gloriam foris expetunt, in vaſis ſuis oleum habere noluerunt. Sed ſciendum nobis eſt, quòd ſæpe in ſacro eloquio regnum cælorum præſentis temporis Eccleſia dicitur, quæ quia ex vtroque ſexu fidelium colligitur, decem virginibus ſimilis eſſe denunciatur. In qua quia mali cum bonis, & reprobi cum electis admixti ſunt, rectè ſimilis virginibus prudentibus & fatuis eſſe perhibetur.

Lectio ix.

SVnt namque plerique continentes, qui ab exteriori ſe appetitu cuſtodiunt, & ſpe ad interiora rapiuntur, carnem macerant, & toto deſiderio ad ſupernam patriam anhelant; æterna præmia expetunt, pro laboribus ſuis recipere humanas laudes nolunt. Hi nimirùm gloriam ſuam non in ore hominum ponunt, ſed intra conſcientiam contegunt. Et ſunt plerique, qui corpus per abſtinentiam affligunt, ſed de ipſa ſua abſtinentia humanos fauores expetunt.

IN FESTO VNIVS mulieris Viduæ.

Ex Libro ſancti Ambroſij Epiſcopi de Viduis. Lectio iv.

AGrum hunc Eccleſiæ fertilem cerno, nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis grauitate pollentem, nunc etiam coniugij fructibus redundantem. Nam etſi diuerſi, vnius tamen agri fructus ſunt: nec tanta hortorum lilia, quantæ ariſtæ ſegetum, meſſium ſpicæ: compluraque ſpatia camporum recipiendis aptantur ſeminibus, quàm redditis nouales fructibus feriantur. Bona ergo viduitas, quæ toties Apoſtolico iudicio prædicatur: hæc enim magiſtra fidei, magiſtra eſt caſtitatis. Tu autem.

Lectio v.

VNde & illi, qui deorum ſuorum adulteria & probra venerantur, cælibatus & viduitatis ſtatuere pœnas, vt æmuli criminum mulctarent ſtudia virtutum, ſpecie quidem, qua fecunditatem quærerent, ſed ſtudio, quo propoſitum caſtitatis abolerent. Nam confectis & miles ſtipendijs arma deponit, & relicto officio quod gerebat, ad propria veteranus rura dimittitur, vt & ipſe exercitæ laboribus vitæ requiem conſequatur, & alios ſpes futuræ quietis ſubeundis faciat operibus promptiores. Agricola quoque maturior torquendam alijs ſtiuam committit, & iuuenili grauatus opere, prouidentiam curæ ſenilis explorat. Lectio vj.

VItem facilius tondere, quàm premere, vt iuueneſcentem luxuriam reprimat, & adoleſcentem laſciuiam falce ſuccidat: parcorū quandam partuum caſtitatem docens etiā in vitibus expetendam. Similis huic vidua velut emeritis veterana ſtipendijs caſtitatis, etſi coniugij arma depo

nat,

nat, domus tamen totius pacem gubernat:& ſi vehendis oneribus otioſa, maritandis tamen iunioribus prouida, vbi cultus vtilior, vbi fructus vberior ſit, quorum copulam aptiorem ſenili grauitate diſponit.

Homilia in Euãgelium. Simile eſt regnum cælorum theſauro. vt in Communi virginum. 916.

Sic tamen vt legantur duæ tantum priores Lectiones in tres diuiſæ. In Feſto cuiuſcumq. Sancti trium Lection. quod non habet aliquã Lectionẽ propriam, legantur ij. Lection. ordinariæ de ſacra Scriptura, & vna de Sermonibus ſuprapoſitis in ſuo Communi.

OFFICIVM B. MARIAE IN SABBATIS.

In omnibus Sabbatis totius Anni, præterquam in Quadrageſ. & Ieiunijs Quatuor Temporum, & in Oct. & infra Oct. tam de Tempore, quàm de Sanctis, de quibus fit totum Officium, & Feſtis Simplicibus, & ſupra, & Vigilijs Sanctorũ quæ habent Miſſas proprias, & quando Hiſtoria, vel Homil. Dominicalis dici non poſſet alio die, niſi in Sabbato, fiat Offic. de B. Virg. In Sabbatis Aduen. vſque ad Natiuit. Domini, ſic fiat Officium. Feria ſexta ad Veſp. Antipho. & Pſalmi Feriales.

Capitulum. *Eccl. 25.*

Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris. Hymn. Aue maris ſtella. 620. ℣. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Virgo virginũ quomodo fiet iſtud? quia nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem. Filiæ Ieruſalem quid me admiramini? diuinum eſt myſterium hoc quod cernitis.

Oratio.

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis vtero, Verbum tuum, Angelo nunciante, carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis, vt qui vere eam Genitricem Dei credimus, eius apud te interceſſionibus adiuuemur. Per eundem Dominum.

Ad Completor. ſuper Pſalm. Antiph. Virgo Maria, non eſt tibi ſimilis nata in mundo inter mulieres: florens vt roſa, fragrans ſicut lilium: ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.

Ad Nunc dimittis, Antiphona. Sub tuum præſidium confugimus Sancta Dei Genitrix: noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo benedicta. Oratio. Viſita, quæſumus. Ad Matut. Inuitator. Aue Maria gratia plena, Dominus tecum. Hymnus. Quem terra. 621. Super Pſ. Antiph. Paradiſi porta per Euam cunctis clauſa eſt: & per Mariam Virginem iterum patefacta eſt. Pſalm. Domine Dominus. cum ceteris ſicut in feſtis eiuſdem ℣. Specioſa facta es & ſuauis. ℟. In deliciis tuis ſancta Dei Genitrix. Prima, & ſecunda Lect. erit de Hiſtoria currente ſacræ Scripturæ pro tali die cum duobus ſequẽtibus Reſponſoriis. Tertia Lect. de his quæ ſignantur infra.

℟. i.

Digitized by Google

℟. j. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, Nardus mea dedit odorem ſuum. ℣. Pulchra ſum, & decora, filiæ Ieruſalem. Nardus mea. ℟. ij. Aue Maria gratia plena, Dominus tecum. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Dominus tecum. ℟. iij. Virgo parens Chriſti paritura Deum genuiſti: Fulgida ſtella maris nos protege, nos tuearis: Dum paris, & gaudes, Cantant cæli agmina laudes. ℣. Intercede pia pro nobis Virgo Maria. Dum paris. Gloria Patri. Cantant cæli. Te Deum. ſemper dicatur præterquam infra Septuageſimam. ℣. Ora pro nobis. In Laudibus, Antiphona. Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti: Dei Genitrix intercede pro nobis. Pſalmus. Dominus regnauit. cum cæteris. Capitulum. Sicut cinnamomum. Hymnus. O glorioſa Domina. 625. ℣. Elegit eam Deus. Ad Benedictus, Antiphona. Spiritus ſanctus in te deſcendet Maria, ne timeas, habebis in vtero Filium Dei, alleluia. Oratio. Deus, qui de Beatæ. Hæc oratio dicatur ad iij. vj. & ix. Ad j. Antiph. Dignare me laudare te virgo ſacrata: da mihi virtutē contra hoſtes tuos. ℟. Ieſu Chriſte. ℣. Qui natus es de virgine Maria. Ad iij. Antipho. Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo. Capit. Sicut cinnamomum. ℟. Sancta Maria Mater Chriſti, Audi rogantes ſeruulos. Sancta. ℣. Et impetratam nobis cælitus tu defer indulgentiam. Audi. Gloria. Sancta. ℣. Ora. Ad Sextam, Añа. In prole mater, in partu virgo, gaude, & lætare Virgo Mater Domini.

Capitulum. *Eccl.* 24.

ET radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea. ℟. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix. Ora. ℣. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Sancta. Gloria. Ora. ℣. Elegit. Ad ix. Aña. Beata mater, & intacta Virgo, glorioſa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

Capitulum. *Eccl.* 24.

QVaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi cypreſſus in monte Sion. Quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Iericho. ℟. Elegit eam Deus, Et prælegit eam. Elegit. ℣. Et habitare eam facit in tabernaculo ſuo. Et. Gloria. Elegit. ℣. Sancta Dei Genitrix Virgo sēper Maria &c. Dicta ix. terminatur Officium. Ab Octau. Epiphaniæ, vſque ad Purificationem in Sabbatis fiat Officium prædicto modo, excepto quod ad Magnificat dicitur Antiphona. O admirabile commercium, creator generis humani, animatum corpus ſumens, de Virgine naſci dignatus eſt: & procedens homo ſine ſemine largitus eſt nobis ſuam Deitatem!

Oratio.

DEus, qui ſalutis æternæ Beatæ Mariæ virginitate fecunda huma-

humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, vt ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quã merui mus auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Quando autem prædicta Oratio di citur ad Memor. & ſequitur alia Memoria, terminetur ſic. ſuſcipere Chriſtum Dominum noſtrum. Ad Benedictus, Aña. Genuit puerpera Regem, cui nomen æternum: & gaudia matris habens, cum virginitatis honore, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, alleluia. Oratio. Deus, qui ſalutis. A Purificatione vſque ad Aduent. (præterquam in Tempore Paſchali) fiat Officium prædicto modo: excepto quòd ad Magnificat, dicatur Aña. Alma Redemptoris Mater, quæ peruia cæli Porta manes, & ſtella maris, ſuccurre cadenti, Surgere qui curat populo: tu quæ genuiſti, Natura mirante tuum ſãctum Genitorem, Virgo prius ac poſterius, Gabrielis ab ore Sumens illud Aue, peccatorum miſerere.

Ad Benedictus, Antiphona.

Aue ſtella matutina, peccatorum medicina: mundi princeps, & regina, ſola virgo digna dici, contra tela inimici clipeum pone ſalutis, tuæ titulum virtutis: ò ſponſa Dei electa, eſto nobis via recta ad æterna gaudia.

Oratio.

Concede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis, & corporis ſalute gaudere: & glorioſa Beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum. In tempore Paſchali, fiat Officium totum modo ſupradicto, excepto quod Ad Magnificat dicitur Aña. Regina cæli lætare, alleluia: quia quem meruiſti portare, alleluia: reſurrexit ſicut dixit, alleluia: ora pro nobis Deum, alleluia. Tempore Aſcenſ. dicitur iam aſcendit. Oratio. Cõcede.

Ad Benedictus, Antiphona.

Beata Dei Genitrix Maria, virgo perpetua, templum Domini, ſacrarium Spiritus ſancti, tu ſola ſine exemplo placuiſti Domino noſtro Ieſu Chriſto: ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo ſexu, alleluia, alleluia. Inſuper poſt Inuit. & omnes Añas. & ℣ ℣. ℟ ℟. Alleluia. dicatur: & ſemper dicantur in Noct. tantum tres primi Pſalmi de B. Virgine. Pro tertia Lectione dicatur per vnumquemque menſem vna ex his ordine notatis.

Eua enim. 805.
Exultat Maria. 808.
Nouum fecit Dominus. 810.
Magnum reuera miraculum. 810.
Euæ datum eſt. 810.
Altius intueamini. 815.
Totis ergo. 816.
Pura ſi quidem humanitas. 816.
Tempus loquendi. 785.
Inueniſti, ait. 816.
De reliquo. 816.
Sancta Maria. 860.

Quando prædictum Officium fit in Sabbatis, dicatur Canticum Graduum

duum hóc modo. Iſti quinque Pſalmi, ſcilicet. Ad Dominum cum. 86. Leuaui. Lætatus ſum. Ad te leuaui. Niſi quia Dominus. dicantur ſub vno Requiem. Deinde Pater noſter. ℣. Et ne nos inducas. ℣. A porta inferi. ℣. Dominus vobiſcum, vel, Domine exaudi orationem meam.

Oratio.

Abſolue quæſumus Domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum: vt in reſurrectionis gloria, inter Sanctos & electos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Chriſtum.

Item alij quinque Pſalmi, ſcilicet, Qui confidunt. 87. In conuertendo. Niſi Dominus. Beati omnes. Sæpe expugnauerunt. dicantur ſinguli cum Gloria Patri. Deinde Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℣. Memor eſto congregationis tuæ. ℟. Quam poſſediſti ab initio. ℣. Dominus vobiſcum.

Oratio.

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram: vt quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſoluat. Per Chriſtum.

Iſti alij quinque Pſal. De profundis. 88. Domine non eſt. Memento. Ecce quàm. Ecce nunc. dicantur ſinguli cum Gloria Patri. Deinde Kyrie eleiſon Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Et ne nos. ℣. Saluos fac ſeruos tuos, & ancillas tuas. ℟. Deus meus ſperantes in te.

℣. Dominus vobiſcum. Oratio.

Prætende Domine famulis & famulabus tuis dexterám cæleſtis auxilij: vt te toto corde perquirant: & quæ digne poſtulant, aſſequantur. Per Chriſtum. Quando vero propter aliquod impedimentum intermittitur Officium B. Mariæ in Sabbatis, fiat de ea Memoria in Veſper. & in Laudibus, præterquam in Sabbato infra Oct. Natiuit. Domini, & in Sabbato Paſchæ, & ſequenti, & in Sabbato ante Feſtum Trinitatis, in Duplicibus, & ſupra, & infra Octau. & in Octau. Solemnibus modo infraſcripto. Per Aduentum Domini in Veſper. Antiphona. O Virgo. ℣. Ora pro nobis. Oratio. Deus, qui de Beatæ. in Laudibus, Aña. Spiritus ſanctus. ℣. Elegit. Oratio vt ſupra. Ab Octaua Epiph. vſque ad Feſtum Purificationis. in Veſp. Antiphona. O admirabile. ℣. Ora pro nobis. Oratio. Deus, qui ſalutis. Ad Bened. Aña. Genuit puerpera. ℣. Elegit eam. Oratio. Deus, qui ſalutis. A Feſto Purificationis vſque ad ramos Palmarum, & à. Deus omnium. vſque ad Aduentum in Veſper. Antiph. Alma Redemptoris. ℣. Ora pro nobis. Oratio. Concede. Ad Benedict. Antiph. Aue ſtella. ℣. Elegit. Oratio. Concede nos famulos. Tempore Paſchali in Veſperis, Antiph. Regina cæli. ℣. Ora pro nobis. Oratio. Concede. In Laudibus, Aña. Beata Dei Genitrix. ℣. Elegit. Oratio vt ſupra. Aña. de Beata Virgine dicenda poſt

Com-

Completorium. Data Benedictione in Completorio dicatur Antiph. Salue Regina mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra, ſalue. Ad te clamamus exules filij Euæ. Ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte. Et Ieſum benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, ò pia, ò dulcis virgo Maria.

Tempore Paſch. Alleluia. Aña. Aue Regina cælorum, aue Domina Angelorum: ſalue radix ſancta, ex qua mundo lux eſt orta: gaude glorioſa ſuper omnes ſpecioſa: vale valde decora, & pro nobis ſemper Chriſtum exora. Tempore Paſchali Alleluia. Poſt Añam. dicatur ℣. Dignare me laudare te Virgo ſacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos. Tempore Paſch. Alleluia. Deinde oratio. Concede nos famulos. terminanda Per Chriſtum. Prædictæ Añæ. dici poterunt alternatim, vel potius prima Feſtis, altera Profeſtis diebus. Poterit deinde addi Antiphona, ℣. & Oratio de Sancto aliquo Ordinis noſtri, vel alio, ſecundum morem Prouinciæ, vel Conuentus.

O F F I C I V M quotidianum Beatæ Virginis.

Ad Veſperas ita inchoetur.

℣. Aue Maria, gratia plena: Dominus tecum. ℟. Benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui. ℣. Deus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Alleluia, infra Septuageſimam. Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ. Super Pſal. Aña. Sancta Dei Genitrix, Virgo ſemper Maria, intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum. Pſal. Dixit Dominus. 75. Laudate pueri. 76. Lætatus. 86. Niſi Dominus. 87. Lauda Ieruſalem. 97.

Capitulum. *Eccl. 24.*

Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris.

Hymnus.

Aue maris ſtella. ℣. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Ad Magnificat, Antiph. Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo ſexu.

Oratio.

Concede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſalute gaudere, & glorioſa beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde fiat Memoria de Beato Patre noſtro Dominico, hoc modo. Aña. Magne Pater Sancte Dominice, mortis hora nos tecum ſuſcipe, & hic ſemper nos pie reſpice.

℣. Os

℣. Os iuſti meditabitur ſapiētiam. ℟. Et lingua eius loquetur iudicium.

Oratio.

DEus, qui Eccleſiam tuam Beati Dominici Confeſſoris tui Patris noſtri illuminare dignatus es meritis & doctrinis: concede, vt eius interceſſione temporalibus non deſtituatur auxilijs, & ſpiritualibus ſemper proficiat incrementis. Per Dominum. Intermittitur autem hæc Mem. in Feria iij. quando de Beato Dominico fit totum Officium, vel eodem die, quando de ipſo fit Memor. Deinde Mem. de Sanctis Ordinis. Antiph. Chriſti pia gratia Sanctos ſublimauit, quos Patris Dominici Ordo propagauit: nos eorum meritis petimus iuuari, atque ſuis precibus Deo commendari ℣. Sapientiam Sanctorum narrent populi. ℟. Et laudem eorum nunciet Eccleſia. Oratio.

COncede, quæſumus omnipotens Deus: vt ad meliorem vitam Sanctorum tuorum Petri, Antonini, Thomæ, Vincenti, Hyacinthi, Raymundi, Catharinæ, & Agnetis exempla nos prouocent: quatenus, quorum memoriam agimus, etiam actus imitemur. Per Chriſtum.

Memoria de omnibus Sanctis. Aña. Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro noſtra, omniumq. ſalute. ℣. Orate pro nobis omnes Sancti Dei. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Oremus. Oratio.

TRibue quæſumus Domine, omnes Sanctos tuos iugiter pro nobis orare: & eos clementer exaudire digneris. Per Chriſtum.

Memoria de pace. Aña. Da pacem Domine in diebus noſtris, quia non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter. ℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundātia in turribus tuis.

Oratio.

DEus, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera: da ſeruis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem: vt & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla. Per Dominū. Dominus vobiſcum, vel, Domine exaudi orationem meam. ℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias. ℣. Aue Maria. vt ſupr. Ad Complet. ℣. Aue Maria. vt ſupra ℣. Conuerte nos Deus. ℟. Et auerte iram. ℣. Deus in adiutorium. vt ſupra. Gloria Patri. Super Pſal. Aña. Virgo Maria non eſt tibi ſimilis. vt ſupra. 918. Pſal. Memento. 87. Ecce quàm bonum. Ecce nunc. Capitulum. *Eccl.* 24.

EGo mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. ℟. Intercede pro nobis ſancta virgo virginum Mater Dei Mater. Intercede. ℣. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Maria. Gloria. Interced. Hymnus. Virgo ſingularis. vt in Feſto Purificationis. ℣. Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti. ℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Ad Nunc dimittis. Antiphona. Sub tuum præſidium confugimus. vt ſu-

Digitized by Google

vt ſupra. 918. Oratio.

CONcede miſericors Deus, fragilitati noſtræ Præſidium: vt qui ſanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercesſionis eius auxilio, à noſtris iniquitatibus reſurgamus. Per eundem. Ad Matutinum. ℣. Aue Maria. ℣. Domine labia mea aperies. ℟. Et os meum. ℣. Deus in adiutoriũ. Gloria &c. vt ſupra. Inuit. Regem Virginis Filium, Venite adoremus. Pſal. Venite exultemus. Hymn. Quem terra. Super Pſal. Aña. Benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui. Pſalm. Domine Dominus noſter. 4. Cæli enarrant. 11. Domini eſt terra. 15. ℣. Diffuſa eſt gratia. ℟. Propterea. Pater noſter. Et ne nos. ℟. Sed libera. Iube domne benedicere. Bñõ. Alma Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

Lectio j.

SAncta Maria virgo virginum, mater & filia Regis regum omnium, tuum nobis impende ſolatium: vt cæleſtis regni per te mereamur habere præmium, & cum electis Dei regnare in perpetuum. Tu autem. ℟. Deo gratias. ℟. Sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam neſcio: Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti. ℣. Benedicta tu in mulieribus: & benedictus fructus ventris tui. Quia. Bñõ. Sancta Dei Genitrix ſic nobis auxiliatrix.

Lectio ij.

SAncta Maria piarum piiſſima, intercede pro nobis ſanctarum ſanctiſſima: per te, virgo, noſtra ſumat precamina, qui pro nobis ex te natus regnat ſuper æthera: vt ſua charitate noſtra deleantur peccamina. Tu autẽ. ℟. Beata es virgo Maria, quæ Dominum portaſti creatorem mundi: Genuiſti eum qui te fecit, & in æternum permanes virgo. ℣. Aue Maria, gratia plena Dominus tecum. Genuiſti. Benedictio. Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria.

Lectio iij.

SAncta Dei Genitrix, quæ digne meruiſti cõcipere, quem totus orbis nequit comprehendere, tuo pio interuentu culpas noſtras ablue: vt perennis ſedem gloriæ, per te redempti valeamus ſcandere, vbi regnas cum eodem Filio tuo ſine tempore. Tu autem. ℟. Felix namque es ſacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima: Quia ex te ortus eſt Sol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter. ℣. Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo ſexu: ſentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam commemorationem. Quia ex te ortus eſt Sol iuſtitiæ, Chriſtus Deus noſter. Gloria Patri. Chriſtus Deus noſter. Te Deum laudamus. & dicatur ſemper quando dicitur in aliis Matutinis. In Laudibus. ℣. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix. ℣. Deus in adiutorium &c. vt ſupra. Super Pſal. Antiph. Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti: Dei Genitrix intercede pro nobis. Pſalm. Dominus regnauit, cum ceteris.

Capi-

Digitized by Google

Capitulum. *Eccl.* 24.

EGo quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honeſtatis. Hymnus. O glorioſa Domina. ℣ Elegit eam Deus. Ad Benedictus, Antiphona. O glorioſa Dei Genitrix Virgo ſemper Maria, quæ Dominum omnium meruiſti portare, & Regem Angelorum ſola Virgo lactare, noſtri quæſumus pia memorare, & pro nobis Chriſtum deprecare: vt tuis fulti patrocinijs, ad cæleſtia regna mereamur peruenire. Oratio. Concede nos famulos tuos. vt ſupra in Veſp. Memoria de Beato Dominico. Benedictus redemptor omnium, qui ſaluti prouidens hominum, muudo dedit ſanctum Dominicum. ℣. Lex Dei eius in corde ipſius. ℟. Et non ſupplantabuntur greſſus eius. Intermittitur vero hæc Memoria in tertia Feria, quando fit de Beato Dominico, aut fit de eo Memoria. Oratio. Deus, qui Eccleſiam. vt ſupra in Veſp. Memoria de Sanctis Ordinis. Antiph. O quàm felix gloria ſemper eſt Sanctorũ, quàm præclara merita ſunt Prædicatorum! quorum verbo, & opere mundus decoratur, eorumque munere mens conſolidatur. ℣ Exultabunt Sancti in gloria. ℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis. Oratio. Concede quæſumus. vt ſupra in Veſper. Memoria de omnibus Sanctis, & de pace, fiat per omnia ſicut ſupra in Veſp. Ad Primam. ℣. Aue Maria. ℣. Deus in adiutorium.

Hymnus.

MEmento ſalutis Auctor,
Quòd noſtri quondã corporis,
Ex illibata Virgine
Naſcendo formam ſumpſeris.
Maria mater gratiæ,
Mater miſericordiæ,
Tu nos ab hoſte protege,
Et hora mortis ſuſcipe.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Super Pſalm. Antiph. Dignare me laudare te Virgo ſacrata: da mihi virtem contra hoſtes tuos. Pſal. Ad Dominum cum tribularer. 86. Leuaui. Lætatus.

Capitulum. *Eccl.* 24.

AB initio, & ante ſæcula creata ſum, & vſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtraui. ℟ Poſt partum Virgo Inuiolata permanſiſti. Poſt. ℣. Dei Genitrix intercede pro nobis. Inuiolata permanſiſti. Gloria Patri. Poſt partum. ℣. Benedicta tu in mulieribus. ℟. Et benedictus fructus ventris tui. Oratio.

GRatiam tuam, quæſumus Domine, mentibus noſtris infunde: vt qui Angelo nunciante Chriſti filij tui incarnationem cognouimus, per paſſionem eius & Crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Dominum noſtrum.

Ad Tertiam. ℣. Aue Maria. ℣. Deus in adiutorium. Hymn. Memento ſalutis Auctor. ſuper Pſ. Aña. Gaude Maria

ria virgo cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo. Pſal. Ad te leuaui. 86. Niſi quia Dominus. Qui confidunt. Capitulum. *Eccl.* 24.

ET ſic in Sion firmata ſum,& in ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui,& in Ieruſalem poteſtas mea. ℟. Sancta Maria mater Chriſti, Audi rogantes ſeruulos. Sancta. ℣. Et impetratam nobis cælitus, tu defer indulgentiam. Audi rogantes. Gloria. Sancta Dei. ℣. Ora pro nobis. Oratio. Concede. Ad Sextam. ℣. Aue Maria. ℣. Deus in adiutorium. Hymnus. Memento ſalutis. Super Pſalm. Antiph. In prole mater, & in partu virgo gaude, & lætare Virgo Mater Domini. Pſal. In conuertendo. 87. Niſi Dominus. Beati omnes.

Capitulum. *Eccl.* 24.

ET radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius,& in plenitudine Sanctorum detentio mea. ℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix. Ora. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. Sancta. Gloria Patri, Ora. ℣. Elegit eam Deus &c, Oratio.

PRotege Dñe famulos tuos ſubſidijs pacis: & beatæ Mariæ ſemper virginis patrocinijs confidentes, à cunctis hoſtibus redde ſecuros. Per.

Ad Nonam. ℣. Aue Maria. ℣. Deus in adiutorium. Hymnus. Memento ſalutis Auctor. Super Pſal. Añã. Beata mater,& intacta Virgo, glorioſa regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum. Pſalm. Sæpe expugnauerunt. 89. De profundis. Domine non eſt exaltatum.

Capitulum. *Eccl.* 24.

QVaſi cedrus exaltata ſunt in Libano,& quaſi cypreſſus in mõte Sion. Quaſi palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio roſæ in Ierichо. ℟. Elegit eam Deus & prælegit eam. Elegit. ℣. Et habitare eam facit in tabernaculo ſuo. Et prælegit. Gloria. Elegit. ℣. Sancta Dei Genitrix virgo ſemper Maria. ℟. Intercede pro nobis ad Dominum Deum noſtrum. Oratio.

FAmulorum tuorum, quæſumus Domine, delictis ignoſce: vt qui tibi placere de actibus noſtris non valemus, Genitricis Filij tui Domini noſtri interceſſione ſaluemur. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum.

Prædicto modo per totum annum fiat Officium quotidianum de Beata Virgine; excepto quod in Aduentu Domini dicitur ad Magnificat, Antiph. O Virgo virginũ quomodo fiet iſtud, quia nec primam ſimilem viſa es, nec habere ſequentem? Filiæ Ieruſalem quid me admiramini? diuinum eſt myſterium hoc, quod cernitis.

Oratio.

DEus, qui de Beatæ Mariæ Virginis vtero, Verbum tuum Angelo nunciante, carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis, vt qui vere eam Genitricem Dei credimus: eius apud te interceſſionibus adiuuemur. Per eundem.

Ad Benedictus, Antiphona.

Spiritus ſanctus in te deſcendet Maria: ne timeas habebis in vtero Filium Dei, alleluia. Oratio. Deus. dicitur etiam ad iij. à Natiu. Domini vſque ad Purificationem. Ad Magnificat, Aña. O admirabile commercium! creator generis humani, animatum corpus ſumens, de Virgine naſci dignatus eſt:& procedens homo ſine ſemine, largitus eſt nobis ſuam Deitatẽ.

Oratio.

Deus, qui ſalutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, vt ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus Auctorem vitæ ſuſcipere, Dominum noſtrum.

Ad Benedictus, Antiphona.

Genuit puerpera Regem, cui nomen æternum, & gaudia matris habens cum virginitatis honore: nec primam ſimilem viſa eſt,nec habere ſequentẽ. Oratio. Deus,qui ſalutis. Hæc Oratio dicitur etiam ad Tertiam In Tempore Reſurrect. Ad Magn. dicitur Antiphona. Regina cæli lætare, alleluia: quia quem meruiſti portare, alleluia: reſurrexit ſicut dixit, alleluia: ora pro nobis Deum, alleluia. In Tempore Aſcenſ. Iam aſcendit ſicut dixit, alleluia. Oratio. Concede nos famulos. Ad Benedictus eiſdem duobus Temp. Antiph. Beata Dei Genitrix Maria virgo perpetua, templum Domini, ſacrarium Spiritus ſancti, tu ſola ſine exemplo placuiſti Domino noſtro Ieſu Chriſto, ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo ſexu, alleluia, alleluia. Oratio. Cõcede nos famulos. Intermittitur autem prædictum Officium in Vigilia Natalis Domini in Matur. & deinceps vſque in craſtinum poſt Oct. Epiphaniæ excluſiue: & in iiij. Feria ante Cœnam Domini in Veſp. & deinceps vſque in ſecundam Feriam poſt Octau. Paſchæ excluſiue. Intermittitur etiam in Feſtis Duplicibus, & Totis Duplicibus in primis Veſperis, & deinceps vſque ad Complet. diei Feſti incluſiue. in omnibus Dominicis diebus per totum annum in Matutinis, & vſque ad Completorium incluſiue. Et ſimiliter infra omnes Octauas, in Octauis Solemnibus, etiam ſi in die aliqua infra ipſas Octauas Officium de ipſis Octauis non fiat: & inſuper quandocumque de ipſa Beata Virgine Officium celebratur. Si qui tamen in ſupradictis temporibus, ex deuotione, & propter indulgentias voluerint illud dicere per ſe, ſubmiſſe dicant.

OFFICIVM B. DOMINICI
Patris noſtri.

In tertijs Ferijs per Annum.

In omnibus iij. Ferijs per totum annum, præterquam in iv. Hebdomad. Aduentus, & deinceps vſque ad Octau. Epiphaniæ incluſiue, & in Quadrageſ. vſque ad Octau. Paſchæ incluſiue. In iij. Feria in Rogationibus, & deinceps vſque ad Octa-

Octauam Corporis Christi incluſiue. Et infra omnes Octa. de quibus fit totum Officium. Et in omnibus Feſtis Simplicibus, & ſupra. Et in Vigilijs, quæ habent proprium Officium vel Miſſam. Et quando Homilia, vel Hiſtoria Dominicalis alio die dici non poſſet, in illa Hebd. fiat Offic. de B. Dominico P. N. hoc modo. Feria ij. in Veſp. Pſalmi & Antiphonæ Feriales. Capit. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ. Hymnus. Gaude mater Eccleſia, Lætam agens memoriam. ℣. Ora pro nobis beate Pater.

Ad Magnificat, Antiphona.

Magne Pater S. Dominice. Oratio.

Deus, qui Eccleſiam tuam B. Dominici confeſſoris tui.

Ad Matutinum, Inuitatorium.

Adſunt Dominici læta. Hymnus. Nouus athleta Domini Collaudetur Dominicus. Super Pſal. Antiphona. Florem pudicitiæ ſeruans illibatum, attigit eximiæ vitæ cælibatum. Pſal. de vno Confeſſore. ℣. Iuſtum deduxit Dominus.

Lectio prima, & ſecunda erunt ordinariæ de ſacra Scriptura pro tali Feria notatæ. Tertia vero erit de inferius poſitis. Reſponſoria dicentur vltimi Noct. Feſti ipſius. Te Deum. niſi infra Septuag. In Laudibus, Aña. Adeſt dies lætitiæ. Capitulum. Quaſi ſtella. Hymnus. Hymnum nouæ lætitiæ. ℣ Iuſtus germinabit. Ad Benedictus, Antiph. Benedictus Redemptor omnium. Oratio Deus, qui Eccleſiam, &c. Horæ dici ſicut in Feſto ipſius, excepto quod Reſponſoria non dicuntur cum Alleluia. extra Tempus Paſchale, Supradicta omnia require in Feſto ipſius 4. Auguſti. Et ita hoc officium ſemper in Nona terminatur. Quando propter aliquod impedimentum intermittitur, fiat de eo Mem. in Veſper. per Antiphonam. Magne Pater. cum ℣. Ora pro nobis. In Laudibus per Antiph. Benedictus Redemptor. cum ℣. Iuſtus germinabit. Niſi in Feſtis Duplicibus, & totis Duplic. & infra Octauas, & in Octauis Solemnibus, & à Vig. Natiuitatis Domini, vſque ad Octauas Epiphaniæ incluſiue, & in die Animarum. In Tempore Paſchali Inuit. Antiph. ℞ ℞. & ℣℣. dicantur cum Alleluia. & dicantur tantum tres Pſal. primi Nocturni. Pro tertia Lectione dicatur per vnumquemque menſem vna ex his ordine notatis.

Sanctiſſimus Pater. 757.
Verum tanti viri. 758.
Peccatis & ærumnis. 758.
Biennio ferme. 768.
Erant aliquando. 767.
Erat in beato. 728.
Rara humilitas. 726.
Tanta autem erga. 729.
Verum cum ſanctiſs. 773.
Cæterum magnus ille. 774.
Sed diuina gloria. 774.

DE OFFICIO CORPORIS Chriſti in v. Ferijs per annum.

In omnibus Quintis Ferijs per totum annum, exceptis temporibus, quæ

quæ in ſuperiori Rubrica de Tertia Feria excepta ſunt, fiat Officium de Chriſti corpore, quod & conformiter ad ea quæ de Officio B. Dominici in Tertia Feria ſupradicta ſunt, celebrabitur, videlicet Feria Quarta in Veſpe tis, Antiph. & Pſalmi Feriales. Capitulum. Dominus Ieſus. Hymn. Pange lingua. ℣. Panem de cælo.

Ad Magnificat, Antiphona. Memoriam. Oratio ſicut in Feſto. In Complet. ad Nunc dimittis, Antiphona. Salua nos. In Matutinis, Inuitatorium, Hymnus, & prima Antiphona cum Pſalmis de Feſto. ℣. Panem cæli. Duæ primæ Lectiones de Hiſtoria ſacræ Scripturæ currente ipſa Feria: Tertia de Sermonibus acci pietur ex ijs qui inferius ſunt poſiti. Reſponſoria de ipſo Feſto Tertij Nocturni. Te Deum laudamus. niſi infra Septuageſimam. In Laudibus, Antiphona. Sapientia. Capitulum. Dominus Ieſus. Hymnus. Verbum ſupernum. Ad Benedictus, Aña. Ego ſum panis viuus. Oratio vt ſupra. Ad horas diei, omnia ſicut in eodem Feſto, excepto quòd Reſponſoria extra Tempus Paſchale non dicentur cum Alleluia. & hoc Officium ſimiliter in Nona terminabitur. Et quando propter impedimentum aliquod intermittitur, nihilominus Memoria fiat de eo in Veſperis per Antiphonā. Memoriam fecit. ℣. Panem de cælo. In Laudibus per Antiph. Ego ſum panis viuus. ℣. Poſuit fines tuos. Niſi in temporibus, vt ſupra de Beato B.P. Patre Dominico. In Tempore Paſchali. Inuitat. Antiphonæ, Reſponſoria, & Verſiculi dicantur cum Alleluia, & dicantur tantum tres Pſalmi primi Noctur. & in fine Hymnorum eiuſdem metri, poſt ℣. Quæſumus Auctor. dicatur ſemper ℣. Gloria tibi Domine, qui natus es. Prouinciæ vero quæ habent Sanctos proprios, de quibus infra Hebdomadam pro more celebrare conſueuerunt, eorum Officijs ſint contentæ, quæ in dictis Quintis Ferijs prætermiſſo hoc de Corpore Chriſti celebrent. Vbi autem infra Hebd. ſolet fieri Officium de alijs Sanctis Ordinis, omnia de Proprio, vel Communi eorundem Feſtorum accipiantur, ſeruato modo, & ordine ſicut ſupra de Beato Dominico dictum eſt. Pro tertia Lect. dicatur per vnumquemque menſem, vna ex his ordine notatis.

Immenſa diuinæ largit. 389.
O pretioſum & admir. 390. lin. 26.
Manducatur itaque. 396.
Conuenit itaque. 393.
Quot nunc dicunt. 395.
Quo non oportet. 396.
Vnicuique fidelium. 397.
In ſacerdote Melchiſedech. 399.
Auctor Sacramentorum. 399.
Quapropter in omnibus. 394.
Quàm multi. 400.
Exponens nobis. 400.

In Feſtis B. Virg. Benedictiones in Matutinis ante Lectiones.

In j. Nocturno Alma Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum. Amen.

Amen. Sancta Dei Genitrix ſit nobis auxiliatrix. Amen. Nos cum Prole pia benedicat Virgo Maria. Amen. [illegible] Nocturno. Ab hoſte maligno eripiat nos Dei Genitrix Virgo. Amē. Ieſus Mariæ filius ſit nobis clemēs, & propitius. Amen. Stella Maria maris ſuccurrat piiſſima nobis. Amē. In iij. Nocturno. Oret voce pia pro nobis Virgo Maria. Amen. Si non fuerit Homilia. In omni tribulatione & anguſtia ſubueniat nobis pia Virgo Maria. Amen. Ad ſocietatem Ciuium ſupernorum perducat nos Regina Angelorum. Amen.

In Sabbato quando de ea fit Officium, dicantur tres vltimæ.

Septem Pſalmi Pœnitentiales.

Aña. Ne reminiſcaris. Pſalm. Domine, ne in furore, ij. 3. Pſal. Beati quorum remiſſæ. 19. Pſal. Domine, ne in furore, ij. 25. Pſal. Miſerere, iij. 33. Pſal. Domine exaudi orationem. j. 65. Pſal. De profundis. 88. Pſal. Domine exaudi orationem. 95.

Aña. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum: neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Pſal. dicendus ante Litanias 67.

Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.

Confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorſum: & erubeſcant qui volunt mihi mala.

Auertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego vero egenus & pauper ſum: Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri & Filio: & Spiritui ſancto: Sicut erat.

INCIPIVNT LITANIAE.

Kyrie eleiſon. ℟. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
℟. Chriſte eleiſon. Chriſte audi nos.
℟. Chriſte audi nos.
Pater de cælis Deus, miſerere nobis.
℟. Pater de cælis &c.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
℟. Fili Redemptor &c.
Spiritus ſancte Deus, miſerere.
℟. Spiritus ſancte &c.
Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis.
℟. Sancta Trinitas &c.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix. ora
Sancta Virgo virginum, ora
Sancte Michael, ora
Sancte Gabriel, ora
Sancte Raphael, ora.
Omnes ſancti Angeli, & Archangeli, orate pro nobis.
Omnes ſancti beatorum ſpirituum ordines, orate.
Sancte Ioannes Baptiſta, ora.
Omnes ſancti Patriarchæ, & Prophetæ,

Digitized by Google

phetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancti Andrea, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Ioannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Marce, ora.
Sancte Luca, ora.
Omnes S. Diſcipuli Domini, orate.
Omnes ſancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Corneli, ora.
Sancte Cypriane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Dionyſij cum ſocijs tuis, ora pro nobis.
Sancte Mauriti cum ſocij tuis, ora pro nobis.
Sancte Iannari cum ſocijs tuis, ora pro nobis.
Sancti Fabiane & Sebaſtiane, orate pro nobis.
Sancti Coſma & Damiane, orate.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Petre, ora.
Omnes ſancti martyres, orate.
Sancte Silueſter, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambroſi, ora.
Sancte Auguſtine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Hilari, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Sancte Antonine, ora.
Sancte Pater Dominice, ora.
Sancte Pater Dominice, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Hyacinthe, ora.
Sancte Raymunde, ora.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes ſancti Confeſſores, orate.
Sancta Anna, ora.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Martha, ora.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Perpetua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Margarita, ora.
Sancta Vrſula cum ſodalibus tuis, ora pro nobis.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Agnes, ora.
Omnes ſanctæ Virgines, orate.
Omnes Sancti, orate.
Propitius eſto, parce nobis Domine.
℞. Propitius eſto &c.

Adam-

A damnatione perpetua, libera nos Domine.
A ſubitanea, & improuiſa morte, libera nos Domine.
Ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis, libera.
Ab infeſtationibus dæmonum, libera nos Domine,
Ab omni immunditia mentis, & corporis, libera.
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera.
Ab immundis cogitationibus, libera nos Domine.
A cæcitate cordis, libera.
A fulgure, & tempeſtate, libera.
A peſte, fame, & bello, libera.
Ab omni malo, libera.
Per myſterium ſanctæ incarnationis tuæ, libera.
Per paſſionem, & Crucem tuam, libera nos Domine.
Per glorioſam reſurrectionem tuam, libera nos Domine.
Per admirabilem aſcenſionem tuam, libera nos Domine.
Per gratiam ſancti Spiritus paracliti, libera nos Domine.
In die iudicij, libera.
Peccatores, te rogamus audi nos.
R. Peccatores, te rog.
Vt pacem nobis dones, te rog.
Vt miſericordia, & pietas tua nos cuſtodiat, te rog.
Vt Eccleſiam tuam regere, ac defenſare digneris, te rog.
Vt Domnum Apoſtolicum, & omnes gradus Eccleſiæ, in ſancta religione conſeruare digneris, te rog.
Vt Epiſcopos, & Prælatos noſtros, & cunctas congregationes illis commiſſas, in tuo ſancto ſeruitio conſeruare digneris, te rog.
Vt regibus, & principibus noſtris pacem, & veram concordiam, atque victoriam donare digneris, te rog.
Vt cunctum populum Chriſtianum pretioſo ſanguine tuo redemptum conſeruare digneris, te rog.
Vt inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris. te rog.
Vt omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas, te rog.
Vt animas noſtras, & parentum noſtrorum ab æterna damnatione eripias, te rog.
Vt fructus terræ dare, & conſeruare digneris, te rog.
Vt oculos miſericordiæ tuæ ſuper nos reducere digneris, te rog.
Vt obſequium ſeruitutis noſtræ rationabile facias, te rog.
Vt mentes noſtras ad cæleſtia deſideria erigas, te rog.
Vt miſerias pauperum, & captiuorũ intueri, & releuare digneris, te rog.
Vt loca noſtra, & omnes habitantes in eis, viſitare, & conſolari digneris, te rog.
Vt ciuitatem iſtam, & omnem populum eius protegere, & conſeruare digneris, te rog.
Vt omnes fideles nauigantes, & itinerantes ad portum ſalutis perducere digneris, te rog.
Vt regularibus diſciplinis nos inſtruere

re digneris, te rog.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam dones, te rogamus audi nos.

Vt nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.

Fili Dei, te rog.

℟. Fili Dei Dei, te rog.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

℟. Agnus Dei &c.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

℟. Agnus Dei &c.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. ℟. Agnus Dei, &c. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ſecreto. ℣. Et ne nos inducas in tentationẽ. ℟. Sed libera nos. ℣. Poſt partum virgo inuiolata permanſiſti. ℟. Dei genitrix. ℣. Ora pro nobis Beate Pater Dominice. ℟. Vt digni efficiamur. ℣. Sapientiam Sanctorum narrent populi. ℟. Et laudem eorum. ℣. Memor eſto congregationis tuæ. ℟. Quam poſſediſti ab initio. ℣. Saluos fac ſeruos tuos, & ancillas tuas. ℟. Deus meus ſperantes in te. ℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis. ℣. Dominus vobiſcũ. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

PRotege Domine famulos tuos ſubſidijs pacis, & beatæ Mariæ ſemper virginis patrocinijs confidentes, à cunctis hoſtibus redde ſecuros.

Oratio.

COncede quæſumus omnipotens Deus: vt qui peccatorum noſtrorum pondere premimur: beati Dominici confeſſoris tui, Patris noſtri patrocinio ſubleuemur. Oratio.

COncede quæſumus omnipotens Deus: vt ad meliorem vitam ſanctorum tuorum Petri, Antonini, Thomæ, Vincentij, Hyacinthi, Raymundi, Catharinæ, & Agnetis exempla nos prouocent, quatenus, quorum memoriam agimus, etiam actus imitemur. Oratio.

INeffabilem nobis Domine, miſericordiam tuam clementer oſtende: vt ſimul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur eripias. Oratio.

PRætende Domine famulis, & famulabus tuis dexterã cæleſtis auxilij: vt te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, aſſequantur.

Oratio.

ECcleſiæ tuæ, quæſumus Domine, preces placatus admitte: vt deſtructis aduerſitatibus, & erroribus vniuerſis, ſecura tibi ſeruiat libertate.

Oratio.

DEus, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera: da ſeruis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem: vt & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Quandocumque in Matutinis de Feria

ria agitur, etiam in tempore Paſchali, Litaniæ ſero præcedenti poſt Completorium, quamuis ſolẽne fuerit, ſemper dicantur: exceptis tribus diebus Rogationũ, & Feria ſexta ante Vigiliam Pẽtecoſtes, quia die ſequenti cantantur in Miſſa. Et quando poſt Completórium dicuntur, ſtent Fratres genuflexi, niſi in Veſperis factæ fuerint proſtrationes, nam tunc proſtrati eſſe debebũt à principio earum, vſque ad vltimam Orationem incluſiue. Qui autem tunc non fuerint in Choro, ad eas recitandas minimè teneantur.

DE OFFICIO defunctorum.

QValibet Septimana per totum annum, duabus tantum exceptis, Paſchæ videlicet, & Pentecoſtes: omnes & ſinguli, tam in Choro, quàm extra, ſemel in Septimana recitare debent Vigilias pro Defunctis, Veſperas ſcilicet, & Matut. cum nouẽ Lectionibus. Quòd ſi Anniuerſarium quodcumque Ordinis euenerit, vel pro præſenti defuncto, vel qualibet alia cauſa, infra Hebdom. quocumq. die fuerint prædictæ Vigiliæ recitandæ, eædem pro ſupra dictà obligatione ſufficiant, neque Fratres ad alias illa Hebdom. teneantur. In Hebdom. tamen commemorationis omnium Defunctorum 2. Nouembris tenentur Fratres præter Officium Diei Animarum, ad eaſdem Vigilias perſoluendas Et notandum, quòd Anniuerſarium quodlibet eo die quo poſitum eſt in Breuiario, debet celebrari, niſi in illo die euenerit Feria, vel Feſtum habens Miſſam annexam neceſſario, vt ſunt Dominici dies, vel Sanctorum Simplicia, vel maiora Feſta, vel dies Quadrageſimales, aut habentes Miſſam annexam, ex deuotione Ordinis, vt ſunt Fer. iij. de B. Dominico, vel Feria v. de Sacramento, vel Sabbato de B. Virgine: tunc enim Anniuerſ. in Feriam vacantem minoris Solemnitatis transferendum eſt, niſi quando Feria quarta Cinerum venerit 8. Februarij, quia in Sabbato præcedenti Anniuerſar. eſt celebrandum. Quòd ſi omnes Feriæ habeant Miſſas proprias, nihilominus in Miſſa Commemoratio de eo fiat. Et Feriam vacantem hic dicimus, in qua non eſt Feſtum Simplex, vel maius. Veſperæ abſque Pater noſter, abſolutè ita incipiuntur. Antiphona. Placebo Domino in regione viuorum. Pſalm. Dilexi. 77. In fine omnium Pſalmorum, & Canticorum dicitur, Requiem æternam dona eis Domine: & lux perpetua luceat eis. Aña. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Pſalm. Ad Dominum. 86. Aña. Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus. Pſalm. Leuaui. 86. Aña. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Pſalm. De profundis. 88. Aña. Opera manuum tuarum Domine ne deſpicias. Pſal. Confitebor. 92. Immediatè ſequitur Aña ad Magnif. Audiui vocẽ de cælo, dicẽtẽ mihi: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Finita Aña, dicatur Pater

ter noſter. ſecreto. & mox alte. Pſal. Lauda anima mea. 96. Requiem æterna. ℣. A porta inferi, ℟. Erue Domine animas eorum. Dominus vobiſcum.

Orationes vero hoc ordine dicentur. Si fiant vigiliæ pro aliquo Epiſcopo vel Sacerdote dicatur prima Oratio. Deus, qui inter Apoſtolicos. ſi pro quocumque alio viro, Inclina. ſi pro femina, Quæſumus Domine, ſi fit Officium Ordinarium pro fratribus, & familiaribus & benefactoribus, Deus veniæ largitor. & ſecunda erit Deus, quis nos patrem, & matrem. tertia, Fidelium Deus. In omni Anniuerſario, prima, Deus indulgentiarum. ſecunda, Deus veniæ. tertia, Fidelium. Si ſimul eueniat obitus, & Anniuerſarium, dimittatur Oratio, Deus veniæ. & prima dicatur pro præſenti Defuncto, ſecunda de Anniuerſario, tertia non mutetur. Fiant etiam proſtrationes, ſi eo die factæ ſunt in Choro ad Horas Canonicas.

Pro Epiſcopo, vel Sacerdote defuncto. Oratio.

Deus qui inter Apoſtolicos Sacerdotes, famulum tuum Pontificali vel Sacerdotali feciſti dignitate vigere: præſta quæſumus, vt eorum quoque perpetuo aggregetur conſortio. Per Dominum.

Pro Viro defuncto.

Inclina Domine aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur: vt animam famuli tui, quam de hoc ſæculo migrare iuſſiſti, in pacis, ac lucis regione conſtituas: & Sanctorum tuorum iubeas eſſe conſortem. Per Dominum.

Pro Femina defuncta.

Quæſumus Domine pro tua pietate, miſerere animæ famulæ tuæ: & à contagijs mortalitatis exutam, in æternæ ſaluationis partem reſtitue. Per Dominum.

In omni Anniuerſario. Oratio.

Deus indulgentiarum Domine, da animabus famulorum famularumque tuarum, quorum anniuerſarium depoſitionis diem commemoramus, refrigerij ſedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum.

Pro fratribus, familiaribus, benefactoribus defunctis. Oratio.

Deus, veniæ largitor, & humanæ ſalutis auctor, quæſumus clementiam tuam, vt noſtræ cõgregationis fratres, ſorores, familiares, & benefactores qui ex hoc ſæculo tranſierunt, beata Maria ſemper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium peruenire concedas. Per Dominum.

Pro Parentibus defunctis. Oratio.

Deus, qui nos patrem, & matrem honorare præcepiſti: miſerere clementer animabus parentum noſtrorum, eorumque peccata dimitte, noſque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum.

Pro

Pro omnibus fidelibus defunctis. Oratio.

Fidelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam ſemper optauerunt, pijs ſupplicationibus conſequantur. Qui viuis & regnas cum Deo Patre.

In fine vltimæ Orationis non dicatur Dominus vobiſcum nec Benedicamus Domino, ſed tantum. Requieſcant in pace. ℟. Amen. ad Matutin. abſque Pater noſter. & Credo. abſolute incipitur.

IN I. NOCTVRNO.

Aña. Dirige Domine Deus meus in conſpectu tuo viam meam. Pſal. Verba mea. 2. Antiph Conuertere Domine, & eripe animam meam, quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui. Pſal. Domine ne in furore. 3. Aña Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat. Pſalm. Domine Deus meus. 3. ℣. A porta inferi. ℟ Erue Domine animas eorum. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera, &c. ſine Benedictione, & ſine Titulo legantur omnes ſequentes Lectiones.

Lectio j. *Iob 7.*

Parce mihi Domine: nihil enim ſunt dies mei. Quid eſt homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Viſitas eum diluculo, & ſubito probas illum. Vſquequo non parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam ſaliuam meam? Peccaui: quid faciam tibi, ò cuſtos hominum? Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi grauis? Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in puluere dormiam, & ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam. Lectiones terminentur ſine Tu autem. vel alia concluſione. ℟. Credo quòd Redemptor meus viuit: & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & in carne mea videbo Deũ Saluatorem meum. ℣. Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius, & oculi mei conſpecturi ſunt. Saluatorem.

Lectio ij. *Iob 10.*

Taedet animã meam vitæ meæ: dimittam aduerſum me eloquium meum. Loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo: Noli me condemnare. Indica mihi, cur me ita iudices? Numquid bonum tibi videtur, ſi calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & conſiliũ impiorum adiuues? Numquid oculi carnei, tibi ſunt, aut ſicut videt homo, & tu videbis? Nunquid ſicut dies hominis dies tui, & anni tui ſicut humana ſunt tempora, vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum ſcruteris? Et ſcias quia nihil impium fecerim, cum ſit nemo qui de manu tua poſſit eruere. ℟ Qui Lazarum reſuſcitaſti à monumento fœtidum. Tu eis Domine dona requiem, & locum indulgentiæ. ℣ Qui venturus es iudica-

dicare viuos,& mortuos,& ſæculum per ignem. Tu eis Domine.

Lectio iij. *Iob* 10.

MAnus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu,& ſic repente præcipitas me? Memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus, & neruis compegiſti me. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi,& viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum. ℟. Domine, quando veneris iudicare terram,vbi me abſcondam à vultu iræ tuæ? Quia peccaui nimis in vita mea. ℣. Commiſſa mea paueſco, & ante te erubeſco:dum veneris iudicare,noli me condemnare. Quia.

IN II. NOCTVRNO.

Aña. In loco paſcuæ ibi me collocauit. Pſ. Dominus regit me. 15. Aña. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. Pſal. Ad te Domine leuaui. 15.Aña. Credo videre bona Domini in terra viuentium. Pſal. Dominus illuminatio. 16. ℣. In memoria æterna erunt iuſti. ℟. Ab auditione mala non timebunt.

Lectio iv. *Iob* 13.

REſponde mihi: quantas habeo iniquitates & peccata: ſcelera mea,& delicta oſtende mihi. Cur faciem tuam abſcondis,& arbitraris me inimicum tuum? Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam,& ſtipulam ſiccam perſequeris. Scribis enim contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. Poſuiſti in neruo pedem meum, & obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti. Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentũ quod comeditur à tinea. ℟. Hei mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea. Quid faciam miſer? vbi fugiam,niſi ad te Deus meus? Miſerere mei, dum veneris in nouiſſimo die. ℣. Anima mea turbata eſt valde,ſed tu Domine ſuccurre ei. In nouiſſimo die.

Lectio v. *Iob* 14.

HOmo natus de muliere, breui viuens tempore,repletur multis miſerijs. Qui quaſi flos egreditur & conteritur,& fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet. Et dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium? Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es? Breues dies hominis ſunt,numerus menſium eius apud te eſt: conſtituiſti terminos eius,qui præteriri non poterũt. Recede paululum ab eo,vt quieſcat, donec optata veniat, ſicut mercenarij dies eius. ℟. Ne recorderis peccata mea Domine, Dum veneris iudicare ſæculum per ignem. ℣. Dirige Domine Deus meus in conſpectu tuo viam meam. Dum.

Le-

Lectio vj. *Iob* 14.

QVis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putaſne mortuus homo rurſum viuat? Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego reſpondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem greſſus meos dinumeraſti: ſed parce peccatis meis. ℟. Domine ſecundum actum meum noli me iudicare: nihil dignum in conſpectu tuo egi: Ideo deprecor maieſtatem tuam, vt tu Deus deleas iniquitatem meam. ℣. Amplius laua me Domine ab iniuſtitia mea, & à delicto meo mũda me, quia tibi ſoli peccaui. Ideo deprecor.

IN III. NOCTVRNO. Añа. Complaceat tibi Domine, vt eripias me: Domine ad adiuuandum me reſpice. Pſal. Expectans. 26. Añа. Sana Domine animam meam, quia peccaui tibi. Pſal. Beatus qui. 29. Añа. Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini? Pſal. Quemadmodum. 28. ℣. Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi. ℟. Et animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem.

Lectio vij. *Iob* 17.

SPiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, & ſolum mihi ſupereſt ſepulchrum. Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me Domine, & pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rurſum poſt tenebras ſpero lucem. Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtraui lectulum meum. Putredini dixi, Pater meus es: mater mea, & ſoror mea, vermibus. Vbi eſt ergo nunc præſtolatio mea, & patientia mea? Tu es Domine Deus meus. ℟. Peccantem me quotidie, & non me pœnitentem, timor mortis conturbat me: Quia in inferno nulla eſt redemptio, miſerere mei Deus, & ſalua me. ℣. Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua libera me. Quia.

Lectio viij. *Iob* 19.

PElli meæ, conſumptis carnibus, adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos: Miſeremini mei: miſeremini mei, ſaltẽ vos amici mei: quia manus Domini tetigit me. Quare perſequimini me ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini? Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice? Scio enim quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei

Digitized by Google

mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. ℟. Memento mei Deus, quia ventus eſt vita mea, Nec aſpiciet me viſus hominis. ℣. Et non reuertetur oculus meus vt videat bona. Nec aſpiciet.

Lectio ix. *Iob.* 10.

QVare de vulua eduxiſti me? qui vtinam conſumptus eſſem, ne oculus me videret. Fuiſſem quaſi non eſſem, de vtero translatus ad tumulum. Numquid non paucitas dierum meorum finietur breui? Dimitte me ergo, vt plangam paululum dolorem meum: antequam vadam & non reuertar, ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine: terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. ℟. Libera me Domine de morte æterna, in die illa tremenda: Quando cæli mouendi ſunt & terra: Dum veneris iudicare ſæculum per ignem. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis & miſeriæ, dies magna & amara valde. Quando cæli. vſque Dum veneris. excluſiue. ℣. Tremens factus ſum ego, & timeo dum diſcuſſio venerit, atque ventura ira. Dum veneris. ℣. Creator omnium rerum Deus qui me de limo terræ formaſti, & mirabiliter proprio ſanguine redemiſti, corpuſque meum licet modo putreſcat, de ſepulchro facias in die iudicij reſuſcitari: exaudi me, vt animam meam in ſinu Abrahæ patriarchæ tui iubeas collocari. Libera me. vſque ad ℣. excluſiue. Ad Laudes, abſolute incipitur Antiphona. Exultabunt Domino oſſa humiliata. Pſalm. Miſerere. 33. Antiph. Exaudi Domine orationem meam, ad te omnis caro veniet. Pſalm. Te decet. 40. Antiph. Me ſuſcepit dextera tua Domine. Pſalm. Deus Deus. 30. Antiph. A porta inferi erue Domine animas eorum. Cant. Ego dixi. 99. Antiph. Omnis ſpiritus laudet Dominum. Pſ. Laudate. 97. immediate ſequitur. Ad Benedictus, Antiph. Ego ſum reſurrectio, & vita: qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Finita poſt Cantic. Antiph. dicitur Pater noſter. ſecreto. Pſalm. De profundis. 88. Requiem. poſtea ℣℣. & Orationes vt ſupra in Veſperis.

FORMVLA ABSOLVTIONIS

Obſeruanda communiter in Confeſſione ſacramentali.

SI teneris aliquo vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, à quo poſſim te abſoluere, Ego abſoluo te, & reſtituo te ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, communioni, & vnitati fidelium. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

MIſereatur tui omnipotẽs Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, ſaluet, & confirmet in omni opere bono, & perducat te ad vitam æternam. Amen.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus Filius Dei viui per ſuam pijſſimam miſericordiam te abſoluat, & auctoritate ipſius, qua fungor, Ego

abſoluo te ab omnibus peccatis tuis, vt ſis abſolutus hic, & ante tribunal eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti, habeaſque vitam æternam,& viuas in ſæcula ſæculorum. In nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ſancti. ✠ Amen.

PAſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita beatæ Mariæ ſemper Virginis, & B. Dominici P. N. & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris,& intendis facere,aut mala, quæ ſuſtines, & ſuſtinebis, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ: In nomine Patris, & Filij,& Spiritus ſancti. Amen.

IN RECONCILIATIONE, & in caſu mortis repentinæ, vel aliàs imminentis,

SI teneris aliquo vinculo excommunicationis,ſuſpenſionis, & interdicti, à quo poſſim te abſoluere, Ego abſoluo te: In nomine Patris, & Filij,& Spiritus ſancti.Amen.

ITem Ego abſoluo te ab omnibus peccatis tuis: In nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti.Amen.

Tempore Iubilæi, aut ſimilium gratiarum.

SI teneris aliquo vinculo, vel aliquibus vinculis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, à quibus ego poſſim te abſoluere, auctoritate mihi commiſſa, & tibi conceſſa à Sanctiſſimo Dñ. Noſtro Papa, vel ab N. Ego abſoluo te, & reſtituo te ſanctis Sacramentis Eccleſiæ, communioni, & vnitati fidelium: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.

MIſereatur &c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus &c. vt ſupra.

Admonitio.

ET ſi de excommunicatione Confeſſarius ſit certus, & facultatem ſuper ea obtinuerit, poſt præmittenda, dicat ſic. Abſoluo te à vinculo excomunicationis, quam incurriſti propter talem,vel talẽ cauſam &c. Deinde à peccatis abſoluat,vt ſupra.

Forma Abſolutionis generalis,quæ fit in Solemnitatibus magnis & Capitulis. dicto Confiteor Deo, & Miſereatur. ſurgat Prior,& dicat.

SI tenemini aliquo vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, in quantum ſe extendunt gratiæ, & priuilegia Ordini noſtro indulta, mihi commiſſa & vobis conceſſa, Ego abſoluo vos, & reſtituo vos ſacroſanctis Sacramentis Eccleſiæ, cõmunioni, & vnitati fidelium: In nomine Patris,& Filij, & Spiritus ſancti, ✠ Amen.

EAdem auctoritate ego diſpenſo vobiſcum ſuper irregularitate, ſiue irregularitatibus, ſi quã, vel ſi quas contraxiſtis, & habilito vos executioni Ordinum,& Officiorum veſtrorum.

ITem eadem auctoritate abſoluo vos ab omni tranſgreſſionis Regulæ, & Conſtitutionum, & admonitionum Maiorum veſtrorum, & ab omni pœnitentia oblita, & neglecta, & maxime à pœna quæ debetur propter fractio-

fractionē ſilentij inter duo Capitula. Si fuerit Prior Prouincialis, vel eius Vicarius, vel ab eo habuerit ſpecialem commiſſionem, addat.

Et in menſa. Et ab omnibus alijs, de quibus conſueuit fieri abſolutio in conſimilibus Solemniraribus, vel Capitulis, vt ſitis abſoluti hic & ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, habeatisque vitam æternam, & viuatis in ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſtea pœnitentiam iniungat ad libitum ſuum.

Benedictio ad quæcumq. volueris. ℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cũ ſpiritu tuo. Oremus.

BEne ✠ dic Domine creaturam iſtam N. vt ſit remedium ſalutare generi humano, per inuocationem tui ſancti nominis: vt quicumque ea vſi fuerint, corporis ſanitatem, & animæ tutelam accipiant. Per Dominum.

Ceteræ Benedictines in Miſſalibus requirantur.

De Benedictione itinerantium.

FRatres itinerari volentes accipiant benedictionem ab aliquo Sacerdote hoc modo, proſtratis Fratribus in modum veniæ in Choro, vel ante aliquod Altare, vel ante Crucifixum in Capitulo, Sacerdos qui daturus eſt benedictionem, incipiat Pſ. Leuaui oculos meos. 86. & qui aſtant proſequantur eum hoc modo, vt ille Sacerdos qui dat benedictionem, dicat vnum Verſum, & reliqui alium. Dicto autem. Gloria Patri. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ſubiungat Sacerdos prædictus. Et ne nos. ℣. Saluos fac. Dominus vobiſcum. Oremus.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone, vt inter omnes viæ, & vitæ huius varietates, tuo ſemper protegantur auxilio. Per Chriſtum.

Poſtmodum erectos aſpergat aqua benedicta, aliquo de aſtantibus ſibi Aſperſorium deferente. Circa venientes de via idem obſeruetur, hoc excepto, quòd pro eis dicatur Pſal. Ad te leuaui. 86. Oratio.

MIſerere quæſumus Domine famulis tuis, & quidquid in via eius ſubripuit viſus, vel auditus malæ rei, aut otioſi ſermonis, totum tua ineffabili clementia, & meritis beatiſſimæ matris tuæ Mariæ, & Sancti Patris noſtri Dominici, deleas, & abſtergas. Per Dominum.

ITINERARIVM.

In ipſo itineris ingreſſu dicatur.

In viam pacis dirige nos Domine.

Canticum.

BEnedictus Dominus Deus Iſrael. 105. Antiph. In viam pacis & proſperitatis dirigat nos omnipotens & miſericors Dominus: & Angelus Raphael comitetur nobiſcum in via, vt cum pace, ſalute, & gaudio reuertamur ad propria. Antiph. Domine, non ſecundum peccata noſtra facias nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis. Antiph. Do-

mine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Antiph. Adiuua nos Deus Salutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Antiph. Sub tuum præſidium confugimus ſancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo benedicta. Antiph. Angeli, Archangeli, Throni, & Dominationes, Principatus, & Poteſtates, Virtutes cælorum laudate Dominum de cælis, & orate pro nobis. Antiph. Magne Pater ſancte Dominice, mortis hora nos tecum ſuſcipe, & hic ſemper nos pie reſpice. Antiph. Chriſti pia gratia Sanctos ſublimauit, quos Patris Dominici Ordo propagauit, nos eorum meritis petimus iuuari, atque ſuis precibus Deo commendari. Antiph. Sancti Dei omnes intercedere dignemini pro noſtra omniumque ſalute. Antiph. Lux æterna luceat eis Domine, cum Sanctis tuis in æternum, quia pius es. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Benedictus Dominus die quotidie. ℟. Proſperum iter faciat nobis Deus ſalutarium noſtrorum. ℣. Vias tuas Dñe demonſtra nobis. ℟. Et ſemitas tuas edoce nos. ℣. Vtinã dirigantur viæ noſtræ. ℟. Ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. ℣. Erunt praua in directa. ℟. Et aſpera in vias planas. ℣. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. ℟. Et auerte iram tuam à nobis. ℣. Poſt partum Virgo inuiolata permanſiſti. ℟. Dei Genitrix. ℣. Angelis ſuis Deus mandauit de te. ℟. Vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. ℣. Pie Pater Dominice. ℟. Sta coram, &c. ℣. Exultabunt Sancti. ℟. Lætabuntur. ℣. Orate pro nobis omnes Sancti Dei. ℟. Vt digni. ℣. A porta inferi. ℟. Erue. ℣. Domine exaudi, vel Dominus vobiſcum. ℟. Et clamor meus ad te veniat. vel Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Oratio.

Deus, qui filios Iſrael per maris medium ſicco veſtigio ire feciſti, quique tribus Magis iter ad te ſtella duce pãdiſti: tribue nobis quæſumus, iter proſperum, tempuſque tranquillum: vt Angelo tuo ſancto comitante, ad eum quò pergimus locũ, ac demum ad æternæ ſalutis portum peruenire feliciter valeamus.

Deus, qui Abraham puerum tuũ de Vr Chaldæorum eductum per omnes ſuæ peregrinationis vias illæſum cuſtodiſti: quæſumus, vt nos famulos tuos cuſtodire digneris: eſto nobis Domine in procinctu ſuffragiũ, in via ſolatium, in æſtu vmbraculum, in pluuia & frigore tegumentum, in laſſitudine vehiculum, in aduerſitate præſidiũ in lubrico baculus, in naufragio portus: vt te duce, quò tendimus, proſpere perueniamus, & demũ incolumes ad proria redeamus. Oratio.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuo-

tuorum in ſalutis tuæ proſperitate diſpone: vt inter omnes viæ,& vitæ huius varietates,tuo ſemper protegantur auxilio.

DEus, qui nos in tantis periculis conſtitutos, pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere:da nobis ſalutem mentis,& corporis:vt ea quæ pro peccatis noſtris patimur, te adiuuante vincamus. Protege Domine. 933.

DEus, qui miro ordine Angelorum miniſteria hominumque diſpenſas: concede propitius, vt à quibus tibi miniſtrantibus in cælo ſemper aſſiſtitur,ab his in terra vita noſtra muniatur.

COncede quæſumus omnipotens Deus,vt qui peccatorum. 933.

COncede quæſumus omnipotens Deus,vt ad meliorem vitã.933.

TRibue quæſumus Domine, omnes Sanctos tuos iugiter pro nobis orare:& eos clementer exaudire digneris.

ABſolue Domine animas famulorum, famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum: vt in reſurrectionis gloria, inter Sanctos tuos reſuſcitati reſpirent. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum. Qui tecum viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen. ℣. Procedamus in pace. ℟. In nomine Domini.

Oratio poſt iter dicenda.

MIſerere quæſumus Domine famulis tuis. vt ſup. 941.

B. P.

DE ORATIONE FACIENDA in viſitatione infirmorum.

CVm Fratres aliquam perſonam infirmam decumbentem viſitauerint, & aliquam Orationem ſuper eam facere voluerint: poterunt vti forma infraſcripta,videlicet. Primo, intrantes domũ vel cameram infirmi dicant. Pax huic domui. ℟. Et omnibus habitantibus in ea. Et accedentes ad lectulũ infirmi,cũ dulciter ſalutent,ad patientiam hortantes:& aliqua verba ſancta pro ipſius exhortatione,& conſolatione dicentes. Et quia infirmitas corporalis frequentius euenit propter infirmitatem ſpiritualem:hortentur eum,vt ſi cito velit ſanari ab infirmitate,etiam ſi infirmitas non ſit multum grauis,integram & veram confeſſionem faciat de omnibus peccatis ſuis. Poſtmodum alter ex Fratribus, qui maior fuerit, & Sacerdos, dicat: Chariſſime,ſi Dominus vobis præſtare dignabitur ſanitatem, nonne proponitis de cetero pro viribus & à peccatis cauere,& eius mandata ſeruare? Quo promittente,dicat Sacerdos. ℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cælum & terram. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

INtroeat quæſumus Domine Ieſu Chriſte,domum hanc ſub noſtræ humilitatis ingreſſu æterna felicitas, diuina proſperitas, ſerena lætitia, charitas fructuoſa,ſanitas ſempiterna. Effugiat ex hoc loco acceſſus dæmonum,adſint Angeli pacis, domumque

hanc deſerat,& effugiat diſcordia Magnifica Domine ſuper nos nomen ſanctum tuum: bene ✠ dic conuerſationi noſtræ, ſantifica noſtræ humilitatis ingreſſum, qui ſanctus,& pius es, & permanes cum Patre, & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſal. Domine ne in furore. 3. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Sequentia ſancti Euangelii ſecundum Mathæum. ℟. Gloria tibi Domine. Dum Sacerdos dicit. Sequentia ſancti. ſignum Crucis faciat ſuper ſe in fronte,& ſuper pectus,& ſimiliter infirmum, maxime ſi fuerit maſculus: ſi vero femina fuerit, dum Sacerdos ſe ſignat, per ſemetipſam in locis prædictis ſe ſignet. Hoc idem in ſequentibus Euangelijs obſeruetur.

IN illo tempore: Cum introiſſet Ieſus Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum. Et reſpondens Centurio, ait: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites,& dico huic, Vade, & vadit,& alio, Veni, & venit: & ſeruo meo, Fac hoc,& facit. Audiens autem Ieſus, miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente,& Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores; ibi erit fletus & ſtridor dentium. Et dixit Ieſus Centurioni: Vade & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora. Dominus vobiſcum. Oremus.

VIrtutum cæleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem,& omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis: adeſto propitius huic famulo tuo, vt fugatis infirmitatibus & viribus receptis, nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Pſ. Exaudiat te Dominus. 12. Aña. Media vita in morte ſumus: quem quærimus adiutorem niſi te Domine, qui pro peccatis noſtris iuſte iraſceris? Sancte Deus, ſancte fortis, ſancte miſericors Saluator amaræ morti ne tradas nos. ℣. Ne proijcias nos in tempore ſenectutis, cum defecerit virtus noſtra ne derelinquas nos Domine. Sancte Deus. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. ℣. Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum. ℟. Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea. ℣. Poſt partum. ℣. Angelis ſuis. ℣. Ora pro nobis Beate Pater Dominice. ℣. Saluum fac ſeruum tuum. ℟. Deus meus ſperantem in te. ℣. Mitte eis Domine auxilium. ℟. Et de Sion. ℣. Nihil proficiat. ℟. Et filius iniquitatis. ℣. Eſto ei Domine. ℟. A facie. ℣. Domine

Digitized by Google

exaudi. ℣. Dominus vobiſcum.

Oremus. Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, infirmitatem famuli tui propitius reſpice, atque ad protegendum eum dexterā tuæ maieſtatis extende.

Oratio.

Concede hunc famulum tuum, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſalute gaudere: & glorioſa beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione à præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Oratio. Deus, qui miro. 943. Oratio. Concede quæſumus omnipotens Deus, vt qui peccatorum. 933.

Oratio.

Deus, qui facturæ tuæ ſemper pio dominaris affectu: inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum ex aduerſa valetudine corporis laborantem placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, & cæleſtis gratiæ præſta ei medicinam. Per Dominum. Amen.

Completa vltima Oratione, Sacerdos vtramque manum ponat ſuper caput infirmi, & dicat Orationem de B. Vincentio, qua vtebatur Beatus Ludouicus Bertrandus.

Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Ieſus Mariæ filius, mundi ſalus, & Dominus, qui te traxit ad fidem Catholicam, te in ea conſeruet, & beatum faciat, & meritis B. Virginis Mariæ, & B. Dominici Patris noſtri, & B. Vincentij, & omniū Sanctorum te ab hac infirmitate liberare dignetur. Poſtea dicat: Initium ſancti Euangelij ſecundum Ioannem. In principio erat Verbum, & Verbum erat &c. totum dicatur Euangelium Marci Recumbentibus. Poſtea ſubiungat, dicens.

Dominus Ieſus Chriſtus apud te ſit, vt te defendat: intra te ſit, vt te conſeruet: ante te ſit, vt te deducat: poſt te ſit, vt te cuſtodiat: ſuper te ſit, vt te bene ✠ dicat: qui cum Patre, & Spiritu ſancto in vnitate perfecta viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis, Pa ✠ tris, & Fi ✠ lij, & Spiritus ✠ ſancti, deſcendat ſuper te, & maneat ſemper. ℟. Amen.

Prædicta Oratio ſuper infirmo poteſt abbreuiari ad libitum.

COMMENDATIO ANIMAE in tranſitu exiſtentis.

Cvm infirmus morti penitus appropinquauerit, Sacerdos cum ſtola leget Litanias cum Verſibus, & Oratione ſequentibus.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Chriſte audi nos.

Pater de cælis Deus, miſerere ei.

Fili Redemptor mundi Deus, miſerere ei.

Spiritus ſancte Deus, miſerere ei.

Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere ei.

Sancta Maria, ora pro eo.

Sancta Dei genitrix, ora.

Sancta Virgo virginum, ora.

Sancte Michael, ora.

Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes ſancti Angeli, & Archangeli, orate pro eo.
Omnes ſancti beatorum Spirituum ordines, orate.
Sancte Ioannes Baptiſta, ora.
Omnes ſancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Ioannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thadæe, ora.
Sancte Matthia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Marce, ora.
Sancte Luca, ora.
Omnes ſancti Diſcipuli Domini, orate pro eo.
Omnes ſancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Corneli, ora.
Sancte Cypriane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Dionyſi cum ſocijs tuis, ora pro eo.
Sancte Mauriti cum ſocijs tuis, ora pro eo.
Sancte Ianuari cum ſocijs tuis, ora pro eo.
Sancti Fabiane, & Sebaſtiane, orate pro eo.
Sancti Coſma & Damiane, orate.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Petre, ora.
Omnes ſancti Martyres, orate.
Sancte Silueſter, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambroſi, ora.
Sancte Auguſtine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Hilari, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Sancte Antonine, ora.
Sancte Pater Dominice, ora.
Sancte Pater Dominice, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Hyacinthe, ora.
Sancte Raymunde, ora.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Omnes ſancti Confeſſores, orate.
Sancta Anna, ora.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Martha, ora.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Perpetua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cecilia, ora.
Sancta Catharina, ora.

San-

Sancta Margarita, ora.
Sancta Vrſula cum ſodalibus tuis, ora pro eo.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Agnes, ora.
Omnes ſanctæ Virgines, orate.
Omnes Sancti, orate.
Propitius eſto, libera eum Domine.
A damnatione perpetua, libera.
A ſubitanea, & improuiſa morte, libera.
Ab imminentibus peccatorum ſuorum periculis, libera.
Ab infeſtationibus dæmonum, libera.
Per myſterium ſanctæ incarnationis tuæ, libera.
Per paſſionem, & Crucem tuam, libera.
Per glorioſam reſurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem aſcenſionem tuam, libera.
Per gratiam ſancti Spiritus paracliti, libera.
In die iudicij, libera.
Peccatores, te rogamus.
Vt iracundiæ tuæ flagella ab eo amoueas. te rog.
Vt eius ſpiritum à loco anguſtiæ liberes, te rog.
Vt eum in regione viuorum æternis gaudijs confoueri iubeas, te rog.
Vt nos exaudire digneris, te rog.
Fili Dei, te rog.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce ei Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, libera eum Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere ei Domine.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. *Iſta tria communiter dicantur ab omnibus. Deinde in ſilentio dicant omnes* Pater noſter. *Quo dicto dicat Sacerdos.* Et ne nos, &c. ℣. Saluum fac ſeruum &c. ℣. Mitte ei Dñe auxilium. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Nihil proficiat inimicus. ℟. Et filius iniquitatis. ℣. Eſto ei Dñe turris. ℟. A facie. ℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, conſeruator animarum, qui, quos diligis, corripis, & quos recipis, pie ad emendationem coerces: te inuocamus Domine, vt famulo tuo qui in corpore patitur membrorum debilitatem, gratiam tuam conferre digneris, vt in hora exitus ſui de corpore, abſque mortalitatis peccati macula, tibi datori proprio, per manus ſanctorum Angelorum tuorum eius anima repræſentari mereatur. Per Chriſtum.

Poſtmodum, ſi adhuc vixerit, dicat ſequentem Commendationem, quæ eſt ſecundum vſum Romanæ Eccleſiæ.

Proficiſcere anima Chriſtiana de hoc mundo. In nomine Dei Pa✠tris omnipotentis, qui te creauit. In nomine Ie✠ſu Chriſti Filij Dei viui, qui pro te paſſus eſt. In nomine Spiritus ✠ ſancti, qui in te effuſus eſt. In nomine Angelorum, & Archangelorum. In nomine Thronorũ, & Dominationum. In nomine Principatuum,

patuum,& Poteſtatuum. In nomine Cherubim, & Seraphim. In nomine Patriarcharũ,& Prophetarũ. In nomine ſanctorum Apoſtolorum, & Euangeliſtarum. In nomine ſanctorum Martyrum,& Confeſſorum. In nomine ſanctorum Monachorum,& Eremitarum. In nomine ſanctarum Virginum, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei. Hodie ſit in pace locus tuus: & habitatio tua ſit in ſancta Sion. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. Oremus.

Deus miſericors, Deus clemens, Deus qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis euacuas: reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum N.: & remiſſionem omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi. Renoua in eo, pijſſime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum eſt: & vnitati corporis Eccleſiæ membrum redemptionis annecte. Miſerere Domine gemituũ, miſerere lachrymarum eius: & non habentem fiduciam, niſi in tua miſericordia, ad tuæ ſacramentum reconciliationem admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Commendo te omnipotenti Deo, chariſſime frater, & ei, cuius es creatura, committo: vt cum humanitatis debitum morte interueniente perſolueris, ad Auctorem tuum qui te de limo terræ formauerat, reuertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore ſplendidus Angelorum cœtus occurrat: iudex Apoſtolorum tibi ſenatus adueniat: candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obuiet: & liliata rutilantium te Confeſſorum turma circumdet: iubilantium te Virginum chorus excipiat: & beatæ quietis in ſinu Patriarcharum te complexus aſtringat: mitis atque feſtiuus Chriſti Ieſu tibi aſpectus appareat, qui te inter aſſiſtentes ſibi iugiter intereſſe decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod ſtridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus ſatanas cum ſatellitibus ſuis: in aduentu tuo, te comitantibus Angelis, contremiſcat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei: & iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei. Confundantur igitur & erubeſcant omnes tartareæ legiones, & miniſtri ſatanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te à cruciatu Chriſtus, qui pro te crucifixus eſt. Liberet te ab æterna morte Chriſtus, qui pro te mori dignatus eſt. Conſtituat te Chriſtus Filius Dei viui intra paradiſi ſui ſemper amœna virentia, & inter oues ſuas te verus ille Paſtor agnoſcat. Ille ab omnibus peccatis tuis te abſoluat, atque ad dex-

teram

Digitized by Google

terram ſuam in electorum ſuorum te ſorte conſtituat: Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præſens ſemper aſſiſtens, manifeſtiſſimam beatis oculis aſpicias veritatem. Conſtitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis diuinæ dulcedine potiaris in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oratio.

SVſcipe Domine ſeruum tuum in locum ſperandæ ſibi ſaluationis à miſericordia tua. ℟. Amen. Libera Domine animam ſerui tui ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum & ex omnibus tribulationibus. ℟. Amen. Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Enoch & Eliam de communi morte mundi. ℟. Amen Libera Dñe animam ſerui tui, ſicut liberaſti Noe de diluuio. ℟. Amen. Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Abraham de Vr Chaldæorum. ℟. Amen. Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Iob de paſſionibus ſuis. ℟. Amẽ. Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Iſaac de hoſtia, & de manu patris ſui Abrahæ. ℟. Amen. Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Lot de Sodomis, & de flamma ignis. ℟. Amen. Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Moyſen de manu Pharaonis regis Aegyptiorum. ℟. Amen. Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Danielem de lacu leonum. ℟. Amen. Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu regis iniqui. ℟. Amen. Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Suſannam de falſo crimine. ℟. Amen. Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Dauid de manu regis Saul, & de manu Goliæ. ℟. Amen. Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Petrum & Paulum de carceribus. ℟. Amen. Et ſicut beatiſſimam Theclam virginem, & martyrem tuã de tribus atrociſſimis tormentis liberaſti, ſic liberare digneris animam huius ſerui tui, & tecum facias in bonis congaudere cæleſtibus. ℟. Amẽ.

Oratio.

COmmendamus tibi Domine, animam famuli tui N. precamurque te Domine Ieſu Chriſte, Saluator mundi, vt propter quam ad terram miſericorditer deſcendiſti, Patriarcharum tuorum ſinibus inſinuare non renuas. Agnoſce Domine creaturam tuam, non à dijs alienis creatam, ſed à te ſolo Deo viuo, & vero: quia non eſt alius Deus præter te, & non eſt ſecundum opera tua. Lætifica Domine animam eius in conſpectu tuo, & ne memineris iniquitatum eius antiquarum, & ebrietatum, quas ſuſcitauit furor ſiue feruor mali deſiderij. Licet enim peccauerit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum non negauit, ſed credidit, & zelum Dei in ſe habuit, & Deum qui fecit omnia, fideliter adorauit.

Oratio.

DElicta iuuentutis, & ignorantias eius, quæſumus, ne memineris Domi-

Domine, ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam memor eſto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cæli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum Domine ſeruum tuum ſuſcipe. Suſcipiat eum S. Michael Archangelus Dei, qui militiæ cæleſtis meruit principatum. Veniant illi obuiam ſancti Angeli Dei, & perducant eum in ciuitatem cæleſtem Ieruſalem. Suſcipiat eum beatus Petrus Apoſtolus, cui à Deo claues regni cæleſtis traditæ ſunt. Adiuuet eum S. Paulus Apoſtolus, qui dignus fuit eſſe vas electionis. Intercedat pro eo S. Ioannes electus Dei Apoſtolus, cui reuelata ſunt ſecreta cæleſtia. Orent pro eo omnes ſancti Apoſtoli, quibus à Domino data eſt poteſtas ligandi atque ſoluendi. Intercedant pro eo omnes Sancti & electi Dei, qui pro Chriſti nomine tormenta in hoc ſæculo ſuſtinuerunt, vt vinculis carnis exutus, peruenire mereatur ad gloriam regni cæleſtis: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto: Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. Si anxiatur adhuc anima, dicantur hi Pſalmi, videlicet. Confitemini Domino. 77. & totus Pſ. Beati immaculati. per Horas diſtributus. 78. Egreſſa autem anima, dicitur hoc ℟. Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini; Suſcipientes animam eius: Offerentes eam in conſpectu Altiſſimi. ℣. Suſcipiat te Chriſtus, qui vocauit te, & in ſinum Abrahæ Angeli deducant te. Suſcipientes. ℣. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei. Offerentes. Deinde Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Poſtea. Pater noſter. ſecr. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Requiem æternam dona ei Domine. ℟. Et lux perpetua luceat ei. ℣. A porta inferi. ℟. Erue Domine animam eius. ℣. Requieſcat in pace. ℟. Amen. ℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor meus. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

TIbi Domine commendamus animam famuli tui N. vt defunctus ſæculo, tibi viuat: & quæ per fragilitatem humanæ conuerſationis peccata commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Oratio dicenda poſt Horas Canonicas.

SAcroſanctæ, & indiuiduæ Trinitati, crucifixi Domini noſtri Ieſu Chriſti humanitati, & beatiſſimæ, acglorioſiſſimæ Virginis Mariæ fecũditati, atque integritati, & omnium Sanctorum vniuerſitati ſit ſempiterna laus, honor, virtus, & gloria ab omni creatura, nobis remiſſio omnium peccatorum per infinita ſæcula ſæculorũ. Amen. ℣. Et beata viſcera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium. ℟. Et beata vbera, quæ lactauerunt Chriſtum Dominum. Dicatur Pater, & Aue Maria, pro ſtatu Summi Pontificis, & Eccleſiæ.

EXOR-

Digitized by Google

EXORCISMVS CONTRA IMMINENTEM
tempeſtatem, fulgurum, & grandinis.

PEr ſignũ ✠ Crucis de inimicis ✠ noſtris libera nos ✠ Deus noſter. In nomine Patris, ✠ & Filij & Spiritus ſancti. Amen.

Symbolum fidei, ſcilicet. Credo in Deum Patrem omnipotentem. &c.

Deinde Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon Kyrie eleiſon. Pater noſter. ℣. Adiutorium noſtrum &c. ℟. Qui fecit cælum &c. ℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum. ℣. Exurgat Deus, & diſſipētur inimici eius. ℟. Et fugiant, qui oderunt eum à facie eius. ℣. Exurge Chriſte adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Dñe exaudi &c. ℟. Et clamor &c. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus. Oratio.

DOmine Ieſu Chriſte, qui feciſti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, quique flumini Iordani benedixiſti, atque in eo baptizari voluiſti, & tuas ſanctiſſimas manus & brachia ſacratiſſima in Cruce extendiſti, quibus aerem ſanctificaſti; obſecramus immenſam pietatis & bonitatis tuæ abundantiã, quatenus has nubes, quas ante me, & poſt me, & ſupra me à dextris, & à ſiniſtris video aerem perturbare, diſſoluere, & adnihilare digneris, vt alligata poteſtas dæmonum impie deſæuientium deficiat, & turbetur ad laudem tui ſanctiſſimi nominis, & potentiſſimæ maieſtatis tuæ. Qui viuis, &c.

Poſtea conuerſus ad nubes ſignet eas ſigno crucis, dicens: Circumdet te nubes Deus Pater: ✠ Circumdet te Deus Filius: ✠ Circumdet te Deus Spiritus ✠ ſanctus: Deſtruat te Deus Pater: ✠ Deſtruat te Deus Filius: ✠ Deſtruat te Deus Spiritus ſanctus. ✠ Comprimat te Deus Pater: ✠ Comprimat te Deus Filius. ✠ Comprimat te Deus Spiritus ✠ ſanctus. Amen.

Obſecratio. Sanctus Matthæus, ſanctus Marcus, ſanctus Lucas, ſanctus Ioannes Euangeliſta, qui Chriſti Euãgelium per quatuor mundi partes diuulgarũt, ipſi ſuis meritis & precibus, hanc tempeſtatem à termino iſto, & ab omnibus Chriſtianorum finibus ab eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto obtineant effugari, & depelli.

E X O R C I S M V S

Et ego peccator, & Chriſti ſacerdos ſeu miniſter licet indignus, auctoritate & virtute eiuſdem Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſummi Imperatoris, non mea potentia innixus & confiſus, vobis præcipio immundiſſimi ſpiritus, qui has nubes ſeu nebulas concitatis, in virtute eiuſdem Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ✠ per ſanctiſſi-

Digitized by Google

ctiſſimam eius Incarnationem, per Natiuitatem per Baptiſmum & Ieiunium ipſius. Per eius ſacratiſſimam Crucem ✠ & Paſſionem. Per ſanctam Reſurrectionem: Per admirabilẽ Aſcenſionem. Per tremendum Aduentum eius, & Iudicium. Per merita intemeratæ ſemperque virginis Mariæ, & ſanctiſſimi ✠ & per merita omnium Sanctorum vt exeatis ab eis, & eas diſpergatis in locis ſilueſtribus, & incultis, quatenus nocere non poſſint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuſcumque rebus, humanis vſibus deputatis. Per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen. Ipſe vobis imperat dæmones, qui has nubes commouetis, de quo de nube lucida dictum eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ✠ Ipſe vobis imperat, qui ſua ſacratiſſima Cruce, & corporis ſui ſanctiſſimi in ea extenſione aerem purgauit. ✠ Ipſe vobis imperat, qui per mortẽ ſuam, vos, principem veſtrũ, mortemque deuicit & ligauit, atque æternæ gehennæ nuncupauit ignibus. ✠ Ipſe vobis imperat, qui inferno ſpoliato ſurrexit à mortuis. ✠ Ipſe vobis imperat, qui poſt quadraginta dies nube ſuſceptus virtute ſua aſcendit in cælũ. ✠. Ipſe vobis imperat, qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Et poſtea (?) ondat crucem in aera dicens. Ecce lignum ſanctiſsimæ Crucis, fugite partes aduerſæ, vicit enim vos, & mundi Dominus noſter Ieſus Chriſtus Filius Dei, Imperator ſummus, Leo de tribu Iuda, Radix Dauid.

Poſtea aqua benedicta in modum crucis ✠ aſpergatur per quatuor latera. Dicendæ ſunt etiam Litaniæ ſi nõdum quieuit tempeſtas. Symbolum. Quicumque vult. Añ. Salue Regina. ℟. Sub tuum præſidium. Cant. Benedicite omnia. cum ℣. Gloria Patri. in quolibet Verſu dicti Cant. Deinde.

℣. Benedicamus Patrem & Filium, cum ſancto Spiritu. ℟. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula. ℣. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti. ℣. Exurge Chriſte adiuua nos. ℟. Et libera nos propter nomen tuum. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cũ ſpiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare vnitatem: quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis.

Oratio.

Protege Domine famulos tuos ſubſidijs pacis: & beatæ Mariæ ſemper virginis patrocinio confidentes, à cunctis hoſtibus & periculis redde ſecuros.

Oratio

A Domo tua quæſumus Domine, ſpiritales nequitiæ repellantur.

& ac-

Digitized by Google

& aerearum diſcedat malignitas tempeſtatum. Oratio.

AD te nos Domine clamantes exaudi,& aeris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus: vt qui iuſte pro peccatis noſtris affligimur, miſericordia tua præueniente, tuam clementiam ſentiamus.

Oratio.

LArgiri & conſeruare fructus terræ dignare Domine Deus noſter, & vt temporalibus gaudeamus auxiliis, & proficiamus ſpiritualibus incrementis. Per Chriſtum Dominũ.

POteſt dici & Oratio illius Sancti, in cuius honorem conſtructa eſt Eccleſia, & aliorum Sanctorum, in quibus plus de eorum adiutorio confidimus propter ſpecialem deuotionem noſtram. Poſſunt dici & aliæ etiam deuotæ Orationes cum compunctione & cordis contritione, implorando ſemper miſericordiam Dei. Et ſi adhuc tempus tempeſtuoſum perſeuerauerit, poterunt ſupradicta pluries repeti.

DEO GRATIAS.

REGESTVM.

✠ ✠✠ ✠✠✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo.

Omnes ſunt Quaterniones, præter ✠✠✠ ternionem.

ROMAE, Apud Bartholomæum Zannettum.

M D C V I I.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

GOTTSCHICH
RESTAURO
1970
Digitized by Google

Digitized by Google